
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA ·






THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, ETRVRIAE, VMBRIAE, SABINORVM ET LATII.

TOMI OCTAVI PARS PRIMA.










THESAURUS ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM ITALIAE,

ETRURIAM, UMBRIAM, ETC. CONTINENS.

TOMI OCTAVI PARS PRIMA.


LUGD. BAT.
Apud PETRUM VANDER Aa.



M. Pool Sculp.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

ETRVRIAE, VMBRIAE, SABINORVM, LATII,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J.U.D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI OCTAVI PARS PRIMA.

Scriptores hujus Tomi post Praefationem reperientur.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

GUILIELMI POSTELLI,

Linguarum Orientalium Professoris Regii Parisiensis,


DE

ETRURIÆ REGIONIS

Originibus, Institutis, Religione, ac Moribus Commentatio.

Editio Nova, priori nitidior ac elegantior, innumerisque erroribus repurgata.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ & Typographi Academiæ & Urbis.

ADMONITIO BIBLIOPOLÆ
AD LECTOREM.



Habes hîc, *Benevole Lector, Opus* GUILIELMI POSTELLI, *Viri eruditissimi, suique temporis Doctorum omnium facilè principis. Illud inscripsit*, DE ETRURIÆ REGIONIS ORIGINIBUS, INSTITUTIS, RELIGIONE, ET MORIBUS COMMENTATIO, *eamque dedicavit* COSMO MEDICÆO, Etruriæ *seu* Tusciæ *Principi summo, atque sui seculì Eruditorum omnium Fautori & Mæcenati optimo ac generosissimo. In illa aggressus Auctor prædicare ac extollere antiquitatem* Etruriæ, *altiùs originem illius Regionis repetit, imò ab* Adamo *ipso, nec non* Noacho *deducit, quem sub nomine* Jani *statuit auctorem ac fundatorem omnium institutionum rituumque tàm sacrorum quàm civilium in tota* Italia, *ac præsertim in* Etruria; *& sic ad illud probandum multa adducit antiquitatem redolentia, & ex secretis disciplinis, quas vocat, deprompta, miscetque rara & illustriora exempla & argumenta auctoritatesque ad ulteriorem confirmationem sui incepti. Quid à nobis in ista nova hujus Operis Editione præstitum sit, paucis accipe. Multis in locis textum ac sensum restituimus, quantum in nobis fuit; errata penè infinita, quæ in primam Editionem (Florentiæ 1551. impressam in quarto) irrepserant, pro virili emendavimus; loca ac testimonia Auctorum in isto Opere citata clarè litteris Italicis distinximus atque notavimus; Indicem rerum memorabilium in meliorem ordinem redegimus, atque pluribus in locis auximus; nec non Tabulam, quæ & veteris & novæ Editionis paginas indicat, addidimus; tandemque papyro nitidiori ac typis elegantioribus in ista nostra Editione usi sumus. Cæterùm, Amice Lector, æqui bonique consule, laboribus nostris tranquillus fruere, atque conatibus nostris favere perge.*



ADMONITIO AD LECTOREM.

Cùm ea *Guilielmi Poſtelli de Etruriæ Regionis Originibus*, *Inſtitutis*, *Religione*, *ac Moribus ſingularis Commentatio* ſecundùm veteris Editionis paginas apud multos Auctores allegata inveniatur, quæ paginæ huic novæ non congruunt Editioni, nos, ad Lectorum commoditatem, qui hac nova utentur Editione, hîc ſequentem adjecimus Tabulam, quâ in columna priori veteris reperiuntur paginæ, ſicuti etiam in columna poſteriori paginæ hujus novæ Editionis: quapropter, qui hunc Auctorem in aliis allegatum inveniet Libris, jam primo adſpectu, quâ hujus novæ Editionis paginâ iſtius veteris Editionis paginæ ſunt reperiendæ, reperire hîc poterit.

Paginæ Veteris Editionis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Veteris Editionis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Veteris Editionis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Veteris Editionis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
Pag. 3	Auctoris Dedicatio.	66	23	129	46	192	69
4		67	ibid.	130	ibid.	193	ibid.
5		68	ibid.	131	ibid.	194	70
6		69	24	132	47	195	ibid.
7	Pag. 1	70	ibid.	133	ibid.	196	ibid.
8	ibid.	71	ibid.	134	ibid.	197	71
9	ibid.	72	25	135	48	198	ibid.
10	2	73	ibid.	136	ibid.	199	72
11	ibid.	74	ibid.	137	ibid.	200	ibid.
12	3	75	26	138	49	201	ibid.
13	ibid.	76	ibid.	139	ibid.	202	73
14	4	77	ibid.	140	50	203	ibid.
15	ibid.	78	27	141	ibid.	204	ibid.
16	ibid.	79	ibid.	142	ibid.	205	74
17	5	80	28	143	51	206	ibid.
18	ibid.	81	ibid.	144	ibid.	207	75
19	ibid.	82	ibid.	145	ibid.	208	ibid.
20	6	83	29	146	52	209	ibid.
21	ibid.	84	ibid.	147	ibid.	210	76
22	7	85	ibid.	148	53	211	ibid.
23	ibid.	86	30	149	ibid.	212	ibid.
24	ibid.	87	ibid.	150	ibid.	213	77
25	8	88	ibid.	151	54	214	ibid.
26	ibid.	89	31	152	ibid.	215	ibid.
27	ibid.	90	ibid.	153	ibid.	216	78
28	9	91	32	154	55	217	ibid.
29	ibid.	92	ibid.	155	ibid.	218	79
30	ibid.	93	ibid.	156	ibid.	219	ibid.
31	10	94	33	157	56	220	ibid.
32	ibid.	95	ibid.	158	ibid.	221	80
33	11	96	ibid.	159	57	222	ibid.
34	ibid.	97	34	160	ibid.	223	ibid.
35	ibid.	98	ibid.	161	ibid.	224	ibid.
36	12	99	ibid.	162	58	225	81
37	ibid.	100	35	163	ibid.	226	ibid.
38	ibid.	101	ibid.	164	ibid.	227	82
39	13	102	36	165	59	228	ibid.
40	ibid.	103	ibid.	166	ibid.	229	ibid.
41	ibid.	104	ibid.	167	60	230	83
42	14	105	37	168	ibid.	231	ibid.
43	ibid.	106	ibid.	169	ibid.	232	ibid.
44	15	107	ibid.	170	61	233	84
45	ibid.	108	38	171	ibid.	234	ibid.
46	ibid.	109	ibid.	172	62	235	ibid.
47	16	110	ibid.	173	ibid.	236	85
48	ibid.	111	39	174	ibid.	237	ibid.
49	ibid.	112	ibid.	175	63	238	86
50	17	113	40	176	ibid.	239	ibid.
51	ibid.	114	ibid.	177	ibid.	240	ibid.
52	ibid.	115	ibid.	178	64	241	87
53	18	116	41	179	ibid.	242	ibid.
54	ibid.	117	ibid.	180	ibid.	243	ibid.
55	19	118	42	181	65	244	88
56	ibid.	119	ibid.	182	ibid.	245	ibid.
57	ibid.	120	ibid.	183	66	246	89
58	20	121	43	184	ibid.	247	ibid.
59	ibid.	122	ibid.	185	ibid.	248	ibid.
60	ibid.	123	ibid.	186	67	249	90
61	21	124	44	187	ibid.	250	ibid.
62	ibid.	125	ibid.	188	ibid.	251	ibid.
63	ibid.	126	ibid.	189	68		
64	22	127	45	190	ibid.		
65	ibid.	128	ibid.	191	69		

VITA

VITA & ELOGIUM
AUCTORIS.

Ex Hofmanni Lexico.

Gulielmus Postellus, *Normannus*, abyssus scientiarum *dictus*, *Polyglottus*, *Mathematicus*, *Cabalista*, *&c. insignis .... Obiit cælebs* A. C. 1581. *Æt.* 100. *nullo nunquam morbo tentatus.*

Ex Teissier Eloges des Hommes Savans, 8°.
Tom. 3. Pag. 196.

Guillaume Postel étoit né d'une famille abjecte, & enseigna long-tems les enfans dans le village de *Sahi* proche *Pontoise*. Après qu'il eût fait connoître son érudition par quelques Ouvrages, & surtout par un Traité de douze Langues différentes, il fut honoré de la Charge de Professeur Royal aux Langues étrangeres. Puis il fut reçû Bachelier en Médecine dans l'Université de *Paris*, & ensuite il se fit Prêtre. C'étoit en matiere de doctrine le plus grand esprit de son Siécle. Il avoit une vivacité, une pénétration, & une memoire qui alloient jusqu'au prodige, un génie universel, qui n'ignoroit rien, & qui excelloit particuliérement dans la connoissance des Langues; outre la Latine, la Gréque, l'Hébraïque, la Chaldaïque, la Syriaque, il savoit si bien celles qui se parlent & qui sont vivantes, qu'il se vantoit de pouvoir faire le tour de la terre sans Trucheman. *François* I. qui aimoit les Lettres, & la Reine de Navarre qui étoit savante, regardoient *Postel* comme la merveille du monde. &c. &c.

Ibid. Pag. 209.

Le Livre de Postel, *de Magistratibus Atheniensium*, a été imprimé à Leide en 1648. in 12°. & ensuite à Leipsic avec des Notes de Jean-Frederic Heckelius l'An 1691. in 8°. Son Traité *de Etruriæ Originibus* a mérité l'estime de Burcard Gotthelffius Struvius. *Bibl. Selecta Hist.* p. 697.

Ibid. pag. 203.

L'Eloge de Postel se trouve imprimé dans l'Histoire du Monastere de S. Martin des Champs, où il est mort. Je me contenterai de rapporter son Epitaphe, qui y est gravée sur une planche de cuivre,

Postellus postquam peragravit plurima,
Passus pro pietate, polos Parisiis petiit.
Obiit sexto Septembris 1581.
Mœrens ponebat Adrianus Terrier Medicus.

Illi, qui de hujus celeberrimi Auctoris Vita Scriptisque plura scire desiderant, possunt ea apud sequentes invenire Scriptores.

Henr. Stephanus dans *l'Apologie pour Herodote*. Franciscus Baco. Florimond de Remond. Du Verdier dans *sa Bibliotheque & sa Prosopographie*. Scævolæ Sammarthani *Elogia Gallorum Illustrium*. Josephus Scaliger. Simleri *Bibliotheca*. Beza. Nic. Orlandini *Hist. Soc. Jesu*. Bellarminus *de Sacramentis*. Florimond *de Orig. Hæret.* Genebrardi *Chronic. Continuat.* Ste. Marthe *Bibliotheque Françoise*. Naudé *Bibliographia*. Baillet *Enfans Celebres*. Freheri *Theatrum Illustrium Virorum*. Moreri *Dict. Histor.* Simon *Lettres*. Baile *Dictionaire Critique*. *Bibliotheque Universelle*. Placcius *de Scriptor. Anonym.* Morhof *Polyhistor*. Jurieu *Hist. du Calvinisme*. *Essais de Litterature*. Aliique complures.

COSMO MEDICI,
ILLUSTRISSIMO ETRURIÆ OCCIDUÆ DUCI,
salus & vera absolutaque victoria.



APIENTISSIMORUM Philosophorum decreto judicatum est, tunc fore Respublicas felicissimas, quum aut Sapientum aut sapientiæ studiosorum amatorum-ve Principum imperiis audientes esse cœperint; unde in summa relinquitur difficultate judicandum, quàm sint felices illæ quibus non tantùm in omni doctrinarum genere principes viros imperare contigerit, sed ubi ad summos dignitatum gradus iidem fuerint evecti, tantò ardentiùs sapientiæ studiis inhæserint, quantò in majori publicarum curarum culmine fuerint constituti. Crediderim itaque hodie Etruriæ Gentem præclarissimam Florentinos in summo felicitatis humanæ gradu versari, nisi morbo humanæ naturæ peculiari suarum ipsimet calamitatum auctores essent, quum utrumque Sapientum votum in te illis contigisse videam. Licèt enim per publicarum functionum curas, quibus assiduè optimos urgeri Principes necesse est, tibi non liceat in Academia Philosophorum versari, tamen & ex tuis in tuam Rempublicam institutis, & ex summo in Doctos omnes amore, favore, officio, & liberalitate ipsi relinquis posteritati cogitandum, te facilè ipsis virtutis actionibus, in quibus laus solida consistit, omnibus

Philosophiæ partibus te universos antecellere. Quare, hac tempestate, in qua ingeniorum laus & litterarum rerumque splendor rursus incipit enitescere ut tibi principi omnium doctrinarum alumno inscriberem has nostras *de Originibus Etruriæ & prisco aureoque ejus cultu rituque* Commentationes, & tuæ amplissimæ dignitatis nomine, & absolutæ virtutis ergo sum vehementer incitatus. Mole quidem perexiguâ munus est, Opusque in summa & Latinorum & Græcorum Auctorum penuria conscriptum, éque solius memoriæ monumentis illisque tenuissimis repetitum, quum jam ferè totum decennium, ex quo prælectioni regiæ sub litterarum instauratore Rege Francisco in ipsa Gallia finem feceram, humanarum litterarum monumentis valefeceram. Media enim in Asia, quum studiis & Auctoribus Arabicis conquirendis incumberem, raptim & ex originum Syriacarum ratione occasioneque exaratum est, quicquid id est; sed tamen qualecumque est, maxima priscæ doctrinæ & disciplinarum nostro sæculo deperditarum monumenta continet, & ex quibus nostro sæculo summam lucem oboriri necesse est. At quia in Etruria primariæ magnitudinis astro subjecta orta est olim & sacra de externo cultu disciplina, & aurei sæculi institutio, historiaque, ibidemque ubi nata est funditus periit, ibidem te duce instaurari optamus, & tibi hoc nomine hos Commentarios nuncupatos volumus. Non dubito futurum, ut quâ fronte aliorum pleraque scripta monumenta-ve solitus es accipere, etiam nostra accipias, animumque tuæ veræ solidæque & victoriæ & gloriæ cupidissimum tibique gratificandi cupidissimum tantò magis amplectare, quantò minùs precium operæ & tuis & meis votis responderit. Vale.

Et tibi & virtuti & dignitati
tuæ addictissimus

GUILIELMUS POSTELLUS.

SERIES CAPITUM.

Cap-



PETRI BVRMANNI PRAEFATIO IN TOMVM OCTAVVM THESAVRI ITALICI.

LECTORI AEQVO S. D. PETRVS BVRMANNVS.


um prioribus tomis omnem illam *Italiae* partem, quae Alpibus proxima eſt, & olim *Galliae* fere *Ciſalpinae*, ſive *Togatae* nomine appellabatur, variis & inſignibus ſcriptoribus, magno labore & ſumptu undique conquiſitis, illuſtratam dederit Operis hujus magnifici collector, nunc ad interiores ejus regiones gradum facit, & *Etruriae*, *Umbriae*, *Sabinorum* & *Latii*, vicinarumque regionum Antiquitatum & Hiſtoriarum momenta in octavum hunc tomum conjecta exhibet. In ipſo limine primus ſe oſtendit, Vir varia olim fama & fortuna jactatus, GUILIELMUS POSTELLUS, qui origines *Etruriae*, religionem primorum incolarum, & mores hoc libro illuſtrandos in ſe ſuſcepit. Notior eſt *Poſtellus*, ejuſque doctrina & vita, quam ut in illis enarrandis diu haereamus, & ſatisfacere cupidis poterunt ſcriptores, ex quibus elogia & teſtimonia deſcribi, & libro huic praeponi curavit editor. Qui vero ejus opiniones, &, ſi vero nomine ea vocare velimus, ſomnia & deliria plenius cognoſcere velit, ea optime intelliget ex *Rich. Simonii* Epiſtola, quæ inter Selectas eſt XXI. & *Obſerv. Hallens. Tom.* I. *Obſ.* 21. & IV. *Obſ.* 12. & ex Elogiis, quae collegit Pop Blountius, & Auctor Commentariorum Literariorum (*Memoires de Literature*) *T.* 1. *cap.* 1. & aliis, quos illi citant. Peculiarem etiam de *Guilielmo Poſtello* exercitationem Hiſtorico-Theologicam vulgavit *Lipſiae* 1704. *Thomas Ittigius*, ex quibus ſine ullo malevolentiæ aut detrectationis metu conficere licet, ingenio valuiſſe *Poſtellum*, doctiſſimum etiam & linguarum plurimarum peritiſſimum fuiſſe Virum, ſed ſimul confirmaſſe eum commune illud dictum, *nullum magnum eſſe ingenium ſine admixtione dementiae:* cum enim multum temporis & laboris in ſtudiis Aſtronomicis, Mathematicis, & praecipue Cabaliſticis conſumſiſſet, tantam inde labem contraxerat, ut nugas & deliramenta infinita ad alias eruditionis partes transferret, & ſimplicitatem religionis Chriſtianae inauditis & falſis opinionibus & hallucinationibus contaminaret. Dum enim omnia, quae de gentium antiquarum religionibus & ritibus legerat, ad ſecretiora myſteria, & a populo ignoratas diſciplinas referre ſtudet, effecit, ut omnis religionis Chriſtianae veritas & ſimplicitas periret. Atheorum, Deiſtarum, Naturaliſtarum, ut vocari ſolent, ſectis eum adſcripſere plurimi, & ſub eo crimine vexatus, & ab illis, qui jus ſibi etiam in mentes hominum & opiniones vindicant, carcere & poenis ſaepe coërcitus fuit, ſed a nemine, quam a *Venetae* Reipubl. tribunali, ex merito magis tractatus, aut juſtior ſententia in eum lata fuit, cum amentiae crimine damnatus, haereſeos abſolutus fuerit. Stultitiae vero ejus in-

insigne monumentum in hoc ipso libro reliquit, qui tamen eo nomine, ut reliqua ejus scripta, avidos emptores reperit, ideoque pretium etiam hujus Thesauri augere poterit. Regnat vero toto hoc volumine praecipua, in qua sibi placere solebat, illa opinio, Unius veri Dei cultum ab initio rerum *Adamo* insitum & traditum, ad omnes omnino gentes pervasisse, sed veram de Deo sententiam per Tyrannos & pessimos homines adulteratam, & falsas opiniones de fictis Diis in populum proditas, cum apud sapientes & sacerdotes veritas, arcanis quibusdam disciplinis velata, remanserit. *Adamum* in *Syria* primam verae religionis sedem posuisse, & ad ejus sepulchrum regni prioris & coelestis locum sacrum esse constitutum, ubi, cum depravatus postea fuerit cultus, Christus, in *propria sua* veniens, illum restituerit. Post Diluvium vero *Noachum* instituisse, ut inter posteros ejus, per omnem orbem dispergendos, vero & summo Deo sacra fierent, sed simul Geniis sive Angelis locorum, tamquam mentis aut spiritus generalis membris, ritus & cerimoniae peculiares instituerentur. *Noachum* vero, quem & *Janum*, *Ogygem*, *Deucalionem*, *Protea*, *Vertumnum* &c. esse statuit, relicto in Syria *Semo*, qui est *Melchisedecus*, ut Adamiticam disciplinam tueretur, abiisse, cum per diluvium nauticam artem didicisset, in *Italiam*, & ex siderum positu primum locum sacrum in *Etruria* consecrasse ad *Tiberis* ripam, quae esset *Ariel*, & *Janiculum* vocaretur, oppositum *Saturniae*, unde & *Antipolis*; ibique instituisse traditum ab *Adamo* veri Dei cultum: deinde ab *Aboriginibus*, qui a *Japetitis* sunt extrusi, inhumanitatem & tyrannidem affectantibus, aureum secluum, quod sub *Noacho* erat, corruptum, eosque cum *Chamesi* in *Italiam* venisse. Quare ab eo tempore duplicem esse factam doctrinam, popularem unam & communem; alteram inter sapientes & sacerdotes retentam, secretiorem & divinam, qualem etiam *Abrahmanes*, sive *Brahmanes* inter Indos, *Druidae* inter Gallos, inter Hebraeos *Cabalistae* profitebantur; Inter Etruscos vero fuisse *Razi-Hinuos* dictos, qui ad Janiculum, ubi exuviae Noachi erant conditae, & vim & miracula sua exhibebant, sacra instituerunt sollemnia; quae ut negligi coeperunt, e terra, ut spectrum, prodiisse *Tagen*, Genium illum sive Angelum Etruriae, qui Etrusca sacra dictavit, ad quae addiscenda Romani juvenes suos solebant in Etruriam mittere, qui verae religionis mysteria, per auguria, exstispicinas & prodigiorum interpretationes Romam transtulerunt: omnem enim Romanorum religionem ex Etruscis mysteriis esse derivatam, sed Graecorum fabulis sensim depravatam censet. Potuisse quidem Noachum eodem jure, quo Moyses postea Judaeis, tradere Etruscis scripto consignatam veri cultus doctrinam, sed auctoritatem divinae revelationis locis sacris in Syria, ubi Adamus instituerat, deberi, & quo postea Christus, Mens mentium, tamquam in propria sua venturus esset; Etruscis vero sufficere debuisse palpabile & sensibile disciplinae genus, unde postea per Petrum Apostolum transiret ad verum & divinum. Hoc disciplinae Etruscae genus, etiam Romae fuisse celebratum, & Geniorum cultum & sacras cerimonias a Sacerdotibus etiam Romanis peractas, sed ita ut semper subessent, etiam Pontifex Maximus, Etruscis illis *Razi-Hinuis*, quibus Noachus testamentum suum, sive legem aeternam, consignaverat, & qui imperitabant naturae & spiritibus, ut *certissimis est proditum historiis*. Deinde ex numerorum mysterio, Noachum instituisse duodecim Lucumones, sive magistratus Etruscorum, qui evocatis duodecim Geniis, qui praeerant totidem populis, populum instruerent, eodem modo, ut olim duodecim patriarchae, duodecim arae a Moyse erectae, & totidem a Christo Apostoli instituti fuere. Et ut Moyses LXX. senes, qui populo Israëlitico jura redderent, & Christus LXXII. discipulos Apostolis adjunxerit, ita & teste Cicerone I. de Divin. 41. totidem principum filios singu-

gu-

gulis Etruriae populis in disciplinam traditos, qui mysteria discerent, & hinc Janiculum sive Etruriam verae religionis sedem & perfugium fuisse, & Romanos per *pontem Sublicium*, de quo plura mysteria comminiscitur, hoc sacrorum commercium exercuisse. Deinde Petrum Apostolum a Christo, qui, ad Adami sepulchrum cruci adfixus, ibi restituerat aeternam legem, & Melchisedicanum regnum spirituale, missum in Italiam, qui ad tumulum Noachi, in Janiculo super reliquias Noachi animam effunderet: & hinc ibi sedem positam summi pontificatus, &, a Gothis, destructa omni veteri Roma, in Urbem Leoninam, sedem aeterni imperii & temporalis regni esse constitutam. Haec fere sunt senilis dementiae & delirationis Postellianae in compendium missa capita, quibus alia plurima de literis, & etymologiis Etruscorum & Umbrorum, Libris Sibyllinis, Berosi falsi nugis (quas pro verissimis habet) & aliis immiscet, quibus immorari piget; nec refellere vacat, aut valde opus esse puto.

Postellum excipit FRANCISCUS DYNUS, longe ab ejus aetate remotus, & nostrorum temporum scriptor, qui se Advocatum Senensem vocat, & Ducatus Camerini praeturam, in praefatione *dissertationis apologeticae de Antiquitatibus Umbriae* &c. egisse scribit; & plura de eo in elogiis praemissis legi possunt. Initio libri de origine Tuscorum & Umbrorum agit, plurima constipans, ordine satis perturbato, & immixtis, non multum ad argumentum pertinentibus Taciti & aliorum sententiis; unde facile lector colliget declamatorem potius, quam historicum egisse, neque elaboratum satis opus esse. quod ipse Baldereschius, in notis suis docens crebris lituris fuisse deformatum, fatetur. Exemplum manifestum occurrit pag. 6. ubi de rebellione Aretinorum ex Livii Lib. x. cap. 3. agens, in illa Civitate *Licinium genus* praepotens fuisse, ait, & ea occasione de Liciniis & monumentis illius gentis quaedam corradit. quae omnia cadunt, si *Cilnium* genus, ut ibi, post Lipsii emendationem, recentiores editiones exhibent, legatur. quare infirmo talo niti videntur, quae de Oppidi *Liciniani* origine, ab his Liciniis olim possessi, disserit: quod a Lucio Sulla dictatore nomen habere contendit, cum inauditum sit a praenomine oppidorum appellationes deduci. hinc etiam si a Lucio Sulla nomen sit deducendum, oppidum Licinianum dictum, *Lucianum* vocari deberet, ut in lapidibus *Luciani* & *Lucianenses* exhibentur, cum tamen *Licinianum* ipse, & *Lucinianum* varia scriptura ubique vocet. Inscriptio etiam, quam ex *Gammurini* Historia Aretina inedita profert, multis nominibus suspecta est. nam & cognomen *Felicis* post Dictatoris titulum ponitur, cum in aliis vocetur, *L. Corn. Sulla Felix*, *Dictator*, non *Dictator Felix*. Vid. Gruter. CCCXCVIII. 4. & 5. quod ex similis notae titulo, quem suppositititium recte censet Reinesius Clas. VI. 107. egregie confirmatur, ubi legitur *L. Cornelio Sullae Imperatori Fortunato.* Deinde, *Decuriones indicto nomine Lucianenses*, quid significare possit non video. quare hæc omnia potius amori patriae, quam veritati data esse credimus. in reliquis fata illius partis Etruriae, & oppidorum ibi sitorum ex scriptoribus narrat, parum novi adferens. Pag. 2. iterum insignem amorem patriae ostentat, cum indignetur, Plinium lib. XV. 2. *Oleum Licinianum* soli agro Venafrano fatue adsignare, quod *Valli Clanarum* majori jure attribuere debuisset.

Idem DYNUS in *dissertatione de antiquitate Umbrorum*, Cluverii, eumque secuti Papebrochii, sententiam de origine & antiqua sede Etruscorum & Camertinorum excutit, quam controversiam, quae dubiis antiquitatum monumentis involuta est, ad disquisitionem vocare non vacat. Nisi quod non sine veri specie *Camertum* oppidum excisum fuisse a Sulla, & ejus rudera prope Spoletium & Fulgineum hodie superesse censeat, *Camerinum*que longe recentius,

 ex

ex levi nominis argumento & ſimilitudine, nihil commune habere cum Camertibus. Capite v. renovat omnia, quae in priori diſſertatione de origine *Liciniani*, a Lucio Sulla adfirmaverat, & lapidis ſpurii vetuſtatem adſerere, infeliciter tamen, conatur. Ipſe vero viciſſim lapidem a Camertibus Imperatori Septimio Severo poſitum, & qui apud Gruter. pag. CCCLXVI. I. legitur, falſi arguere variis argumentis nititur. ac primo quidem ſatis levi, quod CAMERTES forma literarum majori, quam reliqua vocabula ibi legantur, eamque formam manum recentiorem indicare judicat ex alia inſcriptione *Lycoris Matris*, quae exſtat in eodem foro. Sed ſi omnes lapides damnandi eſſent, qui inaequali charactere ſunt ſignati, pauci veteri aevo adſcribi poſſent. neque ullos, credo, antiquariorum haec nota lapidum induxit, ut pro ſpuriis haberent. & cum Gudius, peritiſſimus antiquorum monumentorum judex, ipſe ſe lapidem hunc vidiſſe teſtetur, & tribus literis (quamvis jam *Camertes* apud Panvinum legatur) auxerit, nihil vero eum major literarum forma offenderit, ab hac parte ſecuris nobis eſſe licet. Alterum argumentum, multo adhuc levius, quo lapidis auctoritatem elevat, eſt, quod in Imperatoris titulis omiſſi ſint *Proconſulis & Pontificis M.* tituli, cum ex Demſtero (at quanto & quam gravi auctore!) probet, omnes Imperatores, eos titulos ſumſiſſe; ſed Proconſulis, & Pontificis titulum ſaepe omitti in monumentis publicis infiniti lapides oſtendunt. perluſtret modo quis ipſius hujus Septimii Severi titulos apud Gruterum a pag. CCLXII. plurimos reperiet ſine Proconſulatus aut Pontificatus M. immo ſine Tribunitiae poteſtatis etiam nota. idem in aliorum Imperatorum lapidibus obſervari poterit. quare abſurdum eſt exigere, ne lapides ullos omnino titulos omittant, cum eo nomine maxima eorum pars falſi poſſet argui. Reliqua, quae de aequo foedere, & aliis verbis habet, ſpecioſius argumentum habent, & multa non abſurda undique adfert, quibus minime veroſimile eſſe aequi foederis confirmationem tam ignobili municipio eſſe datam ab Imperatore, colligit; ſed quae omittimus, memores nos praefationem, non commentarios ſcribere, & facile eſſe unicuique rerum Romanarum perito, de iis exiſtimare. Recte verò *Lilium* Camerinenſis hiſtoriae ſcriptorem a Dyno refutari puto, quod Lapidem, qui ab Onufr. Panvino in Faſtis ad An. DCCCCLXIII. & a Grutero p. CCLXV. 3. prolatus eſt, Romae fuiſſe, non Camerini poſitum, & a II. cohorte Vigilum Sept. Severo dedicatum eſſe cenſeat. & ſtultum eſſe, credere Camerinos habuiſſe ſuae gentis cohortem vigilum, & aliam Praetoriam, quae Imperatorem ſtiparent, quod ex alio lapide apud Gruter. p. XLVI. 10. probari contendit Lilius, ubi COH. X PR. V. ANT., *Praetoria ultrix* redditur, quod inauditum cognomen: Scaliger vero ex aliis lapidibus, *Praetoriam Piam victricem Antoninianam* interpretratur. vid & XLV. 13. ſed Fabrettus p. 140. nulla Praetoriis cohortibus cognomina addi patitur, & illas notas P. V. *Praetorii Urbis* explicat; ut hae cohortes a praetorianis diſtinguantur, quae legionibus additae, vel in provinciis erant. de quo nondum mihi liquere profiteor. in reliquis ſatis oſtendit, *Camerinum* non fuiſſe antiquum *Camertium* oppidum, aut caput Etruſcarum Civitatium, contra Lilium & alios, quamvis ſermone impolitiori & ſaepe obſcuro.

Cum vero nulla, non dico Etruriae, ſed ſi Romam excipias, totius Italiae nobilior urbs habeatur, *Florentiâ*, & quae majori ingeniorum & eruditiſſimorum hominum proventu magis floruit, non mirum accidere poteſt, ſi princeps illa Etruriae civitas multos & egregios rerum ſuarum ſcriptores pepererit, qui variis caſibus jactatam rempublicam, & civium fortunam poſteris prodiderunt. Ex magna copia quinque potiſſimum huic Theſauro inſerere viſum operis editori fuit. *Scalam*, *Poggium*, *Brutum*, *Contarenum* & *Varchium*, de quibus ſingulis breviter agemus.

BAR-

BARTHOLOMAEI SCALAE, equitis Florentini, ingenium, eruditionem & merita abunde ex testimoniis ejus historiae praemissis lector cognoscere poterit; unicum vero dolebit: ex xx. nimirum libris, quibus fata civitatis explicare destinaverat, quinque tantum nobis superesse; reliqua enim absolvere mors properata prohibuit. hanc historiam avidissime se legisse, & summam inde voluptatem cepisse scribit *C. S. Schurzfleischius* Tom. 1. Ep. 481. ubi ejus merita & virtutes etiam egregiis laudibus ornat & commendat. Initio operis in originem Urbis inquirit, & Faesulas olim celebrem urbem & vicinam, originem fere Florentiae dedisse vulgo statui prodit; quae cum ad montis pedem, & ripam fluvii Munionis haberet locum aptum mercatui, eo negotiatores exteros convenisse, & cum ibi pratum floribus, & praecipue Liliis distinctum esset, inde *Florentiae* nomen natum esse vulgo traditum. Ipse vero nihil certi definit, sed Romanis originem debere, qui ad imaginem & formam Romae eam aedificaverint, credit. natam vero Urbem circa A. U. C. 680. ante Christum natum 70. Sed quia, ut pag. 31. narrat, incendio periere omnia veteris temporis acta, nihil mirum, omnia non modo obscura, sed etiam fabulosa esse, quae de Urbis Origine vulgo jactantur, cum certior demum Historia a Friderici II. temporibus deducatur; licet libro II. a restitutione Urbis, quae Carolo M. deberi creditur, primordia urbis altera repetat. ubi etiam res gestas, quae ad reliquam Italiam pertinent, seorsum aliquot libris explicuisse se dicit. Nec majorem fidem merentur, quae pag. 7. de *Romulo*, Pontifice Faesulano, & qui sacra Christiana primus intulisse creditur, (ut & *Dynus* pag. 11. narrat) & Martyre *Mimate* pag. 10. & *Zenobio Hieronymo* Episcopo primo tradit. Quae vero libro II. narrat de restitutione Urbis, a Carolo M. aedificatae, fabulis etiam propiora videntur. Quis enim credat post trium seculorum lapsum, quam urbs a Totila funditus deleta creditur, exsules Florentinos, legatione ad Senatum Romanum missa, obtinuisse urbis renovationem, & ex Senatusconsulto Carolum M. eum in modum urbem restituisse, ut admiranda celeritate, profundis & latis fossis fuerit urbs circumdata, muris munita & turribus 150. ornata, & ad novae Urbis famam undique exsules Florentini, & aliunde nobiles ex Etruria, immo ex ipsa Roma habitatores plurimi confluxerint. Favisse vero Scalam Pontificiis partibus, & Imperatoribus Germanis iniquiorem fuisse multa se produnt documenta. Pag. 27. tradit decretum fuisse, ne posthac Imperator, nisi e Germanis crearetur, additumque decreto, ne Imperium hereditate ad filios transiret, neque Imperator legitimus esset, nisi quem Romanus Pontifex comprobaret; nec etiam Papa Germanus umquam Romanae sedi praeficeretur, ne duobus summis Christianorum Magistratibus una gens potiretur. Quam fabulam, dudum a viris doctis explosam, hic pluribus confutare non vacat, neque alii scriptores, licet fabulam de VII. Electoribus a Gregorio institutis narrent, hoc de Papa ex Germanis non eligendo, quantum quidem sciam, adjicere solent. Sed si statuamus decretum fuisse, ne Imperator, nisi Germanus, legitimus esset, Itali certe hanc legem violasse statim argui possunt, cum *Ottone III.* mortuo, *Henricum Sanctum* cognomine agnoscere noluerint, eique *Ardoinum* obduxerint, de quo ne verbo quidem Scala monuit, in eo quoque errans, quod *Henricum illum* Ottonis II. Filium faciat, cum ex *Henrico Ottonis* I. fratre descenderit. Filius enim fuit *Henrici*, cognomine *Minoris*, ducis Bavariae, qui filius *Henrici* Ottonis I. fratris fuit, ut ex *Dithmaro*, eorum temporum scriptore, notum est, & stemma, a *Reineccio*, *Dithmaro* subjectum, docet, & egregie firmavit *Leibnitius* in praefatione Tom. 1. Rerum Brunsvicensium. Et non satis instructum fuisse a notitia temporum priorum Scalam, multa alia declarant,

quae hic recensere omnia piget. Pag. 29. in fine de *Normannorum* in Italia origine agens, illos ex Normannis illis, quibus Carolus M. sedes ultra Sequanam dedit, deducit, cum reliqui scriptores vel Carolo Calvo, vel Simplici id adscribant. Perplexum quoque est, quod *Cunrado Salico*, *Henricum* alterum Leopoldi filium, generum miro modo Cunrado factum, successisse ait, & deinde *Henricum III.* Henrici filium eum excepisse scribit. Quae de celeberrima *Mathilde* profert, ipse tamen dubitans, omnia hodie in clariore luce posita, & egregie ab Illustri *Leibnitio*, uberius quoque a Doctissimo, & horum temporum peritissimo Cl. *Muratorio*, in libro, eruditionis omnigenae plenissimo, de *Antiquitate Estensi*, enarrata & probata sunt. Quo auctore etiam Urbem Aegypti *Damiatam* (quam expugnatam A. 1214. dicit, cum Joannes de Vitriaco lib. III. Hist. Orientalis ad annum 1219. referat) *Aeliopolim* vocatam, & ab *Aelio Pertinace* (qui *Helvius* fuit dictus) muris cinctam, & de suo nomine appellatam adfirmet, nescio. Multa tamen ex hoc libro ad aevi illius illustrationem colligi possunt; sic exempli causa ad temporum illorum consuetudines notandas, egregie faciunt illa, quae de more bellum indicendi hostibus & gerendi apud Florentinos adfert pag. 35. & de *Guelforum* & *Gibellinorum* factionibus pag. 40. ubi notat illos fidem promisisse pollice, hos vero indice; illos gessisse lilium rubrum, hos album pag. 49. & tanta rabie fuisse inter se diffidentes, ut nihil fere, nec in moribus, nec in sermone, nec in habitu, commune haberent diversae factionis homines. Nullam vero fuisse civitatem, quae majoribus turbis & domesticis & vicinorum fuerit agitata & vexata, quam *Florentia* constat: in qua studia civilium partium ab *Ubertis*, nimia potentia florentibus & ambitione ablatis, originem sumsisse narrat; quibus deinde *Guelficae* & *Gibellinae* Sectarum nomina accesserunt. De quorum origine illam opinionem sequitur, quae ex clamore bellico ante proelium inter Germanos & Romanos, in loco *Elenofere* (quem me ignorare fateor) sublato deducit. sed nemo mea sententia eruditius & certius factionis & appellationis hujus initia ostendit celeberrimo *Muratorio*, viro doctissimo, qui in Antiquitate Estensi cap. XXXI. luculenter & eruditissime ostendit, odium inter duas familias potentissimas in Germania, *Guelficam*, unde Bavari & Estenses, & *Gibellinam* a Conrado Salico, in Villa Gibelinga nato, deductam, fuisse olim internecinum & mutuis damnis crudeliter exercitum. successores vero *Henrici Gibellini* maxime Guelfos adflixisse, donec *Conradus III. Henricum Guelfum* Bavariae ducatu spoliaverit. Cum autem in *Friderico Barbarossa*, qui origine erat Gibellinus, sed matrem haberet Henrici Guelfi filiam, spes esset concepta factiones in concordiam redigendi, ille contra, Gibellinorum partes acrius sectatus, *Henricum Leonem* bello acerrimo vexavit, unde Guelfi Paparum partes amplexi, & Italos, Germanis semper inimicos, beneficiis & auxiliis datis, sibi devinxerunt: unde *Guelfi Estenses*, Henrici Leonis consanguinei semper fere Imperatoribus adversati, hoc nomen Italiae quoque intulerunt; & circa Frederici Barbarossae tempora, ante quae in Germania diu audita fuerant, reviviscere in Italia quasi coeperunt infausta illa factionum nomina. Quas turbas vero in Italia haec partium studia edidere satis omnibus constat, & *Scala* misere agitatam Urbem factionibus narrat usque ad *Conradini* mortem, ubi imperfectam historiam reliquit, Libro quinto nondum absoluto.

Ejusdem SCALAE vitam *Vitaliani Borrhomaei* addidit operis hujus collector, qua Gentis amplissimae & nobilissimae origines illustrare conatus est. Et licet a fabulis exordiri videri posset, & a *Vitaliano* rege Patavii, cujus filia *Justina* inter divas relata fuerit, gentis primordia repetat, excusare cum omnium fere insignium familiarum insania potest, quae semper obscu-

ſcuras origines ſuas ex commentitia antiquitate deducere ſolent. illud vero ex omni ejus narratione efficere licet, gentem *Borrhomaeam*, cum mercatura ingentes ſibi opes acquiſiviſſet, nobilitatem & antiquitatem generis poſtea affectaſſe, ut infinitae per totum orbem, & non paucae in patria noſtra familiae, ubi divitiae animos fecere, nobilium gentibus ſe inſerere ſtuduerunt.

Sequuntur deinde duo nobiliſſimi & omnibus eruditis notiſſimi ſcriptores rerum Florentinarum, POGGIUS BRACCIOLINUS, & MICHAEL BRUTUS. Quorum ille cum breviter initia Urbis perſtrinxiſſet, praecipue Hiſtoriam ſuam orditur ab A. 1343. quo cum Vicecomitibus Mediolanenſibus bella gerere Florentina reſpublica incepit, & ad Ann. 1455. quo pax cum *Alphonſo rege* Neapolitano convenit, deduxit. De Meritis *Poggii*, & quo ſtudio hiſtoriam patriam ſcripſerit, nota ſunt eruditorum omnibus judicia, & vita *Poggii*, & ejus elogia huic editioni praemiſſa, abunde edocere lectorem poſſunt. ipſam etiam Hiſtoriam in compendium contractam qui legere cupit, in tertia *Poggianorum* parte nuper Amſtel. 1722. ab anonymo, ſed quem Gallum Berolini agentem, *L'Enfant* dictum, eſſe conſtat, reperire poterit. quare nobis hujus rei gratiam fieri petimus. Haec autem Hiſtoria cum ab ipſo *Poggio* Latino ſermone eſſet conſcripta, & a Filio ejus in Etruſcam linguam verſa & edita, Latina fere obliterata & perdita eſſe videbatur. quare Vir doctiſſimus & reipub. Venetae patricius, & ſplendor maximus, *Joannes Baptiſta Recanatus* Latinam ante biennium Venetiis produxit, notiſque & eruditis & utilibus ad illorum temporum notitiam illuſtravit, multorumque, & ipſius quoque Poggii, inſigniores errores caſtigavit. Hic vero Vir inſignis & eruditus cum accepiſſet a Typographo noſtro hanc Poggii hiſtoriam Theſauro inſerendam eſſe, per literas petiit errorem, qui vel operarum vitio vel calami lapſu, in notis ad Pag. 3. n. 18. irrepſit, emendari, ubi Henricus quartus, dicitur *hujus nominis Gallorum rex quartus, Romanorum Imperator tertius*, cum fuerit ſcribendum, *Germanorum rex quartus.*

MICHAELIS BRUTI (cujus vitae brevis narratio praemittitur) hiſtoria ita omnium eruditorum calculos & laudes meruit, & propter veritatis ſtudium & ſtili nitorem eſt celebrata, ut nihil fere nobis ſit relictum ad ejus peritiam & praeſtantiam commendandam. Hunc Victorius Lib. XXXII. Var. lect. 13. *magno ingenio & doctrina præditum virum celebrat.* Cl. Graevius ad Cicer. I. ad Att. 11. *virum pereruditum & acerrimi judicii* vocat. Praemiſit Brutus Hiſtoriae ſuae praefationem inſignem & memorabilem, in qua de Hiſtorici officio egregie agit, & praecipue *Pauli Jovii* odium erga Florentinos, & malam ejus fidem, quam jam alii adnotaverant, manifeſtis argumentis arguit & oſtendit. Ipſam vero Hiſtoriam, paucis praemiſſis de ſtatu & ordine reipublicae, quo olim adminiſtrari ſolebat, quae ad rem videbantur, praecipue a *Joanne Medice*, & ejus deinde filio *Coſmo* deducit, & oſtendit, quibus artibus haec *Mediceorum* gens ad illam in republ. potentiam adſcenderit, & ad *Laurentii Medicei* mortem perduxit.

His hiſtoricis, qui longioris temporis, & rerum, quae ad univerſam Etruriam ſpectabant, memoriam poſteris prodiderunt, ſubjungere viſum eſt Typographo, FRANCISCI CONTARENI commentarios *De Rebus & bello inter Etruſcos & Senenſes geſto*, cum propter famam, & celebritatem ſcriptoris, tum quia idem *Brutus*, cujus hiſtoriam modo memoravimus, eam cura ſua dignam judicaverit, quam cum erudito orbe communicaret: & ab interitu vindicaret, ut ex praefationibus & Voſſii elogio unicuique patere poterit. Egregium hoc opus, a viro eruditione & generis ſplendore

§§ 2 flo-

florentissimo *Contareno* conscriptum fortasse aeternum latuisset, nisi in *Bruti* manus incidisset, qui cum maximo elegantiae & Latini nitoris studio teneretur, multa in dictione auctoris emendavit & polivit, Gryphioque excudendum dedit. Atque haec est editio, quam hic expressit Typographus, cum copia ipsi fieri non posset alterius, quae deinde A. C. MDCXXIII. Venetiis ex praelo Pinelliano prodiit, cura *Balthasaris Bonifacii*, JCti Rhodigini, & postea Episcopi Justinopolitani, qui cum Familiae Illustrissimae *Contarenae* elogia xxx. concinnasset, hanc quoque historiam recensuit. Cujus si nobis facultas videndae facta esset, lectorem docere liceret, quid inter utramque intersit, & num sibi *Brutus* plus aequo in alieno opere permiserit, dijudicare. Alterius hujus editionis indicium debet Typographus eruditissimo Viro *Petro Chatanno Zeni*, qui hodie Venetiis magna doctrinæ & industriae laude floret. qui simul monuit, hunc *Contarenum* non recte *Legatum ad Pium II.* dici (licet & Vossius eum ita vocet,) cum non a Republ. Veneta missus fuerit orator ad Papam, sed in hoc bello quod descripsit, & quod Veneti cum Florentinis, icto foedere cum Papa & Senensibus, gerebant, in Castris Venetorum publica auctoritate fuerit versatus, titulo reipub. illi consueto *Provisoris* (*Proveditore in Campo*) ornatus; Eodem modo ut olim Romani saepe principes e civitate & Senatu viros legatos ad exercitus mittebant, qui res inspicerent, & cujus consilio & opera Imperatores & duces uterentur. Quod sapientissimum institutum & nostra respublica sequi amat, quae ducibus suis certos legatos adjungere solet, sine quorum consilio nihil fere magnae rei Imperatori administrare licet.

Cum vero in Etruria nihil magis memorabile acciderit, & quod historicorum ingenia & labores magis exercuerit, quam rerum & status conversio, quae Florentinam rempb. in principatum mutavit, & gentem *Mediceam* ita extulit, ut dominationem constitutam hereditate deinde in posteros ad nostra usque tempora transmiserit, ideo semper votis eruditorum Historia Florentina, a BENEDICTO VARCHIO literis consignata, flagitata fuit. Hanc vir illustris, & in ipsis reipb. gravissimis rebus versatus, jussu *Cosmi* Ducis Etruriae composuerat, sed ita leges Historicas & libertatem illam vera dicendi, & nihil falsi immiscendi, servaverat, ut postea *Medicei* librum illum in vulgus exire noluerint, sed in tabulario inter monumenta prioris aevi repositum servaverint. Quo fato nunc exierit, ex praefatione ipsi historiae praemissa discere lector poterit, & simul quanti habendus *Varchius*, qui ab ipso Principe Florentinorum ad scribendam historiam excitatus & compulsus, nihil tamen gratiae aut adulationi dedit, sed soli veritati se addixit. Cujus egregia in toto hoc opere documenta supersunt: nec enim metuit perstringere mores eorum, qui sacris praesunt, eorumque ambitionem & avaritiam pag. 9. & 11. vivis coloribus depingere. simulatam etiam monachorum & sacerdotum pietatem videbis jure notatam pag. 73. & seq. Opinionis eum fuisse hujus, ne in republ. omnibus de religionis constitutae capitibus disceptare aut altercari liceat, nisi illis, quibus cura sacrorum mandata est, patet ex illis, quae pag. 77. tradit. Jurisconsultorum etiam & doctorum juris ignorantiam, & malitiam dignis verbis perstringit lib. VI. pag. 137. & quae mala inde in remp. manare consueverunt, ostendit. omnem vero hujus Viri egregii & docti etiam Historiam, vel potius Annales, recensere nec est animus, nec otium permittit, sed bonis & patriae amantibus de meliori nota commendare possumus, cum ubique viri probi & honesti indicia elucere certissimis argumentis deprehenderimus: Constabit etiam lectori, eum libertatis licet avitae acerrimum assertorem, tamen, postquam summo cum dolore factionibus divisam urbem, & mala, quae inde provenerant, deplo-

ploraſſet, unicum laborantis & interitum minantis reipub., ſi qua ſalus ſupereſſe poſſet, remedium fateri coactum fuiſſe, ſi in *Mediceae* familiae dominationem concederet. Eodem modo ut plurimi Romani, ubi perditam factionibus potentium rempublicam dolerent, non aliam ſpem ſalutis viderunt, niſi ad Auguſti Tyrannidem confugerent, quia ſimili in ſtatu, non quaeri ſoleat, an ſerviendum ſit, ſed cui. Hoc ſaltem ex ſimilibus diſcere omnes poſſunt magiſtratus, & qui rebus publicis praeſunt, ita eos verſari in adminiſtratione rerum civilium oportere, ne quem facile praeſentis ſtatus poeniteat: quia ſi ille evertatur, non magis ſervitutis jugum optimates, quam reliqui effugere poterunt; immo durius premi, quo altius olim evecti fuerunt, ſe dolituri ſunt. Sed haec latius diſputandi hîc locus non eſt: unum ſupereſt, de quo monendus eſt lector. Praefationis Italicae auctor, primum nunc prodire in lucem publicam hanc hiſtoriam *Varchii* ſcribit, neque dum eam ſcribebat, fallebat lectores, aut ipſe fallebatur. ſed dum hîc imprimitur ex manu exarato exemplari, quod Vir primariae dignitatis, & meritis in rempublicam, & favore erga literas & literatos inſignis, liberaliter conceſſerat, interim ex alio codice in Germania Hiſtoria prodit, titulum mentita *Coloniae*, quam nos *Auguſtæ Vindelicorum* exiiſſe didicimus. Si majus otium fuiſſet, utramque conferendi editionem laborem ſubiiſſem, ſed cum ex paucis paginis nihil vel parum differre cognoverim, & in utraque hîc & illic leviores tantum quoſdam, propter librariorum, ut credo, vel imperitiam vel feſtinationem, errores admiſſos deprehenderim, hoc me faſce levare volui, lectores rogans, ut ad leviora haec non exigant univerſi operis praeſtantiam & utilitatem. Haec vero editio inſigni acceſſione Germanicam vincit: adjecta enim eſt ejuſdem VARCHII *Apologia Laurentii Medicei de natalibus & morte Alexandri Medicei*, primi Ducis Florentiae: & numquam antea edita, vita *Philippi Strozzi*, nobilis Florentini, acerrimi libertatis avitae propugnatoris, & qui *Ultimus Italorum* dictus eſt, ut *Caſſius* Romanorum olim ultimus celebratus eſt: ſcripta haec eſt per *Laurentium Strozzi*, fratrem Philippi. Quae omnia tantum huic Theſauro pretium addunt, ut vel ob hos libros unice comparari mereatur.

Cum nihil magis Florentinorum potentiam auxerit, quam *Piſarum* urbis ad eorum imperium acceſſio, qua urbe domita & ſubacta, gradum ad totius Etruriae dominationem fecerunt, neceſſarium videtur, ſcire modum, quo urbs haec celeberrima, & ipſâ Florentiâ antiquior, & quondam terra marique potentior, aemulae ſuccubuerit. Quam Hiſtoriae partem egregie tractavit MATTHEUS PALMERIUS, in brevi commentatione de *Captivitate Piſarum*. Hic Scriptor, poſtquam origines diſcordiarum inter *Florentinos*, qui Guelficas; & *Piſanos*, qui Gibellinas partes ſequebantur, ab initio repetiiſſet, deinde ab A. 1405. belli principia refert, quod variis caſibus geſtum libertate Piſanos privavit & Florentinis ſubjecit. Cum vero breviſſimus ſit libellus, excerpendi ex eo memorabilia labore nos levatos eſſe credimus; nam unuſquiſque facile & brevi tempore perlegere poterit. Antiquitatum iſtorum temporum ſtudioſo notandum puto, quae pag. XI. narrat, de Machinis iſtis temporibus uſitatis, quae, Baliſtis Romanorum non abſimiles, ingentem vim lapidum in propugnatores urbium effundebant, & quas *Bricolas* vocabant: de quibus videri poſſunt *Ferrarius* in Originibus Linguae Italicae, *Menagius* in Originibus Linguae Francicae, & *Cangius* in Gloſſario; ſed nullius deſcriptio accuratior mihi hac Palmerii videtur, quod ideo magis adnotare viſum fuit, ut emendetur error illius, qui indicem in hunc libellum fecit, notabilis: *Bricolas* enim Galliae Ciſalpinae incolas fecit. Famis, quam Piſani, a Florentinis obſeſſi, tolerarunt, deſcriptio, nec

Numantinae apud veteres, nec Leidensi, quam olim majores nostri sustinuerunt, cedit atrocitate & rerum omnium fere desperatione, ad quam redacti fuere miserae & exhaustae civitatis incolae.

Maximam vero Pisarum urbi famam dederunt inter eruditae antiquitatis studiosos monumenta illa insignia, in honorem CAJI & LUCII Caesarum olim condita, quae vulgo *Cenotaphia Pisana* vocari solent: quae cum a quibusdam spuria, & non aevi Augustei habita fuerint, ad illorum antiquitatem vindicandam omni eruditionis genere & copia instructissimus NORISIUS se accinxit, & quatuor Dissertationibus, & Urbis Pisanae origines, & rerum civilium statum, deinde Caesarum horum vitas & mortem, & tandem Monumentorum istorum Latinitatem luculenter illustravit, & adserere conatus est. Cujus quidem Libri si merita & eruditionis apparatum incredibilem, quo est refertus, recensere vellemus, praefationis modum egrederemur. Et eo minus id necessarium esse credimus, quia & Eruditi Lipsienses A. 1683. p. 113. & Parisienses Ephemeridum scriptores A. 1682. T. x. p. 359. & Bibliothecae selectae auctor T. iv. p. 9. id abunde fecerunt. Neque pretio hujus libri aliquid per maledicentiam & calumnias invidorum decedere debet. Pauci, immo nulli fere, sunt hodie inter humanitatis Literatae cultores, quos movebunt detrectationes aut *Harduini* in Historia Herodiadum & aliis Operibus, aut *Jacobi Gronovii* in commentario ad Monumentum Ancyranum, qui cum nihil fere alicujus ponderis in erudito hoc opere carpere dente maligno posset, molem libri arguit, & *Crassum commentatorem*, & *grandes Commentarios*, plebejo convicio ubique infamat. Qui enim noverit lites, quae Norisio cum Harduino intercesserunt, & deinde didicerit, jam ab eo tempore, quo Cl. Gronovius Pisis literas profiteretur, Collegâ Norisio, qui ibi Theologiam & Historiam sacram docebat, acerrima jurgia & altercationes inter illos fuisse, minime mirabitur implacatos horum Athletarum animos: Ego certe ex illius scriptis, plus didicisse & profecisse me sentio, quam ex infinitis id generis obtrectatorum voluminibus. NORISIO Cl. Schurtzfleischius, qui in itinere suo in Italiam propius noverat, egregium eruditionis dat testimonium in Epistol. Arcan. lxiv. & lxviii. Vitam vero celeberrimi viri ex *Pini* Bibliotheca Ecclesiastica collectam editor huic operi praefixit. in summam etiam contulerunt Eruditi Lipsienses Act. A. 1704. pag. 237. & *Bandurus* in Bibliotheca Nummaria pag. lx. quare hoc libro, ut gemma, qua hic Italiae Thesaurus splendet, omnibus de meliori nota commendato, ad reliquos auctores progredimur.

Sequentem historiam DOMINICI ANGELI *de Depraedatione Castri*, patriae suae, debemus Viro insigni ad laudem doctrinae & studium proferendi monumenta in scriniis latentia, *Justo Fontanino*, qui descriptam misit editori hujus Thesauri. Cum vero molis sit exiguae haec historia, & facile ab unoquoque perlegi possit, de ea verba multa facere nihil attinet. Ipse Auctor *Castrensis*, patre *Dominico Angelo* & *Bartholomaea*, ut videtur, *Mozettorum* ex gente oriunda, natus, plures ex familia sua in hoc Opusculo narrat, quos etiam calamitati patriae suae involutos narrat. Hanc vero insignem Urbis *Castri* infelicitatem, quae die V. Kal. Januar. A. MDXXVII. octennio ante natales auctoris, accidit, discordiae civium & conspirationi potentiorum adscribit: & deinde, ut Urbs sub *Alexandro Farnesio*, qui Pontifex factus, *Paulus Tertius* dictus fuit, a malis recreata fuerit, & data fuerit gentili ejus *Petro Aloysio Farnesio*, qui *Castri* dux creatus, deinde ut ad alios *Farnesios* transierit ejus urbis dominatio, narrat. Majorem deinde urbs haec subiit calamitatem: nam A. 1649. a Pontifice *Innocentio* X. funditus fuit eversa & deleta.

Nec

Nec ſolo hoc dono obligavit eruditos inſigne hujus ſeculi, & praeſertim Italiae, in quam profugas fere Muſas & humaniorum ſtudiorum cultum magno animo & ſucceſſu revocat, decus, Vir eruditiſſimus JUSTUS FONTANINUS; Qui cum ipſe tot egregia ingenii & eruditionis documenta dederit, nullo fere opere memorabilior poſteritati erit, quam *Antiquitatibus Hortae* a ſe illuſtratis; quo opere majorem famam conſecutus videtur, quam ſi ipſius Florentiae, aut primariae alicujus Etruriae Civitatis fata prodidiſſet. Hae enim infinitos ſortitae ſcriptores, qui certatim celeberrimarum civitatium origines & res geſtas tradiderunt. Haec vero urbs cum obſcura, & a nemine veterum fere memorata ſit, nec veſtigia ſatis expreſſa Antiquitatis ſuae reliquerit, difficillimam fecit ſui inveſtigationem. Cum tamen nulla non modo urbs, ſed ne pagus quidem aut locus in tota fere Italia ſuperſit, qui, ſi non ſplendorem aliquem reliquum, ſaltem rudera & reliquias oſtentet, magni animi certe & eruditionis non vulgaris eſſe puto, urbis paucis antea notae Antiquitates eruere, & memoriam renovare. Hoc vero feliciſſime praeſtitit Cl. FONTANINUS, & duobus libris, intermixtis diſſertationibus varii argumenti de aliis etiam antiqui aevi monumentis, *Viris illuſtribus*, *aedificiis*, *Etruriae origine*, *Dynaſtiis*, *antiquo ſermone*, *Falconia Proba*, *Epiſcopis Hortenſibus* & aliis, egregie exſecutus eſt. Cujus operis merita laudare, poſt univerſi orbis eruditi ſuffragia, quae tulit, putidum foret. Qui brevi in tabella, quid ferat liber, inſpicere velit, illi ſatisfacient Eruditi Lipſienſes in Actis MDCCIX. pag. I. Nos, cum in praecedentibus praefationibus Viri egregii laudes jam celebraverimus, hîc nihil adjiciemus, niſi vota, ut diuturna viro docto vita, & fortuna aequa meritis & eruditione eveniat, ut & ornare rempb. literariam, & ingenii novis ſubinde foetibus nos & omnes, qui ſtudia colunt, recreare velit & poſſit.

ANDREAE MUGNOTII, ſive ut Hiſpanis vocatur, MUNNOZ, *Eremus Camaldulenſis*, ſive deſcriptio loci, ſolitudine & amoenitate nobilis, & triginta millibus paſſuum a Florentia diſtantis, inter Etruriae celeberrimas regiones hîc quoque legi merebatur; in hac regione Coenobium ordinis Camaldulenſis, qui originem a Romualdo arceſſit, ſitum eſt, & in eam ſodalitatem auctor ſe adſcribi voluit, ut teſtatur *Nic. Antonius* in Bibliotheca Hiſpaniae ſcriptorum recentiorum Tom. I. pag. 63. Editus hic libellus fuit in *Italia Illuſtrata*, quae auctorem habet Andream Schottum, teſte Miraeo lib. II. de Orig. Monaſt. cap. 4. an vero antea ſeparatim prodierit, cum nec *Nic. Antonius* memoret, nec ulla praefatione Italia illa illuſtrata ſit ornata, neſcio. Complectitur vero Auctor duobus libris non modo ipſius loci ſitum, ſed & Ordinis inſtituta & rationem vivendi, quae latius hîc exſequi nihil attinet.

De nobiliſſimae *Urbis Senae*, & *ejus Epiſcopatus Antiquitate* eruditum ſane libellum nobis edidit CAESAR ORLANDIUS, qui nec amore patriae, nec perverſa omnium fere ſcriptorum ambitione ablatus, origines ab anilibus fabulis repetit, ſed rejectis Annianis commentis & Etruſcis fabulis; (quas recte traducit Naudaeus de Sena pag. 11. ubi de hujus Senae urbis origine agit) certiora ſibi documenta conquiſivit. Quis fuerit hic ORLANDIUS mihi latet. Ipſe ſub finem libri ſe Senenſem eſſe, & *Petri Mariae Orlandii* filium dicit. Juriſconſultum fuiſſe inde colligo, quod *Scaevolam* & *Alfenum ſuos* vocet, pag. 3. Ejus cum laude etiam ſaepe *Naudaeus* in libello de Sena meminit. vid. pag. 13. & 15. nec cupide nimis, ut multi ſolent, vindicat patriae ſuae multa veterum loca, qui *Senae* mentionem faciunt, ſed ad *Senam Piceni* refert, & ſumma cum diligentia legibus Hiſtoriae ſervatis, & falſis antea refutatis, ad veras Urbis origines adgreditur, quas refert ad A. U. C. 543. eo argumento, quia tunc mentio *Senae ad mare ſuperum*, & *in*

in Piceno fiat apud Livium & alios. quod addidisse minime opus foret, si nulla *Sena* ad inferum mare, & in Etruria fuisset. Coloniam vero factam contendit ab Augusto, qui teste Suetonio Cap. XLVI. Italiam XXVIII. Coloniis frequentavit. Et ut Auctor noster Civitatis origines non a fabulis arcessit, ita nec Episcoporum seriem, ut alias in Italia civitates fecisse jam vidimus, ab Apostolorum discipulis repetit, sed primum Episcopum sub Hilario Papa A C. CCCCLXV. reperit in prima Romana Synodo, & deinceps ex Conciliorum & Synodorum subscriptionibus quosdam certiori fide memorat. Et ita parvum quidem, sed egregium libellum finit, memorando scriptores, partim editos, partim adhuc excudendos, ex quibus plenior *Senae* urbis Historia peti potest.

ANTONII MASSAE GALLESII libellus de *Origine & rebus Faliscorum*, editus etiam olim a Schotto in Italia illustrata, dignissimus, qui huic Thesauro inseratur. Fuit hic *Massa* & generis nobilitate & eruditione insignis. Gentem *Massarum* magno virorum illustrium, tam armis, quam literis proventu nobilem, deducit *Manutius* ad Cicer. lib. IX. ad Famil. Ep. 21. a *Masonibus* sive *Massonibus* Romanis, quo cognomine gens *Papiria* insignita fuit, & inter plures nostrum *Antonium Massam* celebrat, qui juris civilis laude praestantissimus Romanam Civitatem consilio saepe juvit, exemploque suo multos ad recte de patria merendum docuit. recenset etiam plurima ejus in jure civili scripta, hunc vero libellum non memorat. Ut nec Gesnerus in Bibliotheca, neque Sanderus, qui lib. III. de Claris Antoniis Operum Massae catalogum exhibet. floruit medio Seculo XVI. scripsisse vero hunc librum Anno Ch. MDXLIII. colligi potest ex illis, quae narrat pag. 27. hujus editionis. Ipsum Opusculum, quod facili negotio perlegi potest, recensere vix opus esse putem. indicasse id solum sufficiet, id praecipue agere auctorem, ut verum situm & fines *Faliscorum* ostendat, de quibus magna est dissensio inter eruditos, quorum multi duplices *Faliscos* statuunt; & *Falerios* & *Faliscos* distinguunt, quos eosdem esse plurimi statuunt. videantur *Heinsius* ad Ovid. III. Amor. XIII. 1. & *Neapolis* ad IV. Fast. 74. & in primis *Fontaninus* de Antiq. Hortae lib. I. cap. 4. ubi Massam, recte fines Faliscorum statuisse adfirmat. De patria vero sua agens Massa, *Galesium* esse putat oppidum Faliscorum, quod ab *Haleso* conditum fuit, quod tamen levi argumento ab affinitate literarum probari credit Cl. Fontaninus, & potius illud oppidum esse hodie *Civitatem Castellanam* dictum censet. licet alii *Vejos* fuisse contendant. De qua controversia ingentibus animis in Italia certatum fuit. Quare visum fuit Editori scripta quoque CURSII, MAZZOCHII, & NARDINI huic Thesauro intexere.

Ex quibus PETRUS CURSIUS Civis Romanus Poëma edidit, quo *Civitatem Castellanam* fuisse oppidum Faliscorum, non Vejentium esse contendit. MAZZOCHIUS deinde Vejos fuisse, quae nunc *Civitas Castellana* dicitur adfirmat, & variis argumentis probare conatur, cui contradicit NARDINUS, & illi iterum MAZZOCHIUS opposuit *Apologiam*. quae omnia recensere plena taedii res foret, cum singula argumenta & ad ea responsiones, in quibus eadem saepe iterantur, essent enarranda. hos autem libros rarissimos inventu, & varia eruditione commendabiles ex Italico vertit vir doctissimus *Abraham Preigerus*, & in praefatione de eorum meritis abunde egit, & recte judicavit, imparem Nardino fuisse adversarium Mazzochium.

Sequitur POMPEJI ANGELOTTI, *descriptio urbis Reate*, ex Italico a Cl. *Havercampo* in Latinum sermonem versa, qui etiam de Operis merito & auctoris vita ex Ghilio praefatus, & sub singulis fere paginis quaedam adnotans, quae illustrando Auctori faciunt, nobis magnae disserendi de his

par-

partis otium fecit. Licet vero liber ille plurima eruditionis documenta habeat, rectius tamen facturum fuisse auctorem credimus, si aliquem temporum ordinem secutus esset, non vero ex Dissertationibus quasi miscellis librum suum confecisset. Urbem *Reate*, cor & umbilicum Italiae dum esse contendit, eò trahere Virgilii ex lib. VII. 563. carmina conatur; & *Amsanctos* illos *valles* ex Apulia in Reatinum agrum retrahere. Quod an probet satis dubito, cum verosimilior mihi videatur sententia Servii, qui in Hirpinis statuit. Erroris vero caussam praebere potuit non accurata satis distinctio inter *Hirpinos* & *Hirpos*, de quibus videndus Salmas. Exerc. Plin. T. 1. pag. 59. Quod etiam *Curim* (melius *Cures* dixisset) unde Numa natus, esse Coloniam Reatinam, dicat, vellem indubitata auctoritate firmasset. Et similis fidei esse puto, quae cap. VII. de Saturno, qui condidisse Reate fertur, narrat, unde nec ab Annianis sibi imposturis satis cavisse auctor videtur. Quis etiam ille *Modius Fatidius*, homo mihi ignotus, fuerit, lectores docere debuisset. Potuisset etiam facile abstinere foedo & inhumano convicio, quo pag. 28. proscindit *Erasmum*, quem *monstrum* vocat, & mille erroribus *Hieronymi* opera obscurasse jactat; cum fides & industria viri optimi omnibus, etiam iis, qui a nobis circa sacra diversas opiniones sequuntur, satis sit testata, nec me vindice egeat. Praecipuam vero, quam eruditi ex hoc libello capere possunt, voluptatem esse puto, quod nobis lapides quosdam antiquos, a Grutero non editos, servaverit, circa quos diligenter versatus doctissimus interpres nihil fere spicilegii nobis reliquit. Haec tamen pauca inter legendum observavimus. Lapidem qui pag. 32. secundus legitur, conferendum esse cum simili apud Gruter. pag. MXXIX. 8. qui & *Reate* dicitur positus, & *L. Valerii Martialis* nomen exhibet; ut & *Q. Pompeji Honorati*. Quarta ejusdem paginae inscriptio apud Gruterum pag. CCCCLI. 8. recte exstare notatur, in eo vero leve quidem commissum; quia tamen aliis idem tradendi inde facilitas esset, animadvertendum puto, in nova editione Inscriptionum minime adfirmari, lapidem hunc a Grutero ex MS. Pighii adferri, & illum exstare in S. Angelo: cum hunc Pighianum codicem vidisse Gruterum vix putem: sed nos illo usi sumus, in recensendo, post fatum Magni Graevii, Grutero, liberaliter ex Bibliotheca sua Viro Amplissimo *Joanne Sixio*, Consule Amstelaedamensi, eum concedente, ut ex praefatione nostra ante Gruteri inscriptiones, pag 12. quivis discere potest. Diverso vero modo lapides saepe a variis, qui eos describunt, prodi, vidimus jam in superioribus praefationibus, & hic argumento esse potest, qui longe iterum aliter profertur a Grutero pag. MXXVIII. 3, nec ibi *Reate*, sed *al Borghetto* prope Ocriculum exstare dicitur. Lapidem positum *Ti. Claudio Fausto* exhibet ex *Camelo* Fabrettus cap. V. p. 409. ex cujus *Cameli*, (ut vocat) Reginae Sueciae Antiquarii, schedis, Reatinos etiam quosdam lapides, Sponius profert in Miscell. Erud. Ant. Sect. V. pag. 196. inter quos sequens apud Angelottum inscriptio *C. Cominio*, eisdem fere verbis legitur. Notabilis deinde ille lapis, *C. Julio Claudio* positus legitur apud Reines. Clas. IX. 52. ex Sirmondi Comm. ad Sidon. VIII. 16. sed rectius, ut puto, ibi vocatur ille libertus, *Ti. Claudius Felix*. duo enim gentium diversarum nomina *Julius Claudius* vix uni homini liberto congruere videntur. nec GLICEROTI nec FELICIS SCAPHANIAE in Reinesiano legitur, & pro D. H. Q. SI NONIS Reinesius habet, HONORIS, & pro ATEMETUS. legitur, ATIMETUS. pag. 34. *Claudiae Primae* titulus posset videri pars reliqua inscriptionis, quam Fabrett. cap. II. p. 108 habet ex Villa Carpinea: sed cum plures *Claudiae Primae* apud Gruterum, Fabrettum & Reinesium occurrant, nihil definio. Inscriptio *P. Vatinio* posita mihi ficta videtur, & ex Valerii Maximi verbis expres-

pressa, certe non tempore Vatinii posita. Et plures simili fraude in urbium patriarum honorem obtruserunt transalpinis Itali & alii. Exhibet ex schedis Cameli eam Sponius loco laudato, sed in Consulibus misere errat, & miratur, cum A. U. C. 537. Consules fuerint *L. Aemilius Paullus*, & *C. Terentius Varro*, unde hîc substitutus sit *C. Licinius Crassus*. Certe si Valerium Max. legisset, illa accidisse eo anno, quo captus est Perseus, rex Macedoniae, cognovisset, & ex fastis didicisset simul, eo anno Consules fuisse *L. Aemil. Paullum* & *C. Licinium Crassum*. Lapidem ultimum hujus capitis IV. ubi C. ANNIUS NEPTUNDIALIS memoratur, a Naudaeo sibi submissum exhibet etiam Tomasinus de donariis cap. 25. qui legit CANNIUS NEPTUNI. DIALIS. sed merito castigavit eum Reinesius ad Clas. I. 97. qui *Neptuni Dialem* inauditum ostendit, & legit NEPTUNALIS, cui adsentitur Fabret. Insc. C. III. p. 126. certe C. ANNIUM debere legi tot alii *Annii*, & hîc & alibi in lapidibus memorati, probant. Quare & lapidem in fine libri hujus adductum ita corrigendum puto. C. ANNIO C. F. QUIR. PUDENT. MIL. COH. IIII. PH. VII. (hic numerus quid velit nescio, nisi fuerit 7. id est, centurio, vel sit pro P. VI. id est, *Piae Victricis*, ut apud Reines. VIII. 15.) C. ANNIUS. C. F. QUIR. PASTOR. IIIIVIR. JUR. DIC. A. P. MAG. JUV. Q. R. P. PATRI DULCISSIMO. & literas interpretor, *quatuorvir Juridicundo*, *Aedilitiae potestatis*, *Magister Juvenum Quinquennalis Reatinae reipubl.* Ita *Magistrum Juvenum* habet & lapis supra cap. IV. p. 32. pro QUI scripsimus, QUIR. id est, Quirina tribu: licet & QUI. saepe occurrat in lapidibus, ut index Gruteri docet. in cap. VII. de *Saturno*, seu *Sabazio*, conditore Reatis incerta admodum profert, ut & de *Sabo*, unde *Sabini*, & *Sanco*; sed quae hîc refutare non lubet, nec excutere lapides, quos hîc & alibi adductos & Angelottus & Gruterus debent *Aldo Manutio*, qui Epistolam, quae inter ejus *Quaesita per Epist.* est prima, de Reate urbe, & agro Reatino & Sabinis edidit, quae non incongrue addi potuisset descriptioni Angelotti, nisi ille omnia fere inde excerpsisset, quae sunt alicujus momenti; ideoque hunc missum scriptorem facimus, & ad alios nos conferimus.

Tandem in Latium transit editor, & primum locum dat DOMINICO BARNABAE MATTHAEO, qui nuper Anno 1711. edidit Italica lingua commentarium Historicum, de *Antiquo Tusculo*, cujus epitomen nobis dedere Eruditi Lipsienses in Actis An. 1712 pag. 499. unde satis de hoc opere existimare poterit Lector. licet vero eruditionem satis ostentet auctor, magis tamen versatum in recentioris aevi scriptoribus, quam veteris patet, cum saepe ex *Guidone Colonna*, *Giliberto*, *Leandro* & aliis, argumenta petat; quae, nisi veterum testimonio comprobentur, pondere carere solent. Pag. 3. dicit *Martinum Polonum*, testimonio *Methodii*, antiquissimi scriptoris, reliquisse scriptum, Romulum A. 422. post Trojam eversam Romam condidisse, quae verba in Martini Chronico invenire nequii, neque Polonum ultra Augusti tempora adscendisse repperi. quare certiora citare debuisset. nec, quis iste *Methodius* sit, scio; an ille, de quo late agit Cl. Fabric. lib. V. Bibl. Graec. cap. I. ubi pag. 258. ejus *Chronicon* laudat? In citandis etiam veterum scriptis, obscurioribus titulis usum video: ut pag. 4. *Sextum Pompejum de Origine Gentis Romanae.* cum sit ex *Festo de Verborum significatione.* & mox eadem pagina, *Festum laudat de Origine gent.* ex *Theatro Linguae Latinae*, nescio quo, pag. 5. *Suidam de Augur.* pag. 8. dicit *Paterculum* esse commentatum in *Tibullum.* verba vero, quae adducit, leguntur fere in *Bernardini Cyllaenii* Veronensis commentario ad Tibul. I. VIII. (vel VII.) 57. Pag. 19. ex *Obsequente* quaedam profert, quae sunt *Lycosthenis*, communi quodam

cum

cum aliis errore, ſed A. U. C. DXXXIX. citat pro DXLIV. quo conſules fuere, quos profert. nec DLIX. conſules fuere Scipio & Laelius, ſed Scipio & Sempronius Longus. pag. 16. profert inſcriptionem Servii Tullii regis, quam ſpuriam eſſe docet adjecta formula, *devotus numini Majeſtatique ejus*, quae ſub Imperatoribus demum ab adulatoribus profecta & frequentata fuit. pag. 20. & 38. *Gruteri Ligurinum* citat, quod recte Interpres mutavit in *Guntherum*. pag. 29. ubi contendit Tuſculanum Ciceronis fuiſſe, ubi nunc eſt *Grotta ferrata*, argumenti loco adfert menſam ex marmore candidiſſimo ibi effoſſam; quam eam eſſe putat, quam Cicero Lib. VII. ad. Fam. 23. *Trapezopharon* (*Trapezophoron* debuit ſcribere) appellat. atqui *Trapezophorus* non eſt menſa, ſed Sacerdotis ſignum, quae, ut ex Harpocratione, Suida & aliis probat Meurſ. Lect. Att. IV. II. in Minervae ſacris ſimul cum Coſmo omnia curabat. p. 30. inſcriptionem ex Gruter. VIII. 5. deformat in IO. METEGENIO. pro I. O. M. ET. GENIO. & reliqua confundit, & ſpuria de Cicerone pro vetuſtis habet. nec accuratius lapides ex Fabretto (quem & ſaepe *Fabrectum* vocat, & cujus lib. x. pro capite x. hîc & alibi citat) profert, ut p. 31. ACQUITAS, pro AEQUITAS. In lapide p. 32. Latino ſermone, ſed Graecis literis exarato, pro *Flavia Sabina*, ut eſt apud Fabret. pag 756. dat nobis *Albinam*, an melius Fabretto, ignoro. pag. 41. dicit Ciceronem in Tuſculanae Academiae ornamentum poſuiſſe ſignum Mercurii cum Venere ſub Hermaphroditi figura, citans lib. I. ad Att. Ep. 3. & *Farnab.* ad Cicer. lib. VIII. cap. XIV. (quem librum ignoro,) cum Cicero I. ad Att. 4. illud ſignum *Hermathenam* vocet, de quo vide Manutium. In ſequenti lapide, ex Vignolio, producto, poſt nomen AURELIUS, omiſit STEPHANUS. Sed haec ſufficiant, quae non eo adduxi, ut libri pretium minuerem, utiliſſima enim plurima continet, & praeſertim lapides multos ineditos, quales utinam plures proferre vellet Vir eruditus, ut poſſe indicare videtur pag. 38. ſed ut pateat Lectoribus, caute in his monumentis eſſe verſandum, & omnem diligentiam & curam editoribus adhibendam, ne alii, quibus inſpiciendi copia non fieri poteſt, in errores inducantur, de quo etiam priore praefatione & alibi egimus. praeterea hinc patere puto, ſcriptorem non ſatis inſtructum a libris, & editionibus ſcriptorum optimis fuiſſe.

Sequens opus, JACOBI MANILLI *Villa Borgheſia*, oculos & mentem lectoris varia voluptate tenere poterit, cum nullum praetorium aeque & fama & ſcriptorum laudationibus ſit celebratum. Quis enim unquam Romam viſendi antiquitatis venerandas reliquias cauſſa abiit, qui non in hanc villam exſpatietur, & contemplando magnificentiſſima opera, ſtatuas, lapides inſcriptos, viridaria, hortos, ſilvas & vivaria ſe ſatiare poſſit? quare ſingulare hujus Theſauri ornamentum hic liber haberi debet, quem beneficio Cl. *Havercampi* jam Latine legere datur, qui & in doctiſſima praefatione totius operis rationem reddidit, & praecipuarum ſtatuarum recenſum egit. Adjunxit Borgheſiae Villae *Hadrianeam Tiberinam*, a PYRRHO LIGORIO deſcriptam, quae numquam ante edita pretium hujus Theſauri auget. Cum praemiſiſſet Pyrrhus Urbis & locorum publicorum, olim in illa celebratorum, commemorationem, ad *Villae Hadrianeae* accuratam deſcriptionem pergit, quam in hac praefatione iterare putidum foret, cum exigua libelli moles diu lectorem detinere non poſſit.

Quia autem inter amoeniſſima loca, quae agrum Romae ſuburbanum illuſtrabant, erat urbs *Tibur*, hinc grata Antiquitatum ſtudioſis accidere debet ejus urbis hiſtoria, quam FRANCISCUS MARTIUS, ejus Civis, & cujus vita operi praemittitur, elaboravit. Cum primo libro urbis ſitum, & regendi eam rationem & formam prodidiſſet, libro II. originem repetit ex fabuloſa

historia a *Catillo* filio Amphiarai, qui urbis conditor *Tiburto* filio urbem reliquit, quam a suo nomine vocavit *Tibur*, quae omnia fabulis incertis innituntur. Deinde de celeberrimo Herculis Templo, & Bibliotheca in illo, magnis ab Antiquitate laudibus celebrata, agit. Libro tertio res Tiburtinas sub Fauno, Turno & Latinis & Romanis regibus memorat, & sub Tullo Hostilio, qui Albanis devictis, Tiburtinos & reliquos Latinos subigere cogitabat, formam reipub. describit; illam nempe rexisse Senatores, qui in Palatio solebant coire. Quod etsi verum esse possit, non tamen ad illud probandum Lapides, quos adfert, satis efficax documentum praebere mihi videntur: nam in primo M. TURPILIUS L. F. ET M. POPILIUS M. F. dicuntur FORNICES FECISSE, sed non eos tempore Tulli Hostilii vixisse, aut Palatii istius fornices construxisse, inde conficitur. neque tam altae Antiquitatis lapides superesse credo. & non vane conjicere liceret, *M. Turpilium* illum eumdem esse, qui *Corae* (quam urbem noster a Tiburti fratre *Corace* conditam tradidit lib. II.) aedem Herculi faciendam curavit, vid. Gruter. XLIII. 5. & quem aedem Matris Matutae Corae fecisse conjicit Fabrett. cap. IV. p. 342. deinde per tempora Consulum res Tiburtinas prosequitur, an semper ex certis & indubitatis monumentis, Lectori dijudicandum relinquimus. Sic quo argumento adfirmet *p.* 55. *Plotium Tuccam*, & *Varium* Poëtas fuisse Tiburtinos nescio. in quorum mentione videtur duos diversos Poëtas facere, *Plotium* & *Tuccam*, cum distinctione posita memorat *Plotium*, *Tuccam* & *Varium*, quod ne operarum errori adscribam, facit quod iterum pag. 58. ita exhibeat. Nec penitus a fabulis abstinere pro loci, ubi natus, & sacrorum, quae profitebatur, conditione potuit auctor. ut cum ab Augusto *aram Primogeniti Dei*, nascente Christo, in Capitolio erectam narret. Saltem Latine loquentem eruditissimum Principem finxissent fabulae architecti, & vocem *primogeniti*, inauditam veteribus Romanis, in usitatam mutassent, *filii majoris*, vel *maximi natu*, vel *primaevi*, ut solebant Latini loqui. Nec certioris fidei sunt, quae de *Sibylla Tiburtina* (quam nescio unde vocet *Sibyllam Hydaspidem*, (*d'Hidaspe*) pag. 87.) & ejus oraculo profert, pudendorum auctorum, *Honorii* Augustodunensis, *Philippi Siculi*, & nescio quorum testimonio subnixus. neque rationem satis temporum habuit in exponendo lapide, ubi *Plautium Aelianum* amicum Augusti, Tiberii, Claudii & deinde Vespasiani facit, cum de Augusto nullum in Lapide sit vestigium, nisi quod *Sodalis Aug.* dicatur, quod cepisse videtur Martius pro, *Favorito di Augusto*, cum notum sit Sacerdotii honorem iis verbis indicari. Sed pater hujus Ti. Plautii, fuit M. Plautius Silvanus (de quo inscriptio praecedens, in qua male L. vocatur. Vid. Gruter. CCCCLII. & Fabret. pag. 171.) qui Consul cum Augusto fuit A. DCCLII. Pag. 70. agens de *Rubellio Blando*, qui duxit Juliam Drusi Caesaris filiam, hanc dicit fuisse sororem Claudii, Caligulae amitam, patremque habuisse Drusum Tiberii fratrem, matremque Antoniam, filiam Octaviae ex Antonio Triumviro, omnia confundens. cum illa Julia fuerit filia Drusi, Filii Tiberii, & Liviae seu Livillae Germanici sororis, ut ex stemmate Familiae Caesarum Augustae a Peschwitzio, Moningero, Glandorpio & aliis edito, inspicienti patet. unde Rubellius *progener Tiberii* dicitur a Tacit. VI. Ann. 45. Libr. VII. P. 79. dicit auctor, Baronium sequens, Adrianum celebre illud edictum de vicesima parte hereditatium Fisco adplicanda edidisse. Unde quis Adrianum ejus vectigalis auctorem fuisse colligeret, cum jam Augustus induxisset, & reliquos Imperatores legi Juliae de vicesima aut addidisse aut mutasse tantum aliquid ostenderimus in Dissertatione de Vectigalibus P. R. cap. XI. & de Adriano ibi pag. 209. egerimus. propter hoc Adriani edictum tunc etiam institutum fuisse *Advocatum* Fisci credit, eumque fuisse illum

illum *Hortensium Faustinum* in lapide, quem Gruterus pleniorem nostro auctore habet pag. ccccxix 5. Quod cum sola conjectura nitatur, licet fieri potuerit, nobis tamen non fit verosimile. edictum enim A. Christi cxxxiv. emissum fuisse statuit Baronius. hic *Faustinus* vero Advocatus Fisci in Lapide memoratur, Orfito & Maximo consulibus, id est A. C. clxxiv. & Martius hunc *Faustinum* eundem esse statuit, cujus Martialis lib. iv. Ep. 57. meminit. quod epigramma cum vivente Domitiano sit scriptum, qui interfectus est A. Ch. xc. debuit ergo ille *Faustinus*, qui eo tempore, quo Martialis scribebat, jam certe vir fuit, & aetatis saltem mediae, ultra seculum vixisse. nam lib. i Ep. 26. hortatur jam Poëta *Faustinum*, ut libros suos edat, & ipse sua carmina ipsi emendanda mittit lib. iv. 10. Ubi Raderus notat esse, qui, hunc *Faustinum*, Clementis Papae patrem fuisse, credant. *Faustinum* Advocatum Fisci rectius memorari quis putet in l. 4. ff. de Legation. ubi Divus Pius ad eum rescripsisse dicitur. Pag. 89. in inscriptione de Aqua Martia vitio operarum legitur PONAE NOVO ANAONIAN, pro *ponte novo Antoniano*, ut habet Italica editio. sed FONTE exhibet Gruter. p. clxxvii.

Martio non male sociatur ANTONIUS DEL RE, Tiburtinus, qui libris xii. Antiquitates patrias complexus erat, sed ex quibus ii tantum lucem viderunt, qui hic conspiciuntur; quibus id praecipue egit, ut villas Principum virorum tam veteris, quam recentioris aevi, recenseat, quae agri Tiburtini amoenitatem auxerunt. Cum vero de hoc Opere, Doctissimus ejus Interpres Havercampus in Praefatione satis egerit, nos ad alia properamus.

Tiburi succedit *Praeneste*, urbs Latii antiquissima, & de qua egregie meruit JOSEPHUS MARIA SUARESIUS JCtus, Praepositus Avenionensis, & Cardinali Barberino a Bibliotheca, deinde Episcopus Vasionensis, qui multis scriptis nomen sibi inter eruditos fecit. de quo vide Leonis Allatii Apes Urbanas pag. 167. ubi scripta, quae ad annum mdcxxxiii. ediderat, recenset, & plura, quae moliebatur. Laudat ejus eruditionem etiam Spon. Miscell. Erudit. Antiq. pag. 201. Magni ejus eruditionem fecisse Gab. Naudaeum constat, qui ipsi *Quaestionum Iatro-Philologicarum* secundam, qua disquirit, *an vita hominum hodie brevior sit quam olim*, inscripsit & eruditionem eleganti dedicatione celebravit. SUARESIUS vero studio, quo erga familiam Barberinorum ferebatur, nobilissimae urbis Antiquitates illustrasse videtur, & maxime sub auspiciis *Maphaei Barberini*, Praenestes Principis, ut ex dedicatione operis constat. Egregie vero partes sibi impositas egit, & a fabulis abhorrens ex certioribus antiqui aevi monumentis diligenter omnia collegit, quae varia urbis fata ab ipsa origine ad sua usque tempora fuere, deduxit. Alieno certe hunc Episcopum a commentitiis nugis animo fuisse, argumento est, insigne ejus factum, & quod probat verae pietatis studiosum fuisse, & superstitiones abolendas plurimas censuisse; refert hoc magna cum laudis praedicatione *Boëssius Salvagnius* ad Ovidii Ibin. vs. 585. Nimirum, apud Vocontios statuam quamdam *Niobes* ex antiquo aevo superfuisse, quam Vicani in Sacello vici cujusdam, non longe a Vasione, oppido Pontificis Romani in ditione, positam venerari sub nomine *Sanctae Nieblae*, & ad eliciendam pluviam aliquando circumferre solebant. Episcopum vero Antiquitatis peritissimum, cum ex lugentis habitu, & aliis indiciis Nioben esse deprehendisset, statuam confringendam & superstitionem abolendam curasse. Rectius tamen fecisset, si irae & ardori modum posuisset, & in magni alicujus Principis aut Illustris Viri Museum statuam hanc transtulisset. meretur certe hoc exemplum addi similibus, quae Doctissimus *Mabillonius* in Epistola de Cultu Sanctorum ignotorum enumeravit. Aliud etiam perversae & ridiculae superstitionis memorabile exemplum narrat Anonymus Auctor,

qui ſub literis I. H. K. P. E. M. D. latet, & Francof. 1692. edidit *Critica Miſcellanea*, & *bis Sexaginta Animadverſiones*, in errores fere Doctorum. Videtur vero Pragenſis fuiſſe. Is parte I. Obſ. xxiii. *Achaten* quemdam, qui olim Pyrrhi fuerat, & in quo Apollo cum Novem Muſis erat, non arte ſed naturae ſponte expreſſus (vide Plin. lib. xxxvii. 1.) habitum pro *S. Agatha*, quia achates Italis *Agata*, refert ex variis ſcriptoribus ſe antiquioribus. Sed ad Suareſium redeamus. Primo libro omnia complexus, quae ad Chriſti natales & religionis Chriſtianae exordia in urbe hac notabilia apud veteres occurrunt. Altero quae poſt Chriſtum natum acciderunt, non aeque probabilibus argumentis (ſed quae ibi valent, ubi aliter ſentire non licet ſine periculo,) illuſtravit. quae omnia recenſere noſtri inſtituti fines egrederetur. Lib. 1. cap. 10. agens de *praediis Gabinianis*, refert inſcriptionem ex Grutero (ubi in margine perperam pag. 169. citatur pro 1069. ut & alibi in paginis Gruteri aberratum video.) in qua *L. Genium Primigenium* video exhiberi pro *L. Junio*. Cap. xiii. pleniorem exhibet inſcriptionem illâ, quam Gruterus dedit ccccLxxxiii. 9. ut & ſequentem *M. Aurelii Agilii*, *Septemtrionis Pantomimi*, quam Gruterus pag. cccxxx. 3. habet verbis longe aliis conceptam, ita ut diverſi fere uni homini lapides poſiti videantur. & ita duas ſequentes etiam inſcriptiones *A. Munii*, quae apud Gruter. p. ccccxLi., & *CN. Voeſii*, quae pag. ccccLxxxixii. leguntur, in quibuſdam variare video. in ultima vero Reineſius ad Inſc. Cl. 1. 278. pro *Voeſio* legendum cenſet, *Groeſium*. Cap. xiv. & xv. multa & erudita de *Fortuna Praeneſtina*, quae *Primigenia* dicta, & ejus ſortibus & templo collegit. vellem vero rationem cognominis *Primigeniae* nobis explicuiſſet, quod nobis obſcurius viſum illuſtrare conati ſumus in notis ad Ovid. V. Faſt. 730. licet nondum plane nobis ſatisfaciamus. Cap. xvi. inſcriptionem a Grutero non p. 58. ſed 172. relatam, etiam in quibuſdum diſcrepare videbis, quod & in pluribus obſervavi, neſcius Gruteri, an Suareſii, an librariorum vitio. certe hoc nomine maxime hic gratus eſſe debet liber, quod diligentiſſime lapides Praeneſtinos collegerit, ex quibus etiam Fabrettus quoſdam delegit, quibus ſuam penum ditaret. Secundum librum, qui Epiſcopos Praeneſtinos, & res Chriſtianas complectitur Lectoribus relinquimus, ut qui minus certa in illius partis Hiſtoria, niſi ubi ad propiora tempora deſcendit, deprehendimus documenta.

Neque etiam operoſam commendationem poſtulat omni eruditionis copia inſtructiſſimus PHILIPPUS A TURRE, Epiſcopus Adrienſis, qui praeter reliqua doctrinae & ingenii pignora, nobis *Monumenta Veteris Antii* collegit & illuſtravit. cum & merita magni hujus viri ſint recentiſſima, & liber ille omnium Doctorum manibus tritus, & frequens; & nos in praefatione Tomi VI. in quem ejus ſcripta de *Colonia Foro Julienſi*, & *de Beleno* conjecta ſunt, ejus laudes jam celebraverimus. Plura poterunt harum deliciarum ſtudioſi legere in Actis Erud. Lipſienſum A. mdcci. pag. 257. & Commentariis Trevoltianis A. mdcciii. pag. 278. Inſeruit quoque *Joh. Clericus* Bibliothecae ſuae ſelectae Tom. XVII. p. 167. diſſertationem hujus Epiſcopi de *Taurobolio Matris Deûm Magnae Idaeae*, qua materiem hanc multa eruditionis copia illuſtravit. Saepe etiam, & meritis laudibus Virum egregium, & hoc ejus opus ornavit Ber. Montfauconius in Diario ſuo Italico. Vitam vero & fata ejus eleganti elogio nobis expoſuit *Jacobus Facciolatus*, quod eruditi Lipſienſes Actis ſuis adjecerunt A. mdccxvii. pag. 381. qui annus ipſi finem vitae attulit magno cum rei literariae detrimento, quia pluribus eam ſcriptis demereri potuiſſet.

Agmen ſcriptorum hujus Tomi claudit celeberrimus Vir, NICOLAUS ALEMANNUS, qui multis in rempb. literariam meritis initio ſeculi ſuperio-

rioris floruit, & praecipuum sibi nomen peperit, prodita ex Vaticanis scriniis *Procopii Arcana Historia.* Elogium & vitae brevem historiam dedit nobis J. Nic. Erythraeus Pinacoth. I. pag. 125. & nuper Urbanus Gottofredus Siberus in libro de Illustribus Alemannis §. XLIV. Huic vero Thesauro, propter insignem libri raritatem, visum fuit editori, adjicere *Dissertationem Historicam de Lateranensibus Parietinis restitutis*, qua, quidem sub specie illam Urbis Romae partem, quae *Lateranum* vocari solet, & quae ruinis & parietinis est deformis, illustrandi, id praecipue intendit, ut Imperatoribus nullum in urbem Romam jus olim fuisse ostendat, & Carolum M. & alios, si quid pro Imperio egisse dicantur in urbe, nihil suis auspiciis & vi summi Imperii egisse, sed vicariam modo Papae potestatem exercuisse. Neque Carolum M. Aulam vel Palatium in Laterano aedificasse, sed Leonem III. Id vero summo studio agit, ut omnium fere eruditorum sententiam, qui Carolum M. titulo *Patricii*, & deinde *Imperatoris*, imperium in ipsam Urbem exercuisse, tradunt, evertat: cum certum tamen sit, *Patricii* titulum, idem dedisse juris in urbem, quod *Exarchus* olim exercebat, & quem deinde Carolus mutavit *Imperatoris*, ut pleniori, titulo: quae egregie probavit *Conringius de Germanor. Imperio Romano* Cap. VI. & VII. Insurrexit etiam in Alemannum, quod & monuit Siberus, *Franciscus le Blanc*, qui postquam in *Dissertatione de Nummis* Caroli *M. & sequentium Regum Romae percussis*, jus Imperatorum egregie vindicasset, ultimo Capite argumenta omnia Alemanni excutit & enervat, & titulum *Patricii* non defensorem Papae, & ejus vicarium notare, sed summi juris in Romam esse argumentum, egregie probat. ejusdem fuisse sententiae cordatiores viros in Francia, hic ipse operis Alemanniani Codex, ex quo Typographus suum in Thesauro hoc expressit, indicat. Hunc olim fuisse credo *Alexandri Petavii*, Primarii in Gallia viri, & eruditione non minus quam dignitate conspicui, qui in fronte libri sua manu scripserat, *Se non è vero, è ben trovato.* speciosa magis quam vera Alemanni argumenta esse indicans. Atqui ita hujus Tomi descriptione defuncti, & librorum egregiorum & rarissimorum recensu, mox ad Neapolitani Regni Antiquitates & historias, Scriptoribus insignibus & eruditissimis illustratas, transibimus. Vale. Leidae ipsis Kal. Novembribus MDCCXXII.

In hac Praefatione pag. (8.) lin. 12. *lege*, Petro Catarino Zeni.



TYPOGRAPHUS LECTORI S.



omum VIII. & IX hujus non modo egregii, sed & pretiosi operis, pro mea in Præfationibus T. IV. & VI. promissione facta, publici nunc, bono cum Deo, juris facio: quorum prior, VIII. scilicet, in tantam excrevit molem, ut in quatuor partes, cum antea, in duas modo distribuendi, animus mihi esset, commode dividi possit. Nullum enim non modo tractatuum, de quorum acquisitione valde dubitabam, qua de causa in Catalogo edito asterisco notaveram, nec in præcedentibus, nec in hisce Tomis desiderari; sed istos albo corvo rarioribus, in omni re optimis & exploratissimis opusculis, quorum eruditissimi atque celeberrimi Viri exteri in reipublicæ literariæ ornamentum, & eorum, qui studia colunt, recreationem copiam fecerunt, esse ditatos donatosque, inter omnes liquet. Quo factum est, ut ad hos duos Tomos quindecim diversi selectissimi & exquisitissimi tractatus, cum editi, tum inediti, quos non in Catalogo antea in publicum emisso, sed in auctorum serie hisce Tomis præfixa, hoc (†) signo notatos, offendes, accesserint. Cum igitur Tomi hi (Deo sit laus) huic operi eximio, rerum Italicarum Scriptores comprehendenti, coronidem imponunt, magno jam conatu studioque ago, reliquam Thesauri hujus consecutionem, Siciliam, Sardiniam, &c. Corsicam *continentem ad exitum perducere, & quoniam nonnulli Proceres & literarum antesignani a me petunt, ut bipartitò eam evulgem, quo citius ad commodum suum convertere possent, conabor etiam pro facultate, eorum votis respondere. Hæc consecutio ex pretiosissimis & auro carioribus tractatibus, qui in manibus paucorum, imo ferè nullorum sunt, vel fuerunt, constabit: quare non dubito quin orbis literatus, & ii, quos libros possidendi ingens tenet cupiditas, cum eam viderint, admiratione sint afficiendi, & res tam magni molimenti, in quam sumptus magnos, labores immensos, diligentiamque assiduam impendi, omnibus æquissimis non inelegantium operum æstimatoribus & judicibus sit satisfactura. Cæterum, si Deus vitam & animam reliquerit, me, ut in publicum prodeat, maturaturum, & si interea temporis adhuc aliquorum magni momenti tractatuum particeps fiam, non depressurum illos, sed cum erudito orbe sincerè communicaturum esse, sancte polliceor. Vale.* Lugduni Batavorum *Die I. Novemb. MDCCXXII.*

ADMONITIO AD BIBLIOPEGAM
de Figuris inserendis.

IN TOMI OCTAVI PARTE PRIMA.

In G. Postelli Etruria.

Guilielmus Postellus. — — Pag. 1

In Poggii Historia Florentina.

Poggius Bracciolinus. — — — (8)
Bracciolini Genealogia &c. bladplaat. — — (18 a)
Epitaphium Joann. Francisc. Poggii. — (18 b)
Johannes Augustus. — — — 71
Brachius Perusinus. — — — 116
Cosmus Medices. — — — 175
Leonardus Aretinus — — — 215
Epitaphium Leonardi Aretini. — — 226

In J. M. Bruti Historia Florentina.

Magnus Ducatus Hetruriae, bladcaart. — 1
Florentia pulcherrima Etruriæ Civitas 2. bladen. — 4

IN TOMI OCTAVI PARTE SECUNDA.

In Istoria di B. Varchi.

Benedetto Varchi. — — — — (5)
Cosimo de Medici Duca II. di Fiorenzo. — 3
Arbore della Casa dè Medici. — — — 7
Giulio Cardinal dè Medici. — — — 8
Francisco I. — — — — — 127
Ippolito de Medici. — — — — — 187
Malatesta Baglioni. — — — — 357
Alessandro de Medici. — — — — 498
Carlo V. — — — — — — 612

IN TOMI OCTAVI PARTE TERTIA.

In F. Henrici Noris Cenotaphiis Pisanis.

Fr. Henricus Noris. — — — — 1
Pisa Urbs Etruriae, bladplaat. — — — 1
TAB. I. II. Cenotaphia Caji & Lucii Caesarum &c. bladp. 2
TAB. III. Nummi antiqui. — — — 80
TAB. IV. Nummi antiqui &c. — — — 96

In Justi Fontanini Antiquitatibus Hortæ.

TAB. I. Ager Hortanus. — — — 1
TAB. II. Hortae conspectus Septentrionalis, bladplaat. 3
TAB. III. Tiberis &c. — — — — 13
TAB. IV. Vier Beelden, bladplaat. — — 46
TAB. V. Vyf Medalien. — — Pag. 48
TAB. VI. Vier Medalien. — — — 53
TAB. VII. Puer &c. — — — — 55

In A. Mugnotii Eremi Camaldulensis, descriptione.

Eremus Camaldulensis. — — — 1

In Cæsaris Orlandii Sena.

Tabula territorii Senensis, bladplaat. — — 1
Sena Urbs Hetruriae, bladplaat. — — 4

In Famiano Nardino de Vejis.

Antiqua divisio Hetruriae Cisciminiae, bladplaat. — 1

IN TOMI OCTAVI PARTE QUARTA.

In Dom. Barnab. Matthæi Tusculo.

Tusculum antiquum &c. — — — 4
4. Medalien &c. — — — — 41

In Ant. del Re Antiquitatibus Tiburtinis.

Villa Estensis. — — — — — 2

In Jos. Mar. Suaresii Præneste.

Aqua, Navis, Arbor &c. bladplaat. — — 10
Orthographia Templi Fortunae, bladplaat. — 26 a
Sciographia Templi Fortunae, bladplaat. — 26 b
Ichnographia Templi Fortunae, bladplaat. — 26 c
Milites &c. — — — — — 37
Ex Museo D. Abbatis Cassiani de Puteo. — 38

In Ph. a Turre monumentis Veteris Antii.

15. Ronden van Medalien. — — — 4
3. Figuren onder malkander. — — — 85
DeoSoli invicto Mithrae. — — — 87

In Nicol. Alemanno de Lateranensibus parietinis.

TAB. I. Ichnographia Triclinii Leoniani. — 1
TAB. II. Orthographia Apsidis &c. — — 1
TAB. III. Triclinii Leoniani Apsis primaria restituta. 1
TAB. IV. Fig. 1. 2 3. 4. 5. 6. 7. — — — 4
TAB. V. Fig. 1. 2. Euntes docete omnes &c. — 18
TAB. VI. Fig. 1. 2 3. 4. 5. Ordino Rex &c. — 24
TAB. VII. Fig. 1. 2. 3. 4. — — — 33
TAB. VIII. Fig. 1. 2. — — — — 48



SERIES

SERIES SCRIPTORUM

Qui in Octavo Tomo Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ inveniuntur.

PARS PRIMA.



Guilielmi Postelli, *Linguarum Orientalium Professoris Regii Parisiensis*, de Etruriæ Regionis Originibus, Institutis, Religione, ac Moribus Commentatio.

D. Francisci Dyni, *Lucinianensis*, *Advocati Senensis*, *&c.* Antiquitates Etruriæ, seu de Situ Clanarum Fragmenta Historica, deque Rebus feliciter gestis Civitatum Aretinæ, Clusinæ, ac Cortonensis, cum Senensibus, Florentinis, Exterisque. Adjunctæ sunt ad finem Annotationes D. Francisci Baldereschi, *J. C. Palaiensis Judicis Clarissimi.*

(†) Francisci Dyni, *Lucinianensis*, *Advocati Senensis*, &c. de Antiquitatibus Umbrorum, Thuscorumque Sede, ac Imperio, deque Camerio, ac Camertibus a Sylla excisis Dissertatio Historica, *Adversus Opiniones* Blondi, Aldi, Sigonii, Cluverii, P. Papebrochii Soc. Jesu, ac Recentiorum, In qua plures inscriptiones *Gruterianæ* solidissimis fundamentis ad crisim revocantur, Lilii fundamenta de sui *Camerini* Antiquitate exploduntur. *Agitur incidenter de* Liciniani *in Etruria* Antiquitate: *esse à* Lucii Syllæ *Militibus* Lucinianum *dictum*, *Coloniam ductum ex vetusta Inscriptione eruitur: Patriam esse* C. Mæcenatis *adversus Recentiores ostenditur.* Accesserunt Notæ Rev. Francisci Regazetti, *Falconensis*, Ditionis Venetæ.

Bartholomæi Scalæ, *Equitis Florentini*, Historiæ Florentinorum Libri Quinque; nec non &. *Ejusdem* Vita Vitaliani Borrhomæi: Quæ primum e Cod. Bibliothecæ Mediceæ edita fuerunt.

Poggii Bracciolini, *Florentini*, Historiæ Florentinæ, Libri Octo: Primum à *Joanne Baptista Recanato*, Patritio Veneto, Academico Florentino in lucem editi, notisque, & Auctoris vita illustrati.

Joannis Michaëlis Bruti, Historiæ Florentinæ, *Libri Octo.*

PARS SECUNDA.

Francisci Contareni, *Patritii Veneti*, *Legati ad Pium II. P. M.* Historia Hetruriæ, *sive*, Commentariorum de Rebus in Hetruria a Senensibus gestis cum adversus *Florentinos*, tum adversus *Ildibrandinum Ursinum*, Petilianensium Comitem, Libri Tres, a *Joanne Michaële Bruto*, antehac primum editi. *Subjecta sunt*, Additamenta & Testimonia, tum ex Cardinalis *Jacobi* Pi-

Picolhominei Epiſtolis, tum ex *Platina*, de Vitis Pontificum Romanorum: ex quibus multa ad hanc Hiſtoriam pertinentia intelliguntur.

Iſtoria Delle Guerre della Republica Fiorentina, *Succeſſe nel tempo, che la* Caſa de Medici s'impadronì del Governo: *Scritta da* Benedetto Varchi, *Iſtorico Fiorentino*, Colla Vita dell' Iſteſſo, & Un Diſcorſo, ò Apologia di Lorenzo de Medici ſopra la Naſcita, & Morte d'Aleſſandro de Medici primo Duca di Firenze: *Opera tirata dall' Originale dell' Autore da Giovan Filippo Varchi Fiorentino.* Con una Tavola copioſa delle coſe più importanti. *Ornata d'alcuni Ritratti dè principali Perſonaggi mentovati nella detta Iſtoria:* Aggiuntovi *La Vita di Filippo Strozzi, figliuolo di Filippo Nobile Fiorentino, col ſuo Indice, ſcritta da Lorenzo ſuo fratello, la quale da molto lume alla detta Iſtoria.*

(†) Matthæi Palmerii, *Florentini*, de Captivitate Piſarum Hiſtoria: Veteres non ſolum inter Florentinos & Piſanos inimicitias, & odia diu continuata, ſed etiam recentes hujus belli cauſas & Urbis Piſanæ obſtinatam Obſidionem & Deditionem continens. *Ex MS. Bibliothecæ* Joannis Baptiſtæ Recanati, Patricii Veneti, *Nunc primum edita, Vita Auctoris & Indice adornata & aucta.*

PARS TERTIA.

(†) F. Henrici Noris, *Veronenſis, S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ordin. Eremitarum S. Auguſtini, ejuſdemque S. R. E. Bibliothecarii*, Diſſertationes IV, Cenotaphia Piſana Caji & Lucii Cæſarum Illuſtrantes. Coloniæ Obſequentis Juliæ Piſanæ origo, vetuſti Magiſtratus, & Sacerdotum Collegia: Cæſaris utriuſque Vita, geſta, & annuæ eorundem inferiæ exponuntur: ac aurea utriuſque Cenotaphii Latinitas demonſtratur. Parergon *De Annis regni Herodis: de Præſidibus Syriæ, ac Romanis in Aſia Provinciis.*

Dominici Angeli, *Caſtrenſis*, de Deprædatione Caſtrenſium, & Suæ Patriæ Hiſtoria.

(†) Juſti Fontanini, *Forojulienſis, a Cubiculo honorario Clementis Pontificis* XI. de Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruſcorum Libri Duo. Ubi præter Hiſtoriam Hortanam alia etiam non pauca Res Romanas Italicaſque illuſtrantia, proferuntur. *Accedunt* Acta Vetera, Inter quæ Decretum ſincerum Gelaſii I. Pontificis ex inſigni Codice Vaticano.

Andreæ Mugnotii, *Conchenſis, Hiſpani*, Eremi Camaldulenſis Deſcriptio, duobus Libris abſoluta.

Cæſar Orlandius, de Urbis Senæ ejuſque Epiſcopatus Antiquitate.

Antonii Maſſæ, *Galleſii, Juriſconſulti*, de Origine & Rebus Faliſcorum, Liber. Cui annexum, Petri Curſii, *Civis Romani*, Civitatem Caſtellanam Faliſcorum, non Vejentum oppidum eſſe, Poëma, *cum* Julii Roſcii Hortini *Additamentis.*

Jacobi Mazzochii *J. U. D.* Veji Defenſi, ſeu Diſſertatio, qua demonſtratur Antiquos Vejos *hodiernam* Civitatem Caſtellanam *eſſe*. Ex *Italico* La-

Latine vertit, Præfationem, Notulas, & Indices adjecit Abrahamus Preigerus.

Famiani Nardini Veji Antiqui. Seu Dissertatio, *investigans veram ejus Urbis situm*, Ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem Antonium Barbarinum. Latine *ex* Italico *vertit*, *Præfationem Notulasque & Indices addidit* Abrahamus Preigerus.

Dominici Mazzocchii *J. U. D.* Vejorum Defensoris, Epistola Apologetica; In qua discutiuntur multæ Oppositiones illi factæ a Vejorum eorundem Investigatore. *Ex* Italico Latine *vertit*, *Præfationem Notulasque adjecit* Abrahamus Preigerus.

Pompeji Angelotti, *J. U. D. Romani*, Descriptio & Antiquitates Urbis Reate, Sabinorum Antiquissimæ, *Saturni & Rheæ quondam Regiæ.* Ex *Italo Latine* vertit, Notulis, Indicibus atque Capitum Argumentis auxit Sigebertus Havercampus.

PARS QUARTA.

(†) Dominici Barnabæ Matthæi, Memoriæ Historicæ Tusculi Antiqui, *Quod nunc dicitur* Frascati; Ad Illustrissimos Dominos, Dominos Conservatores Consiliariosque ejusdem Civitatis. *Ex* Italico *vertit*, Latine, *Præfationem atque Indices adjecit* Sigebertus Havercampus.

(†) Jacobi Manilli, *Romani*, *Villæ Burghesiæ Vestiario Præfecti*, Descriptio Villæ Burghesiæ, Extra Portam Pincianam. *Latine* ex *Italicis* vertit, Præfationem, Elenchum Rerum præcipuarum, atque Indicem adjecit Sigebertus Havercampus.

(†) Pyrrhi Ligorii, *Omnium Antiquariorum Antesignani*, Descriptio Superbæ & Magnificentissimæ Villæ Tiburtinæ Hadrianeæ. Ad Illustrissimum & Reverendissimum Hippolytum, *Cardinalem Ferrariensem.* Ex Bibliotheca Lugduno-Batava nunc primum produxit, qui & Latine vertit, Sigebertus Havercampus. *Accedunt*, *ipse Contextus Italus*, *Præfatio*, *& Indices necessarii.*

(†) Francisci Martii, *Canonici*, *Nobilis & Jurisconsulti Tiburtini*, Historia Tiburtina Amplificata. Accedunt Dedicatio Caroli Martii & Illustrissimi Abbatis Michaëlis Justiniani, Patritii *Genuensis*, ex Dominis Di Scio, Prolegomena ad Lectorem, *ut & Vita* Francisci Martii. *Latine* ex *Italicis* reddita, Præfatione atque Indicibus aucta *Cura* Sigeberti Havercampi.

(†) Antonii Del Rè, *Tiburtini*, *Juris Utriusque Doctoris*, Antiquitates Tiburtinæ, *in Duas Partes Divisæ.* Parte prima agitur *De Mirabilibus Palatii Hortique* Serenissimæ Familiæ Estensis, ejusque Fontibus atque Statuis, addita brevi Historiarum Fabularumque expositione; Parte Secunda continetur *Compendium Ædificiorum superbissimæ* Villæ Hadriani Imperatoris, Collectum ex MS. Descriptione Pyrrhi Ligorii. Inquiritur deinde in Villas,

quas in Agro Tiburtino habuerunt Cajus Cæſar, Syphax Rex Numidarum, & Zenobia Palmyrenorum Regina, aliique. *Accedit in fine* Defenſio Aquæ Anienis nunc Teverone. Latine *ex* Italico *vertit*, *Notulis*, *Præfatione & Indicibus auxit*, *ut & Ichnographia Villæ* Eſtenſis Sigebertus Havercampus.

(†) Joſephi Mariæ Suareſii, *Epiſcopi Vaſionenſis*, Præneſtes Antiquæ *Libri Duo.* Quibus non ſolum Conditores Urbis, Situs, Latifundia, Poſſeſſiones priſcæ, Oppida, Vici, Eccleſiæ antiquæ & Reliquiæ Sanctorum; Verum etiam Viri Illuſtres, ſanctitate ac virtutibus inſignes, ortuque ſuo vel mora Præneſten nobilitantes recenſentur.

(†) Philippi a Turre, *Forojulienſis*, *Epiſcopi Adrienſis*, Monumenta Veteris Antii, hoc eſt Inſcriptio M. Aquilii, & Tabula Solis Mithræ Variis Figuris & Symbolis exſculpta, *Inibi ſub finem Seculi XVII. reperta*, *mox Commentario illuſtrata*, *& accuratè explicata.* Addita nunc eſt ejuſdem Auctoris Explicatio Inſcriptionis cujuſdam Antiquæ de Taurobolio.

(†) Nicolai Alemanni de Lateranenſibus Parietinis ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino D. Franciſco Card. Barberino Reſtitutis Diſſertatio Hiſtorica, *Figuris Æneis Illuſtrata.* Ubi de Ædificio, ejuſque loco, de Muſivi Emblemate, atque ejus Hiſtoria diſſeritur, & inſcripti imaginibus tituli expenduntur.



GUIL-



pag. 2.



GULJELMUS POSTELLUS,

Linguarum Orientalium Professoris Regii Parisiensis.

GUILIELMI POSTELLI DE ETRURIÆ REGIONIS ORIGINIBUS, INSTITUTIS, RELIGIONE, ET MORIBUS COMMENTATIO.

Cap. I.

De summo genere cognitionis doctrinæ-ve, quæ est Divinatio, & quot modis possit cognitio futurorum haberi prædicique.


On censeo ullo modo esse cum illis de veritate agendum, qui de sequentibus ambigere sententiis volunt, sit-ne DEUS, & curam-ne rerum sensibus objectarum habeat; multò minùs judico debere contendi cum illis, qui sensus nostros exteriores & demum ipsum intellectum veritatis judicem falli in rerum cognitione ita volunt, ut nîl esse veri, sed omnia dubia esse affirment. Hi enim principia negantes, satisfactionem hanc merentur, ut citò qui humanitatem exuant ipsâ spolientur. Cum illis itaque mihi volo rem esse, qui causam mundo & veritatem homini tribuant. Hæc enim sunt duo necessaria primaque & indemonstrabilia, quòd res sensui aut intellectui obnoxiæ causas habeant & supra omnes summam primamque, quódque duce ipsa rerum apprehensione, consideratione, & perpensione veritas rerum virtute causæ suæ productarum possit haberi. Veritas enim quatenus est intellectus in homine agentis finis & scopus, est adæquata cum ipsis rebus nostri intellectus consensio, ut scilicet quales in se sunt, tales intellectus illas apprehendat, quatenus debent possuntque ab eo apprehendi. Dixi itaque hæc duo indemonstrabilia, eò quòd maximè & primò & per se sunt, sicut Geometra non demonstrat esse punctum, lineam, superficiem, quia maximè notum est. His suppositis nemo negabit, illum esse maximè veritatis participem, qui res ipsas non tantùm per se & in se, sed per causam etiam cognoverit. Quare sunt veritatis varii gradus. Minimus est, ut res ipsas in se concipias; maximus, ut causam primam aut solo intellectu, sine rerum sensibilium medio, si fieri posset, cognoscas, aut quia fieri à nobis non potest, duce eo beneficio, quod in te DEUS contulit, quodque in tota natura respersit, mente comprehendere satagas. Quum autem prima causa sit omnino infinita & ea de re omnino incomprehensibilis, jure quidem merito ille divinissimus hominum est judicandus, qui maximè ad ejus accedit cognitionem. Quum autem ea quæ cognoscuntur, si bona sunt, & bona esse cognoscuntur, sint tantum amanda, optanda, observanda, & requirenda, quantum bonitatis in illis cognoscitur, summa quæ de prima causa cognitio habetur, (siquidem, ut parens Philosophorum ait, quia bonus est, bonitatem suam maximè communicando, omnia, quatenus sunt bona, bona fecit) in amore infinito ponatur oportet.

A Summa itaque in homine veritas est, ut illam causam, quam intellectu ob infinitudinem assequi non potest, ea animæ parte, quæ in nobis infinita est, voluntate videlicet, & affectu, quæ infinita cupidine tenentur, infinitum videlicet DEUM amet, cupiat, colat, ejusque nomine universitatis fœlicitate, si adsit, libentissimè spolietur. Eò verò quòd cupiditas rerum sensui & gloriæ obnoxiarum, & timor, ne secundis rebus, aut jam concessis, aut quas possemus consequi, privemur, tanquam duo Tyranni assiduè obstant nostræ Di- B vinationi; ideo causam primam cognoscentes eamdem spernimus, cognitioneque futuri caremus. Quum itaque in DEO ipso sint omnium futurorum ordines ab æterno dispositi, ille sit Divinationi proximus necesse est, qui summo mentis affectu DEO per amorem summum est conjunctissimus. Tantò autem veriora falsis, aut falsiora veris prædictionibus coaptet necesse est, quantò est purior aut turbidior affectus. Hinc quum Divinationis familiarissimum genus in somniis po- C suerit Antiquitas, meritò revera *Cicero* lib. 1. *de Divinatione Platonis* adduxit verba ex *Politiæ libris*, ut rationes adferat veritatis. Ait enim ideo à veritate ejus Divinationis, quæ per somnia posset haberi, nos destitui, quòd nimiis iracundiæ motibus agitata est in nobis pars irascibilis, aut nimio luxu diffluit ea, in qua cupido & voluptatum fomes inhabitat, unde perturbata animi parte irascibili, quæ à corde est, & concupiscibili, quæ ab hepate oritur, ratio ipsa & pars superior, quæ in cerebro sedes habet, communi consensio- D ne turbatur, ne possit ulla vera earum imaginum, quæ noctu occurrunt, ratio colligi. Quòd si sedatis & veluti rescissis cupiditatibus, jejunoque aut ut minimùm cibis cupiditatibusque obruto corpore, repressisque animi passionibus, quæ nos ultrò in iram aut cupiditatem rapiunt, nos componeremus dormituri, procul dubio ex somniis posset à nobis obtineri Divinatio. Primus itaque hic est modus, ut sublato ob causæ causarum amorem, quantum fieri potest, amore aut timore creaturarum, moveamur, nosque totos summæ luci de- E damus. Primus autem, qui à divina luce in nobis agente procedit, in causa est ut cæteri veri sint. Nisi enim in nobis est summus summæ primæque veritatis amor, & summa rerum quæ nos perturbant abstinentia, ut summa lux veritatis in nobis sit omnium veritatum principium, nullà potest à nobis vera procedere Divinatio: peti autem ab intelligentiis, à cœlis eorumque variis motibus, ab elementis igne, aëre, aqua, & terra, ab animalibus eorumque partibus, à plantis, & F ante omnia à prodigiis solet. Sacerdotes etiam *Hebræorum* ex duodecim variarum gemmarum contuitu, quæ, ad hoc ut suis excitarentur motibus, super humeros Sacerdotis ponebantur, futura prædicebant. אפוד *Ephodio* nomen erat huic ornamento. Cæterùm quòd fuerint Prophetæ, & Vates, *Sibyllæ*que ubivis gentium, à quibus scita

ferè omnia, quibus habenæ Reipublicæ regantur, aut olim sint rectæ gubernatæque, in consensu omnium Gentium est. Si qui autem sint in ea impietate, ut, eò quòd inenarrabilis falsitas, fictio, & fabulositas in falso cultu deprehensa est, putent (ut ait *Dionysius Halicarnasseus*) quicquid de DEO, religione, miraculisque olim scriptum est, id esse inter fabulas referendum, quum prætextu falsi verum ipsum tollant, Mundumque nullo Rectore moveri asserant, censeo illis vitam esse tollendam. Necessarium enim unum est, ESSE DEUM videlicet, & ut se curam habere rerum humanarum demonstret, quod item est omnino necesse, opus est inter cæteras Divinationes vaticinationesque esse unam, à divino lumine in sobrios, sanctos, simplicesque homines transfusam, ob solum amorem & cultum summæ causæ, in qua totius vitæ humanæ & non solùm unius aut alterius Populi cursus sit adumbratus, ad hoc ut quum ea quæ sunt divinata & prænunciata toti Orbi evenerint, ex ipso cognoscatur eventu, quòd & Divinatio est, & à DEO est, & DEUM ejus auctorem probat curam habere rerum humanarum.

CAP. II.

Probatur esse necessariò, eò quòd DEUS habet rerum humanarum curam, Disciplinæ genus summum, præstantissimumque, ad quod quum omnes homines adspirent, nullus tamen possit nisi per Divinationem consequi.

QUum sit apud Philosophos recepta illa sententia, quòd DEUS nil frustra faciat, sed præstantissima vota sint finis præstantissimi gratiâ constituta, opus est, ut omnino primus hominis appetitus, qui est verissima præstantissimaque rerum cognitio, possit suo fine frui ad hoc ut cognitis rebus possit delectum facere & præstantiora sibi seligere. Necesse ergo est omnino, ut à Divina Providentia rerum humanarum curatrice nobis sit institutus modus, quo ea quæ magis expetimus magis assequamur. Omnes autem principes in Philosophia viri asserunt esse verissimum, quòd magis afficimur si vel modicum quid de substantiis cœlestibus aut separatis comprehendamus, quàm si in hoc Orbe terreno totam rerum naturam assequamur, quum tamen constet illa, quæ magis appetimus, esse à nobis remotissima, naturæ autem familiarissima. Quum itaque præstantissima veritatis consequutio sit rerum per suas causas cognitio, causæque sint summoperè ad intellectus fœlicitatem necessariæ, opus est necessariò, ut supra genus demonstrativum disciplinæ, quod quidem ferè nil de causis (potissimùm ut sunt amandæ) tradit, sit unum, summum, totum in Divinatione positum, cui adnexum adsit alterum demonstratione carens, & totum in universitatis Historia constitutum. Nam si desit Divinatio illa, quæ summoperè desiderabilem de causis cognitionem rationeque humana nullo modo investigabilem nobis aperiat, frustra & DEUS & Natura hoc desiderium in nobis ingenuere, quum finem ejus non possimus consequi, quod est falsum. Si autem sit Divinatio ut est, opus est etiam ut possit ejus finis videri, ut in toto Orbe terrarum sint asservatæ ejusmodi Historiæ, ut quarum veritas non possit aut debeat ullo modo tolli, maximè ubi *Græcorum* θεογονίαι aut fabulæ non fuerint, & ubi sine ulla cupiditatis aut timoris ratione Scriptores de regnorum originibus & eversionibus translationibus-ve ex communi consensu agunt. Quum enim omnes principales Mundi

A Potestates à DEO sint ordinatæ, & suis Geniis Angelis-ve, ut vocant, munitæ, fieri non potest, ut sine Providentiæ nutu intercidant. Quisquis itaque sacræ Divinationis, quam sacra vocant, voluerit fidem elevare, quum sit præstantissimum doctrinæ genus, & per quod maximè homo suum finem consequitur, cognitâ, aut saltem, si incognita est, amatâ causarum causâ, ille ex hominum numero, quem immeritò auget, tollendus est. Qui verò ita fidem Historiis detrahit, ut res originum & eversionum sine passionibus aut fabulis (nam quis admittat concubuisse & genuisse

B Deos?) scriptæ in dubium ab eo vocentur, meritò etiam ipse Historiæ Legumque beneficio destitutus, habebitur inter suos exsors extorrisque, & supposititio credetur ortu partuque. Meritò itaque laudanda venit illa *Platonis* in *Epinomide* sententia, quâ sanctè ait, esse parricidio affine, si quis illi doctrinæ, quam de DEO, religione, & stellarum virtute nobis tradidit Antiquitas, detrahit. Illi enim auctores posteritatis, qui ab ipso omnium opifice proximè ortum duxere, non potuere nisi à DEO auctore ista habuisse, quæ filiis instar testamenti servanda tradere tanquam sibi ipsis vellent. Et ne ambigeremus de qua diceret

C doctrina, ait: nam qui hæc Orbi ab initio tradidit *Syrus* erat. Unde de ipsis *Hebræorum* sacris eum intelligere non est dubium. In illis enim solis agitur de illa causa, quæ cæteris causis, Angelis, Geniis, Diis, Mentibus, Spiritibus, aut Heroïbus in causa est ut sint: nec enim per se sunt immortales. *Syrus* itaque ille aut *Adamus*, aut *Noachus*, aut *Abrahamus*, aut *Moses* est. Omnes enim ob locum sepulturæ præter *Noachum Syri* sunt: nam eorum sepultura fecit in *Syria* posteritati locum sacrum. Summa itaque Divinatio in sacris *Hebræorum* & eorum sacris appendicibus

D constituta est. Per ejus itaque studium solum potest homo in eum finem, ad quem maximè adspirat, pervenire. Sed videndum est, quænam sint Historiæ illæ, quæ secundùm sacras Divinationes maximam mereantur fidem. Divinationes autem omnia illa Scripta voco, quæ in toto Scripturarum veterum & novarum volumine continentur, eò quòd omnes sententiæ sacrorum præter illas, quæ ad mores faciunt, ad doctrinam posteritatis ita pertinent, ut sint etiam futurarum figuræ: sicut enim usu rerum naturalium videmus in omnibus, quæ naturaliter accidunt, cuivis semini aut arbori esse veluti præscriptum, & prædictio Divinatioque eorum, quæ unquam olim

E accident eidem generi aut speciei, cujus erat individuum, sic omnino in sacris est. Sub umbra enim personæ aut cujusvis Ecclesiæ electæ vel reprobatæ res gestæ sunt, quæ olim revolutionibus sæculorum, influxuum, & spirituum in variis Orbis partibus contingent, ad hoc ut DEUM habere rerum humanarum curam ostendant. Hæc autem mihi de *Etruriæ* origine dicturo fuere præmittenda confirmandaque, eò quòd basis meæ Historiæ ex sacris pendet.

CAP. III.

F *Quæ Historia humana debet esse summa fide post illas, quæ in sacris habentur Divinationibus.*

LIcèt nondum ostenderim Linguam primam & perfectissimo rerum, de quibus tractat, etymo, esse *Syram*, illam videlicet, quæ *Syri* illius hominis est, in quem *Plato* omnia refert divina, tamen eò quòd sit licitum in omni doctrinæ genere supponere interea aliquid donec probes, quia clarissimè postea sum demonstraturus primam æter-

ternamque Linguam esse *Syram*, quæ & *Assyria* & *Phœnicia Punica*ve dicitur, hoc nunc pro concesso assumo. Quum itaque sit prima, & ea de re summum Divinationis genus habeat, & summam etymi veritatem, opus est eos Auctores Historiæ, qui in ea scripsere & maximè cum ea consentiunt, summa esse fide, ubi maximè ea scripsere quæ sunt ab affectibus & falsitate alienissima, & quæ etiam apud ipsius veritatis historicæ hostes fidem faciant. Quin itaque *Josephus* sit fide dignissimus in *Antiquitatis Judaïcæ* Libris & Lingua *Græca* & *Hebræa* descriptis, in quibus Populis omninò à vera sacrorum traditione alienis, & contra adversarios gratiosissimos, nemo facilè dubitarit: ea enim omnia, quæ videntur minùs fidem mereri, non minùs externis quàm propriis asseruit Auctoribus. Quum autem *Chaldæa* Lingua sit *Hebrææ* familiarissima, ut, post sacræ Divinationis Libros, apud *Chaldæos*, *Assyrios*, *Magos*, *Abrachmanas*que cœlestis Divinationis Professores sit secunda prædictionis futurorum via, nullum est dubium quin etiam sint summâ post *Hebræos* fide Historici *Chaldæi*. Quum enim constet eorum auctoritate, qui res *Chaldæorum* observarunt, fuisse ad hoc ut veritas in illis maximè conservaretur constitutos primariâ auctoritate Viros & summâ (ut id temporis res erant) pietate Sacerdotes, ut verissimè religiosissiméque origines, res gestas, mutationesque regnorum celebriorum in publicis conscriberent Diariis, nemo facilè eorum elevarit auctoritatem: erat enim illis semper proposita una ratio, quæ illos maximè veritati adstringeret. Sicut enim *Syræ* Divinationes & Historiæ hoc habent, ut religiosissimè rerum successus scribant, ad hoc ut summæ causæ Providentia videatur rerum humanarum curam habere secundùm Prognostica sacra: sic etiam *Chaldæi* ad hoc ut ex Historiis & rerum eventu fidem cœlestium facerent Prædictionum, & posteris fidem doctrinamque suæ sapientiæ per apotelesmata traderent sanctissimè, omnium gentium Historias conscripsere. Tertio in ordine est *Romana* Historia, illa potissimùm, quæ post acceptos in Reipublicæ caput Libros *Sibyllinos* est observata, quæque est ab illis Auctoribus externis scripta, qui in rerum originibus & hominum generatione longissimè à fabulis Deorumque excogitatorum concubitu recedere fategerunt. Si integri nobis superessent *Cato* & *Varro*, illi instar omnium essent. Unus porrò *Hesiodus* post *Orphicæ* doctrinæ Auctores satis nobis in sua *Theogonia* reliquit cogitandum, quantum fidei mereantur qui inter *Græcos* scripsere origines. Sicut itaque tria potissimùm sunt veræ Divinationis genera, supracœleste veréque divinum apud *Syros*, de quo *Plato*, cœleste apud *Chaldæos Assyrios*que, *Sibyllinum* autem & hominibus mundoque inferiori aptius, quo usi sunt ante omnes *Romani*: sic ab iis potissimùm, qui Historias *Syriacas*, *Chaldaïcas*, & *Romanas* scripsere, petenda est Historiæ fides. Jam verò dixi in *Appendicibus* sacrorum *Hebræorum*, quatenus Historiæ sacris adnexæ sunt, variis temporibus in Ecclesia à Viris tàm in scribendo quàm in probando à mendacio omnino alienis scripta & probata in hoc solum, ut DEUS curam habere rerum humanarum videatur. Licèt enim non expressissem quid nomine Appendicum intellectum vellem, tamen ea, quæ ad Sacræ Historiæ successus pertinent, & jam sunt ab innumeris Auctoribus scripta & probata, possunt intelligi. *Josephi* itaque *Hebræi* Scriptoris, & non minùs *Græcis* humanisque doctrinis quàm suis imbuti, fides est in primo habenda loco. *Berosus Chaldæus* similiter *Græcè* tempore florentis *Græciæ* mediis in *Athenis* ad miraculum usque doctus, & statuæ publicæ linguâ

A aureâ ornatæ meritum consequutus, nomine summæ eruditionis & fidei, ex publica *Chaldæorum* Bibliotheca Compendium rerum à Cataclysmo ad sua usque tempora gestarum scripsit, cujus testimoniis frequentissimè *Josephus* utitur. *Plinius*, *Solinus*, *Cato*, *Varro*, si exstabit, & alii ejus classis Viri cum *Dionysio Halicarnasseo* & cæteris fide dignis Auctoribus facient *Romanæ* Historiæ fidem. Nam res *Etruscorum* funditus apud suos olim perierunt, quare & res eorum ex ipsa *Romana* aut ex universali Historia sunt decerpendæ & suscitandæ. Quum enim cultus *Etruscorum*, *Druïdarum*, *Abrachmanum*, *Indorum*, *Æthiopum*que, qui in suis B principiis locisque erat aptissimus, in *Syriæ* Divinationis verba transire debebat, unà cum ipso cultu & Disciplinæ & Historiæ interciderunt. Nam nisi imperfecta Geniorum fuisset deturbata unà cum Idololatria Religio, non fuisset cognitus Princeps omnium Spirituum, Mentium, Angelorumque, & Hominum CHRISTUS.

Cap. IV.

Quòd ea quæ nunc circumferuntur nomine Berosi Fragmenta, ea revera sint prisci C illius Berosi, qui deflorationem Chaldaïcæ scripserat Historiæ.

QUum Apologum de hoc argumento ad *Petrum-Franciscum Giambullarium*, Canonicum D. *Laurentii* & Academicum *Florentinum*, qui de prisca *Etruscæ* Linguæ origine scripsit, miserim, in quo satis abundè me puto suasisse ea quæ circumferuntur Fragmenta nomine *Berosi*, esse revera illius *Berosi Chaldæi*, quem *Josephus* citat, non est quòd repetam illud idem: potest enim aut seorsim illud edi, aut hîc interseri. Unum ad- D dam omni exceptione majus, quòd sententiæ ex eodem *Beroso*, antequam unquam veniret in manus *Annii Viterbiensis*, quo creditur Auctore confictus, jam in *Germania* & in *Gallia* exstabant, ut ex ejus citationibus locis-ve suo tempore ostendam. Quod autem maximè movet illos qui fidem *Berosi* elevant illud unum est, quòd non solùm suæ gentis, sed etiam occiduorum Populorum à *Babylonicis* remotissimorum ita tractat Historiam, ut videatur sua perfunctoriè, aliena autem seriò tractare. Quid enim ad rem ajunt quòd statim *Assyriis* subjungat *Italos*, *Gallos*, *Hispanos*? Satisfacio. Licèt sint duodecim Orbis terræ par- E tes duodecim cœli signis obnoxiæ, tamen quum DEUS & Natura nil frustra faciant, opus est omnino ut Populi primo signo & primæ stellæ cœli subjecti sint etiam digniores, & aliquando Universi imperium habituri. Præterquam quòd eam Genealogiam Universi, quæ aureo sæculo in totum Orbem est dispersa, *Moses* in Sacris Libris *Geneseos* sacram fecit, ipsa jam suis sæculis ante octingentos annos observari in Libris Patrum solita erat. Ut autem illi Populi, qui de cœlo servabant ante alios, etiam suarum prædictionum redderent rationes, (nam & cœlum & DEUS F sacra-ve omnino consentiunt) opus erat in Bibliotheca *Chaldaïca* omnino illud idem, sed tantò amplius quantò cœlum, quàm DEUS, clariùs nobis patet, observare & scribere quod sacra fecerunt. Semper autem apud omnes Astronomiæ peritos fuit duplex effectuum cœli influxus in observatione. Est enim primus cœli impulsus à motu diurno, alter à motu planetarum, ille orientalis, hic occiduus; unde quum putarint esse omnino necessarium ut una potentia generalis in *Asia* & Oriente consurgeret, quæ instar primi mobilis Universum contineret, & altera ab Occidente,

quæ inferiori & temporali omnia moderaretur imperio, non minùs Occidentis quàm Orientis regna curare debuere. Unde & apud *Græcos*, antequam per fabulas periissent priscæ memoriæ, ponebantur *Chaldæi Indi*-ve tanquam ejusdem professionis in Oriente: *Celtæ* seu *Galatæ* in Occasu: *Æthiopes* in Austro: & *Scythæ* in Aquilone, tanquam capita mundi, ut est in parasceva *Strabonis*. Verùm quia illi tantùm in imperiis primi futuri sunt, qui in differenti cœli longitudine sub primis influxibus positi sunt in vera regione Orbis habitabilis, id est, temperata, ideo *Berosus* magis neglexit *Scythas* & *Æthiopas*. Licèt enim & *Scythæ* in frigida & *Æthiopes* in calida regione habitent, DEI cœlique vera beneficentia in regionem temperatam est transfusa. In hoc autem maximè fidem meretur, quòd consentiens ipsi *Mosi Nimrotum*, quem suum *Saturnum* primum fuisse scribit, auctoremque *Babylonicæ* turris & regni, facit parùm probum, ut qui rituales Libros magni *Jovis* est furatus ab omnium parente *Noacho*: per illos enim Libros *Chaldæi* eadem habere cœperunt quæ & sancti Patres, donec sacra disciplina ad ambitionem & maleficas artes est conversa, sicut nostram videmus ad id redactam, ut hominibus omnino dissimilibus iis, qui eam instituere, videatur ipso usu aut abusu potiùs patrocinari. Sic usu comparatum est, ut corrupti singulis sæculis homines ex præstantissimis institutionibus pessimos mores sanctis ornatos titulis producant. Superfuit ex illis ritualibus doctrina rerum cœlestium, in qua post Diluvium excelluisse *Chaldæi* non potuissent, nisi jam ante Diluvium fuissent observationes à sanctis Patribus factæ & conscriptæ, Religionique Geniorum Angelorum-ve, qui primùm cœlo influunt, conjunctæ, quales antea *Chanochus* Vates scripserat, cujus Opus inter primos rituales sacrosque Libros in *Æthiopica* Ecclesia exstat, ut ipsius fidem & argumenta ab ipsis audivi *Æthiopibus Candacum* regno subjectis. Quum itaque in *Berosi* Fragmentis, quæ adhuc exstant, nîl sit scriptum nisi quod veritati sacrorum aut Astronomiæ, aut humanæ & cui nîl repugnat Historiæ per omnia consentiat, eò quòd parùm plerisque placeat, non est rejiciendus. Rationibus enim & auctoritate præstantiore, non solis conviciis aut detestatione risu-ve sunt improbandi Scriptores sicubi displicent. Deest autem plusquam dimidium, unde constat certissimè non esse confictum Opus: clarè enim liquet ex *Josepho* ad *Nebucadnezarum* usque *Babylonis* instauratorem scripsisse.

CAP. V.

Quòd sacrarum Constitutionum seu Divinationum Libri sint ea fide & integritate, ut necessariò omnibus sæculis fuerint sintve inter optimos sapientissimosque probandi, summumque bonum suasuri.

FUit semper usu omnium gentium receptissimum, ut prima fides Oratoris aut Scriptoris ab ipsius persona peteretur. Quisquis enim etiam de rebus præstantissimis verba facturus aut dicturus, sola auctoritate, aut solo rerum fine moveri debere suos Auditores, ita ut semper illis persuadeat, velit, toto errat cœlo. Quot enim jam à condito Orbe Principes fategere, ut suis Populis ob solam auctoritatis rationem ponerent ad hoc ut in officio retinere homines possent? Tamen ex totius Orbis terrarum imperio, in quo ad hanc diem fuere innumerabiles summaque auctoritate Principes, si Leges Juris *Romani Justiniani* Imperatoris curâ conservatas excipias, nîl planè super-
A esse reperias. Licèt verò sint præstantissima & ad homines in officium cogendos aut in eodem retinendos aptissima, quæ innumeri sapientiâ, aut, ut rectiùs loquar, prudentiâ insignes Viri de Politia, de Oeconomica, de Moribus, de Legibus, & in summa de omnibus illis Doctrinis, quæ ad officiorum rationem spectant, præclarissimè, doctissimè, argutissiméque scripserint; tamen illa omnia aut interierunt, aut si exstant, ut innumera adhuc exstant, tantumdem planè faciunt in promovendo, quantum si scripta non essent. Hinc licèt innumeri in toto terrarum Orbe dent operam
B *Platoni*, *Aristoteli*, *Isocrati*, *Ciceroni*, & cæteris hujus notæ primariæ Viris, nullum tamen unquam reperire liceat, qui revera moribus sanctioribus sit effectus ex eorum lectione. Illæ enim disciplinæ doctiores quidem, sed sanctiores non reddunt, ea una de re quòd ne ipsis quidem Scriptoribus, quamvis sint verissima, fidem suæ veritatis fecerunt: fuere enim corruptissimi in se, qui optimè cæteris tantùm, & non sibi scripserunt. Quòd si ipsa accesserit vitæ morumque probitas, veraque in Scriptoribus sapientia, quæ in bonitate consistit, conjunctaque cum auctoritate & doctrina fuerit, est omnino necessarium ut
C summam omnibus sæculis fidem faciat, & è converso, est omnino impossibile, ut ulla doctrina aut legislatio post dissipatos suos Populos sit superstes, & multò minùs possibile, ut ex primis ad alios informandos transeat, nisi sit divina institutio à summa auctoritate potentia-ve, à summa sapientia, & à summa bonitate profecta. Inde verissimè est ab *Horatio* scriptum, si verè, ut scripsit, intellectum voluisset,

—— *si vis me flere, dolendum est*
Primùm ipsi tibi —— ——

D Quasi dicat, sis bonus oportet, si mihi vis suadere ut ipse bonus sim. Quotquot itaque aliter docuere quàm fecerunt, & se & suos luserunt Auditores. Hinc perdita veri fides: quamvis enim verissima utilissimaque scribantur, si non suaserunt ipsimet Oratori & Scriptori, quî fieri poterit ut mihi suadeant? Quum autem videamus ipsos sacræ Divinationis Libros, qui in *Hebræorum* literis potissimùm servantur, jam totis tribus annorum millibus (quum tamen meræ videantur ineptiæ, si ad summorum Philosophorum scripta conferantur) non tantùm fuisse inter suos ubivis
E terrarum sparsos, conservatos, & litteris moribusque observatos assiduè, sed sensim tantam suæ veritatis fidem fecisse, ut ferè totius Orbis terrarum institutio ab ipsis dependeat, divinitus hoc fieri fateamur oportet. Si quis autem diligentissimè apud se consideret tempus, quando apud suos destructo *Judæorum* imperio periisse omnino debebant, tunc sensim unà cum summa absurditate mundi, Orbem terrarum summâ auctoritate, sapientiâ, & verâ bonitate replevisse, necessariò colliget isthæc Axiomata. Quòd, quum videantur absurdissimæ doctrinæ, & ab eloquentia rationeque humana omnino alienæ, tamen quando
F apud suos periisse debebant Orbem replevere, opus est illud à Divina Providentia esse factum, quod contra voluntatem judiciumque humanum factum videmus. Quòd, quum non solùm suâ simplicitate & infantiâ fretæ, sed mysterio Crucis toti mundo deridendo unitæ contra gloriam & cupitos honores, contra luxum & superfluas voluptates, contra avaritiam & fluxas opes, probra, dolores, paupertatemque suis sectatoribus suasere, rem omnino humanæ sapientiæ, quæ contra ista pugnat, contrariam. Adde, Quòd tunc omnes doctrinæ mundi & *Græcis* & *Latinis* ingeniis excultissi-

tissimæ, summâque eloquentiâ expositæ, tunc summo in imperio mundi versabantur, quum isthæc insipiens sapientia illis invitis & obsistentibus vicit Orbem terrarum. Unde est omnino colligendum pro Axiomate generali, Hujusmodi scripta esse divinitus inspirata, & ab optimis Viris, quique primi illa observarunt, esse scripta, & ut impiis solòque nomine Philosophis sunt ridicula, ita ab integerrimis sunt assiduè probata inque præsentem deducta auctoritatem. Quum autem obsistentibus huic doctrinæ omnibus potentiis & sapientiis mundi, tantò magis Orbem occuparint, quantò magis sunt oppressæ, necesse est ut ratione solius bonitatis, tàm in ipsis scriptis respersæ, quàm in suis Auctoribus inhabitantis, contra Universi potentiam obtinuerint. Colligitur præterea in æternum ideo duraturas has Litteras, quamdiu videlicet mundus durabit, eò quòd sicut causa causarum non solâ potentiâ, aut solâ sapientiâ, aut potentiâ & sapientiâ solùm, sed potissimùm bonitate aut benevolentiâ fuit & est causa omnium rerum, sic hæc Sacra Scripta non solâ potentiâ auctoritate-ve, instar legum aut constitutionum Principum, nec solâ humanâ sapientiâ, ut Scripta Philosophorum, nec auctoritate & prudentiâ tantùm, ut sunt ea quæ à potentibus sapientibusque Viris sunt de Moribus aut Religione conscripta, sed potissimùm ab ipsa divina bonitate in bonos viros transfusa divino jussu sunt conscripta. Una ista causa, bonitas videlicet, defuit illis Scriptoribus humanitatis pro gloriæ & amoris proprii compendio scribentibus, quam ideo sapientissimi Vates sanctissimique Prophetæ in paupertate, probro, & dolore quæsierunt, ut universi gloriam causæ universorum redderent, verosque honores, delicias, & opes, fluxa omnia fugiendo, & sibi & Orbi compararent.

CAP. VI.

Quòd necesse est præcipuum Sacræ Divinationis Auctorem esse summâ, quæ unquam in mundo possit oboriri, potentiâ, sapientiâ, & bonitate, ejusque Doctrinam esse rationi conjunctissimam.

Licèt universa ejus Doctrinæ tractatio, quæ tàm in legibus, quàm iis libris sententiisque, quæ ad mores spectant, est exposita, visa sit suis ipsis Auctoribus rationi tam conjuncta ut duce ratione ubivis gentium probari debuerit, tamen illi præstantissimam sui partem omnino deesse ideo judicandum est, & quòd nullum unquam bonum virum aut fecerit aut se ipso reddiderit meliorem, & quòd illis tam egregiè, ornatè, eloquenterque tractatis sensim mundus prætulit eas Doctrinas, quæ ipsis mundi Sapientibus videntur etiam lectu indignæ. Quòd si mihi opponant hoc propterea fieri, quòd deteriora semper vincere soleant, (quod non ambigo renascentem ubivis Impietatem dicere) aut falsò objicere se, aut nullam esse mundo causam providentiam-ve, quæ curam rerum humanarum habeat, affirmabunt, ipsiusque impietatis assertione ex numero hominum tolli merebuntur. Hoc autem ultimum, quum nusquam gentium sint liberè dicturi, etsi id maximè cupiunt effutire, quin se hac una ratione mentiri deprehendant nemo dubitarit. Nam inter multos mundi Principes extra veri DEI cognitionem positos quin fuerint aliqui, iique non pauci, qui fategerunt ut leges institutiones-ve suorum Populorum essent & rationi conjunctissimæ & diuturnissimæ, mihi nusquam negabunt. *Lycurgus* saltem, & *Numa*, *Charondas*, & *Zamolxis*, qui imperia

A suorum cum summa prudentia retinuere, legibusque sanctissimis, ut sibi visum est, suos instituerunt, nec tamen facere potuere ut ad posteros eorum doctrinæ pervenerint, quamvis nemo non applauserit illorum sententiæ. Factum itaque non est ut sacra vicerint eò quòd deteriora vincant, sed quia sæcula semper proficiunt, illa tanquam vana & à veræ causæ cognitione aliena periere; hæc autem quantò magis sunt oppressa, impetita, aut irrisa profecerunt, ita ut revera hodie in toto terrarum Orbe supersit *Moses* unus pro Reipublicæ basi cum illis *Romanarum* Legum, seu humani Juris, quod à virtute *Romæ* incumbenti & ab ipso
B Principe mundi *Noacho* olim delecta pendet. Nam licèt in Oriente res *Christianorum* per nostrorum Principum factiones sint accisæ, *Judæi* autem perpauci sint, iique ubivis exsulum instar agant, tamen Orbis *Ismaëlitarum* est in eorum locum substitutus à Divina Providentia, ut potiùs quàm periret Sacræ Divinationis memoria, *Ismaëlitæ* adulterinis doctrinis & sui Auctoris similibus Orbem in *Syriacæ* doctrinæ memoria continerent. Est itaque summa potentia mundi in eo, cujus nomine retinentur sacra contra omnes impugnationes mundi. Solus verò DEUS hoc potest, ut quò ma-
C gis oppugnatur, tantò magis prævaleat. Summa etiam sit sapientia necesse est, quæ universorum mundi Sapientum conatum superarit. Bonitas certè, quæ cæteras vincit palliatasque ostendit, sola summa est, & omnipotens. Quum autem CHRISTUS hoc fecerit, ut *Judæorum* Libri, qui inter paucos *Judæos* asservabantur, in totum Orbem ita transierint, ut in illorum verba sit juratum ubivis gentium, ut qui est potentior, sapientior, & melior in infinitum ipso *Mose*, sit omnipotens, omnisapiens, & optimus, omnibonus-ve necesse est. Quòd si *Mosis* dogmata, invitâ totius mundi potentiâ & sapientiâ, suas cæte-
D ris intercidentibus leges asservavit, quantus est? Quantus autem erit ille de quo suam edidit legislationem? CHRISTUS itaque est omnium legum & potentiarum mundi apex, cui tamen uni, quamvis invitus potentissimusque, tamen summoperè inservit *Ismaëlites*. Quum autem DEUS & Natura nîl faciant frustra, fieri non potest quin in ea Doctrina, quam invitis Sapientibus mundi DEUS solus Orbi suasit, habeat in se rationem summam, & quæ omnibus Sapientum rationibus sit superior. Sapientes mundi, imò hominum stultissimi, eò quòd viderent usque adeò natura
E duce insitam esse in animis humanis cognitionem DEI, ut qui de illo timendo, colendo, & amando verba facerent, communia & puerilia homineque indigna judicarent: & ideo ne viderentur simplicitati affines exhorruere de ipso mentionem ingerere, quod in *Aristotele* potissimùm videas, quumque de causis & per causas se docere deque summo bono eligendo & amando ubivis se dicere affirmet, ne semel quidem videas aut ipsum in DEI laudem prorupisse, aut suasisse ut illa causa causarum, per quam omnia sunt, eligatur amanda colendaque & maximè cognoscenda. Hoc enim illum puduisset. Sacra contrà: censent enim
F omnia sensibus objecta esse omnino DEO & causæ primæ ut æquum est posthabenda. Quid enim amentius videri posset, quàm ut amentur quædam expetenda, ut sunt scientiæ, opes, virtutes, valetudo, & cætera omnia, quæ inter expetenda reponuntur, causam autem ipsam & summi boni fontem, unde talia habent ut expetantur, negligere? Sapientiæ itaque principium & finis summaque ratio omnium rerum ita est, non solùm ut scias fatearisque esse causam mundo, sed ut ejus nomine, quæcumque illa sit, non solùm famam, valetudinem, & opes videlicet animi, corporis,

& media imprimis expetenda bona spernas ponasque lubenter, veluti ipsi Auctori gratias habiturus, sed ut loco famæ probra, pro valetudine dolores, pro opibus summam patiare paupertiem. Hæc autem sunt ponenda, non ut DEO qui non eget reddantur, aut ejus nomine patiamur, sed ut Reipublicæ aut cujusvis alterius hominis conservandi gratiâ, ad solius primæ causæ gloriam hoc facias. Hæc est lex æterna & sacrorum finis extremaque ratio, cujus causâ factus est mundus. Non satis itaque est virtutem propter virtutem, aut bonum propter seipsum appetere, sed est omnino opus ut omnia expetenda propter illam causam solummodo expetantur, quæ & illa expetenda fecit, & nobis animum verum expetendorum judicem dedit. Omnes doctrinæ mundi, quæ non sic docent, pereant necesse est, ut hactenus innumeræ periere. Quantùm verò sunt futuræ superstites, tantùm Divinationi primæ servire illas est necessarium, sicut Legum humanarum meliorem partem inservire *Christianæ* Reipublicæ videmus.

CAP. VII.

Quòd nulla unquam discussio gravior est in ullos Auctores habita quàm in eos qui Sacræ Divinationis Libros scripsere.

SUpersunt hodie duo *Judæorum* genera, *Samaritani*, & *Communes*, qui jam ante bis mille & quingentos annos tanto sunt erga se ipsos odio, ut omnino illorum pertinacia videatur irreconciliabilis. *Samaritani* tam pertinaciter diffidendo à moribus *Talmudistarum*, (sic enim *Communes* volunt vocari) ut post separatas decem Tribus ab imperio legitimo *Judæ* nunquam conversari in rebus sacris unà voluerint, ita ut post quinque *Mosis* Libros, nullos cæterorum, qui in *Judaïco* & *Christiano* Canone habentur, recipere voluerint, afferantque omnia sacra esse perversa apud *Communes*, faciunt maximam fidem, quòd *Mosis* Libri sint summa integritate apud nos & apud *Talmudistas*, quia omnino, ut ipsi apud eos probavimus, & illorum Exemplaria *Samaritano* depicta charactere sunt planè eadem cum *Hebraïcis*. Illa itaque discussio fidem summam facit. Quanto autem odio inter *Judæos* & *Christianos* sit ad hanc diem jam totis 1500. annis laboratum, notius est quàm ut dici debeat. In hoc autem vel maximè videtur, quòd quum sacrarum interpretationum & dogmatum in fidei articulis pridem positorum apud eos unà cum sacris haberentur, quæ necesse erat ad intelligendas Scripturas tunc apud illos, sicut nunc apud nos fuisse scripta, ob odium nominis *Judaïci*, ne nomine quidem ipso audire potuerint nostrates, tamen in ipsis Libris Sacris tanta videtur consensio inter nos & *Judæos*, ut nîl planè (nisi ob aliquot loca Interpretum aut Scribarum vitio mutata) differre videantur: non est itaque dubium summa discussione nostrorum factum esse, ut in unius aut alterius Auctoris vel Libri sacra verba & volumen juraretur: licèt itaque in sensu, tamen in ipsa legis littera nîl dissensionis superest. Sed quid non sunt passi impugnationum, quum innumeri huic doctrinæ affines exemplaria innumera corruperint. Unus *Julianus* Imperator disertissimus quàm acerbè potuit fieri contra sacra scripsit. *Celsus* argutissimus hoc ipsum fecit. *Porphyrius*, *Pythagoricus* an *Platonicus* melior non facilè dixerim, sed ut doctissimus, ita acerrimus nominis *Christiani* insectator, & Doctrinam & Libros summo cum favore totius impietatis mundi evertere conatus est; innumera suarum invectivarum volumina curarunt transscribi asservarique. Sed quid? tantò illustrior facta est ea Doctrina, quantò magis est concussa. Nulla verò fuit major discussio Doctrinæ & Auctorum, quàm quum innumeri omnium doctrinarum claritate celebres, ut testatum DEO & Orbi facerent, quanta in illis virtus lateat, clarissimi miraculis toti Orbi notis, fortunarum, vitæ, & famæ præsentis jacturam libentissimè fecere, unde moti multi in Philosophorum litteris instructissimi rectè judicabant, non posse hoc nisi per præstantissimum Doctrinæ genus fieri, & non nisi in optimis Viris consummari, ut omnino alacres ad mortem ultrò se potiùs offerrent, quàm vel latum unguem à sacrorum CHRISTI institutorum præscriptis recederent. Hîc est veritatis basis, tantum scit homo quantum operatur. Tantum pro ipsius datoris honore impendas oportet, & non coactus tantùm, ut in morte fit, sed ultrò quum adhuc uti posses, quantum ab ipso acceperis. Quòd si te velis maximè summo amatori DEO-ve probare, ut ejus verba serventur, opus est te animam ad infamiam, corpus ad dolores, & universam creaturam in tui ipsius afflictionem acceptare. Sic erat eorum erga DEUM animus, qui nobis hanc Doctrinam tradidere, ut homo, qui solus Naturæ ordines pervertit, ipsi toti luat Naturæ quod in eam admisit. Hæc est lex æterna, finis, & principium sacrorum, ut qualem velles tibi obnoxios subditos-ve rationem rerum erga te aut filios tuos inire, talem tu ipse erga DEUM universi parentem ineas. Eò nos ducunt vera sacra.

CAP. VIII.

Externa probatorum Auctorum testimonia pro sacrorum fide.

OMissis permultis illis Auctoribus, quos *Josephus* pro antiquitate, auctoritate, & fide sacrorum *Syrorum* & Populi DEI citat, unius solius rationem adferam. Ubi enim causas adfert cur tam pauci sacrorum meminerint, ait divinitus fuisse prohibitos omnium gentium Scriptores ne in sua Scripta transfunderent & sacra. Inducit verò *Theopompum* ejus rei testem. Quum enim in suas Historias vellet sacra *Hebræorum* transfundere, ipso ad transscribendum accincto statim divinitus lux oculorum illi est adempta, nec priùs est restituta quàm DEO *Hebræorum* promiserit se ejus sacra nunquam attrectaturum, ut cum reliquis Historiis profanaret. Divina Providentia id curavit, ne illa, quæ in prima veritatis ratione habenda voluit, litteris eorum admiscerentur, qui nîl fabulis non repleverunt. *Berosus* quidem ex *Babylonica* Historia sacris tàm gente quàm litteris proxima ostendit fuisse licitum *Chaldæis* quod non fuit *Græcis*: Diluvii enim Historia apud eos servabatur. Antiquitas *Judaïca* & Libri contra *Appionem* faciunt eorum Auctorum fidem; illuc remitto, ne actum agam. Similiter, permulta, quæ in Historia Ecclesiastica sunt, quum inde possint peti, illic relinquam petenda volentibus: nondum enim animadversa adferre visum est. Nullus locus magis CHRISTI Regis Regum magnitudinem explicat quàm qui est apud *Plutarchum* in libro, *Cur defecerint Oracula.* Ait enim, ut jampridem in Libro *de Orbis terræ Concordia* notavimus, temporibus *Tiberii Cæsaris* (quum CHRISTUS in cruce obiit) navem unam rectore nauclero-ve *Ægyptio* à *Græcia* versùs *Italiam* contendentem constitisse ad vesperam in littore *Epireo* non longè à *Strophadibus.* Quumque alii cœnam nondum complessent, alii autem jam cubitum irent, audita est in aëre vox sæpiùs inculcans *Tamuz*, *Tamuz*, *Tamuz.* Hoc

A Hoc erat proprium naucleri nomen, toti alioqui navi incognitum, ad quod quum respondit nauclerus, ea vox subjunxit in aëre, quum fueris juxta *Palodes*, (si rectè memini loci, nam nec *Plutarchus* hîc, nec nostrum Opus adest) clama toto conatu, ὅτι πᾶν Θεὸς ἀπέθανε, i. e. *Deus universitatis obiit*. Consultum est inter omnes de hac voce quid agendum esset, statutumque est, si navis in tranquillitate ibi cessaret, nauclerum hoc exclamaturum, sin autem misso phantasmatis præcepto ultrà transituros; statim ubi navis eò loci quò jusserat spiritus constitit, tranquillitas summa & ventus cessans fecit, ut jussa facere *Tamuz* cogeretur. B Ubi inclamavit, statim admirabilis ejulatus & vocum confusio audita est, & tanto fragore & motus in aëre effectus est, ut *Tiberius* eodem tempore audiverit *Pan* esse mortuum, & advocatis Philosophis, qui de vitâ & morte Deorum disceptarent, miserit etiam ad *Tamuzium* nauclerum hac de re accersendum *Romæ*, à qua tamen ab eo loco, ubi erat *Tamuz*, sunt plusquam octingenta passuum millia. Unde necesse est ut, quum audiverint illi spiritus de morte Imperatoris omnium spirituum, seu ad condemnationem, seu ad compassionem (nam cujus generis essent vix judicaretur) sint emoti, statim illud auditum *Romæ* exposuerint. C Quòd autem illi spiritus vocarent CHRISTUM πᾶν *pan*, id est, *universale*, hoc est usitatissimum in sacris. Ipsi Auctores sacrorum *Mosis*que auditores, quibus Auctoribus sacra probata sunt, ubicumque vox כל *col*, quæ *universale* sonat, est scripta, exposuerunt in sacris Doctrinis, ut in *Zohare* patet, *mediatricem & motricem universi potentiam*, per quam summus DEUS omnia moveret, eamque asserebant esse MESSIÆ mentem. Nam eò quòd DEUS est motor omnino immobilis & immotus, quique nullis novis aut affectus aut loci motibus posset moveri, natura autem est omnino per se immobilis, & cœlum etiam non D nisi per proprias intelligentias mobile, ut nisi adesset unus universitatis spiritus DEI vicarius, naturæ individuæ auctor, quem *Græci* πᾶν, *Hebræi* כל vocant, nîl planè posset moveri. Hic est Intellectus seu Mens & Spiritus generalis, de quo postea. Ait ibidem *Plutarchus* auctore quodam *Demetrio* relatum fuisse, eadem tempestate Dæmones, antea Populis ipsis aut propitii aut minimè damnosi, circa *Orcades* insulas ad fines *Juvernæ* & *Albionis* insularum ita sæviisse & aërem concussisse, ut nîl integri in agris, plantis, & ædificiis penè reliquerint. Sentiebant & illi suas ruinas, & ideo E illas suo more in suos cultores vindicabant. *Plinius*, cui uni odiosa fuit & ideo ferè ubivis proscissa & insectata Immortalitas & Divinitas, (nam Fato omnia, nîl Providentiæ, nisi coactissimus suique dissimilis tribuisse videtur) ambiguè admodum & cursim locum unum scriptum lib. VII. *Naturalis Hist.* tractavit, qui revera mihi videtur de alio non posse quàm de CHRISTO intelligi. In summo enim probro posuissent aliter quàm in dedecus de CHRISTO crucifixo DEO loqui: sic habet cap. 52. *Multa etiam vaticinia sunt edita ab illis aut de illis qui à sepultura revixere.* Hæc F est sententia, nam *Latinus Plinius* ad manum non est. Fieri non potest, quin ea vaticinia, quæ ipse *Plinius* pro vaticiniis habeat, publicè non exstarent. Quare de Libris *Sibyllinis*, qui frequentissimè CHRISTI, qui quadraginta annos ante *Plinii* tempora surrexerat, resurrectionem inculcant, eum intelligere judico, aut de ipsissimo CHRISTO fonte vaticiniorum, qui post resurrectionem ad quadraginta dies conversatus cum plusquam quingentis viris confirmavit suæ sacrosanctæ Prophetiæ veritatem. Quis verò non putet tunc exstitisse inter *Romanos* recentissimam memoriam facinorum *Pauli* & *Neronis*, cui uni (si quicquam priscis credimus Historiis) capite truncatus *Paulus* præsens adfuit, illique omnino dirum eventum quem sortitus est prædixit. Sed sit hæc conjectatio, eaque perlevis, suis rationibus carere non potest. Verumenimverò ad auctoritatem omni exceptione majorem est deveniendum. Non est dubium, quum Senatui *Romano* pro nostra Religione sint porrecti Libelli, Apologiæ, Libri-ve, in quibus ipsis sint producta testimonia aut *Ethnicorum* aut *Sibyllarum* tanquam ex ipsis Archivis & Capitolii Arce desumpta, quin omnino ita sint, uti sunt oblata. Preces enim opus est veritate niti, & multò maximè in ea causa, quæ fuit inter omnes quæ unquam fuere Mundi Potentiis odiosissima, & apud potentissimam Mundi dominationem contra gratiosissimos adversarios tractata. Meminit *Eusebius Cæsariensis* in *Præparationis Euangelicæ* Opere Versuum *Sibyllinorum* ex ipsis Capitolii Archivis desumptorum, in quorum capite, ut Rex ille, qui esset à toto Orbe adorandus, ut *Ciceronis* verbis utar, de quo illa scripta erant, ab ipso nomine agnosceretur, erat scriptum, Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, σταυρός, id est, *Jesus Christus*, *Dei filius*, *salvator*, *crux*. *Latinos* illos fecit *Augustinus* lib. XVIII. *de Civitate Dei*, cui Versioni demum nostrâ memoriâ *Ludovicus Vives Græca* reddidit. Eorumdem sententiæ meminit *Orosius*. Sed unde desumerentur, nullus majori fide unquam monstravit quàm *Lactantius*, qui ex ipso Capitolio capi apud Imperatorem *Romanum* affirmavit. *Cicero* autem quum *Sibyllinorum* Versuum meminit, ait in ipsorum Versuum capite esse *Acrostichida* Ἀκροστιχίδα, in qua Regis adorandi nomen esset expositum, & sic esse per Majores traditum, jam ab ipsa *Sibylla* Regem adorandum in ipso capite contineri. Licèt autem nemo potuisset hoc nomen legere antequam ipse appareret, nomenque suum ibi scriptum ederet JESUS CHRISTUS DEI Filius Servator, tamen *Romani* religionibus incitati, & putantes se demum ad summum venisse fœlicitatis quum Regem suum adorassent, voluerunt divinos honores *Augusto Cæsari* tribuere, quos à *Sibylla Tiburtina*, quam de hac re consulebat, admonitus recusavit, ut testis est *Suetonius*, licèt non adferat causas veras, sed in modestiam id referat Principis. *Orosius Romanis Romanè* scribens altiùs tradit. Ait enim *Sibyllam* non tantùm *Augustum* ab ea impietate deterruisse, sed, ut se jure id suadere & divinitus jussam se esse ostenderet, in ipso cœlo & clara luce Genii Angeli-ve ministerio ostendit formam nuper nati Regis adorandi in genitricis ulnis amplexam, quo viso tantum abfuit ut honores divinos sibi assumeret, ut consecrato illo loco, & nomine *Aræ Cœli* nuncupato vetuerit, ne quis illum etiam inter mancipia *Domini* nomine appellaret, sed *Augusti* solùm. Meminit spectri & arcus circa solem visi ab *Augusto Dion lib.* XLV. licèt tempore cum *Orosio* non quadret, uti nec causâ. Testis item *Suetonius*, qui etiam addit, adeò post id temporis *Domini* nomen exhorruisse, ut incogitantem Mimum, qui in ipso Theatro in hæc verba proru pisset, *En bonum Dominum*, ob ea verba verberibus contundi jusserit, quòd contra edictum fecisset. Sibi enim dici *Augustus* putabat. Illius sacrosanctæ *Acrostichidis* licèt obscuriùs, meminit tamen satis clarè *Dionysius Halicarnasseus* lib. *Rom. Hist.* IV. Ait enim Libros *Sibyllinos*, postquam conflagrassent in *Jovis Capitolini* Templo, fuisse à Legatis in *Græciam* ad eos recuperandos missis reparatos, diversos quidem à primis, sed tamen qui cum primis in *Acrostichide* convenirent. Quòd autem de hac *Acrostichide* intelligat patet: nam Libri illi à *Græcia* repetiti, ad tempus usque *Ciceronis*,

ronis, imò usque ad ipsius *Stiliconis Vandali*, qui illos comburi jussit, durarunt. Malè enim habebat impium & perfidum hominem, qui calamitatem in Orbem *Romanum*, imò in Universum excitavit, illic esse prænotatum, uti summam malorum caussam. Sed non est dubium alias caussas esse, quæ tantopere à *Domini* nomine *Augustum* deterrerent. *Suetonius* enim ait: Eo tempore *Romæ* percrebuisse famam, quòd ex *Judæorum* Gente nasceretur qui imperio Orbis terrarum potiretur. Quod de CHRISTI fama debere intelligi nemo dubitat. Hanc famam, antequam apud populares percrebresceret, non est dubium & Senatui & *Augusto* innotuisse. *Herodes* alienigena dono à *Romanis* acceperat *Judææ* regnum, ut *Cæsarem* recognosceret. Sategit primò apud Senatum ut sciretur de Gentis *Judaïcæ* pervicacia, & de illorum MESSIA, quem certissimè de sanguine regio generis *Davidici* nasciturum *Judæi* sperabant, unde, ut liceret regnum in pace continere, *Romanis* annuentibus, quotquot ex Principum aut Sacerdotum avito sanguine erant, curavit interfici, ut divinum in illis semen exstingueretur. Nam si usquam gentium tantum sanguinis eorum, qui imperata facere non detrectant, quivis Princeps, nedum Tyrannus fudisset, sub *Romano* Imperio, inultum scelus nunquam reliquissent *Romani*, maximè Legatis Populorum expostulantibus. Sed quia illa fama percrebuerat, ideo hæc illi dissimulante *Augusto* & Senatu licuere. Quum autem postquam triginta annos regnasset vidit advenisse à summis Orientis finibus Magos principes & rerum & astrorum peritissimos, qui tunc debere nasci in *Judæa* Regem adorandum *Judæorum* assererent, tunc demum misit *Romam* advenisse tempus, in quo natus ille Rex *Judæorum* possit deprehendi. Sed sic interim esse consulendum rebus sensit. Senatum *Augustum*que debere edicto curare, ut Orbis describatur, ad hoc ut dum ista fingitur descriptio, de qua alioqui alibi gentium non fit mentio, Tribus *Judaïcæ* in sua loca cogerentur, & ante cæteras omnes populares plebejique domus *Davidis*, ad quam rem ordinandam paulò minùs biennio opus fuit. Nam biennio antequam nasceretur CHRISTUS visa est in Oriente stella. Sic enim statuit perfidus Tyrannus, aut ab ipsis resciscam Magis quisnam inter tot pueros sit hic puer & Rex adorandus, aut eorum qui sunt à biennio nati nullus evadet, ne meus quidem, ut videar nomini *Romano* fidelis. Sic verò *Romæ* percrebuit estque sæpissimè allata illa fama de Rege Orbis terrarum, unde meritus *Augusti* timor. Inde autem tantum impietatis per Senatum & *Augustum Herodi* licuisse clarissimè videtur, quòd non tantùm non sunt ulti, ut ubivis gentium erant soliti, sed ipse *Augustus*, alioqui fons æquitatis, quum audisset (ait *Macrobius* in præclarè dictis aut factis *Augusti*) inter illos pueros, quos in *Bethlehem* occidisset *Herodes*, etiam proprium filium interemisse, ait ridens, *Malim esse Herodis porcus quàm filius*. Non solùm autem ut posset Rex *Judæorum* exstingui, hæc tam immania scelera *Herodi* licuere, sed posterioribus sæculis plusquàm ducentis ferè annis à Senatu *Romano* propositum est præmium illi, quisquis *Davidici* sanguinis hominem aut Senatui puniendum dederet aut occideret. Verùm testimonia excellentiæ *Christianæ* ex calumniis *Suetonii Tranquilli* & *Cornelii Taciti* peti possunt. Quum enim in hoc conveniant, quòd maleficii, id est, quorumdam operum supernaturalium, reos meritò esse puniendos *Christianos* asserant, fatentur majus cum *Christianis* fuisse Numen quàm cum tota falsi cultus potentia. Erat enim assiduè probatum illos tanta pollere virtute, ut precibus nutu-ve solo quum vellent & idola &

A templa fortissima comminuerent, Dæmonibus imperarent, mortuos suscitarent, silentium omnibus Oraculis solo nutu imponerent. Hæc sunt illa maleficia. Sic judicavit *Nero*. *Simo Samaritanus* hominum perditissimus ob præstigias DEUS sanctus creditur, & à *Nerone* statuâ donatur. Qui eo præsente mortuum suscitavit, *Simonem*que de suo impietatis cœlo deturbavit *Petrus*, quia *Christianus*, maleficus dicitur. At verò non sic sensit in *Romano* exercitu *M. Aurelius*, quum orationibus Legionis *Christianæ* impetrata est morienti & siti tantùm non enecato exercitui *Romano* pluvia copiosissima. Non sic judicavit *Junior Plinius*, ut B testis est ejus *Epistola*: innocentissimos enim hominum esse *Christianos* tunc temporis scripsit. Sed quid dicam de Regis adorandi potentia? etiam quando sui cessant ostendit se esse Orbis & Naturæ Imperator. *Julianus* Imperator apostates afflictis ubivis *Christianis* volebat in eorum dedecus inque *Judæorum* gratiam *Jerosolymis* instaurare Templum *Salomonico* simile. Scribit præter *Rufinum Ammianus Marcellinus* à nobis alienus. Constituit operis curatorem *Alypium* Quæstorem, cui *Syriæ* censum in operas constituit. Ventum est ad opus. Fundamenta vetusta effossa repurgataC que. Primarius lapis erat ponendus. Ecce repentè in sui Creatoris vindictam muta Natura armata est. Ad *Galilæi* (sic enim probri gratiâ CHRISTUS à *Juliano* vocabatur) in cœlo agentis nutum concussum est solum, æquataque sunt fundamenta solo, repentéque globus igneus terrâ erumpens quotquot invenit *Judæorum Ethnicorum*que evertit, occidit, ambussit. Erat autem incredibilis *Judæorum* ex toto Orbe tanquam ad novi MESSIÆ operas adjuvandas collecta multitudo Recutitorum. Qui superfuerunt cladi censuerunt, non fuisse rectè initiatum opus. Debuisse instar *Salomonis*, materiâ omnino paratâ, & saxis dedoD latis, & non antea, tanti operis jaci fundamenta. In eorum itum est sententiam. Alii ligna comparare, cædere, dedolare, polire, devehere; cæmenta alii contundere, comportare calcem; alii curare multò maxima saxa ingenti mole amoliri, cædere, parare. Ubi omnia reponerentur & expolirentur, maxima *Judæorum* pars ergasteria, in quibus artifices omnia ad libellam reducerentur, construxere, ubi erat maxima multitudo. Mirabile dictu! rursus ex mediis ergasteriis ingens se recollegit ignis globus, qui non solùm operibus insistentes enecavit, sed perreptatis totius urbis *Æliæ* vicis, foris, & plateis, quotquot invenit *JudæoE rum* aut occidit, aut ita signavit, ut nullus esset *Judæorum* superstitum cladi illi, quin in sua veste signatam gereret crucis imaginem colore rubro intinctam, quo miraculo illi ad CHRISTUM omnipotentem transivere, & inde inter *Christianos* irrepsit mos, ut sigillo rubro ubivis *Christianismi* notentur *Judæi*. Hæc habui quæ ab externis Auctoribus delibarem in ejus gratiam, cui omnia secunda debentur, quique auctor in nobis est ejus Scripturæ & sacræ Divinationis, in qua & rationis & fœlicitatis apex, auctor inquam omnipotens, omnium peritus & optimus motor, cujus vox noF bis est pro basi totius veritatis ponenda probandaque. Quum enim sit illa Mens generalis, de qua Philosophus dixit, Mens autem sola extrinsecus accedit, eaque sola est immortalis, (hoc enim modo omnes homines quovis modo mente & ratione superiori utentes sint ejus membra & partes) opus est ut quicquid veri in Mundo versatur, ab eo sit editum, sed ante omnia sacrorum Libri & eorum Conclusiones, quibus subserviant cæteræ Doctrinæ Mundi necesse est. Dilemmate autem isto velim omnes, qui de hac Doctrina ambigerent, rem concludere: Aut causâ providentiâque,

aut

aut ſorte fortuna-ve Mundus regitur. Si providentiâ, quin CHRISTI Doctrina ſit illi chariſſima, quæ univerſas abolevit, dubium non eſt. Hoc enim & *Iſmaëlitæ* debent CHRISTO quod ſunt. Nam ſi nôn erat ad ſemen CHRISTI procreatus & vocatus *Abraham*, non erat *Iſmaël*, nec ejus nomine nixum dogma. Sin autem fortunâ dicant, quin ſit ſorte præſtantiſſimâ ille, qui in ſe & ſuis per probra gloriam potentiamque, per dolores & corporum afflictiones ſumma Mundi imperia, luxum, robur, per paupertatem ſummas opes, adeò ut CHRISTI Magiſtratus ſacer toti imperitet Orbi, omnino ſubegerit, dubium non eſt. Quare me imprimis huic ſorti, quæ omnipotens eſt, affinem eſſe velim. De anima eodem modo ſapientiſſimè cenſuit concludendum *Cicero* ex *Platone*. Aut immortalis eſt, aut mortalis. Si primum, ſanctiſſimum eſt ſecundùm virtutem vivere, ob præmium. Si ſecundum, quod etſi credere vellem, ſcire tamen nullo modo hîc poſſum: illic autem, ubi non eſt reſipiſcentiæ locus, dubium reliquiſſe ſtultiſſimum eſt. Secura itaque pars, quæ eſt immortalis fœlicitatis cauſâ benefeciſſe, amplectenda eſt. Si enim æternam non habuero, ſaltem temporaria non defuerit, & certus ſemper fuero.

CAP. IX.

Quæ res ſit tractatu digniſſima in cauſis & originibus.

REvera ſcire eſt prima præſtantiſſimaque per cauſam cognoſcere. Uſu verò & ratione melioriſque hæreſeos Philoſophorum ſententiâ comparatum conſtitutumque hoc eſſe videmus, ut de ſummis rebus & tàm à noſtro ſeculo quàm ab hoc loco inferiori remotiſſimis ſit apud eos, qui prudentiâ ingenioque valent, dulcius aliquid delibaſſe, quàm vulgaria iſta & in communi uſu poſita abſolutè cognoviſſe. Quum itaque hoc naturæ templum, individuis à forma materiaque in ſuum compoſitum ductis natum, in Reipublicæ conſtitutione ita ſit deductum, (in quo mihi de genere humano agere tantùm decretum eſt) ut ſemper fuerit pars una retinendorum in officio Populorum in Religione poſita, altera autem in legibus & corporali vinculo conſtituta. Eſt enim opus ut compoſita retineant ſimplicium ſuorum naturas, Religio ubivis gentium eſt inſtar formæ, civiles conſtitutiones & ab uſu Religionis ſemotæ ſunt in materiæ aut corporis loco habendæ. Nîl itaque præſtantius poteſt tractari ſcirique, quàm ut altiſſimè origines conſtitutioneſque rerum divinarum & humanarum ſic tractemus, ut non tantùm res ipſas clariſſimè demonſtremus, ſed ut & cauſas ipſas ab ipſa rerum origine attingamus. Quum autem omnia quæ ſunt in Orbe inferiori ſuas habeant origines, & à cœli excitentur diſpoſitione, in tanta locorum circa univerſum terrarum Orbem multitudine eſt ita delectus habendus, ut primùm ea quæ ſunt nobiliora tradamus. Ideo in conſiderationibus rerum, quæ in Oriente contigere, opere ad Religionis verioris origines altiſſimè repetendas inſtituto, in media ipſa *Syria* cœlo ipſo freti docuimus potiſſimùm eos effectus, aut ἀποτελέσματα, ut vocant, quos prima cœli facies in Arietis ſigno peperit Orbi. Eſt enim conſenſu omnium Gentium & potiſſimùm Religionis veræ placitis ita ſtatutum, ut licèt in circulo cœli nîl ſit primum, tamen Arietis ſignum, aut verni temporis origo ſit prima & propter ordinem nobiliſſima primi mobilis pars. Quum autem in *Indorum*, Magorum *Chaldæorum*, & *Arabum*, *Græcorum*que, qui in hoc ſtudio egregiè verſati ſunt, doctrinis ſit receptum, nullas in toto ſignorum

A orbe, aut mole ipſa, aut virtute vehementiora eſſe aſtra iis, quæ in Leonis ſigno habentur, ea de re putavi eſſe mihi ſecundum precium operæ, ut de *Eturia*, ſive *Ethruria*, ad occiduam *Tiberis* partem conſtituta, Regione agam, ejuſque origines altiſſimè repetam.

CAP. X.

Qua ratione poſt tam multos Scriptores, qui in hoc verſati ſunt argumento, hæc nunc Tractatio ſit ſuſcepta?

B MUltos quidem certè eſſe & in hoc & in pleriſque aliis argumentis originum verſatos conſtat, de quibus ipſis dicere eſſet alterum opus. At verò nullus etiam illorum, qui nuper in hoc argumento verſati ſunt, inter quos facilè primas obtinet *Petrus-Franciſcus Giambullarius*, Academiæ *Florentinæ* Alumnus ſingularis, & trium Linguarum ad ſuam *Ethruſcam* acceſſione illuſtris, mihi negabit, tantum ad id argumenti deeſſe, ut præterquam quòd nullus adhuc de priſca *Eturiorum* ratione Religionis, multò minùs de Republica tractavit, nullus ſatis altè originum rationes & C cauſas antecedentes cum ſuo tradidit veriloquio, finales autem, in quibus omnia ſunt poſita, ne per ſomnium quidem cogitarunt. Nîl verò mirandum eſt. Quum enim in rebus vulgatiſſimis & in ipſa experientia poſitis in tanta Naturæ obſcuritate adhuc verſentur homines, ut licèt res medica, quam in exemplo hîc ponam, jam ab *Hippocratis* uſque temporibus ſit aſſiduè in omnium Gentium Litteris elucidata totis duorum millium annorum curriculis, tamen nullus eſt qui revera ad unius individui temperamentum dignoſcendum poſſit pertigiſſe. Quantò autem difficilius putamus ipſa variarum Gentium, Rerumpublicarum, Regno- D rum-ve inſtituta, mores, origines, ſucceſſuſque eatenus tradidiſſe, quatenus ſunt à Divinæ Providentiæ, Geniorum cœleſtium diſpoſitionum ratione conſtituta? Ferè enim omnia priùs evanuere quàm ad inquiſitionis ſuæ rationes etiam medio in uſu Litterarum pervenire potuerint. At verò ubi Litterarum aut rara aut nulla publicè exſtabant monumenta, res autem ſunt antiquiſſimæ, ita ut vix noſtrâ memoriâ incœperint demum poſt quatuor annorum millia ex priſcarum Hiſtoriarum fragmentis repeti, & è mediis *Græcæ* vanitatis fabulis tanquam aurum ex ſtercore deligi, nemini E dubium eſſe poteſt, quin, antequam poſſint omnino priſtinæ veritati reddi, ſit opus multiplici admodum inquiſitione. Quum enim hæc res ſit imprimis mortalibus cognitu neceſſaria, ut ſciant altiſſimâ origine repetere tàm à quibus ſint primâ Religione imbuti, quàm à quibus procreatum ſit illorum genus, (impoſſibile enim eſt Divinæ Providentiæ ullas aſſignare rationes, quoque modo rerum humanarum curam habeat, niſi qua cauſa, quo-ve ortu & modo res ſint natæ, conſtitutæ, ſervatæ, & in ſuos eventus jure conductæ, cujus unius cognitionis gratiâ Mundus iſte conditus eſt) opus eſt ante omnia ſatagere, ut quæ deſunt, F rerum priſcarum cognitionibus inſtaurentur. Innumeri penè Scriptores tàm ſacris perſuaſionibus addicti quàm rationibus humanis freti curaverunt & falſarum & veræ Religionis tradere origines, Populorumque variorum & parentes & inſtitutores poſteris manifeſtare. At quum nullus adhuc pro dignitate (ut probare in hoc Opere ſtatutum mihi eſt) primam rerum humanarum conſtitutionem ſit proſecutus, poſt tantam Scriptorum multitudinem, tantæ rei colophonem imponere viſum,

Cap. XI.

Quòd primus locus ſacer totius Europæ ſit ſtatim ad primam Tranſtiberinæ Regionis partem Romæ conſtitutus, idque ab omnium hominum Parente Saturno priſco.

QUum ſit prima regnorum & provinciarum baſis in uno loco defigenda tàm ob cultus divini quàm ob rerum civilium rationes, licèt de *Eturia* tota ſit nobis agendum, tamen neceſſe eſt primò illius conſtituere regiam. Patebat itaque tota *Eturia* ab ipſo *Tiberi* ad meridianum *Piſæ*, & à montibus ad mare *Thuſcium*, multis olim dives urbibus. Licèt itaque varia ſit inter ejus Regionis finium Tractatores opinio, & ipſa provincia ſit ſubjecta *Jovi* & *Sagittario*, tamen baſis ipſa apud Priſcos erat conſtituta in *Antipoli* ad *Janiculum* montem ſub ipſo Leonis ſigno. Ideo *Græci*, eò quòd nomen myſterioſum Urbis *Leoninæ* erat abſconditum, ipſo vocabulo ſacro deſtituti, quum cœpere ſuis litteris obtenebrare res Priſcorum & ſuas opiniones veritati ſupponere, vocarunt eam Urbem *Antipolim*, cujus Genius erat inſtar omnium Geniorum Mundi. Nec eſt putandum, quòd ideo ſit dicta *Antipolis*, quòd eſſet oppoſita & adverſa *Saturniæ*, quæ ultra *Tiberim* eſt è regione ejus ſita. Nam ipſius *Jani*, qui & *Noachus* & *Ogyges* eſt, conſenſu & nomen & locus fuit conceſſus illis *Saturnitis*, qui ultra *Tiberim* erant. Unde nec ullo modo *Græci* inficere ſategerunt nomen *Saturniæ*, quod eſt abſolutè *Hebraïcum*, & à prima Lingua Mundi deductum, eò quòd corrupta pars *Romæ* ſemper ibi fuit. Nomine itaque ſacrato אריאל *Arielis* erat conſecrata ipſa regia *Tuſciæ*, & primi influxus Mundi, ut Sacroſancta *Moſeos* Auditorum Schola docet, ubi explicat imprecationes contra *Ariel*, *Ariel* inquam, Civitatem aſſiduè à *David* obſeſſam. Sicut enim in Litteris humanioribus ubivis eſt probatum & receptum, quòd ſingula regna, imperia, loca, provinciæ, civitates erant ſuis Geniis, quos Angelos vocamus, conſecrata, ita ut priusquam bellum ſuſciperetur primùm tutelares illos Deos evocare & veluti ſacris expugnare contenderent, ut ad ſe transeundo à ſuis deficere vellent, ſicut etiam in ſacris teſte *Daniele* de Angelico bello legitur, ſic etiam non eſt dubium aſſiduâ contentione & ſacris ante DEUM precibus Prophetas omnium rerum & imprimis ſubſtantiarum ſeparatarum & virtutum cœli peritiſſimos ſategiſſe contendiſſeque, ut Genius *Jeroſolymitanus*, qui primus in ordine eſt mentium & intelligentiarum ſuperiorum moventium ut in finem, Genium ſibi in *Roma* oppoſitum devinceret poſſet. Ideo quum CHRISTUS alioqui totius Mundi Dominus proprietarius in propria, maximè propria, id eſt, in *Judæam* & *Jeroſolyma*, veniſſet ad hoc ut reciperetur à ſuis, ibi reprobatus non potuit meliùs in ſua ſacroſancta auctoritate conſervari quàm ubi *David* ſeu continuus Eccleſiæ Spiritus oppugnaverat *Ariel*. Hac de re ſacroſanctus ille *Saturnus*, *Noachus*, per quem totus Mundus renaſcentiam accepit, quum eſſet & Sapientibus omnibus & Vatibus Prophetis-ve omnibus, qui, præter unum CHRISTUM, fuere, doctior, ſategit ſtatim ab *Eturia* ſeu *Aturia*, quæ in finibus *Armeniæ* eſt & *Aſſyria* dicitur, venire in centrum loci ab *Ariele* conſervati, in quo eſt baſis regni temporalis Mundi, ſicut *Jeroſolymis* eſt ſedes pontificia. Quum toti præſcripſiſſet Orbi de vero ſuorum Geniorum cultu in unius DEI laudem ſemper convertendo, & maximè *Razi-Hinuis* Sacrificibus, totius juventutis inſtitutoribus, ſuam *Etu-*

A *riam Aſſyriam*-ve occiduam, cùm alibi tùm potiſſimùm in *Antipoli*, in *Saturniæ* autem *Veſtalibus* partem ſiniſtram & fœmineam ornaſſet, voluit locum facere totius Mundi ſacratiſſimum in *Janiculo*, & à re ipſa שהאק depoſitionis urnæ *Saturni* ſancti nomen relinquere poſteris celeberrimum. Quum enim hoc ſit à natura inſtitutum, ut parentum exuviæ ſint nobis ſacroſanctæ, maximè verò ſi miraculis clari commercia cum DEO aut Divis Geniis-ve habuiſſe viſi ſunt, inter Sanctos reponi ſolent, quod de Martyrum ſanctorum loculis ubivis gentium eſt demonſtratiſſimum. Hic ſacroſanctus *Ogyges*, B placentarum-ve aut panificii auctor ſicut & vinificii, unde *Jani* nomen meruit, tanquam auctor & miniſter primorum elementorum vitæ humanæ, tanquam alter Creator (ſi licet dicere) omnium animantium, quæ conſervavit à Diluvii imbribus, tanquam Univerſi Parens, & in ſumma tanquam hominum ſapientiſſimus ſanctiſſimusque, meruit, ut urnæ ejus loculi eſſent ſacroſanctiſſimi, ut certiſſimè fuerunt, donec *Græca* nugacitas *Arcadicum* pecus ſuum ad origines *Italiæ* dimiſit, aut, ut verè loquar, falſis memoriis miſſum fuiſſe eſt mentita. Tunc enim ſenſim eſt obliterata & loci ſacri religio & veri DEI cognitio, ita ut ad C hanc diem vix à *Græca* fabuloſitate ad veritatis imaginem repedare licuerit. Hac de re *Numa* voluit ad pedes *Janiculi* montis inſtaurare religionem. Sed donec *Petrus* inverſa in eum montem Cruce ibi vitam cum ſanguine fudit, ibi inſtaurari non potuit: & ab eo tempore ſolis mutis myſteriis ſine ulla cauſarum cognitione inſtauratum locum ſacrum recognoſcimus.

Cap. XII.

De ratione etymi Eturiæ & Tuſciæ.

D MEritò & *Platoni* & *Stoïcis* prima ratio veri inquirenda videbatur ex etymo. Quum enim ad hoc ut de veritate & rerum cognitione informemur, uſum verborum inter res ipſas & intellectum noſtrum DEUS Naturaque voluerit ita intercurrere, ut ſine verbo nîl planè rerum cognoſcamus, conſtat, ut inter varia verba & ſynonyma ſunt quædam, quæ rei naturas ab ipſa etymologia magis exprimunt, ſic inter omnes Linguas Mundi opus eſt eſſe unam primariam rerumque veritati proximam, in qua ante omnes vocabulorum eluceſcat veritas. Volo autem mihi ex ſola E auctoritate illorum qui hoc aſſeverarunt concedi, quòd ſit ipſa *Hebraica*, & quæ illi ſunt proximæ, ut eſt *Arabica*, *Chaldaïcæ* duæ, *Syriaca*, *Maronitica*-ve, & *Ethiopica*, donec aut ex Opere noſtro *de Originibus* rationibus pateat, aut ſi ſe occaſio obtulerit poſtea confirmare poſſim. Tam inſigni enim auctoritate & doctrina Viri hoc aſſeruerunt, ut pudeat eorum auctoritati refragari. Dico itaque *Eturiæ*, & non *Etruriæ*, debere dici vocabulum, *Aſſyriam*que ſic in Lingua *Chaldaïca* dici. Quum enim *Armenia* & *Aſſyria* provinciæ ad ſeptentrionales *Meſopotamiæ* par- F tes conſtitutæ ſint primæ illæ, quas humanum genus à Diluvio ereptum inhabitarit, *Aſſyrii* meritò, ad quos etiam *Syros* & *Chaldæos* pertinere traditum eſt, ubi fixiſſent & genus & nomen, poſtquam duce Parente univerſitatis *Noacho Jano*-ve in *Italiam* devenere, patriæ detulere nomen. Hinc memoriis humanitatis ad tempus uſque *Plinii* conſervatum erat, primos hominum fuiſſe hos *Aſſyrios*, apud quos tam antiquæ erant diſciplinæ & navigandi ante cæteros homines uſus, ut æternus videretur. Quum itaque totius Tractationis decurſu

ſu ſtatuerimus hoc probare poſteris, quòd Diluvio ſuperſtites in *Mediæ*, *Armeniæ*, & *Aſſyriæ*, *Chaldææ*que finibus primùm expoſiti, ſint in *Italiam* ante omnes homines devoluti, ut qui nauticam in Diluvio didicerant, ſatis facilè probavero, quòd corrupta vox *Etruriæ* & *Etruſcorum* ſit ab *Aturim* ſeu *Eturim*, id eſt, *Aſſyriis*, deducta: fuit enim olim liber uſus vocalium, ut in *Græcorum* Linguis & in uſu lectionis *Arabicæ Chaldaïcæ*que & *Æthiopicæ* etiamnum videtur. Quum autem hi *Aſſyrii* & aurei ſeculi Duces præſtantiſſimâ fuerint inſtitutione Religionis, in qua una eſt Reipublicæ, univerſitatis ſalus, *Eturorum* ſeu *Eturiorum* provincia dicta eſt *Tuſcia*, quaſi ſalutis fons: ſic enim vox תושיה in Lingua Sancta ſonat. Hinc *Cicero* lib. II. *de Natura Deorum* §. 67. tradidit ex antiquæ Religionis placitis, *Janum* illum, de quo agimus, quemque ad *Latinæ* etymologiæ, *eundi* videlicet, rationem trahere conatur, ignarus Linguæ Sanctæ homo, illum inquam *Janum* principem fuiſſe in ſacrificando, quòd videlicet fuiſſet primus *Tuſciæ* auctor inſtituendo ſacra in ea provincia, & demum vitâ functus & in ſuam ἀποθέωσιν relatus primus eſſet cui ſacrificaretur. Nam præterquam quòd præcipuum templum illi ad *Argiletum* poſitum erat à *Numa*, nulla erat in tota Urbe regio, imò ne inſula quidem, in qua non eſſet prima *Jani* ædes, ut videre licet in *Vibio Sequeſtri* & cæteris qui *Romam* florentem viderunt & ſcripſerunt. Ab *Eturim* itaque ſive *Aturim* ſenſim *Etruri*, & demum ab utroque vocabulo & gentis & ritus *Ethruſci* quaſi *Eturituſci* invaleſcente corruptione dicti ſunt. *Græci*, alioqui in cæteris Orbis vocabulis externis litteris contenti ad exprimenda propria rerum vocabula, pro *Eturiis Turrhenos*, aut *Tyrrhenos*, *Thyrſenos*-ve dixere. Et revera, niſi periiſſet in toto Orbe ob non ſatis prudentem Religionis zelum ampliſſima memoria Antiquitatis, poſſemus hodie videre clariſſimè, cur ambitioſiſſima Gens *Græca* voluerit aut delere aut pervertere *Italiæ* & ante omnes *Tuſciæ* monumenta: nam à Majoribus in ipſius *Noachi* doctrinis tàm ſacris quàm aſtronomicis erat obſervatum, quòd prima cœli Geniorumque fœlicitas in eo loco erat. Unde crebræ in eas provincias *Græcorum* incurſiones, adventus coloniæ. Hinc *Trojanæ* reliquiæ illuc à bono Genio devolutæ.

C A P. XIII.

De Jani Ogygiſque & cæteris Noachi vocabulis, à Linguæ Sanctæ uſu deductis, nec ſatis cognitis.

ANtequam *Syriæ* partes inviſerem, memini me Commentatiunculam de *Noachi* nominibus, & de ea fide, quæ Fragmentis *Beroſi* haberi debeat, noſtro *Giambullario*, magis excitandi quàm tantâ eruditione Virum docendi gratiâ, hoc enim eſſet *ſus Minervam*, ſcripſiſſe, in qua Tractatione puto me de iſtis ſatis amplè egiſſe nominibus: nam, ut verum fatear, pudet ineptiarum multarum, quæ aut à *Judæis* quibusdam ſunt habitæ inſtar etymologiarum, aut *Hieronymo* ſunt falsò inſcriptæ, aut, quod faciliùs credo, ſunt ſponte ſub alieno nomine confictæ. Sed ſatis ſit verum affirmaſſe. Falſum enim ſponte ruit. Nomina quidem religioſa ſunt, ipſi *Noacho* & ejus uxori *Naomæ* impoſita ob memoriam beneficii in poſteros collati, penè innumera, de quibus, quum agam de Religione, opportuniùs dicam. Quum enim formæ de potentia materiæ educantur, priùs mihi eſt de his materialibus agendum, quàm ad Religionis rationes veniam. Quum poſteritas nullum majus à ſuis beneficium retulerit quàm quòd, ut vitam ab illis

A receptam conſervaret, vitæ humanæ adminicula prima receperit, ipſi univerſorum Parenti duo vocabula, ut ſuprà dixi, à panificii vinificiique uſu ſunt indita. *Ogy* enim & *Ogys* ab עוג eſt dictus, quòd primus ex farre placentas conficere docuerit. *Græci* pro *Ogy* aut *Ogyte Ogygem* finxerunt, ut poſſent liberiùs ementitis diluviis nomen ſancti Viri præficere & tàm Sacræ Hiſtoriæ quàm *Eturiæ* Traditioni fidem elevare. Fuiſſe autem *Noacho* nomen *Ogy* vel *Og* (nam ut *Græca* prolixitati, ſic Sancta brevitati ſtudet) apud ſanctos Patres *Moſis* auditores hinc patet, quòd ajunt *Ogum* Gigantem fuiſſe Diluvio ſuperſtitem, & unà cum *Abrahamo*
B ad cædem Regum ituro fuiſſe congreſſum. Quâ parabolâ volunt tres veritates unà exprimere. Prima, quòd *Noachus*, qui revera ſolus tanquam Dux debet dici Diluvio ſuperſtes, *Ogy* nomen habuerit. Secunda, quòd id nominis poſteris & domui *Semi*, qui & *Melchiſedec*, reliquerit, ut in Pontificatu jus primogenituræ exerceret. Tertia, quòd ille ipſe *Sem*, qui & *Ogytes* erat, & uſum panis vinique magis ſacris quàm profanis epulis aptabat, cum *Abrahamo* fuerit converſatus. Quòd autem ea *Ogytarum* familia & primogenitura in *Syria* ad buſta *Adami*, ubi erat primus locus ſacer Mundi, habitaret etiam diutiſſimè poſt *Abra-*
C *hami* tempora, *Moſes* teſtatur. Licèt enim perditiſſima bonorum poſteritas inter *Ogytas* eſſet, quum juberetur omnes qui Populo DEI obſiſterent exterminare & ferro facere viam, præſenti DEI auxilio fretus ſecuriſſimusque, tamen infremuit ab *Ogytis* trans *Jordanem* habitantibus, timens eò quòd de jure primogenituræ eorum agebatur. Opus enim erat reprobari ſacram *Noachitarum* primogenituram, quæ in *Ogytis* depravatis jus ſuum perdiderat, ut *Abrahamica* illi ſubſtitueretur. Tamen impii ſunt tantò ſeveriùs exterminandi, quantò à meliori degenerarunt principio.
D *Moſes* porrò paucis admodum, ut ſolet, & agriculturæ & viticulturæ originem adſcribit *Noacho*: ait enim *Geneſ.* IX. 20. *Incœpit Noach colere terram, & plantare vitem.* Nomen ab ipſo pane & vino impoſitum eſt; à vino, quod יין dicitur, vocatus eſt *Janus*; qua voce licèt olim priſci *Græci* ſint uſi unà cum *Latinis*, tamen ut οἶνον *œnon* à *jain* aut *vain* mutuati ſunt, ſic loco *Jani* vocarunt *Oenotrium*, utque ſibi nomen affingerent, illum, qui ſapientiſſimus fuerat hominum & *Aſſyrius*, fecere ſtultiſſimæ inter omnes *Græcos* Nationis, *Arcadicæ* videlicet, Ducem in *Italiam*. In vetuſto illo *Mediceæ* & *Tuſcicæ* Bibliothecæ Exemplari & nullis
E opibus æſtimabili, quod de *Athenæo* vetuſto Scriptore habetur *Florentiæ*, patet, & *Janum* olim uſitatum fuiſſe *Græcis* vocabulum, & ipſum nomen de ſua ſepultura impoſuiſſe monti *Janiculo*; quâ veritate ad priſcas origines affirmandas neceſſariâ nulla poteſt eſſe major: nam qui ejus auctoritatem in hac re imminuere aut fidem elevare volet, illi profectò etiam ſuorum Majorum fuerit neganda proſapia. Sed ut hæc auctoritas ſit magis confirmata, eſt *Umbriæ* ipſi *Eturiæ* connexæ origo ſubjungenda.

F

C A P. XIV.

De Umbriæ origine & vocabulo.

QUum hodie ſacra apud multos admodum, qui vanis Philoſophorum opinionibus addicti quæcumque illorum palato non ſatisfaciunt ſubſannare ſoleant, ſint aut in nullo aut in fabularum precio, ita ut nîl planè probatum velint niſi ex media Auctorum humanitatis claſſe id probes, licèt hodie toti terrarum Orbi ſit ita perſuaſa generalis Diluvii Hiſtoria, ut præter hos impios ho-

mines nullus ſit qui improbet, tamen & illis etiam de tanti momenti Hiſtoria ſatisfacere ex claſſicis Auctoribus volo, ut, quod hodie triplex probat Natio *Judæorum*, *Iſmaëlitarum*, & *Chriſtianorum* unà cum *Indis*, *Abrahmanibus*, & *Magis*, qui cùm in Religionis placitis alioqui maximè diſſentiant, tamen in hac una Diluvii generalis Hiſtoria recipienda conſentiunt, etiam penè à DEO ipſo alieni Auctores fateantur. *Plinius* certè nullum credidit eſſe DEUM, multò minùs aliquid immortalitatis intellectuum. *Horatius*, inſigni vir ingenio, magis *Epicuro* quàm cuivis Sectæ ſubſcripſit. Non dubito quin maleferiatis iſtis hominibus non faciant hujus opinionis Auctores fidem, quàm Prophetis & divinis hominibus, majorem. Sed ut perditiſſimi ſimilium ſibi hominum judicium non refugiant, ab impiorum ſententia impiis ſcribam. Itaque ut *Umbriæ* originem ex *Plinio* tradam, etiam fidem Diluvii facere neceſſe eſt. Sic igitur ait: *Umbri creduntur antiquiſſimi totius Italiæ Populi; ſic à Græcis nuncupati, quòd pluviis Diluvii, quas Græci* ὄμβρους ombrous *dicunt, fuere ſuperſtites.* Quale autem eſſet hoc Diluvium, unà cum innumeris Auctoribus *Horatius* in *Carm.* teſtatur, dum ait lib. 1. od. 11. ℣. 4.

Terruit gentes, grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ nova monſtra queſtæ.
Omne quum Proteus pecus egit altos
Viſere montes: &c.

Quod debeat intelligi de generali Diluvio in utroque Auctore, nec ad ullum quatuor particularium debeat referri, ſatis conſtat, quum ſupra memorias diluviorum particularium fuerint in *Italia Eturituſci*, *Umbri*, & *Aborigines*. Porrò ut *Græcæ* fabuloſitatis etiam rationem reddamus, genus humanum ſub *Pyrrha* & *Deucalione* non fuit reparandum lapidibus à tergo tractis, niſi in Diluvio univerſali ſub *Pyrrha* abſumptum omnino fuiſſet humanum genus. Omnes enim ſaxeo invenimur eſſe corde & immiti immanique crudelitate. Acceptâ itaque à ſacrorum uſu parabolâ, quòd impii perfidique homines ſint corde lapideo, quod Divina Providentia ſe emollituram & in carneum converſuram affirmat in ſacris, mentiti ſunt *Græci*, ut aurei ſeculi famam à Gente *Eturiæ* decerperent. Et ſic volunt non immeritò, ut impium & perfidum genus hominum lapideorum à ſua *Pyrrha* & à ſuo *Theſſalico* Diluvio incœperit. Itaque etſi, quoties ſuas litteras, fabulas, & opiniones Mundo obtulit, omnia perdidit, tamen in ſuis fabulis priſcæ veritatis veſtigia nobis ſervavit. Quum enim ex multa ſervandarum rerum & memoriarum diligentia Antiqui magis memoriis quàm libris freti fecerint, ut ferè totius Antiquitatis veſtigia perierint, nam pauciſſimi erant libri, ut res eſſet auguſtior, & paucis communes iisque Sacerdotibus tantùm, Divina Providentia fecit, ut in ſtercore fabularum veritatis aurum deliteſceret. Nec enim (ut præclarè ait *Ariſtoteles*) eſt ulla fabula, quæ ex aliqua veritate olim ortum non duxerit. Poſitio veritatis ex *Plinii* hiſtoria & *Græcorum* fabula oritur. Quòd fuit aliquando Diluvium generale, in quo præter paucos ſuperſtites totum genus humanum & animantium fuit conſumptum, ita ut fuerit neceſſe totum genus hominum ab uno *Deucalione* & ab una *Pyrrha* reparari, & tandem ab ea familia eorum qui liberati ſunt à Diluvio venere in *Italiam* ejuſmodi homines, qui in nominis ſui ratione memoriam Diluvii conſervarent æternam, ſunt *Ombri*, vel *Umbri*, quaſi *Umbrii*. Hoc autem nomen eſt à *Græcis* loco *Hebraïci* & veri ſuppoſitum: גל *Gal* enim, ut notavere qui de hac re jam amplè ſcripſerunt, *fluctum* ſignificat, & *aquarum copiam*. Unde *Ombrii* ſeu *Umbrii* olim vocabantur *Gallum* vel *Gallim*, *impluviati*, quos poſteritas vocavit *Gallos*. Adaptatâ verò generalis Diluvii Hiſtoriâ ſuo aut *Attico* aut *Theſſalico*, etiam nomina priſca ex interpretationis ratione jam perverſa transſumpſere. Nam *Janum* ipſum *Bifrontem* aliò; ſed *Hebræo* vocabulo nuncuparunt *Ducalin*, ſive *Deucalian*, aut *Deucalion*, quod *duas voces* ſonat. Fuit enim *Janus* primus ille qui ita inſtituit Orbem, ut duæ ſemper Linguæ & Traditiones in Rebuspublicis eſſent. Solos enim Miniſtros, & qui per manus ſacra acceperant, oportebat de Numine agere, & tam ſanctè conſervare, ne unquam in vulgus nomen illud Angeli cuſtodis, unde loci nomen, efflueret, quod à *Mecubalim* Sapientibus *Hebræorum* fuit ſanctiſſimè ſervatum. Alia Lingua erat uſui Reipublicæ communis. Inde *Ducalionis* nomen. *Veſtam* autem, quam ſacri Interpretes *Naomah* Univerſi Matrem, quæ igneam virtutem notabat, unde nomen: nam in prima Lingua אש & אשתא *Es* & *Eſta ignem* notat, ut inter alios multos *Cicero* notavit. *Græci* vocarunt *Pyrrham* ἀπὸ τοῦ πυρὸς, ſeu *ab ipſo igne*, hoc eſt, à priſcâ *Hebræorum* ſapientia. Nam ajunt in ſuis myſteriis fœminam generalem ſeu naturam fœmineam expiari debere per vaccam pyrrham ſeu ruffam igneam aut ſubrubram, eò quòd naturæ humanæ infirmitas, ab ipſo matrum utero, ubi primùm ſanguis efficitur, contrahitur. Ideo donec illa natura repararetur, erat ſanguine ſacrato pro ſanguine maculato litandum. Hæc autem omnia myſteria acceperant à Prophetis *Orphici*, *Pythagorici*, *Mythici*, quæ poſtea ſuis fabulis conſpurcarunt Poëtæ.

CAP. XV.

Quomodo poſſint eſſe primi habitatores Italiæ Umbri, & Eturi, & Aborigines.

QUum in uno genere non niſi unum poſſit eſſe primum, poterit in quæſtionem verti, qui fieri poſſit ut Populi *Italiæ* primi habitatores ſint plures unis: facilè reſpondero, quum de ratione nominis *Italiæ* dixero. Quòd enim hactenus prima nobiliſſima Mundi regio quaſi *Vitalia* aut *Vitulia* à vitulis dicta ſit, in qua omnium opum & gloriarum Mundi acervus fuit & eſt futurus, hoc verò parùm probare poſſum. Jam ſuprà docui omnia terreſtria à Geniorum Angelorum-ve & cœleſti diſpenſatione eſſe conſtituta, & ea de re *Noachum* inſtituiſſe, ut in toto terrarum Orbe ſacra ſummo DEO fierent, & Angelis ſingulorum locorum cuſtodibus tanquam unius Mentis aut Spiritus generalis membris variis particulares ritus conſecrarent. Quum itaque hominum Prophetarumque ſapientiſſimus *Noachus* videret rationem Baſiliſci, ſeu ſtellarum fixarum in toto cœlo principis, in ipſam maximè *Italiam* in Occaſu, & in *Chaldæam*, *Babyloniam*, & *Phœniciam* in Oriente, ubi præclariſſima Mundi imperia erant tunc futura, incumbentis, facere ut cumulus acervus-ve totius fœlicitatis Mundi illic adeſſet, ſtatuit *Adami* loculis in *Syria* ſanctâ poſitis, unde omnes Religiones Mundi, relinquere ſpiritualem *Orientis* acervum, qui ab *Abrahamo* ex *Chaldæa* in *Syriam* traducto eſt aggregatus in Generatione *Chriſti*, & in *Italiam* veniens vocari התליה *Atalia*, id eſt, *Acervum divinum*, voluit, ob liberam frequentemque vocalium mutationem ex *Atalia Italia* facta eſt. Quum autem *Japetus* eſſet ejus primogenitus, ut alibi abundè docuimus, ad cujus primogenitos totius Orbis, ſede in *Italia* fixa, traduceretur olim imperium illud, התל *Hatal*, id eſt, *ipſum Acervum*, vocavit. Et ab ipſo & à proprietate *Ataliah*

dicta

dicta est. Quum autem ad perfectam Reipublicæ constitutionem opus sit sacro pontificio-ve & regio civili-ve Magistratu & populi obscuri multitudine, (nam Reges olim judicabant ipsi, quum parvæ essent provinciæ & scelera rara) apud *Eturios* instituit sacrorum *Razi-Hinuorum* ordinem, apud *Umbros* principatum *Gomeritarum* primogenitorum *Japeti*, quum *Hatalus* ad occupandas *Africæ* occiduas sedes se contulisset, unde *Atalanticum* nomen; in parte autem *Transtiberina Aborigenes* constituit; quorum scire genus nîl interesset. Ita enim sunt dicti, non quod essent *Autochthones* indigenæ-ve & terræ filii, aut qui origine carerent; sed quum essent aut ad regendum inepti, aut de stirpe *Chameseni*, cui maledixerat DEUS per *Noachum* & servitiis *Japeti Semique* manciparat, dicti sunt infames & sine origine. Nîl enim tam diligenter curabant Antiqui, quàm ut matrimonia sancta servarentur, & geneses in Diariis eorum scriberentur qui Reipublicæ regendæ idonei esse viderentur, quod inter *Judæos*, donec natus sit MESSIAS Pontifex maximus, semper est factitatum: sic sunt primi *Eturi* seu *Eturitusci*, eò quòd non licebat tunc sine informatione religiosa multis annis apud *Eturios* facta juventutem litterarum morumque capacem domi retinere. Ideo apud *Razi-Hinuos*, id est, sacros fœcundatores, solebant omnes formari. Hinc quum res in majorem devenisset multitudinem, singulis ex duodecim Tribubus *Eturiorum* seni primariæ nobilitatis adolescentes informandi dabantur mysteriosè ad religionis *Romanæ* conservationem: sic erant septuaginta duo juvenes principes, de quibus postea in Religione dicam, educati sanctissimè, ne Religio ad sordes traducta cogeretur ob paupertatem mentiri. *Umbri* sunt ab illis *Gallis*, fluctuatis-ve hominibus, qui Diluvio fuerant superstites. Hinc *Gomeritarum* genus. Populus *Aboriginum* sub *Vestalibus* in parte fœminea exeuntis *Tiberis* erant cum *Chamesenis* & *Sabathio* Pontifice externo. De his *Razi-Hinuis*, Religionis-ve secretæ disseminatoribus, & naturæ humanæ instituendæ præfectis, quale erat olim *Christianorum* Monachorum genus, agit inter multos fide dignissimus *Dionysius Halicarnasseus* in *Romana Historia*. De *Vmbris* universi, de *Aboriginibus* nullus non tractavit. Sed à mendaciis *Græcorum* cohibendis temperare non valeo in hac *Aboriginum* Gentis origine.

CAP. XVI.

Unde revera Aborigines dicti sint.

QUum primùm unà in eadem regione illud triplex hominum genus fuerit in *Atalia*, videndum est etiam, unde primò nomen habuerit hæc *Aboriginum* Natio. In aurei seculi institutionibus hæc erat prima & in omnium animis scripta lex, quòd quisquis ordinibus primogenituræ legitimè imperantis desciscendo obveniret, imperium-ve in concives moliretur, ille tantâ laboraret infamiâ, uti patriæ proditor dignusque omnino judicaretur qui veluti nullus in Republica esset, Majorumque suorum, à quibus degenerarat, nomine spoliaretur; cujus opinionis adhuc exstabant magna in *Romanis* vestigia, quando *Raudusculæ* portæ ob devitatum imperium fuit nomen impositum, & quum *Picus* præsente Senatu est discerptus, qui auguratus erat aut familiæ unius aut Reipublicæ successum. Inde enim & opinione sæculis crescente & succedentibus legibus factum est, ut quisquis sponte dominationem invasisset, hostis Reipublicæ & perduellionis reus judicaretur. Ita enim erat constitutum, ut quem DEUS Naturaque in ordine imperandi posuisset, ille sic

A formaretur ut imperio dignissimus haberetur. Si verò justè imperandi limites videretur ex ingenii ferocia transgressurus, aut ubi fuisset in imperio, ille statim suis spoliaretur originibus; quæ est in omnium animis posita constitutio. Aureum porrò sæculum tamdiu in innocentia sua sine ulla dominandi libidine duravit, quamdiu acceptæ ob tyrannides cladis diluvianæ memoria fuit conservata: illuvies enim aquarum generalium non usqueadeo ob id cœlitus est demissa, quòd omnis caro per libidines confusa viam suam corrupisset, ut verbis sacrorum utar, quàm quia perditissimi Tyranni; ad quorum exemplum totus raptabatur

B Orbis, inque scelus per exempla ruebat, vocari volebant filii DEI, & esse ob id divina origine, quòd universos opprimerent: nam vocari in toto terrarum Orbe filii DEI gloriabantur, cæteros autem quos opprimebant homines filios hominum per vocis abjectionem vocabant. Fuit hæc indignitas totis centum annis in toto terrarum Orbe assiduè ob Diluvii calamitatem jam ingruentem & cœlitus decretam decantata, remediumque propositum, ut si vellent illi ad misericordiam DEUM flectere, non tantùm filii DEI, sed etiam humani generis, in quod insurgerent, omnino refuge-

C rent vocabulum, & *Aborigines* fierent. Ut enim videmus eos, qui Legem ubivis suis sceleribus occiderunt, adnihilari in Republica & à suorum omnino nomine excidi, suisque quantumvis antiquis privari stemmatibus, sic opus erat ut tantùm in se illi belli filii DEI descenderent, ut se ipsos indignos nomine humanitatis & terræ filios assererent, quod quia factum non est, Diluvio perire. Prima hæc lex postdiluviana erat, ut qui humanitatem violaret ab ejus gradu excideret, quod ne fieret, aurei seculi homines alieno recentique periculo edocti tantum timebant ut in officio conti-

D nerentur. Qui dominationem temporalem expeterent inter *Vmbros*, penes quos erat jus regni, illi fiebant sensim aborigines, interque populares exauctorati detrudebantur. Nam apud *Razi-Hinuos* ob summam frugalitatem & victus parsimoniam non erat ambitioni locus, sicut nec inter nostrates Sacrificos, quamdiu continentiâ, humilitate, abjectione, laboribus, inediâ, sanguine, vitâ, famæque præsentis dispendio veram promovere pietatem elaborarunt. Jam verò antequam ex *Eturia Asia*-ve in *Europam* veniretur, maxima colluvies *Aboriginum* in *Oriente* fuit. Totum enim genus *Chami*, sive *Chamesis*, aut *Chameseni*, eò quòd priscæ fraudis vestigia in novum introduxerat Or-

E bem, & reverentiâ minori quàm par esset in parentem & suum & Universi commisisset, fuerat servituti fratrum per paternam imprecationem addictus, & per servitutem capite minutus, & inter *Aborigines* reductus. Unde unà cum ipsis *Atalicis*, seu *Japetitis*, & *Noachitis* multi convenerant *Aborigines* seu *Chamitæ*, quibus tanquam colonis & servis publicis data est pars montium & sinistra fluminis. Unde *Cato* in *Fragmentis Originum* ait, suffragante *Solino*, *Plinio*, *Catone*, & quisquis veriùs de *Italia* scripsit: *Aborigines, qui à Tiberi ad Sarnum habitarunt, prolem esse Vm-*

F *brorum, quorum urbs vetustissima est Chamesena, aut Camerena, Camerinum hodie vocant, quæ ab auctore Aboriginum primo nomen habet.* Quòd autem tam anxiè aliqui prisca vocabula, quæ *Latina* sunt, ad Linguæ priscæ etymon detorquent, non placet: nam sensim à Sancta Lingua deflectentes cæteræ per confusionis tyrannicæ pœnam sua etiam habere debent vocabula, origines, rationes. Originis vox à luce, quam primùm in suo ortu res ortæ concipiunt, dicitur: אור *or* autem in Lingua Sancta *lux* est. Inde *origo*, *ortus*, *orior*, *aurum*, *aura*, & quæ ab his descendunt, deducta

sunt. Nomen illud *Aboriginum* non fuit prius tractum in invidiam, quàm incipiente ducentis post illuviem annis tyrannidum violentia aureum seculum evanescere cœpit. Licèt enim circa centesimum & tricesimum post Diluvium annum in Turri *Babylonica* convenerint gigantei generis antesignani, ut divinæ obsistere potentiæ tentarent, non tamen in vicinos statim est sævitum. *Chamesses* corruptelæ antediluvianæ auctor, sciens sedem *Hataliæ* esse præstantissimam, cum magna *Aboriginum* suorum, videlicet filiorum & nepotum, turba irrupit in *Italiam*, & inficere prisco scelere incœpit quotquot habuit obvios, donec Pater Universi rediens illum compescuit, fecitque ut probrosum nomen eorum *Aboriginum* esset qui illi consensissent. Qui itaque resipuerant ex priscis *Aboriginibus*, (nam pœna illa in resipiscentiam tantùm, & non in infamiam dabatur, uti in *Christianismo* prisca excommunicatio, inter *Romanos* exauctoratio) sunt in suum genus repositi, nefarii segregati. Sed tamen fieri non potuit quin sensim genus adulterinum in suam ambitionem non repedaverit, favoreque suorum Geniorum usque ad auctoritatem tyrannidis occupatæ venerit, unde *Cæsarum* nomen. Vana itaque & excogitata *Græcanica* fabula est, qua volunt non tantùm totius *Græciæ* stupidissimos *Arcadas* parùm à belluis differentes dedisse *Italiæ* suos *Aborigines*, sed inter illos volunt fuisse non humaniores, sed agrestiores & in montibus *Arcadicis* assuetos. O fœlicem tali origine *Italiam*! Sed ne deesset fabulæ fides, ajunt fuisse eorum Ducem *Oenotrium*, illum videlicet sanctorum sanctissimum sapientumque sapientissimum, à quo totus Orbis trahit originem. Non est quidem negandum quin multi admodum fuerint *Jani*, *Oenotrii*, *Japeti*, *Atali*, & similium nominum claritate tecti insignes eo seculo, sicuti inter *Judæos Moses*, *Judas*, *Jacobos*, inter *Ismaëlitas Muhamedes*, *Mustafas*, *Habdallas*, inter *Christianos* nostrorum Sanctorum nominibus claros videmus, unde Historiarum difficultas. Sed quum tempora nullo modo patiantur illam *Græcam* fabulam sua veritate frui, ut in *Joannis Annii Commentariis* videri potest, in merum mendacium censeo reponendum. De *Aboriginibus*, qui tempore *Æneæ* fuere, crediderim quidem à montibus, quos securitatis gratiâ ob piratas inhabitarent, potuisse nomen à *Græca* mereri etymologia. Mons enim ὄρος ideo *Græcè* dicitur, quòd ea pars terræ ob eminentiam sit prima & ultima שלאור, id est, *ipsius lucis particeps*. Quum autem essent connexæ hæ tres generationes in *Eturiæ* finibus à mari usque ad montes, & pars reproba opposuerit *Saturniam* à secundo *Saturno* dictam ipsi *Antipoli* & toti *Eturiæ*, necesse fuit distinguere & originis dedisse rationes.

CAP. XVII.

Quæ esset in Eturia Razi-Hinuorum facultas auctoritasque.

MUltis quidem admodum de causis factum est ut *Deucalionis* sive *Deucalianis* nomen habuerit *Janus*, cujus vocem præclarissimam à priscis seculis in sua retraxit *Græcia*. Nam quòd duorum sæculorum recitaret historias quas viderat, quòd ritu sacrorum & civili institueret, quòd sacro profanoque præscriberet Magistratui, quòd secreta communiaque traderet, quòd de cœlestium uti & de terrestrium scientia tractaret, quòd Linguâ secretâ mysticâque & communi vulgarique pro ingenii ratione suos informaret, & similia hujusmodi, unde Bifrontis meruit statuam, sicut & nomen, tamen certissimum est nullo alio nomine,

A quàm quia primùm vires ingenii informando potentissimè informari curaret, & demum vires corporis exerceri, ut comparatis utriusque in homine naturæ viribus ne spiritus unquam exstinguerentur, videret tandem ut quisque præstanti & ingenii & virium ornamento nasceretur, præstantissimo etiam modo educaretur, & si non posset inter sacros principes, inter profanos locum haberet, aut saltem inter *Aborigines* minimè malus esset. Falluntur verò totoque errant cœlo, qui putant ea secula summâ doctrinarum præcipuarum cognitione caruisse. Præcipuæ verò & à nostro usu remotissimæ disciplinæ sunt de rebus sacris & de
B cœlestibus, deque eventibus rerum inde eductis, quod soli inter *Orientales* Prophetæ & Magi potuerunt, in qua parte quantum excelluerit *Razi-Hinuorum* Parens factis & delectis locis ostendit. De prophetia sive certissima rerum divinarum intelligentia satis patet ex hoc, quòd unus tantâ familiaritate substantiarum separatarum pollebat, ut ad ejus arbitrium sponte omnia genera animantium, ut cum eo salvarentur eorum species, cogerentur. Certitudo etiam aderat homini rerum divinarum tam præsens, ut solus sibi aptaverit Arcam navigium-ve in salutem. Ad hanc verò
C diem videmus, quàm prudens in cœli effectibus deprehendendis fuerit, quum in toto terrarum Orbe post *Jerusalem* in *Syria*, unde Duces Religionis, nulla in toto Orbe habitatio celebrior, major, potentior-ve fuerit quàm quæ media fuit in *Italia*. Quum itaque sit primum præstantissimumque optimi Patris Patriæ & veri Principis studium, ut nullum individuum eorum, pro quibus conditus Mundus est, negligatur: nam nullus tam infœlici sorte nascitur homo, quin cultu possit utilissimum Reipublicæ fieri membrum; altera pars studii erat, ut ipsum Reipublicæ corpus assiduè religionum moveretur arbitrio, & à DEI
D timore inciperent omnia moveri. Quos itaque instituit suarum doctrinarum alumnos, primùm vitâ integerrimâ incorruptâque esse voluit, ut penes quos sacras Traditiones in usum posteritatis deponeret, jussitque ut in arcanis ita haberent sacras præscriptiones, ut nemo nisi initiatus inter eos, & ad id jam aptus, ut posset velletque quasi nova generatione homines reficere & denuò generare, unde nomen habebant, secretioribus mysticisque imbueretur doctrinis. Hoc enim inter priscæ prudentiæ Professores erat constitutum, ut populari institutioni & legibus esset peculiaris doctrina, quæ omnibus esset communis, cæterùm inter
E ipsos sapientiæ alumnos esset secretior quædam & ab usu vulgarium remotissima, à qua vis Prædictionum, Magiæ, & divinioris Sapientiæ pendebat. Sic fuit olim apud *Druïdas*, *Umbrorum* seu *Gallorum* sapientiæ conservatores. Sic & apud *Brahmanes*, qui ab illegitimis *Abrahami* filiis in tota *India* nomen & sapientiam sparserunt, quorum hodie in *Brahminis* Sacerdotibus *Indiæ* supersunt imitatores, qui quum populares permittant in falso cultu agere, tamen ipsi inter se secretiores habent Magiæ disciplinas. Inde in *Ægypto* fuere litteræ communes & hieroglyphicæ. Apud *He-*
F *bræos* sic fuit usitatum interpretationis genus, ut altissimis referta mysteriis non nisi ore in aures transfunderetur discipuli, quamdiu res eorum floruerunt. Paulò pòst in unum Volumen, quod ad manus nostras pervenit, secreta illa disciplina, quam, eò quòd recipiatur auditu, & non lectione, *Cabalam* vocarunt, summum genus sapientiæ divinæ. *Razi-Hinui*, id est, secreti propagatores, ea de re dicti sunt. Licèt enim instituendæ præessent juventuti & principum potissimùm, ut ait *Cicero*, liberos in religionis *Romanæ* conservationem instituerent, tamen scientiam secretiorem

evo-

evocandorum Geniorum, alligandorumque prodigiorum, & signorum cœlestium interpretandorum, quæ scientia omnino nostro desideratur seculo, sibi unis solisque servabant. Sunt autem illi ipsi *Razi-Hinui* iidem qui & *Ethrusci* seu *Eturitusci*, ut quod *Cicero* & cæteri humanitatis Auctores ipsis *Eturituscis Eturiæ*-ve Sacerdotibus adscribunt, illud ipsum sit *Razi-Hinuorum*. Verùm à prisco vocabulo, quod nobis instauratum reliquit *Halicarnasseus*, posteritas sensim deflexit, & pro *Razi-Hinuis Etruscos* vocavit. *Eturitusci* enim sive *Ethrusci* sunt *Eturiæ Tuscii*, id est, Sacrifices conservatores.

CAP. XVIII.

Quomodo possit constare quòd Janus instituerit Razi-Hinuos & sint iidem cum Eturituscis, quum Etrusci à Tagete se accepisse suas doctrinas affirment.

NOn immeritò scriptum reliquerunt nostri Majores, quòd veritas, à quocumque dicatur, à DEO Spiritu-ve Sancto est. Unus enim est veritatis fons. Hinc venit illatio, quòd si veritas à quocumque dicatur à Spiritu Sancto est, ergo veritas à quocumque dicta consideranda & recipienda est. Unde nostræ doctrinæ antesignanus *Paulus* volens ostendere, etsi particularis DEO fuerit de Populo *Hebræo*, & secundùm illum de *Christiano* cura, tamen ubivis gentium quantavis falsitate obrutarum fecit ut Magistratuum ordinatio ita à DEO esse crederetur, ut non tantùm illi in iis qui veritati non obsunt omnino tanquam DEI Ministris obediretur, sed etiam ut summus verusque *Hebræorum* & *Christianorum* DEUS oraretur, ut omnes illi, qui ubivis gentium sunt in dignitate constituti, tranquillam & diuturnam vitam agerent. Sic igitur videtur ubivis gentium & Magistratus, & veritas fuisse à DEO. Quare non tantùm sunt discutiendæ illæ institutiones, quas à Populo *Hebræo* habemus, sed etiam quæ singulis in locis & maximè *Romæ* occiduæ fecit DEUS ut concederentur. Hoc mihi assumptum volo, eò quòd non dubito quosdam statim hìc exclamaturos, me à sacris ad fabulas priscas-ve fictiones convolare, velle priscam superstitionem instaurare. Equidem quum DEUS fecerit ut supersint Auctores humanitatis, quibus fidem omnino elevare non debemus, qui nobis priscarum institutionum memorias reliquerint, enitendum omnino est, ut dispulsis tenebris clarissimè quid à sanctissimis *Noachi* præceptis seculique aurei vita, pro qua DEUS Mundum condiderat, ipsum genus humanum abduxerit, ut possimus ad id repedare, quod DEUS semel instituit & voluit. Nam est omnino necessarium, ut prophetia *Lemechi* de filio suo *Noacho* locum in universum quantum DEUS voluit habeat, ut sub ejus instituto restituantur omnia. Sic habet *Genes.* V. 29. *Hic enim consolabitur nos ab operibus nostris & ab afflictione manuum nostrarum, quas habemus à terra, cui maledixit DEUS.* Ex vi divinæ voluntatis & hujus prophetiæ totus Orbis in votis aureum seculum habet, quod frustra appeti non potest. Hæc præmissa volui, ut elaborent unà mecum humanitatis amatores ipsius aurei sæculi viviradices exquirere. Unus supra omnium hominum memoriam fuit *Etruriæ* Populus, cui post DEUM verum fuit semper primus Deorum *Janus Bifrons*, *Quadrifrons*, *Dodecabomus*, cujus tamen Manes ad *Tiberim* & juxta *Janiculum* montem magis incubuerunt, &, sicut in sanctis *Christianismi* & *Judaïsmi* hominibus, crebris miraculis adfuit invocanti-

A bus. Credemus-ne negatum hominum sanctissimo, quod *Eliæ* pallio, quod *Elisæi* cadaveri, quod ipsi maleficæ *Pythonissæ*, quod *Paulo*, quod *Agathæ* & innumeris post mortem contigit, ut sponte aut evocati spiritus non adsint invocantibus? Nonne idem est DEUS *Noachi* & *Christianorum*? Nonne æquè membrum CHRISTI fuit ut & *Paulus*, qui capite cæsus præsens *Neroni* in spiritu adfuit seque instar corporis ostendit? Sacros ille ritus præsens instituerat *Razi-Hinuis*, ob negligentiam pessum ibat Religio, & nomen penè & Sacerdotes priscos amiserat. Adfuit in spectro *Tages* puer senex. Ut ut res habeat, *Tages*, aut exaratus puer, B aut *Tages Maloc*, auctor hujus *Etruscæ* disciplinæ legitur. Sed concedent sensibiles Genios *Socrati* & *Bruto*, ipsi autem negabunt *Etruriæ* substantiam separatam, quæ bonum Reipublicæ curaret. Non hìc adferam Angelos *Abrahami*, *Lothi*, *Israëlis*, & *Manoach*, non exercitum illum, quem *Elisæus* puero ostendit, quia in sacris sunt; mediis in Annalibus apud innumeros Scriptores, sed maximè apud *Obsequentem Julium de Prodigiis*, commonstrabo frequentissimè visas fuisse armatorum & inermium acies & in aëre & in terra usqueadeo, ut ipsæ herbæ & virgulta atteri & comminui eo- C rum pedibus visa sint. Forsan fuit hoc difficilius in *Etruria* DEO quàm alibi terrarum. Atqui spiritus aut spectra non emergunt ex terra. Imò tota vis *Pythicæ* Vaticinationis ab ipsa terra profluxisse legitur. Terra est veluti generalis materia totius corporeæ naturæ, de qua, etsi sunt invisibiles, tamen assiduè formæ innumeræ (præter eas quæ sunt animarum in animantibus) educuntur, Laresque & Genii dicuntur. Sunt hi Dæmones terrestres, boni beneficique, quibus non tantùm *Pythagorici*, sed & *Moses* ipse in sacris suas partes deferri voluit. Ad eam enim rem mittebatur hircus alter in desertum ad *Azazel* Genium ter- D restrem, à quo caro rebellandi vim habet, ut in secretiori interpretatione sacrorum videre licet. Genius itaque *Eturiæ*, cui ut jungeretur *Janus*, eò venit, instar pueri adfuit, seu ex aratri sulco, seu ex antro, seu ex via, nîl refert, semper enim quæreretur cur non aliunde? & ut res esset commendabilior, instar sapientissimi viri loquutus puer fecit ut sacra scriberetur disciplina, quam postea *Malot* seu *Maloc Tages Razi-Hinuus* locupletavit. Sed magis mirabuntur, quòd ex prodigiorum interpretatione, ex aruspicina extispicina-ve, & hujuscemodi sacram fecerim disciplinam. Varia quidem certè genera suæ voluntatis cognoscendæ ho- E minesque per Religionem in officio retinendi DEUS dedit mortalibus; sed ad hoc ut omnino gloria in eum referatur. Derelictus est ubivis gentium DEUS. Malus Dæmon in ejus locum successit. Sed res ipsæ, quæ de mediorum genere sunt, poterant tantò magis in DEI laudem converti, quantò sunt majori sapientiæ conjunctæ. Nulla res magis ad timorem DEI incitat quàm vera cujuspiam eventus prædictio. Somnia sunt malefida. Tamen bona pars Religionis à sinceris Sanctorum somniis pendet. Quid sortibus vanius? Tamen principes in nostra Religione Viri sorti- F bus divinæ voluntatis ostendêre signum in numero Apostolico complendo. Nomine omnibus Gentibus ipsa fuit Magia in odio: atqui Magi priùs ex cœlis quàm *Judæi* ex Scripturis cognovere CHRISTUM. Ipsa itaque prodigiorum interpretatio, modò gloria DEO reddatur, erat præstantissima scientia Mundi. Prodigia enim & ostenta sunt cœli & Geniorum apotelesmata, per quæ summi DEI voluntas signo sensibili sciebatur, & tam magna erat in bonis viris quanta visa fuit in *Accio Nævio*. Præsens igitur votis aderat *Noachus* cum Patriæ Genio, qui תגאש, *Tagiss*, id est,

Api-

Apicis summæ-ve Coronæ homo, est dictus. Apex enim תג *Tag* dicitur. *Chaldæâ* & *Persicâ* Linguâ تاج coronam, sceptrum, & Principis insigne sonat. Unus itaque idemque Populus *Etruriæ* semper fuit, cui unus *Janus* fuit Deorum summus, fuit & unus Sacrificum in *Razi-Hinuis* & *Ethruscis* ordo. Quare eamdem à *Jano* & à *Tagesso* opus est fuisse instauratam Disciplinam, ut tantò magis coleretur DEUS summus, quantò præsentior ejus majestas adesse videretur in Disciplina difficillima per suos Interpretes enucleanda.

CAP. XIX.

Quòd in gloria posuit Moses & Salomon, in scientia Orientalium & Ægyptiorum excelluisse, multò verò magis Noachus.

SUpra illas, quæ in usu vulgari sunt positæ, quasque liberales vocant, tres apud Priscos fuere Disciplinæ. Una supracœlestium rerum, quæ sacra dicitur, cujus fines esse debet, ut motibus singuli homines sint conformes DEO. Altera est cœlestium, id est, effectuum illorum, qui assiduè à cœlo ob diversos motus pendent, cujus maximus usus est in præcavendis illis calamitatibus & mutationibus, quæ Reipublicæ imminent. Tertia est in consideratione rerum sub cœlo positarum, quæ quum infinita prænotionis habeat genera, nullum tamen unquam prius habuit, quàm ut ibi motus spiritus naturalis respiceret, id est, in corde & extis, ubi spiritus est materiæ conjunctissimus. Hæc ad prodigiorum naturam interpretandam olim fuit summè culta; quum enim summo DEO animalia ipsa viva mundaque sacrificaret *Noachus*, etiam ad ejus DEI honorem rimabatur exta. Primum genus Disciplinæ est revera *Hebræorum*, unde & nostra profluxere. Alterum est *Abrahmanum* & Filiorum *Orientis*, ut sacra dicunt. Tertium proprium fuit *Ægyptiorum*. Veri Magi ex tribus generibus decerpebant quartum. Quòd si *Moses* Legislator in *Orientalium Ægyptiorum*que Disciplina excelluit, ut ipsi testantur *Hebræi*, *Salomon* autem Rex sapientissimus suam inde auxit sapientiam, vitio-ne dabitur *Noacho* Mundi instauratori, quod aliis in Lege DEI fuit laudabile? Potuerat quidem ipse princeps Prophetarum, Magorum, & Sapientum *Janus* easdem *Etruriæ* Traditiones de sacris, quæ sub *Mose* canonicæ duce Decalogo cœlitus petito factæ sunt, suis revelasse *Razi-Hinuis*, sicut externos cultus ad legis instar institui voluit, ut suo loco monstrabimus; sed quum sciret ad loca sacra ipsi *Adamo* in *Syria* debere auctoritatem Divinæ Religionis, ubi olim Mens mentium CHRISTUS ea de re venire et in propria, referri, non debuit ultra sensibile palpabileque Disciplinæ Divinæ genus suis tradere. Res enim etiam sacrosanctissimæ ipso usu vilescunt, & sensim suos cultores in hypocrisim labi sinunt, ita ut nec corruptæ Disciplinæ instaurationem admittant, nec se à sua dimoveri consuetudine patiantur. Sat itaque habuit illis, quos sciebat ab hoc genere sensibili sacrorum in verum & divinum olim transituros, (Leo enim ipsi cedet Arieti) ea dedisse cum Lege seu Testamento æterno, quæ aliquando à corporalibus ad spiritualia transirent; quando unum Mundi brachium temporale in jure *Japeti Atali*-ve in ipsa *Italia* fuerit fixum, alterum autem spirituale *Jerosolymis* fuerit ab eadem potentia confirmatum, ut ibi spirituale à corporali pascatur, alatur, & conservetur, ubi CHRISTUS ad hanc rem in propria venit; ubi autem in patriam venit, iterum crucifigi spiritualiter, ut

A generalis potentia Mundi conservetur secundùm jura ab ipso *Noacho* instituta.

CAP. XX.

Quòd prisca Romanorum religio ortum ab Etruscis habuerit.

ETsi nostrates tàm ob cultus verioris rationem, quàm ob falsi cultus ubivis gentium sparsi cognitionem, nec enim aliud fuisse credunt multi quàm quod viderunt, putant nulla unquam verioris Religionis fuisse principia; tamen si ex æqui-
B tate & veritate magis quàm ex affectu res ipsas perpendere voluerint, invenient tantò præclariores sanctioresque olim fuisse veri cultus institutiones, quantò postea in deteriores effectus degenerarunt. Et ex hujus axiomatis ratione fatebuntur *Romæ*, ubi fuit totius Idololatriæ asylon, fuisse olim præclarissimam rerum divinarum institutionem. Antequam enim pseudothrescia in Orbem irrepsisset, licèt Fidelibus jam post circumcisum *Abrahamam* (qui quinquagesimo post *Noachi* mortem anno Circumcisionem accepit) matrimonia Gentium essent prohibita, tamen *Josephus* in *Æ-*
C *gypto* sanctissimos liberos suscepit ex Sacerdotis *Heliopoleos* filia. *Moses* similiter ex *Zippora* filia Sacerdotis *Madianitarum*, qui sunt *Arabes* & *Ismaëlitæ*, suscepit liberos Ministros Tabernaculi sancti. Tunc enim ubivis gentium ferè adhuc colebatur proprius regionum Genius vel Angelus. *Cananæi* soli, progenies maledicti *Chami*, in *Syria* occuparant sacras possessiones, Idololatriâque infecerant, ne summæ Intelligentiæ Mundi, quæ ibi incumbit, sacra facerent. *Romæ* igitur, quæ pridem, antequam illam *Romulus Remus*que instaurarent, erat in *Antipoli* & *Saturnia*, *Noachus* sategit perfectissimum instituere cultum. Sicut
D enim in *Syria* seu Terra Sancta prima intelligentiarum moventium ut in finem colitur, sic *Romæ* voluit ut prima moventium ut in locum & cœlo affixarum coleretur. Nec abhorret hoc à veritate catholica. Censent enim insignes veræ pietatis Interpretes, quòd colere Angelos, etsi constitutum esset animata esse sydera, colere eorum spiritus, modò summa laus DEO servaretur, summa pietas esset. Nam Angeli à sanctis viris culti leguntur. Præterquam quòd verò est sanctissimum credere, ut sanctissimus ubivis gentium nedum *Romæ* ad suos Manes sanctissimum instituerit
E cultum, duobus argumentis videtur omnino ab *Etruscis* emanasse religiosus ritus *Romanorum*. Quum enim esset apud eos, qui evocandorum Geniorum & fulminum arte singulari pollebant, periculosissimum & locum & nomen indicare, ubi ratione miraculi urbis fundamenta jacere vellent, tamen invento capite humano, ubi postea Capitolium constitutum est pro Urbis arce, opus fuit adiri Vatem *Etruscum*, qui precationibus locum muniret, Geniumque suæ alligaret glebæ, unde *Romana* ad hanc diem felicitas. Certè inter *Saturnitas* & *Aborigines*, qui à *Tiberi* ad *Sarnum* agebant, non poterat deesse Vates, sed summa sa-
F crorum auctoritas ab *Etruscis* dependebat, ut hodie Orbis à *Leonina*. Confirmatur id argumenti ex eo, quod scribit *Cicero* lib. 1. *de Divinatione* §. 3. *Cúmque magna vis* (ait) *videretur esse & in impetrandis consulendisque rebus, & in monstris interpretandis ac procurandis in Aruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum Divinationis, quod neglectum ab iis videretur.* Alterum verò argumentum inde deductum est ex his ejusdem Scriptoris verbis ab eodem libro desumptis §. 91. 92. *In Syria*, ait, *Chaldæi cognitione astrorum solertiaque ingeniorum antecellunt.*

cellunt. Etruria autem de cœlo tacta sapientissimè animadvertit, eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca benè apud Majores nostros Senatus tùm, cùm florebat Imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Etruriæ Populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem & quæstum. Non est dubium, quum summa religionis auctoritas esset in prodigiorum interpretatione, ad hoc fuisse assiduè educatos illos duos & septuaginta juvenes principes, ut *Etruscis* imbuti præceptionibus Rempublicam suam, quum occurreret occasio, regerent. Summos Pontifices habebat *Roma* & Reges Sacrificulos, sed *Etruria* habebat qui illis præscriberent, uti *Moses* supra *Aharon* in sacris fuisse legitur.

C A P. XXI.

Unde primò emersit falsus inter Romanos cultus.

SUmma inter optimos aurei seculi homines contemplatio rerum & divinarum & cœlestium & humanarum fecit, ut pro rerum variis cognitionibus considerationibusque uni & eidem rei varia applicarent nomina; quod fuit in Sacris etiam Litteris usitatum, ut in nominum impositione & mutatione crebra videre licet. Sensim autem posteritas in ferrea terreaque aut fictilia tendens secula, omnino rerum cœlestium oblita, putavit esse diversissima, quæ eadem erant. Accessit impiorum & perditorum hominum tyrannis: quò enim essent scelere contaminatiores, eò magis in præclarissimos Sanctorum titulos involare satagebant, adeò ut impurissimus mortalium *Jupiter* non erubuerit sibi sacrosanctum nomen DEI *Jeovah* vendicare. Successit post eas tenebras *Græca* fabulositas, quæ ut videretur rebus omnibus dare origines, curavit antiqua abolere veraque exterminare, ut fabulas originibus assereret. Ad illud usque tempus, quo nugari cœpit *Græcia*, tanta Librorum erat paucitas, ut ferè tota veteris Religionis tractatio intercidisset. Quamdiu enim cultus veri DEI & suæ intelligentiæ duravit, magis animis & memoriâ moribusque quàm Libris & Doctrinis servatus est. Ad hæc, ubi viderunt *Etrusci Latinos Romanos*que falsitatis *Græcæ* accepisse commercium, cœperunt etiam *Latinas* Litteras exhorrere, ita ut vix septingentesimo Urbis anno eas admiserint unà cum Imperio.

C A P. XXII.

Quàm multis nominibus Janus sit vocatus.

PRæter nomina humanitatis, quæ sunt *Nochus* seu *Noachus*, *Janus*, *Ogytes*, *Deucalion*, *Proteus*, *Vertumnus*, *Gallus*, *Pater Parens*-ve *hominum*, ratione divini & super omnes homines qui postea fuerunt summi ingenii, spiritus, & mentis dictus est *Deus*, *Deorum Genitor & Pater*, *Olympus* seu *Holamaba*, *Arsah*, *Cœlum*, *Sol*, *Chaos*, *Semen Mundi*, *Anima Mundi*, *Motor cœlorum & universitatis*, & ob sepulturam *Saturnus*, ob præsentem divinitatem *Jehovi* aut *Jehova*, *sceptri regnorumque Auctor*, *Claviger cœli*, *Sages*, *Oenotrius*, & innumeris aliis nominibus pro arbitrio hominum confictis. Cujus rei exemplum facilè in dicatis D. Virgini Matri templis videmus: in *Hispania* enim eadem est *Guadalupensis*, *Monserratensis*, &c. in *Gallia Roccamadaurensis*, *Aquisgranensis*, &c. in *Italia*, præter cætera loca, *Lauretana* à locis ipsis nuncupata. Sic & innumeris ob innumera beneficia mortalibus collata aut mala aver-

A runcata nominibus dicitur meritò CHRISTUS. Quæ verò nobis est hodie licentia trahendi sacra in allegoriam ad CHRISTI (qui Mens mentium est, & DEUS de DEO) gloriam, eadem olim inter aurei seculi homines erat. נח *Nochus* autem vel *Noachus* dicebatur, quòd ejus institutionibus formatus aliquando Mundus quietem & consolationem in hac vita destructa terræ maledictione consequeretur, quod etsi in aureo contigit seculo, tamen repetito principio duret semper & quamdiu Mundus durabit necesse est, quod semel DEUS in æternum esse voluit. Nominis *Jani* (à יין) rationem suprà exposui; *Ogytis* (à עוג) pariter; sic & B *Deucalionis* à דיוקלין: eò enim est dictus, quòd duplici semper ratione omnia instar formæ & materiæ diceret curaretque. *Protei* vox *Græca* est, quæ primarium significat. Sicut enim ex *Valentia Romam* fecere, putantes se secretius prodere nomen, sic de primo hominum fecere, ut fabulis serviret. *Vertumnum Latini* à vertendo ideo dixere, quòd in omnes formas, ut omnibus omnia fieret, se convertebat. Sed quum peritissimi intelligentiarum separatarum scirent in summo gradu illi extrinsecus adfuisse eam Mentis universalis & Spiritus generalis partem, quæ summa esset, C & instar omnium, & omnia sub DEO in rerum naturis administraret, eò quòd in omnes formas hominem verum verteret, nomen meruit. Quòd *Gallus* à גל sit dictus, ex primogenituræ ejus vocabulo potest cognosci: ejus enim primogenitus fuit *Japetus*, cujus rursum primogenitus fuit גומר *Gomerus*, primo post Diluvium natus anno. *Josephus* autem ait eos, qui suo seculo *Galli* seu *Galatæ* nominabantur, olim vocatos fuisse *Gomeritas*, quos *Gomer* instituit. *Berosus* autem affirmat in ipsa *Umbria* eos, qui erant ex posteritate *Gomeri*, avito nomine vocatos fuisse à *Jano Gallos*. Quòd si deprecemur viri auctoritatem, audiamus *Romanos* D & in primis *Catonem*, qui sic ait: *Venisse ex illis, qui Diluvio superstites fuerant, ab Armenia Janum in Italiam cum Gallis progenitoribus Umbrorum* &c. Quare avitum nomen eorum, qui fuerunt Diluvio superstites, est *Gallus*, fluctibus-ve ereptus, quod avitum nomen soli *Gomeritarum* familiæ voluit dari. Quàm meritò verò Parens hominum sit dictus *Gallus*, satis constat. Ratione autem divinitatis dictus est DEUS, ob conformitatem cum Mente prima: nam in sacris & Angeli, & Judices, & Sacerdotes, & Fideles *Dii dicuntur*, *& filii Excelsi omnes*, *Psalm.* LXXXII: 6. Ut enim *Aristoteles* benè dixit ad Theologum seu E Metaphysicum spectare, ut de primo Motore, qui omnino immobilis est & immotus, tractet, ita prisci Theologi ut & Philosophi noverant illam Mentem, quæ extrinsecus in omnes advenit homines, quæ est *Unitas creata* apud *Boëtium*, *Sapientia creata* apud *Petrum Lombardum*, *Fons idearum Mens*-ve *Mundi* apud *Platonem*, *Intellectus generalis omnium hominum actu semper intelligens* apud *Plotinum*, *Mundi Anima Pythagoricis*, *Mens* MESSIÆ priscis *Hebræorum* Theologis, in summa illa est causa, quam *Aristoteles* assignat sub illo immoto immobilique principio, quæ assiduè moveatur F & moveat, quæ alioqui generalis animorum fons, nomine *Mahad* apud *Arabes*, dicitur, cui forsan posset intellectus generalis ipsius *Aben Reiss* quadrare. Hanc enim naturam *Pythagoras* à Prophetis & *Abrahmanibus* didicerat. Quum autem omnes homines immortalitatis divinitatisque seminarium ab ea Natura, quæ consubstantialiter est immoto immobilique DEO unita, DEUSque est, recipiant, sanctissimi olim homines non immeritò *Deorum* vocabantur nomine à Posteris, sicuti *Sanctos* hodie, quia DEUS eorum sanctus est, dicimus. Modò enim res intelligatur, nîl inter-

est, utrùm primæ Mentis membra voces *Sanctos* aut *Deos*, quum sacra nos omnes *Deos* vocent: periculum tantùm in abusu, non in re ipsa esse; hinc sanctitate insignes ex ipso nati fecerunt ut Deorum Pater diceretur. Ὄλυμπος *Olympus* autem, seu עולמהבא *Holamaba Cœlum* & *Seculum venturum*, quod malè *Olybama* legunt, dictus est, quòd anima cœli sive intelligentiarum moventium ut in locum præstantissima, & cum qua est seculi futuri fœlicitas, DEOque unita, summopere illum inhabitaret. Illam partem, quam nuper dixi, vocant ארשאלט intellectum agentem, qui movet ut in finem, & causat habitus. Hanc autem intellectum possibilem materiæ ducem. ARSA pro Sole ponunt: est enim luminis princeps Linguâ Sanctâ & *Persicâ*. Cœlum & Sol voce, non significatione, differunt à præcedentibus. *Chaos* dictus est, eò quòd veluti in una massa totius Naturæ universitas ab ejus industria in præsens esse venit, & quòd veluti in primario cæcoque & latenti Naturæ motu, ipsâ solâ Naturâ consciâ, omnia delituerunt & demum præsentem hausere lucem, sic omnia accepta ferre debemus uni omnium instauratori *Noacho*. De Semine Mundi par est ratio. Animam Mundi ideo vocabant, quòd sese in illum totius Naturæ effudisset virtus & potentia. Abusa est autem Antiquitas sicut & nostra ætas *animæ*, *animi*, *spiritus*que, & *mentis* vocabulo. Mens autem seu Intellectus agens, & Intellectus generalis in finem motor, est summum genus substantiæ separatæ mobilis. Spiritus & animus in secundo loco, uti anima cœli. Anima autem & corpus sunt inferiora, ob mentis itaque præsentiam dictus est anima Mundi. Eadem ratione motor cœlorum & universitatis. Si enim animal illud, quod omnia movet, & per quod cætera omnia capiunt DEUM, nobis sui copiam facit, jure quæcumque facit nobis concedit. Sumus enim unum in eo, sicut ipse est unum cum DEO, & omnia quæ habet dedit suis: licèt enim nec *Noachus*, nec ullus Sanctorum unquam movit cœlum, tamen ut cognoscatur Spiritus & Intellectus motor cœli, in nobis opus fuit manifestari, ut dum denominabantur homines à præstantiori eorum parte, illa tandem in seipsa glorificaretur, & per illam DEUS. *Saturni* (à שחר) nomen est ab arcæ seu urnæ depositione in locum sacrum sepulturæ, quod nomen potissimùm ambivere Tyranni. Crediderim facilè ut maxima à Priscis temeritas sit commissa, quum nomen יהוה *Jehova*, aut יהוה *Jehovi* est publicè editum: nam Antiqui in religione semper posuere illius prolationem. Licèt autem multis locis in sacris possit probari, quòd non tantùm de DEO trino & uno dicatur in persona Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti, sed quòd etiam de illa Sapientia creata increatæ consubstantialiter ante omnia secula unita sit crebrò scriptum, tamen temerè factum puto, quòd homini sit adscriptum. Ubi autem *Orphicorum* licentia illud adscripsit primo mobili, venit perditus ille pæderastes *Jupiter Græcorum*, & in sacrum nomen involavit, eò quòd fuerat imprudenter adscriptum huic sanctorum hominum antesignano. Sceptri auctor est, quia quicquid est imperiorum justorum ab eo sunt. Ideo clavem cœli gestabat, ut pios instar *Petri* in cœlum introduceret, qui videlicet sanctis obtemperassent monitis Testamenti æterni, aut quòd ejus bonitate duce & exemplo omnes omnibus paterent ædes, timore impiorum sublato. שגיא *Sagæ* aut *Sagis* vocabulum à magnitudine sanctitateque est. De *Oenotrio* diximus. A singulis porrò locis, ubi miracula ejus nomine sunt edita, aut ubi sponte colebatur, uti in duodecim *Eturiæ* Populis, nomina alia capiebat. Similiter & *Vesta* ejus uxor variâ admodum nuncupatione dicebatur: de qua ideo

A agendum est, quia totius religiosi cultus basim in alterutro sexu posuit Antiquitas.

CAP. XXIII.

Quàm multiplici nomine diceretur Noachi uxor Vesta, quaque ratione, deque varia intelligentiarum specie.

ETsi inter substantias separatas nulla ideo sexuum videtur differentia, quòd nulla sint communiter corpora illis impacta, nihilominus quum diligenter ipsas intelligentias orbium cœlestium &
B partium eorum inter se diversissimarum motrices consideraverimus, videbimus clarissimè unum ordinem esse instar formarum masculinarumque virtutum longè supra cœlos collocatarum, quæ movent ut in finem ea omnia quæ à cœlo suscitari debent; alterum autem esse instar materiæ omnino orbi impactum, qui quidem instar fœminæ uterum gerentis movet ut in locum. Primus ordo olim in secreta *Hebræorum* disciplina masculorum, inferior fœminarum Dearum dicebatur. Ad horum instar est intelligentia anima-ve solis ad lunam: spiritus enim fœmininitatis Mundi in luna, masculinitatis autem in sole conspicitur. Quod
C nostrorum Theologorum antesignanus *Thomas* in Opusculo *de Substantiis separatis* affirmavit de utroque ordine & motore, ut in finem tanquam semen patris, ut in locum tanquam uterus matris, illud omnino est quod de Intellectu agente & passibili Philosophi tradunt. Quum enim cœlum sit assiduus actus & habitus præsentium videlicet in actu, præteritorum, & præsentium in habitu, motor sit etiam in eo potentia ad omne tempus futurum necesse est. Assiduis enim conjunctionibus assidua fit in eo influxus diversitas. Uniformitas itaque & finis à motore ut in finem fieri debet.
D Diversitas autem influxuum est assidua potentialitas à locorum conjunctionibus pendens, unde tota inferioris naturæ distinctio. Summa itaque Intellectus agentis quadrat omnino illis motricibus ut in finem; Intellectus autem passibilis motricibus ut in locum. Sunt autem hi duo motores in suam unitatem redacti, de quibus *Aristoteles* obscurè licèt agit in Scriptis *de Generatione & Corruptione*. Sub immobili enim immotoque DEO ponit unum motorem, qui ideo movet, quia est continuè motus, quique est extra materiam, quod quidem de cœlo ipso intelligi nequit, priusquam ejus intelligentiæ adscripseris. Motor enim immo-
E bilis nunquam actu movetur novo motu, quo tamen opus est ad motum cœli excitandum. Ponit autem tertio in loco eam causam, quæ velut in materiæ specie sita est, per quam generatio & corruptio fit. Ea est aut cœlum, aut spiritus illi impactus, anima-ve ejus. Et in hoc consentit *Platoni Aristoteles*. Sat fuerit hanc reddidisse rationem, cur Antiquitas constituere voluerit fœmineam uti & masculam vim divinitatis. Hinc ubivis gentium *Samothraces Dii* primus masculus videlicet & prima fœmina Mundi. Ea de re נעמה *Naoma*, ut tradunt *Mosis* Auditores, uxor *Noachi* & mater
F Mundi, de stirpe *Caïni* servata sibi, in *Italia* varia nomina sumpsit: dicta enim est, אשתא, ריח, מיה, ארציה, *Vesta*, *Rheach*, *Maia*, *Arezia*, à quatuor elementorum proprietate. *Naoman* Antiquitas à pulchritudine vocabat. *Vesta* dicta est ab igne, quem ea de re *Vestalibus* virginibus ab ea consecratis voluit asservari. *Rheach* spiritum sonat aërem-ve. Licèt enim omnia sensibilia constent elementis aut defæcatis, ut cœlum, aut corruptioni obnoxiis, ut quæ extra cœlum sunt, tamen inter summâ auctoritate viros fuit disceptatum, quænam esset prima in elementis virtus. Ideo hæc vis fœminea passibilis-

bilisque utramvis quatuor causarum pro suæ actionis dignitate præferre potest. *Maia* dicta est ab aquarum potestate, *Arezia* à terra; illam *Græca* fabulositas Θῆτιν *Thetim*, hanc קבלה *Cybelem* vocarunt, *Thetim* à positione, *Cybelem* à receptaculo totius Naturæ: Spiritus enim Domini, qui ferebatur super aquas in rerum principio, est hujus materiæ dux, & illam molem intus alit, unde matrum in tota natura virtus. Aliàs כרם *Ceres*, eò quòd hæc vis omnia veluti ex utero pariat & procreet, dicitur: כרם enim *venter* est. Δημήτηρ *Demeter*, ut *Gemeter*, id est, *terra mater*, eadem ratione etymo *Græco* vocatur. אף, Ὀψ, *Ops* aut *Opis* dicitur, quòd faciem effigiemque omnibus tribuat; Πανδώρα *Pandora* eadem ratione, quòd omnia det; illa *Hebræa Græca*que, hæc autem *Græca* tantùm etymologia est. Sunt & alia nomina innumera ad Matris Mundi spiritum exprimendum olim excogitata, quæ sensim *Græcia* novitiis adscripsit Diis, ut ex luce malè servata tenebræ natæ sint. Sed unius *Vestæ* communis vocabulum & religio satis tantæ fœminæ dignitatem notat. Quum enim in singulis insulis Urbis, sicut & *Janus*, sacras ædes haberet, constructa est demum ædes *Vestæ* communi, de qua scriptum & receptum erat, quòd esset instar omnium Dearum, sicut *Janus* omnium Deorum. Nec opus erat, ait *Dionysius Halicarnasseus*, ut qui hanc coleret ullam aliam Deam coleret. Hanc autem spiritus rerum omnium molem Deam *Syram* vocabat superstitio prisca. Hæc autem erat ratio. Quum enim in una Natura una calidi seu ignis in humidum agentis & vitæ omnium basim in ipsa terra constituentis virtus secreto quidem, sed tamen materiæ impacto, spiritu hanc vitæ molem moveat. Ideo, ut vita industriosa Reipublicæ esset diuturnissima, volebant sancti Viri, ut arte ignis, uti elementorum nobilissimum defæcatoriumque, aleretur. Ideo & CHRISTUS Religionis *Noachi*, imò propriæ ipsius instaurator, (nam vita Sanctorum nîl aliud est quàm ipsius CHRISTI in sua membra videntis viventisque abscondita) sacras expiationes in Aqua, Igne, & Spiritu Sancto posuit. Ideo vitæ fons est in aqua igne tincta, quæ sanguis est. *Moses* ea de re instituerat, ne unquam exstinguerentur sacræ candelabri lucernæ. Divinitus præterea ignis in summo Templi culmine visus est, quamdiu sacris benè sunt usi *Hebræi*, quibus atterendis flammæ mors dedit signum. Spiritus sanè igneus est Naturæ basis, & quia materiæ impactus est, fœminæ adscribi solet. Qui de *Samothracibus* Diis, masculo & fœmina generali videlicet, consideravit, facilè capiet, ut dixi, cur sacra *Jano* & *Vestæ* Deorum Sanctorum-ve Parentibus facerent, nominaque omnium sanctarum proprietatum naturalium & supernaturalium illis attribuerent. Hinc Philosophorum (si causam primam amasset) principi *Aristoteli* tanta fuit de divina virtute ambiguitas, ut illi meritò adscribat *Cicero* inconstantiam: sic enim lib. 1. *de Natura Deorum* §. 33. de illo scribit: *Aristoteles quoque in tertio de Philosophia libro multa turbat, à Magistro Platone uno dissentiens: modò enim Menti omnem tribuit divinitatem; modò Mundum ipsum Deum dicit esse; modò quemdam alium præficit Mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione Mundi quadam motum regat atque tueatur; tum cœli ardorem Deum dicit esse, non intelligens cœlum Mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit Deum.* In tanta Naturæ obscuritate versatus est *Aristoteles*, eò quòd volens effugere viam doctrinæ *Platonis*, noluit idearum fontes agnoscere. Nam est omnino necessarium ut sicut in tota rerum natura videmus Formam, quæ instar masculi est & mens dicitur, & Materiam, quæ fœminæ & matribus dat basin,

A & Compositum, quod ex utroque surgit, ita opus est dari ideas formarum, quæ sunt Mentes, Angeli, Genii, Intelligentiæque motrices ut in finem, unde masculinitas, quando in procreatione animantibus prædominant, & species concedi materiarum, quæ sunt impactæ cœlo, & sunt propriè Spiritus aut Intellectus possibiles, à quibus fœminæ sunt in animantibus, & demum spiritus ex utroque compositi duces Intelligentias, unde animarum & corporum societas, quæ revera coli sub uno summo DEO ut ejus Ministri debent. Mentium ordo formalis tantùm est. Compositum fœmina
B tantùm est, quia merè patitur & movetur à superioribus. Cœlestes Intelligentiæ mediæ sunt; ideo regio cœlestis ab *Orphicis* fuit posita communis masculeis & fœmineis nomenclaturis Deorum.

CAP. XXIV.

Quòd quicquid à Mose positum in Lege est, quoque est usus in Reipublicæ Divinæ institutione, Noachus jam suo sæculo aureo quatenus licuit exposuerit, & primò de litteris.

ANtequam revera possim demonstrare *Noachum*
C in *Etruria* suas leges legumque accessione similes illis, quas *Moses Israëlitis* posuit, instituisse, opus est ex ipso sacrorum fonte me priùs demonstrare, quòd præter Decalogi Tabulas & peregrinationis *Israëliticæ* occursus diutissimè ante *Mosem* erant sacri ritus. Quod enim ipso duce factum est, ut Lex omnibus *Israëlitis* poneretur, & omnes qui in ejus verba jurarant obligaret, illud pridem inter Patres erat. Nam ut ab initio exordiar, causa septemplicis influxus cœli jam ab ipsa Creatione erat notum septenarii mysterium, ita ut ubivis gentium septem diebus numeratis rediretur
D ad primum facta in septimo numerando quiete, unde adhuc nomina dierum sunt à vocabulis planetarum septem, licèt fabulositate *Græcâ* nomina sunt infecta. *Moses* autem primum sacrorum suorum in Paschate posuit ad septimum mensem, cui septem dies Azymorum assignavit. Quum autem *Hanochus* ante Diluvii tempora Propheta fuerit & prophetias scripserit, ut hodie pro canonicis habentur in *Æthiopia*, nullum est dubium, quum omnis prophetia ad laudem DEI tendat, quin *Geneseos* seu Creationis Mundi opificium in suis scriptis exposuerit, ideo septena de volatilibus jussus est suo sæculo *Noachus* in Arcam inferre. Audi-
E tores porrò *Mosis* in *Zoharis* Opere notarunt, ante *Mosem* fuisse Pascha usitatum Patribus ob Diluvii liberationem mense *Octobri*, septima videlicet à *Martio* luna, unde *Græci* anni sacri initium ab autumno incipiunt, ut & *Hebræi*, sicut nostrates à verno æquinoctio: ideo ob novas miraculorum memorias jussus est *Moses*, ut septimus mensis ab autumno illi esset anni principium: assiduis enim miraculorum & cultuum innovationibus regi humanum genus in sacris debet. Quum autem in declarandis immundis & mundis animantibus maxima pars legitimæ tractationis sit occupata, tamen omnia jam erant distincta, quum *Noachus*
F jussus est tot munda & tot immunda animantia in Arcam introducere. Sacrificare autem & erigere altare DEO primò fuit à *Noacho* factum & institutum. Circumcisio data est *Abrahamo* in signum fidei. Contractus matrimonii cum Fidelibus patet, cùm ad *Syros* venit Oeconomus *Abrahami* pro *Isaac* & *Jaacob* uxore ducenda. Omnes enim, qui cum *Theracho* patre *Abrahami* educti fuerant de *Hur Chaldæorum* in *Mesopotamiam*, erant fideles, aut saltem cæteris Populis fideliores. Hinc verè dixerunt filii *Jaacob Genes.* XXXIV. 14. quòd non erat licitum

dare ſororem ſuam *Dinam* homini incircumciſo. Sed quid plura moror? Pœna etiam ſtupri & adulterii poſita erat ante ingreſſum in *Ægyptum*, ut in *Thamaris* facinore viſum eſt. Verùm certiſſimam dictorum meorum fidem fecit ipſe *Abraham*, de quo ſcriptum eſt *Geneſ.* XXVI. 4, 5. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legesque ſervaverit.* Oblatio autem panis & vini fuit etiam ante *Abrahamum*. Quare nullum eſt dubium quin ante *Moſem* inter omnes Fideles multò maxima pars Legis in variis fragmentis, prophetiis, & libris circumferebatur, & apocryphè aut clam legebatur, atque à Sanctis (quorum *Noachus* anteſignanus eſt) ſervabatur per ſupererogationem, & non per obligationem, donec, accepto in Tabulis Divinis Decalogo cœlitus, accepit Legis compendium & ejuſdem finem cum litteris illis, in quibus expoſiti poſtea Libri ſancti *Moſeos* ſunt characterum myſterio unà conjuncti, & cœperunt omnes obligare, poſtquam ſemel ſunt recepti. Quin fuerit ſummus omnium divinorum præceptorum, & tàm in lege ſcripta quàm in cordibus ſcriptorum, obſervator ille, per quem genus humanum ab aquarum clade liberatum eſt, nemo dubitarit. Quin autem ſuos ita inſtituerit, (ſalvis myſteriis *Syriacis Adamo* veteri in novo debitis) uti & ipſe erat inſtitutus, nullum eſt dubium. Obſtabant verò multa, ne abſolutè, ſimpliciter, & palam poſſet omnia exponere *Noachus*, quæ & *Moſes*, licèt omnia illa noviſſet. Nam in hanc calamitatem humano generi obortam incidimus, ut quum omnia homine inferiora ſuis in naturis permaneant, legesque Naturæ ſervent, ſolus homo hoc fateatur, quòd meliora probans deteriora ſequatur, opus erat ab æterno cœlitus eſſe deſtinatum Regem Regum & DEI Verbum, qui univerſi nomine pro omnibus lueret & ſatisfaceret, cujus adventus quia abſolutè in *Syriam* erat tanquam ad propria ejus maximè propria deſtinatus, ideo opus erat ſecreta myſteria illic ſervari: abſolutas enim religiones à *Syriæ* ſanctæ arce oriri opus erat. Adhæc enim particulares univerſi Orbis Angelos coli oportuit, ut eorum Princeps JESUS ubivis coleretur. Ideo ſolus ille Rex Regum, & Mens mentium, Spiritusque ſpirituum debebat quidem in *Syria* ſive Terra ſancta, ubi eſt primarius cœli adſpectus, prædici, exſpectari, & coli, & tandem in loco illius, à quo hoc morbi accepimus, quòd meliora probantes deteriora ſequamur, venire, ut omnium nomine ſatisfaceret, faceretque ut meliora probantes ſui meliora ſequerentur, & non tantùm ad majorem condemnationem ſcirent. Sic prima abſolutaque Religionis veritas in eum locum erat ſervanda, etiamſi homo nunquam perverſâ fuiſſet naturâ imbutus. Hic enim eſt primus maſculeus Intellectus Mundi, cui primus honos veritatis enucleandæ debetur. Licèt enim *Italia* ſubſit Baſiliſco ſeu cordi Leonis tanquam clariſſimo ſiderum fixorum, tamen illud ſidus ignobilius eſt primo cœli ſigno, quod in primo mobili rapitur: pars enim ea tota maſculina eſt & uniformis, quæ ab Ortu in Occaſum rapitur; tota eſt fœminea & mutabilis, quæ ab Occaſu in Ortum fertur, ut ſunt ſtellæ fixæ & planetæ. Ideo *Noachus* hujus ordinis periſſimus, ſciens ſe fœmineæ inferioris & temporalis politiæ genus præſtantiſſimum conſtituere, non potuit ea omnia, quæ maſculæ & *Syriacæ* formæ debebantur, à ſacris locis ſepulturæ *Adami* ad ſua buſta transferre. Ea de re & Litteras Divinas interiores & myſterii plenas (quarumque iteratum exemplar *Moſes* cœlitus accepit, ſicut divinitus olim *Adam* ab Intelligentiarum Principe acceperat) reliquit *Syriacæ*

A inſtitutioni ſeu *Judaïcæ*, ſatis habens externas expoſuiſſe, quæ rudi charactere & ordine inverſo apud *Samaritanos* ſuperſunt, & olim in capitales *Etruſcorum*, *Latinorum*, & *Græcorum* figuras converſæ ſunt.

CAP. XXV.

Quum infinita ſint inſtitutionis humanæ adminicula, quare litteras in prima ratione putemus conſiderandas.

DE abſoluta æternaque Reipublicæ forma, quam Parens hominum ad aurei ſeculi inſtitutionem

B propoſuerat, ut rationem rectam inter converſandum in animis hominum reformaret, dicturus, jure à litterarum negotio exordiar. Sicut enim aſſiduè formatur genus humanum legibus in animo ſcriptis aut in locutionis communis forma poſitis, ſic Reipublicæ corpus conſervatur aut conſuetudine, aut legibus, quæ litterarum beneficio veluti in vita ſerventur. Salus itaque Reipublicæ ſunt leges ſacræ & humanæ. Salus legum in tabulis & litteris ſervari opus eſt. Licèt autem nîl videatur referre quibus litteris aut elementis res

C contineantur, tamen ſummoperè ad ſummæ primæque cauſæ laudem, in quam omnia tendant oportet, hoc facere videbitur, quum non tantùm inſtituta legesque divinæ conformes à Parente hominum fuiſſe in *Eturiam* delatas oſtendemus. Quum autem inter alias originem illius Linguæ Sanctæ, quæ vocalis punctulis, accentus lineolis litteras prima ſuperficie inſtar mathematum componit ex triangulo, quæ eſt prima Mundi ſuperficies, & in quam omnes figuræ reſolvuntur, quæ ea de re Sancta meritò vocatur, & hactenus ſacras Veteris Teſtamenti leges divinitus ſcriptas continet, jam abun-

D dè tradiderimus, & quænam ab ea ſint deductæ oſtenderimus, tàm in Libro *Originum* quàm in *Tabulis Linguarum*, eò remittemus Lectorem: ſatis enim hic fuerit noſſe illam fuiſſe cœlitus datam *Adamo* & *Moſi Iſraëlitiſ*que, ſed pro myſterio, donec ex myſtica fecit publicam *Eſras* Scriba *Judæorum*, unde jam ab ejus temporibus natæ ſunt ex ea inter alias tres præcipuæ, *Arabica*, *Syriaca*, quæ CHRISTI temporibus erat in uſu, & *Chaldaica*, quæ relictis priſcis characteribus proprium *Hebraïcum* aſſumpſit. In hac una ſola vera & recta nominum verborumque ratio deli-

E teſcit; ideo illius uſum opus fuit ſoli Religioni myſterioſæ veræque relinqui. Alia erat externa & omnibus communis: in qua clariſſimum inde poteſt probari, quòd *Moſes* publicè Legem transſcripſerit, cujus Decalogum ex cœlo, totum autem corpus quinque Libris per prophetiæ ſpiritum in ſancto jam acceperat & ordinarat charactere, eò quòd Gens una *Samaritanorum* tam mordicus conſervavit dictam Legem in eo, quem vocant *Samaritanum*, charactere, ut nullo modo voluerint cæteros Sacræ Scripturæ Libros recipere, quòd à *Moſe* non eſſent ſcripti. Curavit enim ſanctiſſimus Legiſlator, ut duodena exemplaria ſingula

F ſingulis Tribubus transſcriberentur, & in hoc charactere *Samaritano* ſingularum Tribuum Ducibus darentur, uni autem Tribui *Leviticæ* & cœtui duorum & ſeptuaginta ſenum ad Legis conſervationem electorum daretur unicum exemplar ſacroſanctâ inſcriptum dialecto & figurâ, quod quidem ad tempora uſque *Eſræ* multis exemplaribus conſervatum & transſcriptum eſt. In manibus *Judæorum Samaritanorum* & *Neapoli* (quæ erat *Sichem*, nunc *Napoloza*) & *Damaſci* supereſt & exemplar quinque Librorum *Moſeos*, & character, multùm quidem difformatus ab ea nota characterum, quæ

quæ in Numiſmatis ferè ubivis in *Syria* conſpicitur, cujusque effigiem curavimus utcumque in noſtro *duodecim Linguarum Introductorio* appingi, nondum tamen tunc animadverſa *Græcarum* & *Latinarum* origine, quæ inde à *Noacho* eſt deducta. Licèt enim hodie nil ſuperſit veſtigii de *Etuiorum* priſco charactere præter ipſas notas mutis inſculptas marmoribus, quas ut *Latinis* eſſe omnino conformes non eſt dubium, ita vix poteſt judicari, cujusnam noſtrorum characterum vice & loco fungeretur, etſi characterum cum *Latino* poteſtas reperiretur, tamen & Lingua & ejus verba priſca funditus ferè exciderunt.

CAP. XXVI.

Quomodo litteræ & Græcæ & Latinæ ſunt ab externis Hebraïcis, quæ nunc ſunt Samaritanorum Judæorum, deductæ à Jano Razi-Hinuo, quem Nochum dixit Antiquitas.

UT ſunt diſſimili *Græcorum* & *Latinorum* characteres minuſculâ figurâ depingi ſoliti, ita majuſculis notis eſſe ferè omnino ſimiles, & per conſequens eadem origine, nullus eſt utriusque Linguæ peritus qui hoc diffiteatur, aut ſi attendere velit negare ullo modo poſſit. Licèt enim figura Γ & G, Δ & D, Λ & L, Σ & S, &c. differant, tamen A, B, E, Z, H, I, K, M, N, O, Π, P, T, Υ non poſſent unquam quadrare, niſi eſſent eadem origine. Quamvis verò nullâ litterarum memoriâ ſit traditum, quando aut quomodo ex *Etruſcis* factæ ſint *Latinæ*, tamen ubi concordant figuris, opus eſt quandoque fuiſſe ſimiles. *Etruſci* autem uſu evocandorum Geniorum præſtantiſſimi ſingulis in locis ſuarum Tribuum (erant enim duodecim) & Civitatum ſolebant ſuas notas ſeu Alphabeta, ut vocant, confundere, ne vicinus ratione Alphabeti deprehenſa & nomine Genii revelato (illi enim faciebant ſacra nomine expreſſo) evocaret Genium & vinceret. Inde capitale erat nomen proprium Civitatis evulgaſſe, quia ex nomine Civitatis Provinciæ-ve eliciebant nomen Genii Angeli-ve cuſtodis, & elicitum evocare ſuis Sacerdotibus ſatagebant. Hujus rei adhuc exſtat argumentum in eo, quòd multi Priſcorum obſervatis quibuſdam *Etruriæ* Alphabetis eaſdem fermè figuras in omnibus repererunt, tamen unum recto ordine & *Hebræis* uſitato priſcoque, qui à dextra in ſiniſtram aut verſùs pectus tendit, alterum more *Latino* contra naturæ ordinem, à ſiniſtra videlicet in dextram, unde relinquitur cogitandum quod ſuprà diximus.

Samaritanorum autem characteres ſic habent ordine nomineque *Hebraïco*.

Alef. Bet. Gimel. Dalet. He. Vau. Zain. Het. Thet. Iod. Caf. Lamed. Mem.

Majuſculi.

Nun. Samech. Hain. Pe. Zade. Cof. Res. Sin. Tau.

Minuſculi.

Vide à tergo obverſâ chartâ, & deme Vau à ſexto loco, & ſerva pro y Y, tolle Jod & Zade, cæteræ omnes recta aut quovis modo inverſa magis quadrabunt cum noſtris quàm ipſæmet noſtræ.

CAP. XXVII.

Quòd diutiſſimè antequam ab ipſis Phœnicibus aut Punicis, ut etiamnum Syri legunt, Cadmus adferret litteras Græcorum, quas adinſtar Jani ipſis Græcis inverteret, multis ſæculis jam in Gallia & in Hiſpania fuerant.

ET *Julius Cæſar*, & *Strabo* Coſmographus, qui *Auguſti* ſcripſit temporibus, uterque Linguæ *Græcæ* peritiſſimus, fidem facit quomodo jam à ſuprema hominum memoria illæ litteræ, quas omnes *Græci* in *Cadmum* referunt, fuerant in Occidente. Nam jam à *Ditis* uſque temporibus, ait *Cæſar*, ipſis *Gallis* erant in uſu. דיש *Dis* autem ille ipſe eſt quartogenitus ipſius *Japeti*, qui ob ingenii doctrinæque præſtantiam nomen *Samauthi*, id eſt, cœleſtis, meruit, quem auctorem ſui generis ſe habere gloriantur *Galli*. Quum itaque *Druidæ* indignum judicarent, ut ſacra eorum diſciplina ullis aliis litteris quàm memoriæ vivæ auditorum committeretur, in totius Reipublicæ uſu & in privatis contractibus *Græcis* utebantur litteris. Unde neceſſe eſt ut illarum litterarum uſum jam ab ipſius *Gomeri*, *Celtarum* in *Umbria* Parentis, temporibus illas accepiſſe ex prima *Samaritanorum* characterum inverſione facta ab Univerſi Parente *Saturno*. Quum enim ſæculum aureum dictum ſit, quòd homines tam ſanctè curabant Naturæ præſcripta ſervari, ut legum Principum, Judicum, & Tyrannorum Exactorum-ve operâ ad homines in officio retinendos nullomodo egerent, nullum eſt dubium quin poſt patrem & matrem omnes filii & domeſtici ipſi primogenito tantum deferrent quantum alteri parenti: hoc enim natura duce ubivis gentium ſemper æquiſſimum viſum eſt. Hinc factum eſt olim, ut tota *Europa*, auctore *Diodoro*, *Herodoto*, *Appiano*, & *Polybio*, ad *Tanaïs* uſque fontes nomine *Celtarum* diceretur, quod alio nomine contigiſſe non poteſt, quàm quia jam ab aurei ſæculi temporibus ille *Celtarum* Parens, quem *Gomerum Japeti* primogenitum fuiſſe *Joſephus* ſcribit, nominis ſui jurisdictionem (de nomine enim latiſſimè ſpargendo prima cura ratioque eſt) in totam *Europam* ſparſerat, unde in ipſa etiam *Græcia Homeri* temporibus *Gallorum Galatarum*-ve characteres vulgares erant, licèt illis rudiores eſſent, quos poſtea & *Homerus* & *Cadmus* reformarunt, ut multi fide digniſſimi Auctores tradunt. Nam non alia de re attuliſſe legitur à *Punicis* litteras *Cadmus* ad *Græcos*, niſi quia tunc temporis adhuc fama erat conſtantiſſima, quòd *Galatarum* characteres eadem eſſent origine: ſenſim enim res humanæ expoliuntur. Confirmat autem hoc *Strabo*, quum ait, ante ſex annorum millia fuiſſe ipſi *Celtiberorum* mixto videlicet ex *Iberis* & *Celtis* generi uſum *Græcarum* litterarum, quibus verſus plurimorum temporum decantabant. Quadrimeſtres autem anni erant illi, qui ad noſtros æſtimati faciunt bis mille annos. Sic teſtis eſt *Xenophon*. Quare nullum eſt dubium, quin Vatum, Aſtronomorum, Sapientumque maximus *Saturnus Noachus*-ve aurei ſæculi dux dederit ſuis primogenitis unà cum ſacris diſciplinis etiam figuras illas litterarum, quæ *Græcis* eſſent affines, & aliquando ab Occaſu in Ortum repedarent. Quando autem ad *Latinam* figuram cœpere accommodari, nondum quod ſciam memoriæ eſt proditum, *Carmentam* enim in fabulis pono, quod ad *Latinarum* litterarum inventionem attinet. Licèt enim omnino non elevem fidem ejus Hiſtoriæ, quæ ait, & *Pelaſgos* & *Arcades* veniſſe in *Italiam*, eò quòd nulla eſt fabula quin ex aliqua veritatis um-

A bra nata sit, tamen quòd unquam *Italia* sit exculta ab *Arcadio* pecore, ne quid durius dicam, illud non crediderim. Magna quidem obscuritas in rebus priscis ideo versatur, non quòd nullus esset usus litterarum, sed quòd rarissimus semper fuerit, & in ritualibus utplurimum scriptus religionique conjunctus. Sicut autem si quis hodie insigni quadam aut potentiæ, aut sapientiæ, aut bonitatis famâ apud *Syros* & *Arabes* valeret, ut illi litterarum suarum permutandarum & emendandarum curam committerent, ille autem dissimulatis originibus ad *Hebraïcarum* nihilominus, unde natæ sunt, exemplar reformaret, invenisse B omnino apud originum imperitos diceretur, sic facilè crediderim Fatidicam illam aut *Sibyllam*, quæ ob prædictiones suas famam sanctitatis esset consequuta, hoc fecisse, ut illam communem characterum formam, quæ priùs esset in toto Occidentis Orbe communis, *Samaritani* characteris beneficio reformaret. Quum enim tantum illi licuerit ut characteris reformandi cura sit illi commissa, illam non fuisse litterarum quarumdam imperitam judicandum est. Versabantur enim ritualium priscorum Libri præcipuè in eorum manus, qui Religioni veriori se addicerent, unde poterant C cùm multa alia, tùm potissimùm sacram Divinationem, Astronomiam, & avitas sanctorum Patrum Vatum-ve & *Sibyllarum* prædictiones legisse. *Babylonica* enim seu *Persica Sibylla* in *Asia* temporibus ferè *Nimrodi* fuit, cujus innumeri fuere versus ex *Chaldæis* conversi. Illa rituales Patrum Libros habuisse potuit: fuit enim insigni etiam auctoritate, ut ex fragmentis Versuum *Sibyllinorum* excusorum patet. Porrò id fuit olim durante vera astrorum cognitione commune, ut in *Italiæ* umbilico crederetur fore basim summæ fœlicitatis Mundi. Hinc adventus *Noachi* & suorum, hinc *Æeneæ*, hinc & *Pythagoræ*, hinc & *Carmentæ* D etiam, hinc & *Erythrææ Sibyllæ*, quæ à *Cumis Asiæ* Libros ad tantorum successuum regimen attulit auctore Genio *Italiæ*. Certissimum hoc est, quicquid de litterarum *Latinarum* origine sit traditum, ordine characterum & nomine adhuc à *Græcis* conservato, nîl differre ab *Hebraïco Samaritano*-ve charactere, præterquam in positione *Vau*, in cujus locum *Latini F* seu Digamma *Æolicum*, *Græci* notam ϛ senarii numeri, quæ pro σ & τ inter scribendum ponitur, transscripsere. Quum hodie adhuc conveniant in majusculis *Græci* & *Latini* & videantur *Græci Latini*que in ordine ferè nîl differre, *Carmenta* nîl aliud fecisse potest E quàm reformasse & ad priscas *Syras* rursus *Latinas* appendisse. Nam *Latini* in ordine *Hebraïco* habent *H* adhuc pro adspiratione, & non pro vocali instar *Samaritanorum Hebræorum*que, quam *Græci* pro vocali Η ponunt: prætereà *Q* in loco ϙ *Koph*, quem *Græci* omnino in litteris perdidere, sed in numeris pro nota 90. servant. *Q* autem majusculum *Latinorum* omnino solidum, sed inversum, invenitur eodem in loco in litteris *Syrorum*. Quare ut iterum concludam, aut fabula fuit historia *Carmentæ* de litterarum *Latinarum* inventione, aut si verè fuit, formas characterum F expolivit, & ab usu *Græcorum*, qui pridem in Occidente fuerat, minusculis separavit figuris. Nam capitales adhuc eædem esse hodie videntur, præter Ʒ *Samech*, quæ omnino *Samaritana* est, & in suo loco apud *Græcos*, apud *Latinos* est loco & figura mutata, atque aliunde adscita. Crediderim sanè depravato sono nostros ab adjectitiis *Græcorum* accepisse: nam Χ *Chi* sequitur Υ *Ypsilon* apud illos & nostrates.

Cap. XXVIII.

Sicut Moses suo sæculo à DEO vocatus nîl priùs habuit quàm in litteris divinitus scriptis legum omnium compendium in Decalogo positum exponere, sic aurei sæculi dux Noachus nîl priùs curavit quàm in animis latissimè, & in litteris Samaritanis ne periret, Testamentum seu Legem Æternam exposuisse & inter primogenitos & inter Razi-Hinuos.

QUum sit res in tota Historia *Romana* constantissima, quòd fœlicissima aliquando sub *Jano Saturno*-ve prisco vita hominum fuit, adeò ut aurea dici meruerit, inque votis toti fuerit posteritati, nullum est dubium quin illa primò & maximè inter jam primogenitos floruerit. Clarum autem est totam *Romanorum* institutionem ab *Etruscorum* oraculis, monitis, & institutis dependisse, quum etiam florente & jam ambitione plenissimâ *Româ* sanctio sit edita de mittendis principum filiis ad singularum Tribuum *Etruscarum* institutiones sacras percipiendas, atque demum in Reipublicæ *Romanæ* usum transferendas, quòd si *Romæ* eædem doctrinæ fuissent, illuc mittere fuisset alienum. Mores autem & pietatem summumque Reipublicæ nervum dependere omnino à Religione constat. Quare nullum est dubium, unde & institutio religiosa dependet, inde mores Reipublicæ dependere, & licèt mores perierint, ut hodie *Romæ* videmus, tamen doctrinam remanere cum auctoritate certum est. Primogenitos duos habuit *Noachus*, primos & maximè dilectos illos, qui à spiritu geniti erant, quique in tota *Etruria* ab ipso sunt instituti & mystico *Razi-Hinuorum* nomine vocati, penes quos summa Divinatio Occidentis est commissa, unde institutionis humanæ ratio. Illi enim non tantùm hominibus, sed etiam spiritibus & Naturæ imperabant, ut certissimis proditum est Historiis. Quid autem mirum est, potuisse optimè institutos & à sanctissimo sanctorum initiatos in summi DEI nomine & Angeli *Etrusci* potestate, quod olim in *India Abrahmanes*, nunc etiam & *Brahmini* adhuc ibidem possunt; cæterùm ubivis *Christianismi* malefici & maleficæ accusantur deprehenduntùrque rei evocatæ excitatæque, ubicumque voluerint, per malos Spiritus grandinis, pluviæ, tempestatis; quod in eorum accusationum libris ubivis legi potest. Quis enim non putet illum sanctissimum hominem tantum potuisse in pactis bonorum Angelorum, quantum ista fæx hominum cum malis potest? Sic eliciebant & averruncabant fulmina, ne nocerent. Alii primogeniti erant carnis, qui in *Umbria* primo duce *Gomero* filio *Japeti*, ut dixi suprà, habitarunt, donec in *Galliam* ad *Druïdarum* institutiones *Italiâ* à *Chamesenuis* aurei sæculi perturbatoribus sunt pulsi. De his nîl nunc dicam. Hoc unum quod ad *Razi-Hinuos* attinet confirmatum volo. Non potuisse aut debuisse aliter instituisse *Noachum* suos spirituales primogenitos, quin, quam doctrinam seu à DEO, seu à cœlo, seu à Geniis Angelis-ve habuisset, illam totam in eos ad posteritatis lumen transfunderet. Quum autem non solùm in signo arcus cœlestis Testamentum Æternum à DEO acceperit, sed sit opus omnino ut illud Testamentum aut Pactum, quod legitur DEUS iniisse fecisse-ve cum ipso *Noacho* & ejus posteris, sit scriptum, aut saltem verbis in animo conceptis tale, ut ejus observatio revera aurei sæculi basis esset, faceretque ut, quamdiu posteritas illam observaret, nunquam DEUS homines à facie terræ deleret. Fuit itaque prima illa æter-

æternaque lex, quæ fuerit litteris in Occasum delatis exposita, à cujus unius præscripti virtute, quicquid unquam aut fuerit, aut est, aut erit legum divinarum aut humanarum rationi naturali conjunctarum, dependeat est omnino necesse. Quum enim ratio officii, à qua aurei sæculi virtus dependebat, non tantùm in hoc sit posita, ut nemini noceas, aut ut jus suum cuique tribuas, sed ut multò maximè etiam cui nîl jure debeas, aut qui etiam in te gravissimè commiserit, prospicias, fratrisque fungaris officio, opus erat Testamentum æternum tantâ esse virtute, ut & à malo inferendo omnino cohiberet, & maximè ne tibi in præstantissima tui parte noceas prospiceret, sed ut tantopere ad benignitatis, ut vocat *Cicero*, aut charitatis, ut *Christiani* dicunt, officia concitaret, ut quicquid in te esset positum, illud omnino non tantùm amicis aut benefactoribus, sed maximè immerentibus, incogitantibus, atque ipsis inimicis esset comparatum. Vbivis enim gentium est usu receptum, ut lege cohibeatur injuria, & ut amicis beneficia largiamur. Nec tamen usquam gentium aurei sæculi forma videtur. Pactum itaque sempiternum necessariò istud est.

CAP. XXIX

Lex sive Testamentum æternum.

QUidquid aut actu aut potentiâ quovis modo superior vis, aut secundùm naturam, ordinis saltem gratiâ velle debes, ut ab illis, qui tibi subordinati sunt, fiat aut non fiat, dum tu quovis modo præfectus illos cupis in utilitatem, & non in damnum, pro tua voluntate, & non pro sua, animo, corpore, & rebus externis, esse, societatis aut Reipublicæ saltem nomine, tibi comparatos, ita ut intentione finali in te aut bono publico toti sint, in se autem tanquam nulli: hoc ipsum te causa & amore DEI Numinis-ve quovis modo à te cogniti, & salutis quovis modo à te in summam diuturnitatem expetitæ, te facere æquum est, & facto ipso perinde atque consensu verbisque hoc confirmare. Quod quisquis, sive privatus sive magistratus fuerit, nomine DEI & libertatis ararum in toto Mundo sacrosanctissimarum causâ hoc ipsum fecerit, ut illi fuerit possibile, ille præstantissimus hominum aut statuum habendus sit, & meritò universis præferendus: è diverso verò qui maximè contrà fecerit, in contrario loco ponendus & habendus, deturbandusque est, maximè si ararum domesticus est. Nullo unquam alio legis generalis præscripto aut fieri potuit, aut unquam fiet aurei sæculi institutio, & quantò magis sæculum ab hujus sententiæ recedet præscripto, tantò magis ab aurea vita; quantò verò quisque fuerit huic propior, tantò magis & DEO, & Naturæ, & rectæ Rationi obediverit. Hoc erat Pactum sempiternum, quod pepigit DEUS cum *Noacho*, ut tamdiu duraret, quamdiu in cœlo cœlestis videbitur arcus.

CAP. XXX.

Quòd posita lege omnibus æquivalente legibus, etiam sui Populi Capita, ad instar cœli & Divini Populi, divisit Janus in Eturia.

NIsi tota Antiquitatis doctrina funditus periisset, non esset hîc mihi affirmandum summam in numeris virtutem delitescere, sed sat fuerit ad harmoniæ rationes omnino in ipsis numeris positas huc attulisse, quòd in tota rerum natura si quid à suis numeris abfuerit, omnino ruitura est

A creatura. Est enim non tàm sacrorum quàm Philosophorum sententia hæc verissima, quòd omnia in numero, pondere, & mensura modove sunt constituta. Non sine ratione quaternario constant numero causæ, elementa, horizontis plagæ, cum aliis rebus in quaternario positis; non sine ratione decem orbes cœli, quorum unus est uniformis, cæteri illo subnixi contra illum moventur; non sine ratione genera prima decem, uno constante novem accidentibus in illud obnixis; non sine ratione duodecim, & non plura signa cœlestia. Profectò ut in verbis, si illis attendas & credas consensuque coopereris, (ut lib. XXVIII. cap.
B 11. *Hist. Nat.* notavit & fassus est *Plinius*) sunt virtutes admirabiles, sic sunt in numeris, sed tantò majores quantò sunt nominibus priores numeri: nullum enim factum ullo modo aut recitari aut intelligi potest, quin numerus ante nomen præcedat. Hinc peritissimi rerum naturalium *Pythagorici* judicabant sanctissimè quaternarium divinitus animæ nostræ infusum & impactum esse radicem & fontem æternæ naturæ. Quamvis enim unica sit in nobis forma & anima, illa tamen non nisi quadruplici natura in unum coalescente consistere potest. In ea enim est Mens, Spiritus, Anima, & materialis corporis Forma, quæ partes
C elementis respondent. Sed de iis alibi. Nîl prius observarunt Antiqui quàm numeros, quod in idea Politiæ expressit *Plato*, dum suas divisiones præcipuas Magistratuum duodenario numero ad instar cœli divisit. Quum enim quicquid beneficii cœlestis capiamus, illud totius anni solaris cursu per duodecim signorum portas recipiamus, perfectæ Politiæ instauratores fategerunt, ut Magistratus duodecim capitum corpus publicum ad instar cœli constituerent, ut illi duodecim Genii aut Angeli, qui vario & differenti duodecim signorum influxu curant Orbem regi, curarent etiam
D in hoc evocati ut singuli singulis Magistratibus præessent. Hac de re CHRISTUS æterna veritas non potuit majus suis duodecim Apostolis promisisse munus, quàm ut in ejus gloria super sedes duodecim sederent in sua loca restituti judicando duodecim Tribus *Israël*. Ideo quum unus ex numero periisset, necesse fuit ut ante omnia eligeretur denuo unus ad complendum numerum. Ea de re dixit *Petrus*, oportet unum eligi, postquam Dominus adscendit. Oportet inquam unum eligi, quia Orbis œconomia cœlo non responderet, ut opus est, nisi unus eligeretur ad duodenarium numerum complendum. Hujus rei gra-
E tiâ sunt nati duodecim filii ipsi *Jacobo* Patriarchæ. Ea de re, antequam Diluvium in Orbem immitteretur, sunt in linea bonorum nati viri duodecim, & ea de re, licèt impius esset *Chameses*, quando illi maledicere voluit pater, ne duodenarius ille numerus violaretur, noluit pater *Janus* illi maledicere, sed ejus quartogenito *Canaan*. Nam sic in toto & Naturæ & Scripturæ cursu notatum est, aut malos in quarta generatione esse pessimos, aut bonos esse in quarto loco præstantissimos. Quum autem Divina Providentia necessariò præordinasset quod fuit hactenus de *Pseudo-Judæorum*,
F aut *Ismaëlitarum*, *Muhamedicorum*-ve regno in effectu positum, ideo sacer *Geneseos* liber duodecim Duces & Capita huic Genti *Ismaëliticæ* tribuit. Sic ea de re Sapientum & Prophetarum princeps *Noachus* suos *Razi-Hinuos Etruscos* duodecim Magistratibus regi instituique procuravit, ut evocatis duodecim cœli Geniis possent suum Populum instituere, quibus instar CHRISTI super Apostolos (nam sciebat omnia futura *Noachus*) unum veluti omnium arbitrum, & ad instar Intellectus generalis supra cœlos & duodecim signa collocavit. Regionem etiam *Eturiis* suis assignatam

tam in duodecim provincias & municipia dividi ea de re voluit; quæ omnia sunt in totius *Romanæ* Historiæ cursu ubivis ferè exposita. Unde meritò mihi adnotasse videtur *Dionysius Halicarnasseus* mendacia cæterorum *Græcorum*, quum ait: *Ideo sibi Lydos, nec esse Eturios Tyrrhenos-ve, nec illis fuisse admixtos, quòd nec Linguâ, nec Religione, quæ res sunt diuturnissimæ abolituque difficillimæ, ullo modo Lydi cum Tyrrhenis consentiant.* Atqui divisionem hanc duodenariam apud *Tyrrhenos* fuisse à *Lydis* factam Auctoribus quàm plurimis vanitatem *Græcam* secutis videtur. Apparet autem ex eo ipsissimos *Eturios Tuscos*-ve ab ipso *Jano* fuisse in duodecim Tribus *Lucumonum* divisos, quòd illi eo nomine *Jano* Patri aram *dodecabomûm* sive duodecim altarium posuerunt. Sicut enim olim in signum, quòd aperto *Jordane* DEUS transmisisset duodecim Tribus *Israël* sub *Josue*, duodecim lapides magnos in fluminis medio posuere, & contrà à medio fluminis, qui ibi è regione *Jericuntis* (ut vidi innatavique) est profundissimus, duodecim lapides sustulere, quos in *Galgale* ad primam castrametationem in rei memoriam posuere. Unde autem irrepserit isthoc *Lydorum* cum *Tyrrhenis* commercium, uno facilè argumento conjicio. Vetusti *Mosis* Auditores, qui septuaginta duo fuere per continuas successiones propheticas, nam nullus nisi spiritu clarissimus olim in eum cœtum admittebatur, jus Scripturæ Sacræ per mysteria & viam naturalem interpretandæ habebant, suasque declarationes *Cabalam*, quòd auditu potissimùm reciperetur, vocabant. Quoties autem de rebus in summo mysterio positis agebant, illi, ut frequentissimè in *Zohare*, quod ex *Chaldæis Latinum* fecimus, videre licet, & quoties ad summa mysteria dicenda pergebant, se in לוד *Lud*, hoc est, in *Lydiam*, proficisci asserebant. לוד *Lud* autem, & transpositis litteris ולד *Veled*, modo scribendi illis usitatissimo, est partus seu fœtura. Quum nîl planè inveniam in doctrina *Moseos*, quin illud idem apud *Razi-Hinuos* clarissimo vestigio ostendere possim, facilè ducor ut credam, quum *Noachus* secundarium doctrinæ sacræ genus in *Italiam* adduxerit, qui est primus Divinationis partus, ut etiam *Razi-Hinui Lydii* veri dicti sint. Nam nec *Lydi Arabiæ*, nec *Asiæ* Minoris, mihi alioqui huc advenisse videntur. Ire in *Lydiam* apud Patres erat ad contemplationem & sacrarum cogitationum partum edendum moveri; in qua re post summum Pontificem *Melchisedecum* filium suum, quem *Janus* cum primis ritualibus in *Syria* sancta reliquerat, *Tusci* super omnes excelluere. Inde factum est, reprobato in sua proprietate, CHRISTO, ut omnia restitueret, ipse voluerit veram Veteris Testamenti in Novo *Romæ* edi interpretationem. Novum enim Testamentum nîl aliud est quàm Veteris partus & elucidatio perfectioque. Hæc est conjectatio de *Lydiæ* nomine. Ut enim notavit *Halicarnasseus*, qualicumque nomine & quacumque de causa sint nuncupati, illos fuisse præstantissimos rerum sacrarum auctores constat, (licèt corruptissimè suo sæculo jam ea doctrina tractaretur) ita ut nomen à sacrificandi peritia meruerint.

CAP. XXXI.

Quòd sicut ad instar sacrorum duodecim Capita & Populos in suis Eturiis instituit Janus, sic fecit ut prima Populi subjecti divisio in duo & septuaginta Capita esset sacrorum instar.

JAm duo argumenta me puto abundè suasisse. Primum, quòd *Janus* in *Italiam* veniens litte-
A ras & instituta Patrum Orientalium unà secum advexit. Secundum, quòd tota *Romanorum* sacrorum tractatio sit ab ipsis *Etruscis* petita; quod postremum etsi sim adhuc abundè confirmaturus, tamen nunc pro concesso & supposito capio. Qualis itaque erat *Etrusca* sacrorum tractatio collata ad sacros *Syriacos* sanctosque, talis erat *Romana* ad *Etruscos*, id est, subjecta fœminea & inferior. Norunt fatenturque toto in Orbe Astronomi singula duodecim signorum in tria decatemoria esse divisa, unde ab ipsa linea ecliptica ad polos in singulis signis sunt seni trianguli, tres ad Aquilones & tres ad Austrum, quod nisi quis in cœle-
B sti, sanè vel crudissimus in materiali & typica intellexerit. Licèt itaque sint duodecim intelligentiæ duodecim signis incumbentes, tàm ut moveant in finem, quàm ut moveant in locum, & ipsi cœlo impactæ, quum latissimè ab æquatore ad polos videatur influxus cœli differre, opus est, ut etiam singulis decatemoriorum angulis præsint intelligentiæ diversæ, quæ sint duodecim signorum in sui varietate ministræ. Unde sunt sexies duodecim virtutes, quæ ad numerum septuaginta duarum assurgunt. Ea de re quum DEUS ad hoc Naturæ hoc templum instituisset ut per crea-
C turas cognosceretur, maximè verò per ipsius cœli & ejus partium adspectum, præstantissimè autem per intelligentiarum orbi cœlesti præfectarum ministeria & influxus, CHRISTUS Naturæ instaurator voluit non solùm ut ad instar duodecim signorum cœli essent duodecim primariâ auctoritate Viri totius Orbis illustratores, sed ut illis subessent duo & septuaginta Discipuli, eorum quæ docerent Ministri. Scimus autem ad hoc mysterii collimasse Universi Ducem Spiritum illum, qui hanc alit molem, ut sic informaret *Jacobum Israëlem Judaïcæ* Religionis antesignanum, ut illi non satis essent duodecim filii, nisi etiam cum
D septuaginta animabus in *Ægyptum* descenderet. Inde fecit *Moses*, ut, post instructum in *Levitica* Tribu sacerdotium, qui esset in capite & primâ apud duodecim Tribus auctoritate, à DEO jussus etiam duos & septuaginta senes Religionis Interpretes institueret: qui communiter septuaginta dicuntur, ut cœlo responderent. Ubi nos habemus septuaginta tantùm in *Græcis* & *Latinis* Exemplaribus Evangelii, est error; nam & *Orientalium* & *Meridionalium* Exemplaribus contravenimus. *Armeni* enim & *Æthiopes* benè habent, ut ipsi vidimus. Inde à Spiritu factum est, ut post illos duodecim Patres
E antediluvianos statim à Diluvio septuaginta Populi & Linguæ in universi Orbis possessionem sunt assignatæ. Nîl enim est aliud humanum genus quàm mentes cœlestium assiduè huc unà cum suo spiritu demissæ, ut Mundum informent de cognitione DEI. Horum mysteriorum gratiâ fecit *Noachus* non solùm ut inter suos *Razi-Hinuos* essent duodecim capita, quibus unus superesset, sed quia *Roma* (quam suo sæculo *Saturniam* à *Saturno Scytha* nomine *Sabbathio* voluit dici, ut ad *Janiculum* erat *Antipolis*) erat ad instar fœminæ & receptricis inferiorisque naturæ, ideo voluit ut ex primario nobiliorique sanguine (qui tunc virtute sola niteba-
F tur) viris *Romanis* duo & septuaginta juvenes mitterentur ad sacra *Eturiæ* ediscenda. Constat enim duodecim fuisse Populos, ad quorum singulos sex principes adolescentes mitti consueverant: est enim necesse ex *Ciceronis* sententia ut septuaginta & duo essent, quia sic est scriptum lib. I. *de Divinat.* §. 92. *Senatus*, ait, *tùm, cùm florebat Imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Eturiæ Populis in disciplinam traderentur* &c. Licèt autem non colligat summam, tamen necesse est, quum dicat sex singulis dari, & sint numero duodecim, surgere sexies duodecim aut

duo-

duodecies sex, qui sunt duo & septuaginta. Quod autem *Valerius Maximus* ait, ut decem, & non tantùm sex, singulis *Eturiæ* Populis mitti solitos, crediderim facilè utrumque constare posse, ut priscâ primâque institutione sex tantùm mitterentur secundùm numerum decamoriorum cœli, sed quum omnia fierent invocatis & evocatis sæpiùs Geniis, facilè addidisse quatuor ad sex crediderim, ut secundùm decem motores decem orbium cœlestium, in quibus necessariò Philosophus fatetur esse substantias separatas, illi sacram informarent juventutem, & centum decemque juvenes religionis Ministri, maximè quum Populus auctus esset, darentur. Supplicium autem *M. Attilii* fecit, ut ferè totius religionis *Romanæ* ratio perierit. Quem alii & inter cæteros *Halicarnasseus Attilium* vocat, *Valerius Tullium*, sed Librariorum vitio, ut credo, nominat. Ait autem, quòd Librum sacra civilia continentem custodiæ suæ commissum corruptus *Petronio Sabino* describendum dedisset, *Tarquinio* Rege jubente, equuleo insutum in mari fuisse demersum. Hic autem Liber erat *Sibyllæ*, ut ait *Halicarnasseus*. Hoc nomine ferè universi Auctores religiosi periere, quòd nullis aut perpaucis exscribere licuit.

CAP. XXXII.

Quòd non tantùm religiosa Saturniæ Romæve institutio omnino à disciplina Etrusca dependeret, sed quòd in fœmineæ partis loco esset reposita.

FUit vulgata in primis apud priscos Theologos Naturæ consideratio, ut in toto naturæ cursu, sic de masculo & fœmina agerent, sicut Philosophus de forma & materia. Quidquid itaque merè passivum & receptivum tantùm cognoscebant, illud pro fœminea, quidquid merè activum, ut est causa prima, illud pro masculina parte ponebant. Quatenus autem omnia in aliud agunt nomine masculi, ut ab alio aliis-ve patiuntur, nuncuparunt vocabulo fœminæ. Pura itaque fœmina est materia prima, purus masculus causa prima. Purus item masculus summus Magistratus, quidquid autem illo uno inferius est, pro fœmina habendum est. Hac consideratione, quæ omnino vulgaris est, positâ, sequitur, ut sicut occidua temporalisque potentia respectu orientalis, pontificiæ, & spiritualis est fœminea, cujus basis in *Eturia* fuit, sic *Romana* ad *Etruscam* collata est pura fœmina. Hinc factum est, ut priscis temporibus *Vesta*, fœminarum sanctissima, uxorque *Jani*, in parte *Saturniæ Romæ* tantùm suas *Vestales* instituerit, quæ religionis & supplicationum *Romanarum* essent summum refugium & apex, sicut in *Etruria* soli *Razi-Hinui* & *Januales* erant. Sicut enim non legimus *Vestales* unquam in *Eturia* fuisse institutas, aut positis templis auctas, sic nec *Jani* templa ulla leguntur in *Saturniæ* parte fuisse, antequam *Numa* utriusque Genii conciliator posuit illi templum ad *Argiletum*, teste *Livio*, divino sanè fretus spiritu. Ut enim totius veritatis puritas & præcipuè sanctioris Religionis veritas ab *Argivorum* fabulis periit, nec potest eorum pestiferæ Sectæ occurri, nisi instauratis, quæ olim *Janus* instituerat, sacris, sic in locum leti *Argorum Numa* instauravit templum *Jani* à *Græcis* in fabulas traducti. Quum autem in eliciendis evocandisque Geniis esset præstantissimus, nec ullo *Etrusco* inferior, ut omnium Scriptorum testimonio constat, ille revera *Romæ* Genium spectro indutum fœmineo, nomineque *Ægeriæ* sibi evocabat, quo duce tantæ molis urbem stabilivit: ille enim idem Genius divæ olim *Vestæ* adfuerat. Licèt autem *Halicarnasseus*, ut inter *Græcos* Scriptores rei *Romanæ* amantior, vocet fabulam quæ de congressu hujus substantiæ separatæ feruntur; tamen ex iis, quæ subjungit, videtur res fuisse vera & non ficta. Quis enim fidem sibi haberi postulet, si totius Antiquitatis fidem elevare conetur, & sublatis memoriis confusionem in Orbem reducere? Ait verò, ut probaretur an revera congrederetur cum aliquo Numine, invitasse domi multos optimosque *Romanorum*, illisque ostendisse cùm cæterarum rerum tùm imprimis ciborum & omnis lautioris apparatus opumque penuriam, & nihilominùs illos post paucas horas adfuturos in cœnam invitasse. Dicto citiùs tanta adfuit aulæorum, argenteæ aureæque suppellectilis, & imprimis ciborum omnium, quæ ex toto vix potuissent Orbe peti, copia, ut in stuporem conversi planè fassi sint illa nullo modo viribus humanis potuisse parari. Hoc tanquam somnium ridebit nostri sæculi impietas, quæ tamen vix poterit sine rubore negare, quòd in *Maximo Tyrio Platonico* leget huic facinori non absimile: ait enim fuisse se unum præsentem ad spectrosum convivium *Achillis* cum ipsis Heroïbus ad *Tauricos*. Qui *Apollonii Tyanei* Vitam nobis scriptam reliquerunt, ajunt vidisse apud Gymnosophistas *Abrahmanes* similia convivia & apparatus, quum sint omnium rerum nudi, fuisse usitata, quoties Reges admitterent. Putabimus-ne *Æthiopica* convivia & Solis mensam esse omnino ex fabulis nata? Negabimusne per vitæ familiaritatem minus posse bonos viros quàm quotidie possunt malefici invocatis malis Spiritibus, qui illos in convivia scelesta rapiant? Eò-ne dementiæ putabimus venisse homines, ut, quum inter *Christianorum* doctissimorum subsellia quotidie condemnentur rei horum maleficiorum, existimemus pro somniis necari homines? Apud *Gallos*, *Anglos*, *Hispanos*, *Italos*, *Germanos*, *Polonos*, *Hungaros* hoc est in confesso. Fatentur & *Ismaëlitæ*, pœnisque persequuntur. Legat si quis dubitet Libellum *Joannis-Francisci Pici Mirandulani de Strigibus*, aut summa fide uti & malè *Latinè* scriptum Opus de Maleficis, *Mallei Maleficarum* titulo. Hæc volui addere, ut rei possibilitas probetur. Quum enim DEUS rerum humanarum curam habeat, & maximè post suam Ecclesiam de *Roma*, committendum non est ut quicquid usquam gentium & maximè *Romæ* de substantiis separatis visum est credamus malos fuisse Dæmones. Erat *Ægeria* revera spiritus suo spectro fœmineo indutus ad informandam fœmineam partem *Janicæ* Reipublicæ, per cujus solius memorias in masculæ & *Etruscæ* antiquitates nos repedare oportet, quia res masculorum non nisi per matrum uterum possunt manifestari. Hinc sicut ex fœminea *Romana*-ve parte Politiæ aureæ repeto origines masculæ *Etruscæ*, sic per istam instauratam sum omnino confirmaturus divinam & priscam masculam.

CAP. XXXIII.

Cur Janus Bifrons & Quadrifrons pingeretur diceretur que, & revera haberetur essetque.

SCitè admodum eleganterque *Plato* hoc scriptum reliquit, οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον, *non est homo hoc quod in homine videtur*. Quasi diceret, spectri instar est quod sensui se objicit. Verus homo interior est in mente & spiritu positus, quique revera per solam mentem & spiritum possit videri. Hoc verò est à divina *Moseos* sententia depromptum, quâ ait *Genes.* 1: 27. *masculum & fœminam creavit eos*, quum de solo tamen homine dixisset. Est enim una, eaque prima, princeps, &

præſtantiſſima hominis pars, cujus ſedes, ſi unquam in corpore eſt illi-ve adhæret, circa occiput & capitis poſteriores partes eſt poſita, eaque revera homo eſt, nomineque mentis dicitur aut ſpiritus. Quæ autem eſt in corpore, & pueris & ſenibus, & inſanis & ſapientibus, & vivis & mortuis, ne dicam multis hominibus & ſimiis eſt communis, & in nulla aut perpauca veri hominis conſideratione poſita, quantum ad veri hominis cognitionem attinet, niſi quatenus animi mores corporis ſequerentur temperamentum, ut eſt in placitis Philoſophorum Medicorumque probatum. Hæc eſt ergo *Moſeos* ſententia: quòd in ſimpliciſſimo homine, & in ſola mentis ſuæ conſideratione ante DEUM poſito, & imaginem & ſimilitudinem DEI unà, & mentem & ſpiritum unà, & maſculum & fœminam unà reperire licet. Imago quidem prior eſt & apud DEUM notior, nobis autem ignotior: ſimilitudo autem contrà nobis expreſſior, à DEO autem remotior. Hic enim eſt noſtræ ſcientiæ ordo, ut quæ nobis ſunt obſcuriora, ſint Naturæ clariora, & contrà. Primus itaque & ultimus tàm externæ quàm divinæ Scripturæ ſenſus eſt, ut ante omnia DEUS hominem generalem in ſua ſapientia aut unitate creata condiderit, de cujus mente & ſpiritu extrinſecus olim & mens & ſpiritus in omnes adveniret homines; qui quidem homo generalis, quem Intellectum, Mentem, aut Sapientiam generalem modò idem intelligas nîl refert, non potuit revera eſſe conditus, niſi unà & maſculus & fœmina eſſet, hoc eſt, niſi unam partem haberet unde forma & maſculinitas ejus diceretur, & alteram unde proprietas ſpecialis materiaque & veluti fœmininitas notaretur. Hic eſt ſpiritus intellectus-ve agens & humanus actu ſemper intelligens, ut ait *Plotinus*, de quo ſi diligentiùs ſua verba diſcutere voluiſſet *Ariſtoteles*, quum egit de ſubſtantiis Orbis motricibus, potuiſſet hanc naturam inveniſſe & tradidiſſe. Ut enim neceſſariò faſſus eſt ſingulis ſphæris cœleſtibus præeſſe ſuas intelligentias, ita fateatur oportet illas eſſe duum generum; ſuperiores quidem ipſis orbibus, & omnino ſeparatas, quæ cœli motus ut in finem dirigerent ad eam influxuum varietatem, unde varia homini utilitas & divinæ laudis varia (quod finis Mundi eſt) naſcantur argumenta; inferiores autem ipſi orbi impactas, quæ cœlum ipſum ut in locum moverent, & veluti materialiter in materia cœli & Mundi agerent. Superiores ſunt Imago, Mens, Maſculus, Intellectus agens, & Homo verus interiorque; inferiores autem ſunt Similitudo, Spiritus, Fœmina, Intellectus paſſibilis, & Homo exterior ſpectroſuſque. Inde factum eſt, ut ſummus ille Vatum & Sapientum *Noachus* in hujus Doctrinæ, quæ revera ſumma eſt, memoriam, ut qui ſupra omnes homines tanti ſecreti videretur particeps & conſcius, donatus ſit formâ bifronti, quòd utriusque hominis frontem & faciem explicaſſet. Hæc autem ſtatua ipſius juſſu eſt inſtituta conſervandæ ad poſteritatem memoriæ tanti myſterii gratiâ. Quum enim ille homo generalis, cujus veri homines actu membra eſſe debent, neceſſariò ſummam ſui partem conjunctiſſimam habeat cum Motore primo immoto immobilique, ita ut & caput ſit omnium intelligentiarum, ſicut primi mobilis intelligentia, & ſit etiam fons vitæque principium omnibus intelligentiis & hominibus, duorum & ſeptuaginta *Moſis* auditorum ſententiâ conſtitutum erat, ut in ſacris interpretationibus vocaretur דיו פרצופין *Diu proſopin*, hoc eſt, *Bifrons*, aut *duarum facierum Suppoſitum*. Hoc nomine intelligebant priſci Patres MESSIÆ mentem & naturam, non ſolùm eò quòd mente ſpirituque conſtaret, ſed quia & DEUS & creatura eſſet. Inde iſthæc ipſa natura, quâ duce omnes particulares motus Mundi fiunt, *Moſi* dixit *Exod.* XXXIII: 20. 23. *Poſteriora quidem mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*; quia *DEUM nemo vidit unquam, ſed nec videre poteſt. Joh.* I: 18. I *Tim.* VI: 16. I *Joh.* IV: 12. Locus ille Scripturæ indicat *Cabalæ* ſanctæ myſterium. Hinc MESSIAS etiam ſecreto vocabulo שר הפנים *Sar hapanim*, id eſt, *facierum* omnium & ſingularum, tàm anterioris quàm poſterioris, *Princeps*, auctor, & formator, quique ſolus revera præſit toti naturæ, illique tanquam Univerſi auctori inſtrumentario dominium univerſorum datum eſt. Illi proximus in hac potentia *Noachus* fuit, qui in ſuam Arcam univerſum animantium genus colligere in ſalutem eorum fuit potens. Sed de quadruplici fronte nobis eſt dicendum.

CAP. XXXIV.

Cur Janus Quadrifrons.

JAm ſuprà notavi eſſe omnino opus ut *Etruſcæ* Hiſtoriæ tenor à *Romana* petatur, ut tandem per ſacra uſitata, quæ aut neglectu aut nimiâ diſcuſſione in nauſeam abiiſſe videntur, ex ipſius ſacræ *Etruſcorum* traditionis viviradicibus excitentur homines, adque veram priſcæ *Hebræorum* ſcripturæ intelligentiam revocentur Antiquitatis amatores. Nam præter pauca loca admodum, quæ CHRISTO egregiè aptavimus, nec nos, nec ipſi *Hebræi* qui nunc ſunt, umbram ſacræ attigimus intelligentiæ, eò quòd à noſtris ſint neglecti priſci Scriptores ſecretique, ab ipſis autem *Hebræis* aut religioſa ſint obſervatione ſuppreſſi, aut, eò quòd palam ſuos neglectæ arguant veritatis, depravati. Auctores fide digni tradunt, quòd in *Faliſcis* urbe *Tuſciæ*, quum eſt devicta à *Romanis* civitas, inventum eſt ſimulacrum *Jani* cum frontibus quatuor, in cujus memoriam *Romæ* eſt illi poſitum Templum quadriportium, aut quod quatuor portas haberet, ſicut & ſimulacrum quatuor facies. Facilè verò quiſquis ſacramenti *Pythagorici* rationes caperet, hujus etiam ſtatuæ rationes conciperet: ajebant enim: Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντος τετρακτὺν, πηγὴν ἀεννάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν. *Per illum videlicet qui animæ noſtræ quaternarium dediſſet, quòd quidem & fontem & vitæ viviradices in ſe contineat.* Velim autem mihi ſemper concedi quod negare meritò nullus poſſet, *Janum* fuiſſe tantâ ſapientiâ hominem, ut nulli fuerit hominum aut probitate aut ſapientiâ inferior, ſuos autem & potiſſimùm *Etruſcos Razi-Hinuos* ita inſtituiſſe, ut ne latum quidem unguem ab ejus inſtitutis receſſerint. Quare & ipſo doctore fuiſſe illam ſtatuam affabrè factam dubium non eſt. In memoriam enim illa fiebant, non in honores, quia ſoli DEO, & Patriæ Geniis, generalique Menti ſupplicare docuerat per memorias eorum beneficiorum, quæ ſanctis viris collata fuiſſent. *Pythagorici* autem quaternarium animæ conceſſum fuiſſe, non tam ratione quatuor elementorum, quorum ex qualitatibus primis ſurgit temperamentum inde elicitum & à ſingulis differens, cui demum inſidet anima, nec tam ratione cœleſtis influxus, qui à quatuor elementis defæcatis & à corruptione repurgatis, qui revera ex hac elementorum mole ſunt illuc delibrati, unde animæ virtus, quàm quia in omnibus hominibus adſunt Mens, Spiritus, Anima, & Temperamentum, affirmabant. Mens à fonte mentium, Spiritus à fonte ſpirituum, & Anima ex animorum virtute, Temperamentum autem ab elementis. Homo quidem ſuperior eſt Bifrons ſalvo generali, qui quum DEUS ſit, eſt Trifrons, Divinitatis, Mentis, & Spiritus facie conſtans; inferior autem eſt quadrifrons; ſu-

premus autem post incarnationem quinquefrons est. Ut itaque summopere in considerationem cognitionemque & laudem DEI summi raperent, qui finis naturæ est, (erant enim *Judæi* secreti ipsi *Pythagorici*, quod facilè ex *Josepho* probes) singulos homines volebant assiduè hoc quaternarium, unde singuli compositi essent, in animo volvere, & revera per causam suam tantam rem cognoscere. Sed alia fuit ratio multò secretior: certissimâ enim traditione ab omnibus *Abrahmanum*, *Indorum*, *Chaldæorum*, *Hebræorum*que Sapientibus cognoverant, (hoc enim priscis *Hebræis* in fidei articulis fuit) quòd sicut assiduè per quatuor anni tempora eadem virtus cœlestis, donec unus compleatur annus, assiduè eadem elementa in quatuor hominum singulorum ætatibus, donec consummetur unus homo, suas revolvunt vires & qualitates, sic etiam in universam humani generis massam contingere, ut per quatuor Mundi ætates assiduè revolvantur Mentes, Spiritus, Animæ, & Temperamenta, & sic esse universalis hominis quatuor facies in una statua. Rationem autem pœnæ & præmii per alligationes animarum diversis corporibus, aut cœlestibus, aut terrenis, aut etiam inferis, sustentabant: spiritus enim quum loco non egeat, ubivis aut in pœna, si DEO non fidit, aut in præmio, si in eum sperat, subsistere potest. Omnis autem revolutio in quarto loco est cessatura; quod quum variis auctoritatibus exemplisque in *Declaratione Candelabri Moseos* ex sacris eorumque vetustis Interpretibus exposuerim, non est quòd hîc repetam: satis nunc fuerit exponere, quomodo hæc quadrifrons statua fuerit & esse debeat in summo apud *Hebræos* Doctrinæ loco. Animal unum pro consideratione quaternarii habebant, cujus nomen vocabant *Mercaba*, scientiam autem illam *de Mercaba* nuncupabant. Basis autem ejus Doctrinæ de quaternario etsi est in toto Scripturæ corpore respersa, tamen præcipuè posita est palam in *Iechezkelis* principio, cujus Prophetiæ non sine causa sunt scriptæ extra Terram Sanctam in *Babylone*, ut Doctrina tradit secretior, eò quòd ad ipsius *Babylonis*, id est, Gentium exterarum, sacra, uti ad Populi electi Religionem spectant. Nam ea de re ad flumen *Kebar*, id est, *magnum*, est scripta visaque visio, quòd & res externas unà & internas, naturales videlicet & supernaturales, in hoc typo assumat. Sic autem scribit *Ezech.* 1: 5. *Ex medio ipsius ignis* (id est, Spiritus Naturam confoventis) *procedebat similitudo quatuor animalium, & hic adspectus eorum, similitudo hominis in eis.* Quasi dicat, licèt in eo spectro sit facies una Leonis, altera Bovis, tertia Hominis, & quarta Aquilæ, tamen hoc totum spectrum non est nisi similitudo ipsius hominis magni & generalis. Ex totius enim generis humani massa & tempore seu duratione fecere quatuor facies, unam à Meridie, alteram à Septentrione, tertiam ab Ortu, & quartam ab Occasu, primam Leonis, alteram Vituli, tertiam Hominis, quartam Aquilæ altissimè animalium à terra volantis. Primum typum dedere infantiæ Mundi & Legi Naturali inviolabili animaliumque omnium fortissimo instar Leonis, quem à luce vocat Lingua Sancta ארי *Ari.* Altera Bovis videlicet figura fuit instar juventutis, quum sub tempore Legis scriptæ laboriosissimæ & sacrificiis plenissimæ vixit Mundus, & quicquid gratiarum habuit à DEO primò *Mosaïcæ* Genti & Prophetis fuit nomine Universi concessum. *Romanis* etiam pro laboris & agriculturæ signo fuit usitata bovis effigies. Tertia facies virilis videlicet ætatis completique corporis est sub Hominis typo pro Lege Gratiæ. Quæ tres ætates æqualibus adinvicem periodis mille & quingentorum annorum à suis æqualiter duravere principiis: octingentos enim annos, qui fuere à Diluvio ad *Mosem*, pro Mundi & Legis rudimento pono, sicut & centum annos, quibus in Universum ob editam divinitus de Diluvio sententiam DEUS per *Noachum* prædicari voluit. Nunc superest Aquilæ figura & quartum tempus senii videlicet hujus massæ, in quo maximè animi mentesque hominum sunt excitandi, ut altissimè instar aquilarum volando, in posterum restitutis omnibus & ad Naturæ Legem reductis, revera omnes & singuli sciant, id est, per causam & propter causam omnium DEUM omnia cognoscant. Ea de re hactenus aut moribus tantùm, aut moribus & senili ætate simul, universus Orbis voluit Senatoribus senibusque Magistratibus regi, ut viribus animorum, qui rerum usu in hoc carcere corporis magis valent, quum corpus animam aggravans est jam affectum. Hoc est quadrifrontis statuæ totius generis humani massæ videlicet statua, quam ea de re princeps Prophetarum sculpendam curaverat, ut vestigium Providentiæ, nostrum genus per varias ætates regentis, suis in ea statua proponeret *Janus Razi-Hinuis*; ad quod argumentum totius Naturæ & supracœlestis, & cœlestis, & terrenæ contemplatio & scientia potest reduci. Sic enim & Physica & Mores suis *Eturiis* tradidisse legitur, ut meritò ob suas institutiones divinitatis nomen meruerit habueritque. Nec verò in singulorum ætatibus tantùm est à Majoribus usitatum, ut res in quarta senilique ætate essent, aut ex bonis optimæ præstantissimæque, aut ex perditis pessimæ, sed in cæteris etiam rebus ad quaternarium usque repetitis id moris fuit: unde, ut notavit in suis locorum communium historiis *Valerius Maximus* de antiquis institutis: *Massilienses Galliæ Populi summâ cum Populo Romano charitate ut prisci moris observantiâ conspicui tres in eodem manumissiones rescindi permittebant, si ter ab eodem Dominum deceptum cognovissent. Quarto autem errori subveniendum non putabant, quia sua jam culpa injuriam cepit qui ei se toties objecit.* Hæc ille. In sacris autem est usitata eadem sententia: ait enim Propheta *Amos capp.* 1. & 11. *Dominum parciturum super tria scelera Damasci, Gazæ, Tyri, Edomi, Ammonis, Moabi*, quo nomine intelligit Universi Populos, & similiter *super tria scelera Judæ & Israëlis*, quo nomine omnes in Ecclesia fideli positos, *se usurum misericordiâ, at super quartum scelus non conversurum*, eò quòd senium impium est deploratum. Hoc est cur in *Jobo*, Ethnico quidem auctore sacrorum, sed tamen sanctissimo verissimoque, notarunt Patres *Mosis* Auditores esse scriptum. Hoc certè cum singulis hominibus tribus vicibus operatur DEUS, ut, revocatis eorum animabus à corruptione, illas in lucem viventium reducat. Ille enim ex mente Philosophi agit, ubi ait, Mens autem sola immortalis extrinsecus accedit. Nullus enim mihi negaverit, quin sicut illi cœli influxus, qui jam, ex quo intellectus numerator tempus mensurat, incœperunt in inferiora defluere, assiduè in sua revoluti principia denuò ad nos revolvuntur, statis, fixisque, & notis Naturæ & DEO temporibus, & sicut quatuor elementa inferiora non tantùm per unius ejusdemque ætates, sed etiam eadem omnino in variorum individuorum (quod enim resurgit spirituale & immortale est) compositione, naturæ scitu redeunt, sic etiam spiritus & virtus sive mens, ut securis verbis utar, redeant ab uno in alium necesse est, quod omnino in sacris verum & in confesso est. Et hæc est quadrifrontis ejusdem naturæ humanæ summa ratio, quæ infra se alias innumerabiles habet. Nam & lunæ cursus est quadrifrons singulis mensibus. Sol etiam quadrifrons, ut & annus

singulis anni revolutionibus. Sic plagæ Mundi. Sic generales naturæ, in unitate, veritate, bonitate, & essentia positæ, termini. Sic causæ quatuor; prima Ortum uti agens, altera Austrum uti formalis superiorque, tertia Brumam & materialia ut quæ est materialis, (Antiqui enim Austrum pro superiori & dextra posuere, Aquilones pro inferiori & materiæ impacto loco) quarta autem Occasum ut quæ finalis est. Sic à conjunctione planetarum sunt quaterni adspectus. Sed quid non hanc statuam & naturæ typum repræsentat? Faciant finem quatuor facies ejusdem hominis, quatuor Ecclesiæ tempora, & quatuor Monarchiæ *Babylonicæ*, *Assyria*, *Media*, *Græcia*, *Roma*.

CAP. XXXV.

De inaugurandi ratione. Quódque ejusdem inaugurationis ratione Roma ipsa ab Etrusco jure in sacris dependeret.

MAximum validissimumque rerum arte aut consensu hominum constantium principium ille, qui revera omnium quæ sunt principium est, posuisse videtur, quum ait *Matth.* XVIII: 19. 20. *Ubicumque duo vel tres convenerint in nomine meo de quacumque re apud DEUM aut apud me impetranda, ipsa fiet illis à Patre meo, qui est in cœlis.* Sicut enim res naturâ constantes ideo in suis naturis perseverant, quòd à Numinibus aut Geniis illis naturis jussu divino incumbentibus conserventur, propterea quòd pertinaciter conservationi instent, sic res humano arbitrio consurgentes, ut sunt Imperia, Regna, Magistratus, Civitates, & Loca ad quidvis agendum delecta, pertinacibus hominum votis aut in summum DEUM, aut in summam Mentem, aut in loci Genium Angelum-ve custodem, ut vocant, contendentibus & mutuo consensu conspirantibus constat, sicut quum dissipantur animorum vota & concordia à propriis cujusvis Status membris, nedum à Genio res destruuntur. Falluntur verò omnino inter nostræ tempestatis Theologos, qui putant usqueadeo in toto Orbe terrarum, ubi esset oraculum aut separatæ intelligentiæ actio, ob quamdam evocationem, fidem, aut preces incitata, illam semper à malo Dæmone fuisse factam. Quæ enim esset DEO de rebus humanis cura, si solus malus Spiritus absolutè imperio Orbis terrarum potiretur? Ubi essent custodes provinciarum Angeli? Nonne *Persarum* Angelus pro *Persis* ipsis à DEO vero alienis potuit obsistere *Hebræorum* in captivitatem adductorum Angelo primario? Verum quidem certè esse non negaverim, ut sensim ob scelesta hominum vota facinoraque, eò quòd ubivis gentium suos reliquere Genios, ita malus Dæmon invaluerit, ut sensim sit factus hujus Mundi Princeps, bonosque Genios suis locis depulerit, & sensim frigescentibus hominum votis eorum loca occuparit; sed absit hæc à Providentia DEI impietas, ut defuerint unquam boni Genii singulis suis in locis reponendi, quum intelligentiarum omnium Princeps deturbato malorum Geniorum Principe suam singulis locis reddiderit libertatem. Doctrinæ Geniorum peritissima Antiquitas, eò quòd per vitæ innocentiam illis erat conformis, nîl planè inauguratò aut inauspicatò agere voluisset, maximè autem in deligendo aut templo, aut altari, aut urbis loco. Ideo sancti Patres, prisci moris instauratores in Terra Sancta, sua altaria & urbium futurarum certa fundamenta non ponebant nisi ubi DEI spectrum visum fuisset. Ubivis itaque gentium & locorum erant Sacrifices, qui præconceptis seu, ut nostri dicunt, formalibus verbis loca ipsa evocato in loci conservationem loci

A Genio inaugurarent. Multò verò maximè *Romæ* aut *Saturniæ* etiam fuisse credendum est, qui inaugurandi pollerent scientiâ. Sed à principio habitationis Pater *Janus*, humani generis auctor, concessit loca ipsi urbi *Janiculo*, quæ & *Antipolis* opposita *Saturno* prisco à sua Orientis sede deturbato, hac lege, ut illa pars urbis solo flumine divisæ & instar fœmineæ partis sacrorum *Etruscorum* esset, & omnia sacra ab ipsis *Eturiis* quum opus esset peteret, non proprio sed *Etrusco* jure usura. Nisi enim à principio in hæc verba jurasset *Saturnia*, quum invenisset suæ inaugurationis basim, putas-ne ad illos Vates detulisset qui totius

B naturæ potentiam eliciebant, seque in summum discrimen adduxisset? Apud multos Auctores est descripta inauguratio *Romæ*, sed ita fabulis locupletata, ut sententia *Plinii* mihi sit instar omnium. Sic autem ait, quum proponit cæteris credenda, quæ ipse, licèt essent verissima, credere nollet, in *lib.* XXVIII. *cap.* II. initio, quòd in verbis sit virtus, & quædam, quæ Deos aut substantias separatas cogat, potestas: Invenerunt, ait, *Romani* in fundamentis ejus templi, quod in *Tarpejo* construebant, humanum caput. Quare Legatos misere in *Etruriam* ad *Olenum Calenum* Vatem divinum peritissimumque. Hic videns esse optimum

C augurium tentavit in suos transferre, & baculo signatâ templi, in quo invenerant, formâ in terra ante se dixit. O *Romani*, dicitis hîc debere esse templum *Jovis* Optimi Maximi, & dicitis hîc invenimus caput? Pro certo tradunt Annales, quòd hoc facto (hoc est, si respondissent hîc) translatum fuisset Numen ad *Etruscos*, nisi Legati à filio Vatis præmoniti sic respondissent, non hîc, sed *Romæ* dicimus inventum fuisse caput. Præconcepta verba inaugurationis non addit *Plinius*, eò quòd instar sacramentorum nostrorum habebantur. Nullum tamen est dubium quin in hanc

D proferrentur sententiam: *Numen, quisquis es Deorum, qui tuæ præsentiæ signum in tali* N. *aut tali* N. *loco manifestari Populo Romano voluisti, fac ut felix faustaque sit diutissimè hujus loci habitatio, eamque, alterius Gentis aut Populi precibus invitatus, tractus, illectus, elicitus, nunquam velis relinquere.* Sunt autem valde notanda ea verba Annalium, quibus certò traditur, quòd licèt incogitantes *Romani* etiam contra votum & à Vate decepti fassi fuissent, hîc invenimus, eò quòd Legati habebant totius Populi auctoritatem & vota, sollicitatum majoribus precibus Numen defecisset. Sicut enim in contractibus humanis verba ipsa li-

E gant, sic in divinis. Unde *Tullus Hostilius* ad instar *Numæ* volens elicere fulmen, eò quòd non ritè nec observatis præconceptis ritibus & verbis id fecisset, in suum caput fulmen elicitum attraxit. Unde & Feciales ex hac Disciplina *Etrusca* deducti, quum de bello Populis priusquam fieret denunciando mitterentur, priùs religiosissimè de æquitate apud loci Genios pro Populo *Romano* agebant, & demum illos ad potiorem cultum & honores multò majores ab ipsis *Romanis* recipiendos, dum à suis deficerent, invocare solebant. Non absimile *Daniel* pro *Hebræorum* Populo in

F Captivitate fecit, licèt in omnipotentis DEI & CHRISTI ejus, qui Mens mentium est, impetravit magis contra voluntatem quàm consensu Angeli *Persarum*; ut ut res habeat, antequam omnino jejuniis & oratione & peccatorum sui Populi confessione, concurrenteque Populi pœnitentia & votis, victus sit à *Michaële* & *Gabriële Persarum* Angelus, non potuit responsum de vera liberatione Populi sui accepisse. Quum itaque Capitolii, ubi basis *Romæ* florentis fuit constituta, inauguratio sit ab *Etruriæ* Vate petita, quin etiam totius rei sacræ apud *Romanos* auctoritas sit inde petita, du-

dubium non est. Maximè hoc monemur exemplo, ut conspiratione sacra tàm erga DEUM & CHRISTUM quàm erga Angelum loci custodem in preces & sacra verba rumpamus, quod postquam in *Christianismo* revera fieri cessatum est, non solùm sumus omnino inter nos dissipati, sed Angelus *Ismaëlitarum* nostrum cohibet. Nîl enim planè in hoc Orbe mutationis fit, nisi Geniorum Angelorum-ve, cujuslibet probi hominum consessûs custodum, operâ aut remissione curetur, quod pessimi impiique homines potiùs in fortunam & sortem, quàm in Genii curam, aut DEI Providentiam, referre malunt. Hoc autem unum docuerat in suis Physicis *Noachus*, nîl aliud Genios locorum ministros & custodes esse quàm virtutes elicitas, & veluti partes membraque illius Mentis & Spiritus generalis, quo duce DEUS hoc naturæ templum particulari novoque motu assiduè condit, reficit, movet, instaurat, & conservat. Ut autem ad rem redeuntes magis confirmatum relinquamus quod proposuimus argumentum, quòd *Romani* haberent ab *Etrusco* Vate in ipsa *Etruria* inaugurari inde patet, quia tunc temporis erat *Romæ* Augurum clarissimus *Actius Nævius*, cujus ipse Princeps *Tarquinius*, templi *Tarpeji* fundator, parum alioqui huic arti tribuens, maximum scissâ per vim prædictionum cum novacula cote sumpserat experimentum; nec ab ipso tamen Populo, nec à Principe vocatus est ad inaugurandum.

Cap. XXXVI.

Quòd Idæa Mater Deorum non est ab Ida monte primùm à Trojanis Romam delata, sed illa eadem sit quæ Vesta ab ipsis Razi-Hinuis consecrata.

TRiplex causa maximam priscæ Religionis origini peperit obscuritatem, adeò ut quid de quo dicatur vix possis conjicere; quarum prima est summa sapientia *Jani* & suorum, in repræsentanda eadem sub vario appellationum genere persona: secunda summa *Græcorum* in his imitandis & suis aliorum-ve Populorum originibus religionibus-ve adscribendis licentia: tertia summa Historiæ veteris, & maximè quæ Deorum origines traderet, penuria. Licèt itaque & *Pessinunte* & *Trojâ* oriunda tanta Dea credatur, (sicut hodie qui honos ubivis gentium jam ab ipso Religionis exortu Divæ Virgini & Matri fuit habitus, videtur ad *Lauretanam* ædem fuisse institutum) tamen ex duplici nomine mihi illam eamdem esse quæ & *Vesta* persuadeo. Sicut enim vidimus nostrâ memoriâ divinorum CHRISTI membrorum, quos *Sanctos* nuncupamus, assiduè innovatos fuisse cultus, quod Historiarum beneficio certò scimus, sic apud Antiquos de priscis Sanctis factum fuisse non est dubium. Licèt itaque *Romulus Romæ* instaurator voluit videri, ut & urbis sic & ejus religionis auctor, eoque nomine ipsi *Vestæ* visus sit prima posuisse templa, tamen certissimum est sicut antea & *Vestæ* templa & *Vestales*, ex quarum unius sacrilegio nasceretur, erant *Romæ* antequam nasceretur, sic & *Roma* jam antè, quàm sibi illam adscriberet, ter ut minimùm fundata & instaurata fuerat, à *Saturnitis*, ab *Euandri* gente, & *Æneadibus*. Omnia autem sunt ad primas origines expendenda. Nulla revera fœmina Mater Deûm in tota Antiquitate est meritò habita inter innumeras, quas finxit illoque nomine donavit Antiquitas, præter illam unam de qua jam diximus. Quòd autem illa *Idea* ידעה est vocata, significatione est præstantissimum, aptissimum, & non à *Græcis*, sed à Lingua Sancta petitum vocabulum. Disciplina enim illa, quam *Plato* de

A Ideis suam fecit, tota est à secretioribus *Mosis* Auditoribus profecta. Ajunt enim communi axiomate: *Nîl fit omnino in mundo inferiori, quin priùs fiat in superiori, in ejus idea*, id est, notione, cognitione, & specie. Quum autem suprà jam exposuerimus substantias separatas, in quarum mentibus resident veræ rerum species, esse duum generum, (aut enim ut in finem movent, aut ut in locum) superioresque esse masculas, inferiores autem esse fœmininas, summas earum summa sanctitate viris & fœminis uniri diximus. Nam & Mens & Spiritus generalis ut extrinsecus in omnes homines adveniant comparati sunt. *Idea* itaque B Mater Deûm summus ille Spiritus est Matri Universi unitus, qui instar omnium est, unde velut à præstantissima sui parte meruit IDEÆ appellationem, quia movet ut in locum. Ejus enim institutione ubivis delata gentium, factum est, ut rerum domi coactarum inque finem suum à viris conquisitarum dispensatio conservatioque sit concredita fœminis, ut sicut auctore DEO nostræ omnium vitæ principium & corpus à patribus motum ut in finem ad hoc ut simus, in ipsis matribus ut in locum movetur donec simus, sic idem in rerum conquisitarum arteque partarum ratione C observaretur. Licèt autem *Vesta* prisco cultu & *Romano*, *Idæa* autem ab uno *Phrygio* & una *Phrygia* coleretur, tamen ex eo, quod scriptum reliquit *Dionysius Halicarnasseus*, videtur una eademque cum *Vesta* fuisse: sic enim ait in *lib.* 11. de *Vestalium* agens historia: „Quum enim primo „bello *Carthaginensi* conflagraret templum, & Vir„gines ignem fugerent incendii, *Lucius Cæcilius* „*Metellus*, Pontifex Maximus, Vir Consularis, „& qui *Siciliensi* contra *Carthaginenses* bello trium„phum illum *Romanis* memorabilem paraverat, in „quo centum & triginta octo elephantes adduxit, „ipse contempto proprio periculo, ob publicam D „utilitatem, summo discrimine vitæ, insiliit in „ardentem ignem, & res sacras ab ipsis Virgini„bus relictas ab igne eripuit, qua de re summos „à Civitate honores est consequutus. Ajunt au„tem res illas sacras partem esse earum rerum, „quæ erant consecratæ in *Samothracia*, quæ illic „asservabantur, quasque *Dardanus* illuc detulerat „in Civitatem ab eo in ea insula factam, quasque „*Æneas* in *Italiam* veniens attulerat. Alii dicunt „esse Palladion à *Jove* datum. Hæc ille. Ex quibus verbis videtur, seu Palladion, seu res Matris *Idææ* essent, quum essent in templo *Vestæ*, ad *Vestam*, quæ & *Pallas*, & *Minerva*, & Fœmina E Dea *Samothracum* est, spectare, quæ ipsa primas origines ab *Etruria* auctore *Jano* ejus marito habuit.

Cap. XXXVII.

Quòd ex Ciceronis sententia videtur summam Romanæ Religionis auctoritatem semper ab ipsis Etruscis venisse.

F NUllum est dubium, quin illud quod in omnium nunc usu Gentium esse videtur in earumdem consensu semper fuerit. Certissimum est ubivis gentium illam haberi summam auctoritatem, à qua institutiones & præcepta, cujuscumque artis seu auctoritatis sint, petuntur, & in dubiis Reipublicæ occurrentibus recurritur, ejusque sententiæ statur. Quum autem *Romani* ex illis juvenibus principibus, quos ad *Etruriæ* Populos de religione informandos mitterent, aut etiam ex infimis conditione hominibus, qualis *Actius Nævius* fuisse legitur, potuissent salubriùs domi *Romæ*que instituisse doctrinæ *Etruscæ* optimè illic semel conceptæ Scholam, quàm quotannis à se suos ablegasse juvenes, nisi summa ob-

stitisset quædam auctoritas, nullum est dubium quin summa Doctrinæ *Etruscæ* auctoritas semper apud suos servaretur & summa tantùm illic esset. Quum autem summa Reipublicæ discrimina in prodigiis & portentis ostentisque versentur, adeò ut sit res periculosissima, quum portenta omnium mentes concusserint, stare verbis juratis in alicujus externæ auctoritatis sententia, opus erat *Etruscos* summa integritate & esse & haberi à *Romanis*, & eorum in effando sententiam tanta esse auctoritate, ut à qua recedere Populo *Romano* sine piaculo non liceret. *Cicero* autem etsi more *Academiæ* in libris *de Legibus* ut & in tota Philosophiæ tractatione disputat, est tamen ubivis in rebus facti recitandis summa fide Auctor; hic autem professus est lib. *de Legibus* II. §. 23. postquam juris religiosi capita tractavit, se ea tradidisse, quæ nec à religiosis *Numæ* constitutionibus, nec à sui sæculi moribus admodum differrent, nullum est dubium quin sit fide dignissimus in iis referendis, quæ suo etiam sæculo erant, sic fuerit inter *Romanos* & *Etruscos* conversatio, sicut & scripsit. Licèt enim pridem & jam à *Porsenæ* Regis temporibus imperata civilia *Romanorum* facerent *Etrusci*, tamen sacra illorum auctoritas nunquam fuit diminuta. Sic habent verba consuetudinis *Romanæ* apud *Ciceronem* lib. II. *de Legibus* §. 21. *Bella disceptanto; prodigia, portenta ad Etruscos & Aruspices, si Senatus jusserit, deferunto: Etruriæque principes disciplinam docento; quibus Divis creverint, procuranto; iidemque fulgura atque oscina pianto.* Hæc lex. Quod autem ait, *si Senatus jusserit*, videtur in arbitrio summo Senatus res esse. Sed si quis ita cogitet, illi diligenter est attendendum, quòd summa auctoritas, sive sit in lege, sive sit in persona aut dignitate, duobus modis consistit: primò enim patiendo, dum consensu eorum, qui in ejus verba jurant illamque constituunt, ponitur: secundò autem agendo, dum illis, qui eam constituerunt, imperat, solet ubivis gentium consistere. Unde primò opus erat Senatum illos elegisse constituisseque communi consensu in summam auctoritatem, uti mulier virum; secundò eorum stare decretis, ita ut, si ambigeretur de belli æquitate, sumendum-ne esset, si de summa quadam re esset disceptatio inter auctoritate aut jure pares, quæ omnia cum sequentibus ad eam solam erant referenda auctoritatem, quæ revera esset instar nostri summi Pontificatus, aut Concilii, aut Scholæ Theologicæ *Parisiensis*, quæ altercante Concilio & Pontifice de summa auctoritate censuit, ubi locum, tempus, & homines illi dedit Pontifex, Concilium revera esse super summum Pontificem. Est autem illa præstantissima totius Mundi auctoritas, non quæ dignitate nititur, sed cujus ob singularem rerum peritiam summa semper fides in admiratione & summæ auctoritatis loco est. Licèt autem *Dionysius Halicarnassensis* scribat suo seculo omnino ferè evanuisse doctrinam *Etruscorum*, (quod contigit ubivis gentium & religionum, & maximè hodie videtur in nostra, quæ omnino à spiritu illo per quem crevit est destituta, & tantò in malis nocentior, quantò olim spiritu fuit præstantior) tamen ille idem testatur summæ & divinarum & humanarum sapientiæ fuisse conjunctam olim apud eos religionem, quam consenuisse post duorum annorum millia à quo fuerat instituta, quid mirum? Nostra non tamdiu duravit. Illa multò majori tempore ideo stetit, quòd summam auctoritatem dignitatibus nunquam macularet. Ultimi tantùm ob ignorantiam scientiæ fefellere. Qui autem auctoritate sine scientia pollent, armis suam tutari ignorantiam solent.

CAP. XXXVIII.

Quòd Janiculum, arx Etruriæ, erat perfugium summum rerum sacrarum, quæ Romæ erant.

Licèt suprà ex *Plinii* sententia docuerim, quomodo ad occiduam *Tiberis* partem erat urbs *Antipolis*, ad orientalem *Saturnia*, unde multò antè, quàm *Remus* & *Romulus* essent, & Religio & Civitas *Romana* fuisse videtur, tamen quia maximè ad rem facit origines priscas tantæ Urbis stabilivisse, ex *Virgilii* sententia aliud nomen urbis *Antipoleos*, ad quam erat *Romanarum* rerum perfugium, subjungere visum est. Sic autem in lib. VIII. *Æneidos* ℣. 355. ait ex *Carmentæ Sibyllæ* sententia:

Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Relliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Janus Pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Ista confirmatissimam *Jani* universi Parentis veri & non fabulosi reddunt historiam, & tantò magis, quantò à Gentis ambitiosissimæ, omniaque ad suos retrahentis, opinione sunt profecta. Confirmat hanc sententiam *Ovidius* in *Fastorum* lib. I. & ostendit quòd licèt utrumque oppidum pridem ante *Romulum* fuerat, imò ante *Æneadas*, tamen ætate prius *Janiculum*; sic enim ibi ait *Janus*:

Hac ego Saturnum (memini) tellure recepi;
Cœlitibus regnis à Jove pulsus erat.

Et continuò:

Inde diu Genti mansit Saturnia nomen;
Et dicta est Latium terra latente Deo.

Paulò pòst verò *Janus* de seipso dicit:

Ipse solum colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tibridis unda latus.
Arx mea collis erat, quam vulgus nomine nostro
Nuncupat, hæc ætas Janiculumque vocat.

Et Urbem itaque, & Arcem, & Montem *Janiculum* à *Jano* vocari videmus, antequam suo dignitatis *Asiaticæ* cœlo pulsus *Saturnus* cogeretur in *Italiam* adventare, tunc quum jam res humanæ in *Asia* dominandi libidine erant concussæ. Unde videtur hoc à *Romanis* fuisse factum, ut aurei sæculi tempus in *Saturnum* tantùm referant, quum duce *Jano* pridem antè fuisset exactum, imò jam erat admodum affectum, quum *Saturnus* fuit à *Jano* receptus. Quòd autem Arx illa *Janiculi* esset perfugium rerum sacrarum (quæ revera, quicquid sit nugata Antiquitas, erant sanctæ *Naomæ Vestæ*-ve uxoris *Noachi* reliquiæ, ut nunc vocant) maximè in templo *Vestæ* commissarum apud *Romanos*, inde patet, quòd, ipsâ Urbe à *Gallis* captâ unà cum sacris templis, *Vestales*, in ipsa hostium ora ad occiduam fluminis partem transmisso ponte sublicio fugiendo, res sacras à præda & incendio raptas in *Janiculum* ferebant, quas miseratus quidam exoneravit, easque res sacras plaustro cum Virginibus *Cerete*, ut volunt, ad fines *Umbriæ* transvexit, donec rebus compositis sunt *Romam* relatæ. Et revera si nostra liceat (& cur non liceat?) cum antiquis componere, videbimus & nunc & olim eamdem Genii Angeli-ve *Romani* curam fuisse (sunt enim Angeli voluntatum CHRISTI dispensatores) in summa potestate Mundi ultrò & citrò ad ripas *Tiberis* traducenda conservandaque. Fuerunt enim res *Christianorum* in augmento continuo, quamdiu summa Mundi aucto-

auctoritas sedem ad *Petri* templum habuit veluti in suo Occidentis angulo. Quum autem rebus secundis à *Constantino* invitati transtulere sedem ad Imperatoris regiam in *Lateranensi* palatio ultra *Tiberim* positam, tunc res omnino collabi cœpit, nec prius potuit quies ulla in *Italia* atque *Romæ* haberi, quàm duce *Carolo Magno* rebus compositis *Leonina* Civitas est ad *Janiculum* in *Vaticano* instaurata. Quisquis Mundum regi Providentiâ non negabit, hæc non esse sine divino nutu facta fatebitur. Quæ enim semel elegerat ille sanctorum sanctissimus *Janus Noachus*-ve, quum nullâ Divinationis parte careret, stabilia esse, donec omnia restituantur, necesse est. Omnia autem prius restitui non poterunt, quàm compositâ sub una Potentia temporali, quæ toti Orbi imperet, *Româ*, summus etiam generalisque totius Orbis Pontifex in *Syria* ad busta *Adami* reponatur, & ab Imperatore *Romano* ibidem conservetur. Ea enim de re *Etrusci* licèt essent majori auctoritate quàm Maximi *Romanorum* Pontifices, tamen sibi eam auctoritatem nunquam vendicare debuere, donec expulso à sua sede *Syriaca Melchisedeco* secundogenito ipsius *Noachi*, qui reprobatus est in CHRISTO ejus ordinis Antistite, tandem ipsa sacra sedes constitueretur cum manifesta auctoritate ad *Janiculum* urbem, & non ad *Saturniam*, donec rursus restitutis omnibus in ea loca, in quæ CHRISTUS HOMO-DEUS venerat IN PROPRIA, alioqui Universi Dominus, summus ejus Pontificatus reducatur. Hæc erat causa cur esset *Etruria* sacrorum *Romanorum* perfugium, & cur utraque urbs sublicio, & non solido, ponte conjungeretur, à quo in sua creatione faciendo nomen habebant *Romani* Pontifices.

CAP. XXXIX.

Quid sibi voluerit olim pontis inter Romanos & Etruscos refectio, aut factio, si dici posset, unde Pontificum vocabulum tractum est.

QUòd penes illum summa totius religionis auctoritas esset apud *Romanos*, qui Pontificis Maximi nomine diceretur, quódque illa vox *Pontifex* à *ponte faciendo* deducta esset, nemini *Latinorum* ignotum est. Cur autem pons fieret, quisnam ille pons esset, me legisse certè non memini. De industria verò Antiquitas ea omnia, quæ erant in maximis mysteriis & originibus religionis posita, ita abscondere voluit, ut vix posteritas conjicere illa potuerit, ne videlicet illa vilescerent si communia semel fierent, & ut à vulgi sensu remota in majori versarentur æstimatione & admiratione. Unde conjecturâ assequi necesse est quod Historia reticet, aut si alicubi est traditum, nunc non succurrit, donec aut alii recentiori humanitatis memoriâ imbuti (jam enim ferè decennio ab humanarum disciplinarum lectione absumus) hoc prodant. Quòd autem ille pons sublicius esset, à quo faciendo dicti sunt Pontifices, ideo mihi persuadeo, quòd usqueadeo in religione fuerit positum ut ligno compactus esset, ut quum *Roma* fuerit è regione illius utrinque antiquissima tàm ad *Janiculum* videlicet quàm ad *Aventinum* montem, tamen ad *Flumentanam* usque portam secundùm fluvium aucta, & lapideis pulcherrimisque pontibus ornata, semper sublicium ut trabibus conficeretur dimisit. Merebatur autem ante omnes marmoreus vel ob unum *Coclitis* facinus fieri. Ridenda autem sunt somnia quorumdam, qui dicunt eò quòd curam haberent pontium reficiendorum nomen habuisse. Alii autem, sed Theologicè magis, quòd instar pontis per Mundi pericula homines transvehant, quasi belli Duces, Consules, & Imperatores militiæ nomine Populi susceptæ algoribus fracti onustique non essent veriores Pontifices. Unus instar omnium *Dionysius Halicarnasseus* lib. *Rom. Hist.* 11. satis indicat ab uno ponte ligneo reficiendo tantùm vocatos fuisse, unde quum unus tantùm pons illeque proximus & religione sacer, éque ligno semper constans esset *Romæ*, deduxi meæ sententiæ originem. Ut ut res habeat, nemo mihi negabit *Saturnum Romanorum* orientalium Parentem à *Jano* Religionis auctore & hominum Deorumque Parente (Sanctos enim & Deos in eodem loco pono) hoc beneficii accepisse, ut profugo delitescentique sint datæ sedes. Quare quum, teste *Cicerone*, *Macrobio*, *Servio*, *Ovidio*, *Virgilio*, & quotquot unquam de ipso tractarunt, esset Religionis primariæ veriorisque auctor, nullum est dubium quin sicut auctoritatem civilem seu temporalem dedit *Saturno*, quin eidem ea lege etiam ipsam sacram seu pontificiam tradiderit, ut quæ semper esset suæ origini *Etruscæ* obnoxia: hoc enim ex usu & ordine rerum humanarum est. Inde factum est ut licèt *Romani* jus sui Pontificis eligendi haberent, non nisi *Etruscâ* doctrinâ apud ipsos *Etruscos* imbutum egregiè eligere poterant. Nullum autem dubium est, quum Pontificis summi dignitas ubivis gentium (hoc enim ex usu naturæ est) semper fuerit tantò major omnibusque civilibus excellentior, quantò major est digniorque animus corpore, quin etiam in suæ clectionis aut initiationis ritu summum quoddam DEI erga homines beneficium repræsentaret. Quum autem nullum unquam majus aut memorabilius beneficium acceperint, quàm quum ratis arcæ-ve ligneæ beneficio conservata est humana natura, Pontifex vero ille sit præstantissimus, cui hoc Divina concessit Providentia, ut superstites reliquias ligni beneficio conservaret, crediderim sanè hanc sacri ritus fuisse rationem, ut quisquis fieret Pontifex, hoc signo reficiendi super aquas lignei pontis ostenderet se ab ejus auctoritate pendere, qui Universum servasset. Hujus rei sanè etsi cultus ritusque omnino defuisset, certè memoria posteritati commendatissima deesse non poterat. Præterea quum flumina sint ubivis instar limitum à natura posita, Pontifices autem imprimis, ut qui primâ erant auctoritate, satagere deberent, ut in maxima concordia unà versarentur & *Janitæ Etrusci*-ve, & *Saturnitæ Romani*-ve veluti una domus, ad hoc ut tanquam primogeniti se paratos esse ad pacem ex sui Populi parte ostenderent, viamque communem in ponte sternerent, veluti in interregno pontificio pax decessisset, quam novus se instaurare ponte refecto testaretur. Quòd autem essent summâ auctoritate, & à quibus prima pacis ratio peteretur, hoc verò licèt omnium Gentium usu probatissimum est, tamen etiam testatur *Halicarnassei* sententia, quum ait in *lib.* 11. „Cogunt quidem universum Sacerdotum ordinem „eorumque familias, ne quid in rebus sacris erro„ris committant. Privatis aut ignorantibus, quo „cultu & Dii & Genii coli deberent, erant insti„tutores & prophetæ. Et si quisquam invenire„tur eorum sententiæ non paruisse, ipsum pu„niebant. Ad omnia autem attendebant, nec po„terant ab ullo accusari vel puniri, nec Populo „nec Senatui ullam reddebant rerum à se gesta„rum rationem. Hæc *Dionysius*: cujus sententiæ veritas omnino in *Christianismi* Pontificatu summo videtur translata. De Diis tantùm & Geniis colendis ratio diversa est; qua de re nobis inquisitio subjungenda videtur, & ante omnia de Geniorum originibus & natura. Hoc enim erat totius priscæ religionis origo & finis, ut certis statisque rebus, diebus, & locis colerentur, & ante omnia

omnia summus ille crederetur habereturque, & ritu æterno omniumque nomine cultu divino DEOque æquali honoraretur, cujus jussu & curâ genus humanum à clade Diluvii liberatum est: cæteri enim omnes unà cum suis Populis victi sunt.

CAP. XL.

De Geniorum natura & origine cultuque.

QUum sit mihi finis propositus ad hoc de *Etrusca* & antiquissima primaque & humani generis & religionis origine tractare, ut cognitis ratione cœli Geniis hujus Orbis inferioris custodibus tandem summus instar omnium colatur, quumque sit æquum Religionem erga DEUM stabiliri, ob ea miracula insignia, quæ in humani generis salutem sunt divinitus facta, summa autem memoria fiat à *Christianis* de CHRISTI Passione Resurrectioneque, à *Judæis* de Maris Rubri Transitu, mihi est etiam hoc propositum, ut nomine liberationis universi Mundi ab aquis Diluvii summa gratiarum actio ipsi Repurgatori Servatorique Mundi constituatur, quamdiu Mundus durabit duratura, eò quòd jam totis ferè quatuor annorum millibus est debita ob cessationem ejus usura. Licèt autem sciam in ipsius *Assyriæ* & *Armeniæ* finibus primùm post Diluvium incœpisse crescere genus humanum ex *Noachi* domo sanguineque, similiter mihi sit notum primam sedem summi Pontificatus *Semo* secundogenito *Noachi* in terra *Syriæ* sanctæ, ubi *Melchisedec* vocatus est, fuisse constitutam, tamen eò quòd Pater Mundi *Noachus* in *Asia* sedem non fixerit, sedes autem *Melchisedeci* habeat suas institutiones originesque in sacris, ubi nec pater nec mater ejus legitur, voco humani generis principium, ubi auctor ejus voluit palam primas posuisse sedes. Quum itaque primum ejus institutionis sacræ præscriptum esset de Geniis invocandis cultuque captandis, jure mihi de eorum natura dicendum est, eò quòd prima sacrorum *Etruscorum* institutio in hoc esset posita, ut ait *Æneas* apud *Virgilium* lib. VII. *Æneid.* ỷ. 135.

——— ——— frondenti tempora ramo
Implicat; & Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, noctisque orientia Signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat, & duplices Cœloque Ereboque parentes.

Quum principem in suo Opere virum *Æneam* describat Poëta, non est dubium quin illi etiam vetustissimum optimumque & usitatissimum colendi ritum tribuat. Jam à Philosophorum proceribus est concessum Universi caussam omnino primam esse omnino immotam & omnino immobilem DEUM Optimum Maximum, cujus imperio æterno stat præsens Mundi theatrum, & Naturæ templum. Si autem repentino ejus imperio cogitur simpliciter Mundus ut sit, quum omnia ab æterno prævideat, necesse est, ut ab æterno & in instanti momento-ve omnia, quæ semel prævidit & esse voluit, quum semper eadem voluntate & nunquam mutabili aut novâ illa esse velit, est inquam necesse, ut omnia unà nata sint, & æterna sint. Quod quidem quum omnino falsum esse in hoc sensibili Mundo videatur, in quo omnia quæ nascuntur nunquam revera sunt, sed assiduis generationibus corruptionibusque alterantur, falsus est omnino conatus *Aristotelis* & eorum, qui originem Mundo nolunt tribuere, eò quòd dicant DEUM necessariò existentem, quum sit actus purus & nullo modo mutabilis, etiam necessariò semper habuisse Mundum, in quo ejus actus exerceretur. Sicut enim

A ea quæ sub tempore fiunt & antequam essent non fuerunt, eò quòd antea non fuerint, nihil ejus derogant potentiæ per quam fiunt, sic nec materia prima, nec elementa, nec cœlum ipsum est necessarium ideo fuisse, quòd ab æterno DEUS sit, & esse illa voluerit. Sicut itaque accommodatâ ad res creandas ejus potentiâ videmus totius Naturæ assiduas mutationes fieri, & nasci esseque ea quæ non erant, sic & prima rerum materialium principia, uti materia prima, quæ est instar omnium, non habuit suum principium nisi accommodatâ Creatoris ad ejus essentiam potentiâ. Et sicut videmus esse longè magis rationi,
B per quam omnia sunt examinanda, consentaneum, ut prima potentia caussaque sit libera & per se potens, quàm ut sit agere coacta, & non nisi cum alio possit suâ potentiâ frui; sic est opinio, imò veritas, *Platonis* & eorum, qui dant principium Mundo, multò præstantior opinione ejus Discipuli *Aristotelis*, per quem revera Orbis ferè totus in impietatem abiit. Vult enim *Plato* DEUM, uti est, esse liberrimum, qui nil agat coactus, & felicissimum, qui nullo subjecto egeat in hoc inferiori Mundo, in quod suum actum purum exerceat. Contrà *Aristoteles* & ejus Alumni volunt, ut coa-
C ctus sit ab æterno in materiam primam egisse, & non potuisse suum actum purum exercuisse, nisi adesset necessariò ipsi acturo materia prima, & quæ ex ipsa nascuntur. Sed revera nisi impietate laborasset *Aristoteles*, fugeretque ne unquam de substantiis separatis ageret, idem planè cum Præceptore dixisset. Sed à suo Præceptore multa turbans, ut ait *Cicero*, discessit. Ab æterno itaque DEUS Mundum æternum condidit, sed in ea specie, in qua revera est æternus immortalisque. Quum enim æterna illa Potentia, Sapientia, & Bonitas Benevolentia-ve, à qua necessariò sunt omnia quæ sunt, sit infinita, ad hoc ut Mun-
D dum sensibilem olim in esse deduceret, ante omnia sategit ut crearet sibique uniret Mentem unam generalem, quam alii Intellectum generalem dicunt, Naturam tantâ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis capacitate, ut cujus apex summus ipsi immobili Divinitati uniretur, & cujus operâ mobili & ad individua per varia tempora applicabili tota formarum ratio in Universo dispensaretur. Est enim facies illa, species-ve, aut idea, generalis-ve forma omnium facierum, specierum, idearum, aut formarum: illa sanctiori vocabulo Sapientia creata dicitur. Quum autem forma nulla sit sine
E sua materia aut fœminea parte comprehensibilis, illi est addita sua pars inferior, in qua habituentur tanquam in intellectu passibili generali, quæcumque sunt in materia individuanda formanda-ve. Ab his duabus intelligentiis unà junctis (nam ista non transcendit extremam cœlestium orbium materiam, estque conjuncta per suam summam partem superiori, sicuti superior est unita DEO) totius Naturæ moles est sensim & de nihilo in hanc formam ad convexum usque cœlorum longissimis intervallis deducta. Pars accidentibus spoliata est cœlo assignata. Quum autem singulæ tantæ Mentis & tanti Spiritus partes à
F centro cœperint Mundi massam in sublime attollere, tunc, sicuti à spiritu nostra corpora inhabitante videmus, cœperunt quadam familiaritate diversas elementorum & cœli partes sibi vendicare. Tertiæ autem diei Creationis & Diluvii vicissitudo omnia in Orbe terrarum mutavit, ita ut sola integritas in cœlo remanserit. Sicut autem à corporis passionibus videmus animam affici & quasi tingi & lædi, & contrà corpus ipsum ab impetu spiritus frangi debilitari-ve, sic partes variæ illarum duarum naturarum in molis hujus mundanæ massam suarum naturarum odores reliquerunt: sicut

cut enim in homine parvoque Mundo videmus, A ſic in magno Mundo eſt. Una enim anima tantùm in nobis agens, totaque in toto, & tota in qualibet parte reſidens, licèt una, unica, & ſimpliciſſima ſit, tamen ſuis partibus ita differenter agit, ut, quâ agit in vita cordi miniſtranda, non agat in cerebro vivificando, aut contrà, ſic nec à qualibet parte poſſunt officia ejus in quamlibet alteram transmutari: ſic in corpore Mundi licèt ſit una Mens aut Intellectus agens tantùm, & unus Spiritus Intellectus-ve paſſibilis tantùm, tamen ſuarum partium veſtigia ubivis pro partium Mundi diverſitate reliquit, ſibique eas potiſſimùm partes vendicavit, B quibus de potentia in actum educendis & hactenus conſervandis præfuit. Materialis autem ſpiritus partes ſunt veluti ſopitæ inque terræ & aquæ natura reſperſæ dormientesque, unde Priſcorum preces, nec vegetari ſolent niſi concurrente in vota Mente generali, quatenus eſt nobis impacta & extrinſecus in nos advenit. Sunt itaque illi duo fontes Geniorum bonorum ubivis in natura ad noſtrum ſubſidium comparatorum, qui tamen rariſſimè niſi invocentur cœlitus adſunt. Quum autem univerſitas naturæ miniſtret primæ & DEO unitæ Intelligentiæ, inſignis pars earum intelligentiarum, quæ diſpoſitioni materiali Mundi præerant, C conata eſt arripere ſibi imperium, & ſibi in hoc Mundo tenebricoſo ſedem poſuit, malorumque & inferiorum Dæmonum nomine vocata, ubivis gentium & religionum in confeſſo & notiſſima eſt. Hanc olim ne noceret ſincerioris perſuaſionis Antiſtites quibusdam ſacris averruncabant. Qui in hoc ſuperborum genere ſunt maximè impacti materiæ, Incubi & Succubi vocantur. Incubi à mentibus, Succubi à ſpiritibus, uti fœminæ, deflexere, cujus utriusque generis noſtrâ etiam ætate inter Striges & Maleficos ſunt notiſſima commercia congreſſus. Manifeſtiſſimum autem ſignum ſpirituum olim per totam terræ maſſam D ſparſorum videmus, quia in mediis, denſiſſimis, maximisque ſaxorum duriſſimorum molibus videmus non tantùm animalium, arborum, piſciumque, & rerum omnium naturalium figuras in materia impreſſas, ſed etiam artificialium mutas figuras, quæ illic non potuere aliter inſculpi, quàm ab Intelligentia omnia cognoſcente, & ſaxa condenſante. Inde quum vota erga bonos ſunt ſummâ fide directa, ſtatim ſummæ Mentis miniſtri membraque adfuere invocantibus, uti ſacris precibus elicita. Contrà quum perditi homines Religione ad ſolam hypocriſim abutentes ſeſe ſponte conformes E fecere perditis & per ſuperbiam depravatis Dæmonibus inque generis humani ruinam armatis, illi in locum bonorum cœpere dare reſponſa, oracula, ſomnia, verba, donec ex veriſſimo cultu in falſiſſimum traduxerint, adeò ut palam in *India*, horrendâ ut pingi ſolet poteſtque figurâ, Dæmon hodie adhuc colatur. Credidit autem Antiquitas originum ignara ex terræ vaporibus hos Spiritus naſci, & quoſdam Deos Dæmones-ve naſci & interire, eò quòd votis humanis videbantur uno tempore poſſe elici, & alio minimè. Sed non animadverterunt, quòd ſicut impii homines relictis bonis ſæculi aurei ducibus, ubivis gentium tunc evocari & adeſſe ſolitis, in ſummam F malorum impoſtorumque familiaritatem devenere; ſic, ubi viſum eſt Intelligentiarum omnium Parenti, omnino ſunt exſibilati expulſique mali Spiritus, & Dii ſancti-ve homines mente reformati veraque CHRISTI membra in eorum loca ſucceſſere, quorum miracula ideo jampridem inter nos ceſſarunt, quòd nulli aut perpauci ſint qui illis aut omnium capiti CHRISTO conformari ſe ſtudeant. Ab illis, & qui ſupra cœlum, & qui in cœlo, & qui inter elementa, & qui ad centrum terræ versùs Aquilones adacti ſunt, aſſiduè aut ſpectra verorum elementis veſtita, aut temporaria phantaſmata ſuſcitantur, ad tredecim genera ex mentibus, aut totidem ex ſpiritibus, aut ex pſeudonoïs falſis-ve mentibus, aut ex pſeudopneumatis falſis-ve ſpiritibus totidem. Sunt enim decem genera moventium ut in finem, qui mentes ſunt; ſunt totidem genera moventium ut in locum, qui ſpiritus ſunt. Totidem illis in utroque genere adverſantur. Quandoque autem aut uno ſimplicique elemento induuntur, & fiunt ſpectra quatuor generum. Inde ex binis elementis fiunt ſena, ex ternis duo, & ex quatuor unum ſolum, quæ ſunt tredecim, ex quorum genere erant illi qui tantùm oblectabantur temperamento humano, ut, quum illos ejiceret illorum omnium Imperator CHRISTUS, ab eo rogando impetraverint, ut in temperamentum porcorum humano proximum non ſine magno mitterentur myſterio: fatentur verò Medici ſuillam eſſe temperamento humano proximam. Deinde inter has peſtes bonis oppoſitas ſunt qui ſe opponant duodecim ſignorum, aut ſeptem planetarum, aut ſeptuaginta duorum decamoriorum angulorum-ve Mundi, & in ſumma omnium provinciarum, urbium, regnorumque, & imperiorum, imò etiam ipſorum hominum cuſtodibus. Sunt tamen omnino ex uno decem motorum ordine deturbati. Hac de re Antiqui invocabant virtutes terræ & aquæ dominatrices, ut nocturnis obſtarent: nocturnos autem etiam ne nocerent placabant. Illis enim hircus in deſertum ad *Azazel* deſtinatus, Populi peccatis onuſtus, immundusque, & ipſum ſummum Pontificem tactu inficiens, vivusque mittebatur, donec ungeretur Sanctus ſanctorum, quique imperio mero illos confringeret CHRISTUS. Genii autem ſunt virtutes inferiores locis incumbentes, precibus votisque excitabiles, cœlitusque ibi addictæ, quarum maſculæ ſuperioresque partes ſunt Angeli, ita ut illi ſint ut purus ſub DEO actus naturæ arbiter, hi autem ſint inſtar potentiæ & intellectus paſſibilis: ſicut enim videmus non excitari actualem formam, niſi priùs diſpoſitâ materiâ de ejus potentia educatur, ſic in votis humanis eſt: niſi enim materialem ſuſcitaveris, inferioribusque votis ſatisfacere in loco curaveris, ſuperior non eſt adfuturus, niſi abſolutè in nomine mentium & ſpirituum omnium Principis per vitæ divinæ ſimilem cum intelligentiis habitum, ut fecere poſſuntque facere veri CHRISTI imitatores; quæ eſt via ad cœleſtia omnia evocanda certiſſima, quaque duce *Noachus* non tantùm cœleſtia ſibi Numina conciliavit, ſed illa etiam quæ rationis ſunt expertia in ſuum coëgit imperium. Sed ut ad rationes redeam Antiquitatis, verba *Plinii lib.* XXVIII. *cap.* II. pro fine hujus capitis ponam: *Flaccus Verrius* ponit Auctores, quibus credat, quos ait aſſerere, Sacerdotes *Romanos* in expiatione urbium, quæ oppugnarentur, ſolitos eſſe Genios illos Deos-ve illius civitatis evocare, pollicerique illis & loca magis auguſta & cultum ampliorem apud *Romanos*. Durat etiamnum hoc ſacrificium in diſciplina Pontificum. Et ea de re occultum erat nomen illius Genii, in cujus tutela *Roma* erat, ne quisquam hoſtium poſſet illum ſacrificiis ad ſe allicere. Ex quibus *Plinii* verbis videtur ſummam primamque originem *Romani* & multò maximè *Etruſci* cultus in Geniorum nomine, origine, evocatione, & cultu eſſe poſitam, ita ut ob Genii cuſtodiam & Genio & urbi commune nomen imponeretur. Nam utrumque ſcriptum reperitur, & occultum fuiſſe Genii & urbis nomen, ne evocatus Genius urbem relinqueret deſtruendam.

Cap. XLI.

Quòd Etrusci tantâ erant Geniorum Angelorum-ve cognitione, ut scirent qui cultus & quæ sacra eos decerent.

BRevissima est sententia *Ciceronis*, quam suprà unà cum aliis citavimus de *Etruscis*, sed sensu longissima. Ait enim, *Etruriæ principes disciplinam sacrorum docento. Quibus Divis creverint procuranto.* Ultima isthæc periodus discutienda mihi est. Totus Orbis post Diluvium omnino inhabitatus sensim fuit ex una domo, sensim auctis familiis missisque coloniis in suam habitationem reducendus, ita ut sicut herbæ, arbores, fruges, animantia sensim fuere in sua incrementa reducenda, sic & consortia hominum, & urbes, provinciæ, imperia, regna fuere à suis principiis in sua augmenta crescendo traducenda. Quum autem singulis locis & conventibus sua præsint Numina cœlique virtutes ad hoc, ut ritè institutis crescentibus & confirmatis Populis Genii servarentur propitii, opus erat ut duplici scientia & singulari bonitate sanctitate-ve primi valerent *Razi-Hinui*. Ad hoc enim ut nomen naturaque Genii ubivis innotesceret, opus erat ut summâ syderum virtutumque cœlestium cognitione & scientiâ valerent, & ubi influxum cœli in loca ipsa decumbere nossent, Genium ipsius, & non alterius partis cœli, dominum cognoscere dato ex cœlo nomine possent, perque vitæ conformitatem evocatum respondentemque compellarent. Quum autem vetustâ *Chaldæorum* doctrinâ sint ita dispositæ omnes creaturæ ipso homine inferiores, ut sint per suas classes cœli virtutibus addictæ, opus erat *Etruscos* summâ Magiæ veræ sanctæque sapientiâ pollere, ut illo rituoso infantilique aut juvenili sæculo aptissimè quid quibusque Divis crevisset procurarent, non ut loca res-ve Geniis & Genios locis, sed ut sibi gratas & addictas res curarent, in cultu adesse offerrique, quam ad rem & cœlestium & elementariarum doctrinarum rerumque cognitione opus erat. Ideo meritò summi sapientiæ Antistites crediti sunt. Sic autem per eorum disciplinas usu sapientum olim tàm probatas, quàm, ubi consenuissent & ad imperitorum impostorumque manus pervenere, fuere odiosæ neglectæque tanquam quæ nîl unquam veritatis habuissent, factum illud olim fuit, quod facere nos unus CHRISTUS per sua sacra docuit, Philosophus autem per demonstrabiles disciplinas. Didicimus enim summâ auctoritate & ratione multas esse intelligentias separatas, unde sequitur ut inter multa ejusdem generis sit aliquod primum, quod sit instar cæterorum, cujusque solius imperiis cætera omnia & sint, & moveantur, & conserventur, ad cujus cognitionem *Etruscos*, quum deligerent quæ quibus Divis crevissent, si discussissent omnia, venire opus erat, ut revera venerant. Ideo *Jovis* nomine illum appellabant Spiritum, qui in summo gradu comprehendi potest. Nec est putandum, quum *Jovem* Optimum Maximum colerent, ut sacra perditissimis hominibus *Nimrodo Asiatico* Tyranno aliis-ve ejus tyrannidis & ambitiosæ superbiæ successoribus, qui *Saturnum* priscum à sua sede depulerant exsulareque *Asiâ* coëgerant, aut ipsi *Jovi* pæderastæ *Cretensi* sacra facerent, quum illi in nomen sacrosanctum primæ Mentis involassent, non tantùm gloriæ inferioris Mundi avidi raptores, sed cœlestis & summæ in summo nomine occupatores. Illud enim sacrosanctum & tetragrammatum nomen, quod prisci *Hebræi* in summis habuere secretis, quoque ex æquo & DEUM immotum immobilemque, & sapientiam creatam increatæ

A consubstantialiter unitam significabant Prophetæ, perditissimus *Babyloniæ* fundator *Nimrodus* unà cum sacris ritualibus-ve libris furatus fuerat, sibique, tanquam qui summum sapientiæ attigisset, aut in quem summa Mens cœlitus extrinsecus-ve advenisset, attribuens nomine *Jovis* dici volebat, ut & *Græciæ* impostores, qui Ζεὺς pro *Jovis* dixere. Hanc impietatem noverat & Pater *Janus* & *Etrusci* Doctores, quare primæ Intelligentiæ Menti-ve mobili sub nomine *Jovis* sacra faciebant ubivis gentium. Licèt enim ex vi Cœli & Astronomiæ cognoscerent Genios, tamen quia raras provincias in terrarum Orbe prisca designarat Antiquitas cui
B parti cœli subessent, ideo ille Intellectus, qui instar omnium esset, *Jovis* nomine ubivis gentium colebatur tanquam Universi Dominus, cujusque cætera membra & partes essent. Verum quidem certè est, licèt primus ille Genius, Angelus, Intellectus, Mens, aut Spiritus curam Universi habeat, & ubivis terrarum dominetur, tamen ille ipse JEHOVA diligit portas *Zionis* arcis *Jerosolymitanæ* plusquam omnia duodecim Tabernacula duodecim filiorum *Jacob* & Gentis *Judaïcæ* electionem, eò quòd ab æterno erat ita constitutum, etiamsi homo nunquam seipsum destruxisset, ut
C ad illas portas *Zion* in propria veniret, nomine imperfectionis humanæ summo DEO satisfacturus, cujus ea de re *Judæi* adhuc exspectant ibidem futurum adventum ante mille quingentos & quinquaginta annos elapsum.

Cap. XLII.

De Geniorum, Spectrorum, Heroum, & Mentium natura, & quomodo per cœlestium rerum cognitionem etiam prima Mens Genius-ve potuerit cognosci.
D

UT impiissimè, ita verissimè duas *Plinius* protulit in eodem loco sententias consideratu dignissimas. Summâ enim impietate *Hist. Nat.* lib. XXVIII. cap. II. scriptum reliquit, divinam clementiam non potuisse hominibus dedisse majus donum quàm ut nulla divina miracula credantur. Quod quidem axioma si ad aruspiciorum & extispiciorum dubiorumque responsorum, quæ ex religione corrupta referuntur, rationes velles æstimare & non ultra, benè quidem haberet; quum autem de illis omnibus dicat miraculis, quæ olim
E contigere Annalibusque sunt mandata, ut omnino tollat curam Divinæ Providentiæ à Mundo, impietatis plenissima est opinio. Verissima autem illa est, quâ ibidem dixit, nîl attinere res divinas illis qui animum non adhibuerint. Animi itaque adhibitio, credulitas, curaque facit, ut unus innumera videre & pati possit divinitus, quæ alius quidem acutiore forsan sensu non videat. Hinc vidimus hactenus Prophetas, eò quòd assiduè circa Divinæ Naturæ considerationem, tanquam circa summum scire, sint occupati, quoque modo curam rerum humanarum habeat assiduè cogitent, fieri ejusdem Naturæ participes & Divinatione præditos. Per
F impietatem quidem sententiæ *Plinianæ* affinem factum est, eò quòd nullus ampliùs credat DEUM humanas res curare, ut nîl planè rerum supernaturalium credamus, aut si maximè sint aut fiant, fateri animumque illis adhibere velimus, quare ab ipsa sententia tanquam à summa peste mundi fugiendum est. DEUS aut Natura communiter non agunt nisi in materia disposita. Non tantùm itaque viro bono est fugiendum ab hac impia opinione, sed contendendum illi est, ut maximè amando quærendoque quod novit in causis præstantissimum, adhibeat rebus omnibus & maximè miracu-

raculoſis & extra naturæ conſuetudinem factis animum, ut omnia DEO auctore fieri certiſſimè credat, quumque DEUS nullo modo particulari aut novo motu moveatur, & res per ſe non poſſint, maximè ut ſint, aut poſtquam ſunt, ut non ſint, & ſeipſas deſtruant, moveri neceſſarium eſt aſſiduè illam Mentem primam aſſiduè mobilem DEOque unitam, qua duce & miſericordia & juſtitia DEI aſſiduè diſpenſatur revereri colereque. Ut hoc in univerſo Orbe fieret, ſunt inditi ubivis locorum Genii ſic dicti, quòd generationi in illis locis fieri ſolitæ præſint, conſerventque in ſuis naturis ſingulas generationes cum animantium plantarumque aptis uni loco gentique ſpeciebus. Ideo natus in *Græcia Græcitatem*, in *Italia Italitatem*, in *Gallia Gallitatem* naturâ redolet. Sic de vino & fructibus. Spectra autem dicuntur, quòd ſeſe Genius, Angelus, aut Dæmon malus, corpore ad tempus aptato, ob aliquod ſignum, quod Divina Providentia inviſibilis vult ibi cognoſci interpretarique, manifeſtat. Sunt autem genera talium duo & quinquaginta ex elementis ſolùm veſtita. Bonorum & malorum Spirituum ſunt quadraginta genera ex ſphærarum ratione nata. Quum lumine veſtiuntur, varii ſunt gradus alii, uti & ſtellarum lumen. Qui præſunt ſignis duodecim, ſunt ducenti & quadraginta, qui obſtant, totidem. Qui præſunt duobus & ſeptuaginta angulis decamoriis, mille quadringenti & quadraginta, qui obſtant, totidem, ex numero decem orbium deducti, & principes omnes. Fuit autem Antiquorum reſolutiſſima ſententia in una illa Mente, quæ extrinſecus in omnes homines divinitus ratione formandos adveniat, & demum in ſuum reſorbeatur principium, naſci formam humani generis, ita ut vocarint Geniorum Angelorum-ve genus heroïcum divinumque, & Deos Heroësque, poſtquam in corporibus feliciter & ſecundùm virtutem ad ſummæ Mentis honorem vixiſſent, quos Sanctos modeſtiore quidem, ſed idem planè ſignificante, vocabulo noſtri vocant. Eò enim quiſque ſanctior aut divinior habeatur oportet, quò magis conformari omnium intelligentiarum Principi CHRISTO ſategerit. Quum autem *Etruſci* tantâ rerum cœleſtium cognitione pollerent, ut poſſent quoties libitum eſſet elicere IOVAM, Genios, fulmina, ut certiſſimis Annalium monumentis traditum eſt, nullâ ſunt parte inferiores ipſis Magis orientalibus putandi, quum à principe omnium doctrinarum eſſent formati. In ſummæ autem veritatis monimentis traditum eſt, tantâ polluiſſe aſtrorum ſcientiâ Magos, ut, quum ſacrorum cura apud ipſos *Judæos* & eorum magiſtratus periiſſet ob incuriam, illis ad res fluxas omnino attentis, Magi ipſi per ſyderum ſcientiam excitati venerint ad *Judæorum* regnum ſub primo cœli adſpectu poſitum, Regem illorum adorandum requiſituri. Licèt autem ipſi ſcirent aliquando ſummam Mentem, quæ eſt Mens mentium, incarnandam, & futuram non ſolùm Angelorum Geniorumque, ſed hominum Principem, & DEUM à toto terrarum Orbe adorandum, tamen quia tempus ejus adventus ſcire non poterant, ipſa Divina Providentia voluit, ut ejus regionis Genius ſtellæ ſpectro veſtitus illos à finibus *Orientis* in *Judæam* uſque conduceret, & ibidem poſtquam adveniſſent uſquequo ille naſceretur deliteſceret. Quum autem ſtetit ſpectrum rurſus excitatum ſuper locum, ubi nata erat Mens Mundi, diſparuit veluti ſummo functum officio. Quum autem ejuſmodi apparent quacumque ſint formâ nîl refert, ſpectra omnia ſunt ita arbitrio prædita, ut non niſi quibus voluerint ſe oſtendant. Sic de triplici ſole aut parhelio unis & non alteris apparet. Quicquid enim nugentur Philoſophi, Geniorum ſpectra

A ſunt. Quod vidit *Paulus*, ſocii non viderunt, ſed vocem, in qua fructus erat, audierunt. Soli *Eliſæo Elias* primæ Menti conjunctiſſimus, licèt verum corpus eſſet quum raptus eſt, apparebat. Nonne & *Bruto* occiſuro ſuus Genius ater ſoli viſus eſt? Sed de ſpectris alibi. De conſervis enim noſtris, qui teſtimonium ſummæ veritatis habent nobiſcum, noſque conducunt in eorum & noſtri capitis cognitionem, nobis eſt agendum. Ad hoc enim omnes nati ſumus, & in ſpiritu animaque præſtolamur, donec nunquam ſeparandi illis uniamur, membraque noſtri corporis, capitis, integri, & totius reficiamur nunquam ſeparandi.
B In eo autem longè quàm in ratione & cœlo clariùs cognoſcemus omnia per ſuam cauſam. Sed quis ſit illi maximus honos habendus videndum.

CAP. XLIII.

Quæ hoſtia ſummæ Intelligentiæ Mundi creverit, quis-ve cultus ſummus, & qua de cauſa maximè debeatur & DEO & HOMINI-DEO Mundi Arbitro.

C ETſi *Beroſi* fragmenta nullam habebunt apud cervicoſos aut forſan etiam apud nonnullos veri amatores fidem, tamen quum apud Auctores & antiquiſſimos Scriptores inveniuntur eadem, quæ & in eo ſcripta ſunt, illius fides nullo jure elevari poterit in illis, quæ conformiter aliis ſcripta reliquit. Hoc adfero, quod mihi quidem certè dolet plurimùm, ut eo ſolo nomine malè audiat, quòd ſacris conformia poſteritati tradidit, quoque nomine plurimùm laudari & omnibus præferri Auctoribus deberet, eo ſperni & rideri ab hominibus malè erga res divinas affectis ſolet. Principium humani generis inſtaurati Diluvium eſt, nec
D quiſquam aut Philoſophus, aut Hiſtoriographus mihi ullas rerum geſtarum memorias (etiamſi centies millies centena annorum millia aut Univerſum aut quoſdam Populos vixiſſe fingat, mentiatur, aſſerat) ſupra Diluvii tempora referre poterit. Auctore autem viro ſancto nomine *Noacho* & *Jano Syriæ* habitatore fuiſſe ſervatum genus humanum à clade Diluvii teſtatur *Beroſus* iiſdem verbis atque in *Joſepho* citatur. In eamdem ſententiam etiam *Hieronymus Ægyptius*, & *Mnaſeas Phœnix*, & *Damaſcenus* citati ab eodem Auctore adducuntur. At verò quum illi deſiderentur, *Beroſus* ſit ſuſpectâ fide, *Joſephus* auctoritate ſacrorum nita-
E tur, ſitque *Judaïcæ* perſuaſionis homo, iis qui à Sacra abhorrent Hiſtoria non facient fidem. Sed unus in medium prodibit, cujus fidem nullo modo poterunt elevare. Scripſit *Solinus* homo *Romanus*, (ideo nobis fideliùs citandus, quòd plus in auctoritate vetuſta quàm in ratione poſuit) ubi de Diluviis agit, *fuiſſe à primo novimeſtrique Diluvio, quod ſub Ogyge Phœnice, uſque ad illud, quod Deucalionis tempore fuit, annos ſeptingentos*. Ex cujus verbis multa colligere licet. Quòd ſupremâ hominum memoriâ fuit Diluvium novem menſium & incircumſcriptum univerſaleque. Quòd
F ab homine *Syro* nomine *Ogyge* ſuperſtes factum eſt genus humanum. Quòd ſeptingentis annis fuit ante illud Mundi principium, quod *Græci* humano generi ſub *Deucalione* & *Pyrrha* tribuunt. Ut autem ſatisfaciam magis, ipſiſſima *Solini* verba & non ſolùm appenſa ponam: *Meminiſſe hoc loco par eſt*, inquit, *à primo Diluvio notato ſub Ogyge, quando diem inumbravit continua nox menſibus novem & ampliùs uſque ad Deucalionem, ſeptingentis annis medium ævum dari.* Hæc ille. *Metaſthenes* autem *Ogygem* illum eſſe *Phœnicem* ſcripſit. Ea de re omnium rerum, ſed præcipuè quæ ad litteras

& navigationem attinent, fuisse inventores *Phœnices* scribunt *Romani*, primi eorum hac in re alumni. Ista confirmationis præcedentium gratiâ adjecta volui, antequam ad illum finem in quem tendo perveniam. Quum enim hodie in toto terrarum Orbe *Christianis* videlicet, *Judæis*que, & *Ismaëlitis* sit Diluvii factum omnino persuasissimum, opus mihi visum est, ut illis, qui auctoritate humanarum litterarum sine ulla persuasione in verum ducuntur, etiam satisfiat, ista in rei, quæ in toto Orbe terrarum mirabilissima est, confirmationem adjicere. Nullum enim dubium esse potest, quin *Solinus* homo *Romanus* ex priscis *Etruriæ* Annalibus ista desumpserit. Quis enim dubitare queat, quin illis Commentariis septem librorum, qui juxta sepulcrum *Numæ* junioris in arca lapidea sunt reperti, de religionis jure, conservatique, fideliter essent conscriptæ res antiquitatis. Præterea quum *Cecina* à *Plinio* citetur scripsisse de *Etrusca* Disciplina, fieri non potest quin etiam de originibus ea omnia quæ vera erant tradiderit: habuerit undelibet nîl refert: verum enim vero consonat; potuit ex omnium Gentium litteris potiùs quàm ex *Hebræis* habuisse; illæ enim vix ante nostram memoriam fuere unquam aliis Gentibus quàm *Judæis Christianis*-ve paucis in *Syria* communes. Nullum itaque à DEO Optimo Maximo unquam beneficium, per Mentis universalis ministerium, post Mundi creationem, majus accepimus, quàm quum duce *Jano* & Deorum & hominum Parente à clade aquarum liberati sumus. Quum autem non tantùm simpliciter generaliterque sit referenda summo benefactori gratia, sed maximè illius beneficii nomine, quod maximum accepimus, quoque assiduè fruimur, necesse est, ne DEUS suâ fraudetur intentione, ut à toto Orbe terrarum in Diluvii memoriam sacra dies constituatur, & DEO, & CHRISTO, & *Noacho* ejusque sanctissimæ conjugi, inque tantæ liberationis memoriam talia DEO sacrificia offerantur, qualia & possint ab omnibus offerri, & à primo Pontifice Mundi leguntur oblata. Quum autem hoc liberationi à Diluvio debeamus quod vivimus, vitamque in toto Orbe terrarum usu panis & vini trahamus, delibare necesse est in æternum ipsi DEO ex ipso pane & vino, aut ex iis que instar istorum pro usu vitæ habentur, secundùm *Melchisedeci* factum pro *Abrahamo* & CHRISTI institutionem in sacris mysteriis corporis. Ea de re CHRISTUS in sacro *Latinorum* ritu voluit sacra mysteria vocari, non tantùm Novi & in *Christianismo* usitati, sed Æterni & jam cum ipso *Noacho* in gratiam Universi constituti Testamenti, ut, postquam *Christianismo* arctiori limite contento pro Novo solùm servierit Testamento, etiam serviat olim toti Orbi pro Æterno. Hoc enim nomine est factum, ut CHRISTUS Rex Regum, & Pontificum Pontifex, DEUS Deorum, Mentiumque Mens, & Angelorum Princeps voluerit dici secundùm ordinem *Melchisedec*, qui alioqui est omnibus modis CHRISTO inferior. Quòd enim esset Mens de mente CHRISTI, & Pontifex de potentia CHRISTI, hoc erat CHRISTO inferior, sed quia Mens illa erat Menti carnem in CHRISTO concomitaturæ æqualis, demptâ Divinitatis unione, quæ in solo CHRISTO sola est, & duce eadem Mente, primus legitur libasse DEO panem & vinum tanquam vitæ humanæ bases, in quibus CHRISTUS consummationem divini posuit mysterii, ideo Pontifex secundùm ordinem *Melchisedec* dictus est. *Latinis* autem solis in consecratione mysteriorum hoc verbum ÆTERNI Testamenti est additum, quia Princeps ejus institutionis, quæ jam à Diluvio æterna esse debebat ubivis gentium, *Janus Noachus*-ve est, *Latini* Orbis unà cum sua primogenitura basis, qui vitam à Diluvio pietate eripuit.

CAP. XLIV.

Quo mense quoque die, re ad nostros menses æstimatâ, incœperit & finem acceperit Diluvium.

ANnum unum solidum & decem dies fuisse Orbem terrarum à contactu humani generis immune, quum Diluvii clades in Orbem universum irrepsit, hoc verò sacrorum monumentis est traditum. Secundi enim mensis die decimâ septimâ incœpit pluvia, & *Janus* cum tota domo intravit in Arcam in salutem generis humani comparatam. Revoluto autem per suos duodecim menses anno eodem mense secundo ad vigesimam septimamque diem exaruit terra, & jussus *Noachus* cum tota domo exivit de Arca. Licèt autem carina felicis navigii consistentibus aquis mense septimo hæserit vertici montis *Pariedri* in *Armenia*, mense autem decimo cacumina cæterorum montium apparere cœperint, tamen aquæ omnino à planicie ante revolutum annum non sunt remotæ. Quum autem cæteri montes inter nonum & decimum mensem cœperint emergere, externarum litterarum memoriis proditum est novem mensibus & ampliùs caliginem tantam fuisse, ut dies instar noctis esset, tantique temporis Diluvium est judicatum. Nunc diligenter est attendendum, quisnam esset mensis ille, ut possit nobis constare quando tanti beneficii memoria sit recolenda. Nunc non agam hîc more quorumdam doctissimorum, qui rationibus variis colligunt quinam Gentium melius fecerint, aut qui à verno æquinoctio, aut qui ab autumnali incœperint annum. Quod enim ratum fixumque est, in dubium rursus vocare dementia, non sapientia est. Consensu omnium Gentium, & ante omnes *Chaldæorum*, Magorum, *Indorum*, & omnium doctrinæ cœlestis Interpretum, stat ibi esse anni solaris principium, ubi primum cœli signum est positum. Hoc etiam, quidquid sit à multis nugatum, à *Saturnitis Romanis*-ve erat ante *Numam* usitatum, nec unquam fuit annus decem mensium. Sed ut sacra in nomine *Jani* sacratiora faceret, detractis à cauda anni duobus mensibus, illa addidit præposuitque capiti, & pro *Undecembrio Duodecembrio*que (sex enim ab imbre nomen habebant) *Januarium Februarium*que nuncupavit, ut primus Deorum Urbisque repurgatio in primis festis ponerentur. Restat manifestissimum rei signum in Bissexto & brevitate *Februarii*, qui ultimus erat. Præterea nulla Astronomiæ, quæ tamen apud *Etruscos Romanos*que semper summa fuit, ratio patitur, ut annus possit decem mensibus consistere. Id quod mutavit & aliunde sumpsit visus est adinvenisse. Sed sit hæc lis adhuc sub Judice, si videtur, constat etiam *Romanos* in hoc orbi cæterarum Gentium convenire, quòd anni solaris principium ponant in Arietis signo & mense. Quum autem *Hebræi* & eorum nothi spurii-ve *Ismaëlitæ* utantur in sacris mense annoque lunari, jam à *Mosis* temporibus instituto, & ad nos usque in Paschatis festorum mobilium ratione transvecto, certissimum est, quem *Moses* est divinitus jussus mutare, annum esse lunarem. Lex enim à sapientissimo Legislatore nunquam ponitur de iis, quæ jam in lege sunt ubivis posita. Quum, ut suum Pascha & cursum rituum *Hebraicorum* instituerct *Moses*, jussus sit ut *Martii* Arietis-ve mensem primum faceret in mensibus anni, hoc ante non fuisse in usu fateatur necesse est, quisquis

quis DEUM nolit superfluitatis imprudentiæque inculpare. Cœpit itaque divino jussu *Moses* traducere anni lunaris caput à condito Orbe in autumni principio usitatum, in verni æquinoctii signum, ita ut proximæ æquinoctio lunæ novæ quartadecima dies seu plenilunium, quacumque die evenerit, sit Paschatis apud *Judæos* festum. *Christiani* autem (ob quam differentiam olim *Asia* à nobis est separata) decreto *Romano* fecere, ut non quolibet die, sed primâ quaque post plenilunium vernum Dominicâ statueretur memoria HOMINIS-DEI à mortuis suscitati. *Judæi* autem ob relictum Sabbati & hujus diei Paschatis festum à nobis maximè sunt separati. Qui itaque septimus mensis anni lunaris ante *Mosem* jam à condito Orbe fuit, ob septenarii numeri mysterium factus est primus: nam, ut dixi, de iis, quæ jam sunt & fiunt, lex nunquam posita foret à Divina Sapientia ut fierent: nam ne Rusticus quidem hoc faceret, nedum Princeps sapiens, aut DEUS. Quod autem ita habeat, ex rerum præsentium usu videri potest. Quum enim, antequam Lex divinitus Decalogo aucta reciperetur, in memoriam Creationis & Diluvii observaretur mensis autumnalis æquinoctii pro anni capite, prisca Patriarcharum Religione imbuti, antequam ad eos liberandos veniret *Moses*, *Israëlitæ* fixum servabant in autumno principium lunaris anni. Quare prisci Interpretes & sancto timore viri Legis observatores, videntes esse jussum ut anni principium esset ad Pascha mense *Martio*, & non esse prohibitum ut esset observareturque ad mensis *Septembris* plenilunium more Patriarchis usitato, censuerunt in utroque mense servari caput, quod nunc in suo usu servant ubivis *Judæi*. Licèt enim palam non asserant esse caput usualis anni in *Martio* aut verni æquinoctii luna, ut jussus erat *Moses*, tamen ipso Paschatis festo testantur ibi fuisse constitutum, ubi & ab illis & à nobis observatur tacitè. Jam itaque à Creatione Mundi ille annus, de quo in Fastis sacrorum agitur, fuit lunaris, cujus caput in luna æquinoctio autumnali proxima constitutum est ea de re ab *Adamo*, (in quo fuit primus intellectus numerator, qui temporum observationi dedit principium) eò quòd ipso ad vesperam diei sextæ creato luna biduo ante in oppositione creata, sole in Ariete, & luna in Libra, fuit secundæ post solem admirationi. Ubi itaque longissimo illo vitæ cursu dies in horas, hebdomadas in dies, menses in hebdomadas & dies, annum in menses, cœlum in signa, signa in gradus, gradus in decamoria reposuisset, vidissetque assiduo annorum recursu ponendum esse in duodecim mensuris mensibus-ve anni orbem, statuit constituere caput anni solaris in Arietis principio, quamvis jam esset in tertio ejus gradu die sexta. Anni autem lunaris voluit esse principium in Libræ proximo novilunio, licèt illam tertio à plenilunio die tantùm in fine signi vidisset. Hæc autem ex sacra Auditorum *Mosis* interpretatione sunt petita. Quum enim ad hoc DEUS Mundum condiderit propter hominem, ut ipse homo Universi Imperator constitutus & Creatorem agnosceret, & assiduè illum amare vererique & laudare pergeret, maximè autem nomine maximorum beneficiorum illi collatorum, quum sol semper videatur uniformis, homo autem varietate novitateque & mutationibus oblectetur, voluit priscorum Patrum & imprimis *Chanochi* summâ sanctitate Prophetæ, doctrinis, & scriptis, (is enim *Adamo* Amanuensis fuisse legitur) ut apud Religionis veræ observatores annus lunaris servaretur, ad hoc ut duodecim signorum, aut mensium, aut variarum cœli vicissitudinum videretur in luna signum, quo viso omnes in Creatoris laudes renovatas prorumperent. Unde quum in toto sacrorum ante *Ezram* scriptorum corpore, maximè autem in libris *Moseos*, nulla nisi de lunari anno mentio fiat, certissimum est etiam sanctorum sanctissimum *Noachum*, quum memorias Diluvii posteris tradidit, eas notare voluisse secundùm lunaris anni usum, Fidelibus ob crebras laudes DEI constitutum. Secundus itaque mensis, quo contigit Diluvium, est *Octobris* luna, quam facilè quivis inveniet ex observationibus *Jo. Lucidi Samothei* retrocedendo. Decima itaque & septima die ejus lunæ memoria cladis, & vicesima septima ejusdem est liberationis Mundi celebritas constituenda, in quamcumque diem illa inciderit nîl refert. Sed castigandum est priùs *Romanum* Calendarium, & quod ad cursum solis, & quod ad cursum lunæ attinet. Mensis autem *Octobris* luna ob Diluvium, quod מבול *Mabul* dicunt, vocata est בול *Bul*, ab ultima syllaba, quum alioqui מרחשון *Marchesvan* & חשון *Chesvan* vocetur. Nomine verò horum sacrorum *Moses* divino jussus oraculo instituit in hunc mensem dies כפרים *Chippurim*, ut vocant, id est, festum, quo credunt olim & sibi & Orbi indictum iri eo tempore omnium scelerum remissionem verumque adventus MESSIÆ fructum. Est enim Pascha alterum in Diluvii memoriam apud eos tacitè institutum, ut in sanctis Priscorum habetur Commentariis. Ea de re quum omnia in figuris futurorum apud Patres fierent, templum *Salomonis*, in quo fuit consummata felicitas Ecclesiæ *Judaïcæ*-ve Reipublicæ, hoc mense in hanc spem completum est, ut totus Orbis aliquando eadem tempestate in unius ovilis consessus-ve publici corpus sacrosanctis generalibusque ritibus compactum reducatur. Ideo maxima quæ unquam ab Orbe condito fuerint miracula hac tempestate eodemque mense jam ab anno 1541. contigere, licèt nondum Orbi innotuere, nec priùs innotescent, quàm ad sua incipiat Mundus repedare principia, origines, ritusque antiquissimos, quoniam ædificatâ admirabiliori pulchriorique machinâ, quàm unquam fuerit aut in posterum esse possit, temploque DEI dicatâ, incipiet Orbis in DEI ejusque admirationem rapi, Divinæque Providentiæ non tantùm credere, sed ejus clarissimè cognoscere ordinem, potentiam, & de omnibus singulisque hominibus curam.

CAP. XLV.

Quòd in Eturia & Romæ Janus, Sanctorum Deorum-ve & hominum Parens, ita sæculi aurei Religionem constituerit, ut Romana semper fuerit (uti primus Etruscæ partus) cæteris incorruptior, & ferè ea omnia quæ apud Judæos observarentur observarit.

PRæterquàm quòd *Romani* illos, quos merita vocarunt in cœlum, non satis diligenter ad veræ virtutis rationem examinatâ eorum vitâ, coluere, unde sensim est oborta Idololatria, nihil est quod in ejus temporis Religione improbes. Nam quid, rogo, potuit æquius fieri quàm ut sicut nos *Petrum* in primo Divorum nostrorum loco venerandum jure merito posuimus, ita illi etiam consecrarent ejus exuvias, qui à Diluvio Universum eripuisset? Numina cœli & terræ in *Jano* & *Vesta* semper in primo Divorum loco posuere. Sicut enim nos ideo Sanctis divinos honores in Ecclesia exhibemus, quia revera CHRISTI membra fuere, & non solùm mens de mente & spiritus de spiritu, sed, ut ait *Paulus Eph.* v: 30. *os de ossibus ejus & caro de carne ejus*, uti in quibus ipse vixit,

nec illos colimus propter se ipsos, sed propter eum qui in illis habitavit, & in quem eorum spiritus & mens resorpti sunt; sic aurei sæculi Duces non ideo *Janum* primum inter quindecim Deos, & *Vestam* primam inter decem Deas coluerunt posueruntque, quòd homines essent, sed quia summæ Mentis & summi Spiritus in illis vixisset participatio. Sicuti videmus, nisi crebra & doctissimorum Antistitum & Conciliorum excellentissimorum diligentia obstitisset, innumera monstra falsarum opinionum, cultuum, miraculorumque irrepsissent circa nostram persuasionem summâ alioqui veritate nixam; sic non est mirum, ubi olim aut nihil aut non tantum diligentiæ fuit, tantum falsitatis irrepsisse, ut meritò quisquis à fine tantùm rem æstimarit, putet pessimam fuisse; in qua opinione asserenda excelluerunt *Augustinus* & *Lactantius*, cæteri omnia omnino improbant. Sed quis hoc fuisset ausus, si *Janum* fuisse *Noachum*, si *Vestam* fuisse *Naomam* ejus sanctissimam conjugem scivissent? Ex ipso autem *Halicarnasseo* videre licet, quamvis coluerint vocabulo cæteris Gentibus communi multos Deorum, summopere abfuere ab impietate fabularum Divis adscribenda, quæ à *Græcis* excogitata est. *Certè apud Romanos* (ait *Halicarnasseus*) *non decantatur Romæ Cœlium fuisse à filiis castratum, nec Saturnum filios suos occidere ne illi insidientur, nec Jupiter qui recludat patrem in inferno, aut Saturnum regno pellat, nec bella, nec vulnera, nec cædes, nec carceres, nec servitutes Deorum apud Romanos reperiuntur, nec Deos amissos fœminarum instar deflet, ut Græci de Proserpinæ raptu* &c. Multaque idem Auctor *Græcus* in eamdem adfert sententiam, ut concludat priscis *Romanorum* ritibus nîl Diis indignum fuisse in usu, quod non facilè credunt qui *Antinoum* & *Floram* cum *Nerone* & *Heliogabalo* inter Deos viderunt, nihil de veteribus institutis solliciti. Quid an hodie, quum in vita præsenti perditissima flagrantissimaque ambitione homines ob solos titulos videmus sanctissimos vocari, æstimabimus ex hac præsenti impietate sacras CHRISTI *Petri*que origines? Nonne etiam de *Annæ* & *Cajaphæ* impietate metiemur *Mosem* & *Aharonem*, aut *Samuelem?* Testatur verò paulò pòst idem Auctor: *Summopere cautum fuisse Romæ ne peregrinos ullos Deos reciperent, nisi quos oracula accersere jussissent, ut de Idæa Dea, quam ne errarent ritu Phrygio patrioque & non Romano coli volebant. Præterea ab omni fabularum genere, in quibus excogitandis principes fuere Græci, summopere exhorruerunt, quum cognoscerent* (ait ille idem) *Romani & parum utilitatis & ad paucos pertinere, quam à Græca Mythologia traherent, utilitatem. Inde verò, ex fabulis scilicet Græcanicis, factum est, ut turba maximaque populi pars rerum ignara aut contemnat Deos sceleribus & passionibus infames, bonisque viris & fortibus omnino dissimiles, pessimisque deteriores, aut si illos probat & timet libenter imitatur.* Hæc ille. Sic videmus à doctissimo Scriptore & *Græco* probari, quòd ex solis fabulis *Græcis* contaminari incœpit primò *Romana* Theologia. Nam alioqui & præstantissima quæque solent ipsius usus diuturnitate in abusum converti, & in tantò deteriores exitus deduci, quantò præstantiora fuere principia. Hinc pessimi hominum qui unquam fuerint ii sunt, qui senescentibus religionibus nomina ad hypocrisim CHRISTO & *Mosi* dedere: summo enim mentis lumine armantur ad Orbis perniciem. Ea de re maxima belluarum & tyrannidum Mundi consummata fuit *Romæ*, ubi præstantissima ante *Trojanos*, *Græcos*, & *Romulum* fuerant rerum sacrarum initia: nefarius enim Genius tantò magis se bonis opponit, quantò sanctiori decreto suos Populos

A regunt. Ob præmium autem necesse est in assidua lite positum esse Mundum: nam nec bonis viris, nec bonis eorum Geniis quicquam laudis esset, nisi VIRTUS IN ARDUO posita esset. Etsi fuit igitur corruptio maxima *Romæ*, ut fuit revera, illa tamen fuit tolerabilior quàm ubivis gentium, quod ad priscæ Religionis usum attinet. Unde positis sub DEO Optimo Maximo, qui, pace *Augustini* dixerim, erat verus JEHOVA *Hebræorum*, cœli & elementorum virtutibus, & ante omnes septem planetarum intelligentiis, in suæ Religionis fundamentum memoriis eorum, B qui inventis aut virtutis exemplis juvassent vitam humanam, à *Jano* incipientes sensim cœperunt augere cultum, donec ex virtutibus etiam fecerint Numina. Corruptior ætas ad vitia & res quascumque vulgatissimas traxit. Sed quidquid fuerit vitii aut virtutis in Religione positum, quod erat ipsis *Judæis* & Patriarchis in primo præcepto & usu, hoc est Sabbatum, illud fuit etiam *Romæ* usitatum. Licèt enim non esset forsan eadem dies, quæ apud *Judæos* observari solita est, tamen sicuti nos in *Solis* die, *Pseudo-Judæi Ismaëlitæ* in *Veneris* die, eamdem atque *Judæi* in *Saturni Sabbati*-ve die septem intelligentiarum, quæ planetis C motrices sunt, mentionem religiosam facimus ad summi DEI Creatorisque laudem, sic *Romani* una hebdomadis die. Nam, ut est videre apud *Ciceronem* in sacris legibus, & apud *Halicarnasseum* in *Romuli* institutis, indicta erat *Romæ* dies sacra quieti servitiorum & animalium. Asserit verò *Dion* Historicus XXXVII. *Romanæ Historiæ* lib. ejusdem Sabbati, quod & apud *Judæos* erat, usum ad *Græcos Romanos*que fuisse translatum. Verùm ejus fides ideo mihi non videtur magnifacienda, quòd apud *Ægyptios* dicat ortam esse hanc observationem Sabbati, quum revera, licèt de Sabbato & DEO *Judæorum* aliquid velle dixisse visus D est, nihil mihi de Sabbato quo-ve die observaretur à *Judæis* attigisse videatur, ut ipse in planetarum hæreat intervallis. Posito enim bis diatessαρων descendendo, debuit ponere diapente adscendendo, & rursus diatessaron descendendo & item diapente adscendendo &c. Satis est ab illo obtinuisse hoc unum, quòd *Romani* primi omnium Gentium post *Judæos* observarint Sabbatum. Certissimum verò est, quum nunquam in sacris cum ipsis *Judæis* convenerint, aliunde quàm à prisca institutione *Jani* accipere non potuisse, quum primi omnium Gentium habuerint. Licèt enim ipse E *Dion* dicat recenter *Romanos* accepisse, illi non crederem, nisi qua occasione adferret. Satis est ut mihi testetur Sabbati instar unam ex septem diebus hebdomadis fuisse quieti concessam. De cæteris sacris institutis præter unam Circumcisionem nîl planè invenias in sacro *Judæorum* ritu, quin salvis ceremoniis, quæ ubivis gentium diversæ utplurimum sunt, eadem omnia observarentur apud *Romanos*. Nam utrobique primitiæ consecrabantur, adeò ut panis vinique oblatio fuerit primaria *Noachi* institutio: hinc & *Moseos* jussu, adveniente *Jetroo* socero suo, Sacerdote *Ismaëlitarum*, in DEI laudem, comedit panem *Aharon* F *Mosis* frater summus Sacerdos unà cum Senioribus *Israël*; quod fuisse instar sacramenti testantur in suis doctrinis duo & septuaginta *Mosis* Auditores. *Græci* etiam sacrificia farreationum inde habuere, ut adhuc supersit vocis *Hebraïcæ* monumentum in *Græca*, illi enim עולה *oulah*, *Græci* autem οὐλὴ *oule* dicunt. Secundo libro *Hist.* scriptum reliquit hoc *Halicarnasseus*. Si quis autem velit horum certior fieri, legat apud *Ciceronem* leges prisci ritus *Romani*, & conferat cum institutis *Judaïcis*: inveniet enim in unius soliusque DEI JEHOVAH Optimi Maximi ejusque Verbi & Spiritus me-

memoriam omnia *Mosem* instituisse sacrorum & rituum genera; *Noachus* autem, eò quòd uno gradu inferiorem & potissimùm à regimine cœli petitam potentiam mentis & spiritus sub summo DEO in sua tradidit Theologia, visus est diversus. Sic enim erat opus, ut in Theologia secundùm Legem *Judaïcam* minùs imperfecta instituerentur sacræ memoriæ, non solùm Angelorum carne & corpore carentium, sed etiam sanctissimorum hominum & religionis sacrique imperii propagatorum, quod nunquam apud *Hebræos* licuit, ob inclinationem Gentis in idololatriam. Nam ne *Abrahamo*, *Isaaco*, aut *Israëli*, imò ne *Mosi* quidem, aut *Samuëli*, plusquam Sacerdotibus sanctissimis, licuit sacras instituisse memorias, eorumque loculis facere locum sacrum. At quia ista pars etiam justissima in *Christianismi* institutis visa est, ut Sanctorum memoriis festa ponerentur, illam semper voluit institutam *Noachus*, licèt nondum eorum felicitas spiritualis, antequam omnium Rex CHRISTUS corpus humanum in cœlum traduceret, esset consummata. Semper enim bonorum Angeli vident faciem DEI, & Sanctorum Deorum-ve, quos hîc rexerunt, loco possunt mortalibus adesse. Quis enim immortalitatem Divorum Sanctorum-ve credidisset, nisi illam tam certò tradi à Majoribus vidisset, ut qui justè hîc vixisse traderetur in DEI loco haberetur, & non tantùm sibi, sed mortalibus etiam beatus? Hæc est primaria vetustæ apud *Romanos* & *Etruscos* religionis occasio & ratio.

CAP. XLVI.

In quem potissimùm finem sit institutum hoc Opus, & in quem exitum, stante Providentiâ DEI, necessariò deveniet terrarum Orbis.

RETuli in Operis principio Philosophi sententiam, in qua scripsit, scire est per causam cognoscere, & ea de re scitu dignissima, id est, humani generis origines, per suas causas, ut proximè clarissiméque potui, tradidi. Sed quum sit longè præstantius propter causam cognoscere, quàm per causam, ideo in hoc potissimùm hanc Tractationem suscepi, ut postquam Orbis suas origines per suam cognoverit causam, videre ante omnia satagat, quid erga suæ originis causam præcipuam & cæteras ejus ministras commiserit, ut à nostra fugerit memoria, seseque penitus à nostris oculis subduxerit. Validis rationibus ab innumeris penè Scriptoribus (quorum suprà conclusiones assumpsi) ostensum est longè præstantiorem esse eorum hæresim, qui satis habentes Mundum in suis ideis posuisse æternum, asserunt hunc visibilem habuisse principium non tantùm causæ, sed materiæ, quàm illorum qui volunt Mundum sensibilem carere ideo principio materiali, quòd DEUS æternus non potuisset sine æterno materiæ subjecto suâ potentiâ & actu puro fungi. Res non sunt tam sæpe repetendæ: stat sententia. Mundus à causa pendet, habetque principium. Factus à causa præstantissima, præstantioris finis gratiâ quàm sit ipse, est in præsentem constitutionem deductus. Nunc omnium Sapientum, cujuscumque hæreseos sint, consensu in confesso est, quòd humani generis gratiâ hoc naturæ templum sit conditum. Quum autem etiam ipsum humanum genus sit ipsius Mundi pars præstantissima, & cujus gratiâ cætera sunt, opus est etiam ut sit præstantioris finis gratiâ quàm Mundus universus, quamquam ipsa una sit natura humana in hac vita posita. Quum enim verum summumque hominis bonum sit in difficillimo virtutis exercitio in hac

A vita constitutum, & sit omnino ad veræ virtutis exercitium in hoc positum, non tantùm ut famam, cupiditatem, & luxum fugias, sed, nomine primæ causæ, ut ejus videlicet præscripta in omnium mentibus inscripta serves, & potiùs in paupertate, probo, & dolore vivas ejus amore, quàm ejus præcepta infringas, fieri nequit ut tua humana felicitas in hac vita consistat. Quò quisque enim melior est, hic in merendi & militandi via sit afflictior oportet. Quare humanum genus est in hoc institutum, ut in DEI gloriam ejusque laudem hujus Orbis opes dispenset, cæterùm ubi egregiè hoc administrarit, in eam Mentem & Spiritum, cujus omnes partes sumus, resorbeatur, inque vitam æternam demigret. DEI itaque laus in vita æterna est Mundi scopus. Quum itaque hoc genus humanum habuerit principium unum post confusionem, & alterum post Diluvium, satagendum in primis est, ut loca sacra Mundi secundùm primam intentionem DEI ad *Adami Noachi*que busta constituantur, ut inde prima jura Mundi pendeant & petantur. De *Adamo* CHRISTUS ejus instaurator in *Syria* fidem fecit, quum se omnium alioqui Dominum in PROPRIA venire, ut sedem æterni sui Pontificatus *Ierosolymis* stabiliret, asseruit, primariæque Legis æternæ videlicet & religiosæ tàm vitâ quàm doctrinâ seminaria posuit. Quum autem sit opus, ut sicut necessariò sunt duæ Magistratus partes, religiosa videlicet & civilis, ita sint duæ sedes & duo legum fontes opus est etiam, ut, sicut ad *Adami* busta in Terra Sancta sacra sedes est, sic ad busta *Jani* figatur imperatoria & regia sedes, quæ omnia moderetur. Quum enim sit impossibile DEUM ullâ suâ intentione fraudari, quantumvis ejus effectus prorogetur, necesse est ut, sicut voluit creato Mundo primum imperium Mundi in primogenituræ *Adami* manu esse, quod ut fieret divinitus, postquam non fiebat humanitus, CHRISTUS illius regni spiritualis instaurator summusque Pontifex illud complevit jam ante 1550. annos, sic etiam fiat de secundo Mundi principio & primogenitura *Noachi* pro regno temporali. Inde *Romani* olim habebant præclaram illam *Sibyllæ* prophetiam de aureo sæculo *Romæ* futuro, cujus vestigia sunt conservata in *Ecloga Virgiliana*. Hinc sacræ Divinationis Libri in locis innumeris eamdem certò certiùs felicitatem in regno CHRISTI adfuturam prædicunt, inculcant, asserunt. Ob futuram hujus regni magnitudinem ipsissimus CHRISTUS, quum primùm regnum suum & spirituale in suo sanguine fundaret, dixit: Nunc autem regnum meum non est hinc. Quum enim fiet necessariò unum ovile & unus pastor sub CHRISTO, tunc prima DEI complebitur intentio. Tunc quum regni supracœlestis basim poneret CHRISTUS, regnum ejus de hoc Mundo non erat. Nunc autem regnum ejus temporale verum & civile suppositum spirituali sit hinc, hoc est, ex hoc Mundo, necesse est. Cœlestis ratio hoc ipsum suadet. Nam sicut sunt duo primarii cœli adspectus, ut suprà docui, illos omnino sua habere apotelesmata necesse est. Nil enim à DEO & Natura frustra fieri potest. Aries primum signum influit in duas Mundi primogenituras *Syrorum* & *Celtarum*. Clarissima stellarum fixarum influit *Italiæ* & ante omnia *Romæ*, ubi ea de re imperii basim à *Noachi* primogenitis defigi necesse est. Ratio civilis hoc ipsum suadet. Quum enim sepulturra Patrum & maximè Sanctorum ubivis gentium LOCUM SACRUM faciat, ut omnia ad primam Mundi institutionem primumque humani generis votum reduci possint, necesse est ut in regione proprietatis CHRISTI ad *Adami* primi Parentis sepulcrum sedes primi

primi Magistratus Mundi constituatur, & ad *Noachi* secundi Parentis Mundi sacras exuvias secunda & civilis potentiæ regni-ve sedes nunquam movenda stabiliatur. Quum autem nulla fit in Mundi dominiis alteratio, & maximè in sacris Magistratibus rebus-ve loco movendis, quin etiam sacra dies constituatur, in qua de maximo beneficio non antè satis cognito laudes DEO decantentur; necesse est ut in diluvianæ liberationis memoriam sacra synaxeos mysteria crebrò frequententur, & ut ad finem lunæ *Octobris* primæ celebritates Mundi constitutæ sint; ut, sicut in mense septimo fecit primum *Moses*, quod & nos hactenus communi ritu & diversa significatione observamus, sic & nos in octavo & secundo cum utriusque anni observatione sacra rerum hactenus oblitarum neglectarum-ve constituamus. Hic est verus nostrarum de *Etruria* originum scopus, ad hoc ut totus Orbis sedes à Diluvio primogenituræ Mundi positas suarum originum peritus, ubi est nostri omnium Parentis sepultura, concedere, parare, confirmareque satagat.

Hanc sequentem Epistolam, cùm Auctor ejus meminerit pag. 6. & omnino ad susceptum argumentum valde conducat, prætermittendam non putavimus.

VIRO BONO ET SAPIENTI,

PETRO-FRANCISCO GIAMBULLARIO,

inter Ædis D. Laurentii Mystas Canonico, & Academico clarissimo Florentino, Guilielmus Postellus Sacerdos, imitationis Apostolicæ studiosus, Salutem.

ITa me DEUS ille noster incarnatus JESUS amet ut verum ex animi sinceritate loquor, *Giambullari* optime & doctissime, inter innumeras litteras, quas ex variis Orbis partibus à doctissimis Viris accepi, nulla mihi unquam adfuit aut est adfutura gratior, quàm quæ nuper à te mihi unà cum *Athenæi* loco missa est. Cur autem ita judicem, paucis accipe. Quum humana felicitas in hoc sit posita, ut verum perfectissimè capiamus, hoc est, per causam, ad hoc ut illam amemus, revera cognoscamus, nullum argumentum aut unquam potuit poterit-ve usquam suscipi dignius, quàm quod in tui *Gellii* Opere si non suscepisti absolutè tractandum, saltem ita tuis doctissimis fecisti Commentariis, ut quivis cogatur devenire in nostræ communis omnium causæ inferioris desiderium vehementissimum. Dimidium verò facti qui hoc cœpit habet. Nîl ipsi DEO charius humano genere est, uti cui ea omnia, quæ ejus bonitatis virtute sunt parata, uti tanquam in finem præstantissimum sunt comparata unius solius gratitudinis causâ. Et rursus posteritas nîl charius primaria suorum Avorum origine & cognitione aut habet aut est unquam habitura: præterquam quòd enim basis Religionis ex loco sacro duce Natura per sepulturam Avorum nostrorum constituto, & jus ipsius hereditatis eupolitiæque non aliter potest haberi, quàm quum liquidò Patrum possessiones monstramus, fit quadam divina virtute ut toti reviviscamus reficiamurque, dum ad busta Patrum DEO charissimorum certi devenimus, & potissimùm quum pridem locus ille nobis jure divino & humano sacer desideratus fuit. Nullum argumentum, *Giambullari* charissime, unquam suscipi majus aut ad pacem in toto Orbe componendam aptius potuerit, quàm istud ipsum, ut demonstremus clarissimè per veteris Historiæ fidem certissimam, ubinam post exactum Diluvium subsederit Universi Parens *Noachus Janus*-ve, aut post exactissimam, justissimam, perfectissimamque vitam sacrosanctas sui corporis reliquias sepeliri voluerit. Ex locis enim ab auctoritate nullus est in quo universus conveniat Orbis, veluti in facto Diluvii generalis, & in justorum prosapia ad semen & jus posteritati servandum stabiliendumque. Quare inde universi omnium Parentis Historiam petant & recipiant oportet, unde oboriri falsitas non potest. Licèt verò & tuus *Gellius* festinet ad typos redire, & primariæ veritatis, etymi videlicet, sacram rationem satagat expedire, nec tibi ita de originibus rerum uti & verborum tractare visum sit, non potui tamen quin paucis ad te illa sine quibus tua non starent scriberem. Sed ne modum Epistolæ excedam, pergo paucis ea ad te scribere, quæ mihi tam insigne Opus videtur desiderare. Attende, & vale. 30. Maji 1549.

CAP. XLVII.

De summa veritatis basi in triplici ratione posita ad Giambullarium.

PRimarium & veri & verisimilitudinis suadendi fundamentum esse ab auctoritate constat: nam non tantùm in sacris verum est illud Axioma, *nisi credideritis, non intelligetis*, sed multò usitatissimum est in Gentium omnium consensu. Universus enim vocum apud omnes Gentes usus ex sola Patrum aut quorumvis Doctorum auctoritate in posteros transfundi solet: nec illud solum, sed omnes disciplinæ quantumvis demonstrativæ ita ab auctoritatis jure dependent, ut universarum etiam & maximè mathematicarum principia sola fide indemonstrabili (sic acquiescente duce naturâ intellectu) recipiantur. Et hoc fit ubivis, ut cognoscamus per varios gradus fidei naturalis esse unum aliquod primum genus cognitionis, linguæ, & auctoritatis tam verum, ut unà cum veritate rationali conveniat, & de via sensus ad intellectum immediatè transeat. Siquidem ratio omnibus aut saltem optimis & sapientissimis communis est secunda veritatis, cujus gratiâ nascimur, basis. Si credunt Discipuli, postea intelligunt; similiter & filii patribus, milites ducibus, cives magistratibus; unde in senio communior est sapientia ex tribus ætatibus transactis, pueritia, juventute, virilitate, nata. Via prima auctoritatis potissimùm est in nobis inclusis in tetro corporis carcere: nam hîc semper quadam nebulâ suffundimur. Via autem secunda dignitate prior, quia finalis est, ad intelligentias separatas potissimùm spectat, & ad illos homines, qui substantiis separatis potissimùm conformari sategere, & satagunt. Tertia ex utraque constat, quæ una & rationem & auctoritatem impactas habet, & ad hanc diem omnino Mundo incognita in illa sola Lingua delitescit, quæ inter primum hominem & Angelos communis est, & ideo Sancta dicitur. Quum enim homo, animal memorativum & per se nisi ex auditu non loquens, videatur loqui, necesse est ut primus homo, cui nulla Lingua præfuit, divinitus & angelitus unà edoctus, talia primùm nomina rebus imposuerit, in quibus ipsis & natura, & gratia, & auctoritas, & naturalis ratio omnino convenirent: inde factum est, ut *Plato* olim, sed multò sapientiùs nunc *Giambullarius*, de nominum recta ratione instituerint, sponte naturæ excitati. *Plato* in *Græcam* Linguam tribus gradibus ab externa *Hebræa* distantem conatus est proprietatem rerum traducere; *Florentinus* verò ex sacra suas origines tradere. Hinc tam varia ubivis Etymologicorum multitudo, & Grammatistarum contentio. Quoniam itaque locus ab aucto-

auctoritate proprius est humani generis, & eorum qui disciplinæ se dedunt maximè familiaris, interim donec universi in eam Linguam repedemus, à qua hactenus (licèt *Moses* & CHRISTUS illam in Legis scriptæ & Gratiæ initiis restitui voluerint) per peccatum excidimus: ostendendum est quàm clarissimè fieri poterit ubinam gentium *Noachus* secundarius nostri generis auctor, & Linguâ Sanctâ sine dubio præditus, habitarit, postquam ab Arca in *Armenia* exivit. Nam *Moses* nîl palam ampliùs tradit, licèt alioqui clam innumeris locis mysteriis plenissimam successionem ejus obvelet. Quum autem Sacræ Historiæ nîl sit scriptum propius quàm quod in *Chaldæorum* Monumentis est servatum, illud in primis est necessariò discutiendum, si *Berosus*, qui nunc vulgò prostat, sit verus ille *Chaldæus* Historicus, cui post *Mosem* totius Orbis defert consensus.

CAP. XLVIII.

Quòd sint Berosi Chaldæi quæ ejus nomine circumferuntur.

FUisse olim circa *Alexandri* tertiæ Mundi Monarchiæ Ducis tempora virum unum sacerdotali dignitate, id est, primariâ, inter *Chaldæos* sanctaque auctoritate, *Berosum* nomine, inter universos Auctores classicos constat. Quantâ verò fuerit aut scientiâ, aut eloquentiâ, & rerum cognitione multiplici, ex quibus summa dicendi vis paratur, constat ex eo quòd inter florentissimos omnique disciplinarum genere ornatissimos, & *Græcos* & *Athenienses*, φιλαυτοτάτους καὶ ἐν τῇ τῆς δόξης μετοχῇ μισοξενοτάτους, meruerit & laudem & statuam inauratâ linguâ decoratam. Quum autem funditus sit necesse ruere totam *Græcorum* nugacitatem, ejus ut nunc exstant scriptorum brevissimis Epitomis stantibus, solet ferè ab universis rejici, quo ruente præsidium illud, quod accipiunt ex eo Sacræ Historiæ, præsidium inquam *Chaldaïcum*, ad Sacræ Scripturæ masculæque Doctrinæ suppetias non minùs necessarium, quàm olim fuere *Chaldææ* sive *Assyriæ*, aut *Mesopotamicæ* patrum matres & uxores, omnino rueret. Licèt enim, ubi Scriptura deficit, *Josephus* crebrò videatur supplere, tamen eò quòd indigena fuerit, & longè inferiori quàm *Berosus* fide habeatur, & præterea ipse *Beroso* in primis deferat, est omnino *Berosus* illi præponendus. Quum itaque à ritibus *Mosaïcis* fuerit tàm alienus quàm *Babylonii* à Gente *Judaïca*, fieri non potest quin ejus testimonium sit validissimum. Statui itaque palam facere Orbi *Christiano*, cujus ante omnia interest ut ejus auctoritas in primis stabiliatur, ea, quæ primùm sunt à *Johanne Annio* Orbi *Latino* exposita sub nomine *Berosi*, nullius alterius esse posse quàm *Berosi* illius celeberrimi & integerrimâ fide Scriptoris, cujus meminit *Josephus*, *Tatianus*, *Theophilus*, qui nunc exstant. Clarissimè enim patet ex illis, qui olim scripsere, uti fuit *Juba* Princeps *Afrorum*, *Metasthenes Persa*, *Manethon Ægyptius*, *Mnaseas Phœnix*, & quis non in suis scriptis honorificam fecit de illo mentionem? Nullus itaque illi in toto *Oriente* fuit superior sive auctoritate, sive sapientiâ. Ab ipsa verò quâ nobis revixit origine, fieri non potest ut ullo pacto sit suppositititus. Nam ab ipsa *Armenia*, quæ regio prima ad Orbis salutem fuit divinitus præparata, & quæ ad hanc diem lumine *Latinarum* aut *Græcarum* Litterarum caruit, solis *Armeniis Haloënsibus*que contenta, adlatum Opus nullo modo potuit ita confingi, ut quantum superest (bona enim pars periit, in fine potissimùm)

A esset omnino *Josepho*, aut cæteris, qui ex eo sumpsere, conformis. Attulit *Georgius* apostolicæ professionis homo, & *Latinum* dedit *Annio*. Quod autem multò minùs corruperit *Annius*, illud obstat, quòd nulla ad eum inde commoditas pervenire poterat; multò minùs verò ad suæ Gentis gloriam: cogitur enim velit nolit-ve, quam vult esse in tota *Italia*, uti est, antiquissimam, *Aboriginum* & *Ombrorum* originem in *Gallos* Diluvio superstites referre. גלים *Gallim* enim *fluctibus ereptos fluctuatos*-ve sonat. Quare quum legerit apud *Josephum Gomeritas* non tantùm esse *Italos Gallos*, B sed illos qui postea *Celtæ* dicti sunt, fuisseque à *Gomero* institutos, quî fieri potuisset ut fingeret quod contra suum argumentum faceret? At verò ipsius *Josephi* sententia de illo audienda est, qui lib. 1. cap. 111. *Antiquit. Judaïc.* ait *Berosum* de iis, quæ circa Diluvium contigerunt, omnino consentanea *Mosi* dixisse. Hoc verò in 1. *lib. Epitomate* clarum fit in *Beroso*. Rursus *Josephus cap.* 111. *ejusdem libri* ait: *Hujus autem Diluvii & Arcæ mentionem faciunt omnes, qui Barbaricas Historias conscripsere, quorum unus est Berosus Chaldæus: narrans enim de Diluvio sic ait: Dicitur autem & navis ejus, quæ in Armeniam venit, circa montem Gordiæum* C *adhuc aliqua pars esse, ut quidam inde bitumen tollant, quo maximè homines ad expiationes utuntur.* Hæc verba omnino sunt apud *Berosi Epitomen*: contigit enim illi in universo Opere suo, ut & *Livio* & *Trogo*, qui solidi tantùm in suis *Epitomatis* supersunt. Contra *Appionem* verò Grammaticum *lib.* 1. sic ait idem Scriptor *Judæus*: *Testis autem harum rerum nostrarum est Berosus, vir genere quidem Chaldæus, notus autem illis qui Disciplinis humanioribus oblectantur, quoniam ipse de Astronomia & de Chaldæorum Philosophia Græcas conscriptiones edidit. Igitur Berosus antiquissimas sequutus Historias de facto Diluvio, de hominum in eo* D *corruptione, veluti & Moses scripsit. Similiter de Arca, in qua nostri generis princeps servatus est, quæ videlicet devecta fuit in montium Armeniorum summitatem. Deinde subjiciens eos, qui ex Noë progeniti sunt, & tempus eorum adjiciens usque ad Nabulasarum pervenit Babyloniorum Regem.* Hæc omnino in primo, secundo, tertio, & quarto *Epitomate* ita videntur ut ad verbum quadrent, nisi quòd finis desideratur. Videndum est apud quos & quo nomine agat *Josephus*. De capite totius Reipublicæ *Judaïcæ* contra infensissimum corruptelisque armatissimum *Appionem* agit apud Senatum *Romanum*, in cujus conspectu quicquam E proposuisse falsi in re tanti momenti est impossibile. Noverat itaque Senatus *Berosum* summâ auctoritate virum fuisse, & illa scripsisse, quæ *Josephus* in summo *Græcarum* & *Latinarum* Litterarum lumine *Romæ* proposuit. Nam de Scripto omnia Antiquitatis testimonia probabantur. Unde contra *Appionis* calumnias obtinuit non tàm *Mosis* & Spiritus Sancti omnia disponentis beneficio, quàm antiquitatis Litterarum *Ethnicarum*, quibus *Ethnici* maximè vincebantur, testimonio. Sed unum mihi superest validissimum testimonium. Quum enim *Theophilus* & *Tatianus* tàm contra *Gentiles* F quàm contra pervicaciam *Judaïcam* paulò post CHRISTUM temporibus *Marci* & *Veri* scriberent, & auctoritatem illam *Josephi*, quam nullus unquam pro CHRISTO scribens, ex eo tempore quo innotuit *Josephus*, omisit, non adscripserint, (alioqui magis *Josephi* pro CHRISTO quàm *Berosi* pro Testamento Veteri testimonio egentes) certissimum est illos tunc *Berosum*, & non *Josephum*, præ manibus habuisse: nondum enim insignem illam suam auctoritatem & famam erat consequutus *Josephus*, uti *Berosus*. In eamdem itaque sententiam sed explicatiorem sic uterque memi-

nit scriptorum *Berosi* omnino sacris conformium, ut ab ipsissimo *Beroso* eadem atque *Josephus* habuerint, idque sine *Josephi* testimonio: nam falsa citasse tunc impossibile fuit. Itaque & *Josephi*, & *Tatiani*, & *Theophili*, & *Græcorum* ferè *Latinorum*que omnium, & maximè *Syrorum*, *Pœnorum*, *Persarum*, *Phœnicum*que testimonio constat, *Berosum* primariâ & divinis proximâ fide scripsisse, & eorum quæ scripsisse dicitur *Epitomata* nobis superesse; quare ea, quæ nobis de nomine, vita, & sepulcro *Noachi* universorum Parentis tradidit, sunt perinde in veris ponenda & habenda, atque illa quæ à *Mose* sunt tradita. Ubi enim Sacræ Litteræ deficiunt, ibi humanæ incipiunt. Quum autem maximè contra suæ Gentis Historiam scripsisse videatur hic Scriptor, dubium esse non potest quin sit fide præstantissimâ.

CAP. XLIX.

Argumenta ex ipso Beroso petita, quòd sit impossibile quicquam illum in sua Historia finxisse.

QUum liberè solet quilibet testis ea quæ contra se faciunt perinde fateri, uti ea quæ pro ipso faciunt adversario, sine dubio integerrimâ fide est, eique meritò creditur. Hoc verò esse omnibus hominibus ab affectu quantumvis alienis in usu, ut Patriæ deferant, laudibusque illam ante omnes ubi possunt extollant, duce naturâ constat; quo in genere fuisse *Berosum* certum est. Unde quum spontaneum Filiorum *Orientis* motum sub ducatu *Nimrodi* ad erigendam *Babylonicæ* superbiæ turrim Sacra Scriptura exponat, nullâ omnino mentione factâ de Universi principe *Noacho*, aut ejus in rem vitiosam & tyrannidi conjunctam ordinatione, vult ut constitutione ipsius *Jani* universorum Parentis sit constituta illa Monarchia prima, unde cæteræ tres vitio semper procedendo auctæ sunt, donec in ipsius *Jani* Patris loca *Romæ* deveniret imperium. Fecit hoc quidem ambitioni eorum invitus obediensque *Noachus*: nam sub primogenituræ imperio volebat in æternum regi Mundum. At verò *Berosus* non timuit sacrilegii inculpasse suæ provinciæ Principem, quòd furatus rituales Libros patris seu avi *Noachi* illis sit insigniter ad comparandam tyrannidem abusus. Præterea hæc scribit. Quum *Armenia* & locus ille ubi fuit prima hominum propago sit prima & divinitus electa habitatio Mundi, distetque loco & Magistratu latissimè à *Chaldæis*, ibi enim *Sabbathius Saga Asiæ* Pontifex summus est institutus, & instar *Adami* dictus *Saturnus* (nam hoc vocabulum *Sath orn*, seu *Sath aron*, id est, urnæ repositio, vocabulum est sanctorum Patrum ob sacras reliquias loca sacra olim facientium, sicut de Martyribus & Sanctis vidimus) à sua sede constituta à *Noacho* pro Pontificatu externo, per Tyrannum *Babyloniæ* ita est pulsus, ut sit coactus ad *Romæ* locum refugere, & ibi bonum agere *Saturnum*, ubi jam pater *Janus*, & longè melior *Saturnus* instituerat primogenituræ imperii sedem. Quæ omnia vehementer derogant laudi Principum *Babyloniorum*: nam ipso facto Tyrannos ostendunt, suoque imperio indignissimos, etiamsi à principio justo jure usi fuissent. Volebat verò sanctorum ille sanctissimus *Noas*, ut secundùm voluntatem DEI in uno Mundo unum esset paternum & solius primogenituræ imperium, unde qui primus hoc jus infregerit, quin sit omnium Tyrannorum & impiorum fons dubium non est. Nec tamen hoc dissimulavit, ut inde summus candor & veri amor videri queat. Quum autem nomen *Jovis*, *Cœli*, *Saturni*, & similium ob sanctitatem esset commu-

A ne omnibus Patribus, ita ut de singulis potuisset, & maximè de *Babyloniis*, dicere cum vocabulo accommodatiori, illos cùm primo celebri imperio habere etiam jurisdictionem Universi, non tantùm in eorum arbore expressit esse maledicti & malefici filios ambitioneque & corruptelis plenissimos, sed planè etiam indicavit generale totius Gentis à fluctibus ereptæ nomen & vocabulum, ut ignobilius forsan, ita & significantius aptiusque, *Gallorum* videlicet, fuisse datum ab ipso *Noacho* ipsius *Gomeri* posteris, eò quòd est *Japeti* seu *Itali* prisci filius *Gomerus*, ita post Diluvium primogenitus, sic-
B ut & *Adam* ex materiæ confusione primus factus est. Et sanè poterat si voluisset affingere, quòd etiam *Gallorum* vox fuisset suis data Majoribus, quum potissimùm ob jurisdictionem divinam & Astronomiæ dispositionem, quâ omnia fiebant à doctissimis sanctissimisque & ambitione carentibus Patribus, scripserit ipsius *Gomeri* filios quosdam missos esse in totum *Orientem*, alios verò ultra *Mediam* in ipsos *Bactrorum* fines. Sed verùm omnia ut publicè erant exposita retulit. Quare jus æterni imperii fore in domo *Gomeri* & ejus patris *Japeti*, quem unà secum in *Europam* duxit, manifestissimè demonstravit esse secundùm Patris uni-
C versorum *Noachi* voluntatem, eò quòd Astronomiæ doctissimus sciebat fore necessariò, ut Intelligentia Arieti & Leoni dominans in *Syria* sancta & *Italia*, *Gallia*, ejusque vicinia, præter *Hispanias*, olim in sua jura veniret. Nam licèt vires humanæ repugnent, tamen necesse est cœlum, eò quòd est æternum agens, vincere. Ideo verò non potuit aliunde quàm ex *Gallia* elevari Monarchia contra Rempublicam *Romanam* à *Chamitis* & malis malorum *Saturnorum* filiis factionibusque infectam. Ista tamen omnia voluit ex lege Historiæ & ratione cœlestium signorum scribere, nec derogare Patriæ timuit. Illi autem affinis est de *Go-*
D *meritis Josephus*, ut suprà jam est notatum. Unde & Litteras, Academiamque, & studia publica primùm in toto Orbe terrarum *Samothes*, qui *Cœlestis* interpretatur & *Dis* à *Cæsare* dicitur, exposuit, instituit, promovit; unde *Druïdarum* doctrina in toto *Occidente* floruit ante ullam inter *Babylonios* aut *Græcos* publicam Litterarum memoriam. Sed sic consuluerat primogenitorum familiæ *Janus*.

CAP. L.

Quòd Janus idem sit qui & Noachus, &
E *quòd sepultura ejus locum sacrum Romæ futuræ in Janiculo fecerit, quasque litteras, ritum, & religionem instituerit.*

PRo hoc verò loco è tenebris eruto habendæ erunt à posteris gratiæ immortales ipsi *Giambullario*, quòd rei, quâ in primis egebat Mundus, testimonium ex *Athenæo* invenerit, fidemque rerum *Berosi* certissimam fecerit, in ea asseveratione, quâ ait, *Janum* (qui & *Noachus*, Cœlumque, & omnium bonorum Deorum vocabulis dives dicitur) fecisse locum sacrum in *Janiculo*, ad eam
F partem *Romæ*, quæ olim eo nomine dicta est *Antipolis*, eò quòd basis omnium civitatum Mundi est: & revera *Mediceorum* Familiæ erunt etiam immortales habendæ gratiæ, quòd in suis Bibliothecis sit asservatus tantus in gloriam CHRISTI Thesaurus Auctorum *Græcorum*, ut ex illis primi nostri omnium Parentis fides possit peti. Stat itaque sacra sententia, quòd ideo *Noach* id nominis acceperit in sacris, quia gratiam & consolationem posteritati attulerit; unde *Mosis* Auditores scribunt, נח זה חן *Noach zeh chen*, id est, *Noas est gratia mundi*. Sic enim duplici viâ ostendunt divinitus indita nomina legi, ut idem variis nominibus

bus ostendant. Sic משה השם *Mosseh hassem Mosem* divinum nomen vocant, quia omnia, quæ fecit *Moses*, duce Spiritu nominis DEI magni fecit, & contrà in Impiis ער זה רע *Her zeh rah*, *Her* primogenitus *Judæ* est impius sui videlicet seminis destructor. Porrò sicut apud *Ethnicos* ex nimia *Græcorum* licentia res eadem, potissimùm divina, variis multisque nominibus vocatur, (uti de Diis Deabusque & de omnibus Naturæ virtutibus videri in tota pseudothresciæ seu falsæ religionis farragine licet) sic in sacris varia nomina Sancti habuere. Ideo imperiti Religionis multa falsitati adscribunt quæ sunt vera: nam *Moses* docuit suos Auditores, quòd in *Syria* fuit unus magnus Gigas, qui dictus est פלים *Palet*, id est, superstes liberatus-ve à Diluvio, & עוג *Og*, seu עוגי *Ogy*, id est, placentarius & rei frumentariæ in sacros usus verus aptator, quo *Moses* & *Noachum* ipsum & *Semum* ejus filium secundogenitum voluit intelligi. Posteri autem non intelligentes putarunt in *Syria* sancta non fuisse Diluvium. Sed quia verus & primus Pontificatus Mundi & Ecclesiæ, specialis legis Naturæ sedes, erat in *Salem* ad sepulturam *Adami* juxta *Chebron*, *Melchisedec* autem, qui & *Sem* erat, magnitudine totius Mundi maximâ, tanquam qui summus Pontifex instar omnium hominum erat, *Moses* ita adumbravit. Vixit autem 500. annis post Diluvium ad informandum *Abrahamum* & posteros de jure Pontificatus, & Legis, Prophetiarumque à *Chanocho* ante Diluvium scriptarum, & quas cum testimonio Decalogi cœlitus bis exscripti *Moses* fecit ex apocryphis canonicas in quinque libris. Nam & temporibus Diluvii jam ratio mundi & immundi animalis erat exposita, & Sanctis cognita. *Abraham* autem observavit non tantùm fidem & Circumcisionem, sed etiam supererogando universas leges, ceremonias, judicia, & præcepta, quæ postea *Moses* omnibus observanda proposuit, ut *Genes.* XV: 6. XVII: 23. 24. XXVI: 5. videtur. Pœna etiam jam ante legislationem erat posita delictis, ut in *Thamaris* facinore visum est *Genes.* XXXVIII: 24. Similiter de non miscendis connubiis, ut in *Dina* videtur *Genes.* XXXIV: 14. Hic itaque placentarius *Sem*, eò quòd quotidie æterni Testamenti placentas DEO offerebat, placentæ autem illæ dictæ sunt עוג *og* & *ogoth* seu *ugoth*, dictus est à præstantissimo officio offerendi æterni Sacrificii placentarum & vini mysteriosi *Og*, *Ogys*, & *Ogyges*, quod nomen à Patre Universi *Noacho* seu *Ogyge* primo habuit. Fuit enim Universi Papa sanctissimus *Noachus*, & post eum *Sem* ejus secundogenitus dictus *Melchisedec*, tantâ bonitate homo, & in Spiritum Divinum usque adeò transformatus & in se mortuus, ut JESUS DEUS incarnatus in gloria ponat dici Sacerdos secundùm ejus ordinem. Et hæc est nominis *Ogy* ratio. Hinc *Ogygia* aureaque secula. Hinc vetustissimæ *Ogygiæ*que arbores & habitationes in *Syria* Divina Religione sacræ. Hinc *Druïdarum* quercus. Nam tota depravata Religio ex sanctissimis incœperat principiis, sensimque fuerat prolapsa in Idololatriam, per eam *Satanæ* invidiam, quam assiduè etiam post incarnatum CHRISTUM experimur, ita ut recentiorum Litterarum memoriâ Diabolus in tota *India*, *Muhamedes* in *Asia*, *Africa*, & tertia *Europæ* parte ferè ubivis sese CHRISTO supposuerit. Quòd autem noster Parens & nova & vetera promeret, atque de antediluviano & de repurgato sæculo videlicet crebrò verba faceret, dictus est דיוקולין *Diucolain*, *duarum loquutionum* seu *vocum subjectum*, sicut ad hanc diem Auditores *Mosis* duorum & septuaginta Seniorum divinitus electorum Alumni, in veris *Cabalæ* seu *Receptionis secretioris* Libris vocant משיח *Messiah*, seu תפארת *Tifereth*, id

A est, maximum totius Mundi & hactenus in Sanctis universis sese manifestans decus; דיו פרצופין *Diu prozopin*, id est, *duarum personarum in unam naturam suppositum*; quæ vox est illis frequentissima, quamvis illam nolint Neoterici capere. Sic in lege naturæ summus ille justus, & Mundi basis perfectissima, *Noachus Diu Calion* dictus est, eò quòd de illo apud Patres antequam nasceretur erat sermo creberrimus & prophetia assidua. Sed *Græca* nugacitas ista omnia infecit, & ut videretur antiqua, sibi *Deucaliones* aliquot somniavit. *Col* autem seu *Cal* est & Linguæ Sanctæ & *Arabicæ* seu *Chaldææ* vox communis. Ipse autem est no-

B mine *Domini*, cujus Spiritus in eo habitabat, nuncupatus. *Jovem* enim dixere à voce *Jehovah* apud Patres mysterii plenissimâ. Quum autem non satis caperetur quid sibi id nominis vellet, (ut ne nunc quidem adhuc scitur vulgò) & viderent antiqui rerum naturæ & cœlestium peritissimi Patres, masculinæ parti naturæ incumbere potissimùm illos Angelos aut Substantias separatas superiores, quæ movent ut in finem, vocarunt *Noachum* Cœlum; ejus autem uxorem nominibus elementorum, eò quòd inferiori & fœmineæ parti Mundi incumbunt illæ Intelligentiæ seu Angeli, qui movent ut

C in locum, suntque rebus ipsis secundùm locum & non secundùm formam impactæ. Ideo spiritus nomine fœmineo *Rhea* seu *Ruah* apud Antiquos dicebatur. Ideo ab אש *igne Estiam* & *Vestam*, à רוח *aëre Rheam*, à טיט *luto*, *cœno*, seu *aquis luto conspersis & compositioni naturali aptis*, טיטין *Thityn* seu *Thetyn*, ab ארץ *terra* ארציה sive *Areziam*, vocabant rem eamdem. Inde à *Jehovah Jehuonah* fœmina & *Latinis Juno* dicta est res eadem. Satis est nosse, quòd *Noacho* & *Naomæ* ejus uxori de stirpe *Caïn* electæ data sunt omnia divinitatis & naturalium cœlestiumque virtutum vocabula. Hinc Ζεὺς *Zeus Græcis*, *Jovis Latinis*, יהוה *Jehovah*

D *Hebræis* idem pro mente ab extra in *Noachum* adventante significavit; quam occasionem ex summa ratione à Sanctis institutam quum accepissent *Græci*, sine ulla cognitione rationum Linguæ Sanctæ deduxerunt in tantam licentiam, ut cœlum fabulis *Orphicis*que somniis oppleverint. Sed de his nominibus aliàs. Religionis verò usus quantumvis corruptus apud *Romanos* ostendit Sanctorum primum fuisse *Janum* cùm innumeris aliis argumentis, tùm potissimùm illo uno, quòd præerat singulorum januis, incipiebat annum, pacis bona orationibus mittebat, & singulis in regionibus *Romæ* etiam magnæ & triumphantis habebat templa,

E non qualia Dii cæteri, sed singula marmoribus variis incrustata. Sed ad confirmationem verborum *Berosi* & *Athenæi* sacra majora erant in monte *Janiculo*, ut ostenderent ibi Sanctum Sanctorum (excepto CHRISTO) fuisse sepultum. Ideo confluxit eò *Numa* avitorum mysteriorum alumnus, & ibi sepeliri voluit. Hinc *Græcorum* illorum *Asiaticorum* eversâ *Trojâ* concursus. Hinc posteritatis *Chami* invidia, & ad hanc diem bonos impetens *Saturnitas*, malorum *Chamesenuorum* mala progenies. Sed quid per profana pergo? Hinc CHRISTUS ipse, quum venit *Romam* iterum in

F *Petro* crucifigi, elegit ut inversâ cruce funderet animam super sacrosanctarum *Noachi* reliquiarum monumentum. Hinc fecit DEUS, ut post *Gothorum* bella locus summi Pontificatus in Urbem *Leoninam* transferretur, destructâ omnino veteri *Româ*, quæ à malis ambitiosisque *Chamitis* fuerat *Janiculo* opposita: nam, teste *Plinio* lib. III. cap. V. *Hist. Nat.* ad *Janiculum* montem erat una, ad *Tarpejum* erat altera *Romæ* pars; illa *Antipolis*, cujus erat nomen sacrosanctum, primæque in temporalibus intelligentiæ Mundi conjunctum erat; hæc autem pars, quæ *Romæ* propriæ vocabulum à *So-*

rano evulgatum & per *Angeronam* silentii Deam absconditum & in religionem versum occupavit, & dum sibi voluit Angelum *Janiculi* vendicare, sibi præclarissimum totius Mundi casum & ruinam accersivit, (tanta est ambitio!) dicta fuit *Saturnia*. Quum enim viderent illi perditi filii *Chami* per Rituales Libros & Astronomicos, in quibus ipsis Geniorum totius Mundi ratio erat exposita, fore omnino ut duæ illæ Provinciæ, quæ ad sepulturam duorum Principum Mundi essent electæ, unam in *Syria* ad æternum Pontificatum *Melchisedecianum*que Regnum spirituale, alteram in *Italia* ad æternum Imperium & temporale Regnum, ibi sub *Adamo* primo *Saturno* Mundi, hic autem sub *Noacho* aurei seculi duce, sategerunt temporalis Imperii locum deligere & oppugnare, ut in ejus jura irreperent. Hinc *Satanas* summos superbiæ, avaritiæ, & luxuriæ conatus, post destructum tyrannidibus *Orientem* & *Græciam* in tribus Monarchiis, contra *Romam* convertit. Et propterea CHRISTUS, summa Potentia Mundi, postquam à *Cæsaris* sententia per *Pilatum*, suasuque *Cajaphæ* summi Pontificis, & qui ipsius solius habebat Pontificatum, voluit mortis sententiam accipere, ubi maximè *Satanas* invaluerat, ibi & non alibi debuit ponere sui Imperii spiritualis sedem, ut remediis paupertatis, probri, & doloris, sive per abstinentiam, gloriæ contemptum, & assiduam afflictionem mederetur & occurreret avaritiæ & cupiditati, superbiæ & ambitioni, luxuriæ & usui superfluarum voluptatum, in eo loco ubi maximè invaluerant per *Satanam* & *Chami* maledicti progeniem omnino terrenis rebus addictam & creaturarum amorem assiduè Creatori præferentem. Ibi enim sategit *Satanas* iniquitatis in summo gradu operari mysterium, ubi vidit æternæ coronæ & primogenituræ Mundi esse constitutum Imperium. Tanti est argumentum quod attigisti, *Giambullari*, ut nec fuerit unquam, nec in posterum possit esse majus, quàm ut fidem facias sepulturæ sacrosanctarum reliquiarum Mundi: virtus enim summi Pontificatus in illis est, donec recuperato totius Mundi jure ad sacrosancta *Adami* busta gloriosissimè videatur CHRISTUS coli, in caput anguli ibi positus, ubi ab ædificantibus factus est lapis reprobatus, & ubi sua voluntate omnino infraudabili venerat in propria, ut sui illum reciperent. Ideo hactenus *Ismaëli Alcoranico* servandum tradidit locum, donec eò remigret suis fultus Posteris *Isaac*, aut potiùs donec renascatur, & restituantur omnia, & tantum restituat JESUS, quantum destruxit ejus adversarius *Satanas*. Sed de litteris & *Jani* religione dicendum est.

CAP. LI.

Quæ unquam fuerint primæ litteræ publicæ, & quasnam attulerit Noachus in Occasum.

Licèt in *Tabulis de Origine Litterarum* inscriptis *Cosmo Medici*, uti qui hoc restitutionis omnium tempore præsit regioni electissimæ, jam ostenderim origines litterarum & figuras priscorum characterum *Etruscorum*, *Latinorum*, & *Græcorum*, ut, quum prodierint *Tabulæ* ab Officina *Oporini*, nîl desiderent avitorum mysteriorum Candidati, tamen paucis sunt hîc præmittenda repetendaque, quæ jam tradidimus, ut non desit *Gellio* tuo sua coronis. Fuisse ante illuviem litteras & sacris & profanis testimoniis inviolatâ fide constat. Nam septimus ab *Adam Enoch* prophetiâ clarus scripsisse de rebus divinis legitur. Ejus Opus etiamnum superest pro Canonica Scriptura in *Æthiopia*, in

A Ecclesiæ Reginæ *Sabæorum* Archivis; hodie vocant *Preti* aut *Presbyteri* pro *Preciosi Johannis* nomine illam *Christianorum* multitudinem. *Josephus* quoque auctor est, quòd ad sua usque secula superessent columnæ ante Diluvium litteris inscriptæ. *Plinius* etiam *Hist. Nat.* lib. VII. cap. LVI. non obscurè refert litteras in *Syros* ad æternum usum, nedum ante Diluvium. Quòd *Assyrias* dicat, nîl refert: nam *Sur* & *Asur* additâ unâ litterâ differunt. Quumque in *Phœnices* primum usum referat, clarum est quòd de *Syria* sancta intelligit, licèt non intelligat, ut qui ab aliis effata refert. Quum itaque sanctissimus, justissimus,
B & perfectissimus mortalium fuerit ille noster *Janus*, Universi Parens, & viarum universæ carnis Dominus inferior, non est dubium quin & Religionis perfectissimum in Mundo stabilierit genus, & litteras disciplinasque præstantissimè expositas Posteris tradiderit. Quum enim temporale Universi imperium suis primogenitis dederit, dubium non est, quin religione, moribus, disciplinis, & litteris exornarit. Hinc factum est ut, postquam genuisset septemdecim *Titanes* & carmine magico à *Chamesenuo* fuisset emasculatus, se totum dederit Religioni, qualem instauratam fuisse sub ar-
C ctioris vitæ professione videmus, ita ut patres mysticos sive secretos genitores suos *Razi-Hinuos* in tota instituerit *Etruria*. Et quia Legis, quam postea erat *Moses* expositurus, peritissimus erat, ad instar duodecim Tribuum voluit duodecim Tribubus & religiosis & civilibus Populum dividi, ad imitationem duodecim signorum cœli suis intelligentiis omnia moventium. Ideo Antiquitas illi aram δωδεκάβωμον, id est, duodecim altarium, posuit, ad *Janiculum* præcipuè. Inde jus *Petri* super fratres, quos aliquando conversus debet confirmare, ut super sedes duodecim judicent duode-
D cim Tribus *Israël*; ad hoc enim sunt duodecim horæ diei universi Mundi, qui alioqui unica dies est. Factum itaque est ratione Religionis, ut *Etruscis* ipsis ob mysteria Geniorum, tunc familiarissimè à sanctis viris evocari solitorum, & maximè in urbium eversione aut fundatione, traderet notarum magis quàm litterarum usum, ita ut singulæ Tribus haberent diversâ serie Alphabeta solis Sacerdotibus concredita, & aliquando in dextram, aliquando in sinistram scribi solita, ne, evocatis ambitiosè Angelis custodibus, bellis exardescerent. Evocari universæ naturæ potentiæ solebant ritibus illis *Etruscis*; nam natura & gratia
E fuerat à tam sancto viro in suos ordines redacta. Quæ verò essent illæ litteræ, hodie non possumus videre, quamvis characterum virtutes & figuras haberemus, eò quòd Lingua illa funditus periit & locum *Oscis*, *Volscis*, atque demum *Latinis* dedit, superest ut aliunde petamus quos publico usui characteres exposuit. Constat ex *Cæsare* Dictatore *Commentationum Gallicarum* lib. VI. capp. XIV. & XVIII. *Ditem* primò apud *Gallos*, (qui & *Gomeritæ* sunt) sub quorum Genio arripuit imperium, reperisse aut publicè exposuisse litteras, quales multis postea sæculis *Græci* habuere. Atqui *Dis* ille, qui & *Samothes*, id est, *Cœlestis*, dicitur, ob
F insignem & nulli secundam divinarum humanarumque rerum scientiam, est quartogenitus ipsius *Itali Japeti* primogeniti Mundi ante Diluvium. Quare quum sit etiam temporibus *Homeri* meritò dubitatum, an habuerint *Græci* litterarum usum, aut saltem *Trojani* Belli aut potiùs somnii tempore sit certum caruisse litteris in *Græcia*, saltem nos habuisse mille & plures annos usum litterarum constat, antequam in *Græcia* publicæ essent. Disciplinis quidem magnis Doctos interea caruisse inter eos affirmandum non est; cùm illius Operis, quod in *Orpheum* referunt, constet & vetustum

&

& doctissimum fuisse Scriptorem, ita ut nulla disciplina sit *Cabalæ* propior quàm *Orphica*. Ipso porrò litterarum majusculatum charactere videtur, easdem & *Latinas* & *Græcas* fuisse litteras: licèt enim χειρογραφία & figuris minusculis differant admodum, non solùm ab aliis, sed maximè à seipsis, usu aut abusu rerum potiùs omnia corrumpente, tamen capitales formæ origine quadrant. Primus itaque primogeniti *Noachi* filius quartogenitus, & perfectionem senilem in eo numero bonitatis repræsentans *Samothes*, qui & *Dis*, sacros *Druïdarum* ritus & litteras externas proposuisse & studia in *Galliis* publicè exposuisse apud *Cæsarem* & *Berosum* legitur. Sunt autem illæ litteræ omnino *Samaritanæ*, quas in externo publicoque Reipublicæ usu inter *Judæos* constat ante *Esdram* fuisse, eò quòd nulla planè moneta videtur à ruderibus *Jerosolymitanis* effodi nisi in eo charactere, quem *Esdras* reliquit *Samaritanis*, ob crebros factionis decem Tribuum proscriptarum errores in eo scriptos, quum publicè exposuit, & se adinvenisse apud populum finxit illos sacrosanctos characteres, quos *Adam* angelitus, *Moses* autem cœlitus in Tabulis Legis receperat. Characteres autem *Samaritani* tales sunt, ut exceptâ *Jodi* & *Alephi* figurâ mysteriosâ planè sint iidem cum *Græcis* & *Latinis*, imò *Græci* & *Latini*, ab illis extracti & per *Græciæ* vitia in duo divisi, sunt iidem cum illis, si ordine & figuris aliquantùm obversis consideres: usu enim *Samaritano*, aut *Hebræo*, ut meliùs loquar, leguntur motu naturali ab extra ad intra, seu à dextra principioque motus in sinistram; *Græcæ* autem & *Latinæ* contrà. Nîl itaque aliud fecit *Cadmus Phœnix* quàm invertere apud *Græcos* quæ jam inter suos consenuerant, & quæ jam multis sæculis habebamus veluti nova largiri. Sed quid? nonne *Strabo* ait in *Hispania* temporibus *Augusti* fuisse repertas 6000. annorum Historias? Sunt anni illi tempestatum, tres pro anno uno, ut apud *Abrahmanes* fieri solitum erat: tantum enim temporis in Historiis se habere dixerunt *Apollonio* illi insigni eruditione Mago. Quum tota *Europa* cum *Anglia*, præter *Hispaniæ* & *Italiæ Etruricam* superioremque partem, sit supposita Arieti, ac soli *Hispani* deficientes à primogeniti obedientia, & à *Celtarum* nomine, quod in tota alioqui *Europa* ad Mare usque *Ponticum* fuerat commune, refugientes sibi fecissent caput, voluerunt etiam sibi vendicare characterum à *Dite* primò expositorum honorem & usum. Sed omnia opus est restitui: cogent enim cœlum & intelligentiæ, non ipsa particularia arbitrii libertate prædita, sed corpora provincialia publicaque, ut omnia in sua jura redeant, & remotâ illâ Linguarum differentiâ, quæ ex rebellionis summæ peccato per *Nimrodum* nata est, nobis est necessariò repedandum ad sacros usus illius Linguæ Sanctæ, quam *Adam* cum veritate naturæ exposuit, *Moses* cum lege restituit, CHRISTUS sacrosanctæ vocis articulis celebravit. Ideo verò DEUS permisit, ut per illius filiæ secundogenitæ dominium, in *Arabica* seu *Babylonica* corrupta aut *Chaldæa Orientali* positum, sub *Alcorani* lege, hodie tantùm non *Asiæ* & *Africæ* atque *Europæ* tertiæ parti imperitante, sensim ad hoc distenderetur, & priscarum Linguarum frangeret superbiam, donec nunc JESUS sui Euangelii lumen in ea exponeret, & decem Tribus *Israël*, in *Turcis* potissimùm & *Tartaris* agentes, in *Ismaële*, cui conformes factæ sunt, restitueret, quâ operâ nulla unquam ab ipso CHRISTO major effecta est. Sic eam Linguam, in qua hactenus credidit *Christianismus*, esse maximum malum, quam CHRISTUS augeri ita voluit, ut fieret ex ea summum bonum, id est, universi generis humani reconciliatio. Ideo nobis DEUS dedit & tantum in hanc operam animum & ita mediocrem Linguæ tam magnæ cognitionem, ut nunquam sim cessaturus quin aut per me aut per illos qui me audierint fecerim, ut Dominus meus JESUS hanc recipiat ab Universo gloriam, ut ibi actu abundet justitia, & cognitio, æstimatioque preciosi sanguinis, ubi iniquitas & Mediatoris universorum abundavit ignorantia. Jam in hoc paratos vetustissimos Codices Euangeliorum ante quingentos annos scriptorum habeo. Sic nunc duce naturâ per unius Linguæ beneficium illud recipiet Mundus Orientis & Austri, olim *Semo* & *Chamo* subjectus, quod unâ Linguâ miraculosè ab omnibus Gentibus illius omnino imperitis intellectâ facere in toto Orbe conati sunt Apostoli, sed duce gratiâ. Ideo primas litteras publicas voluit in Occasu *Noachus* haberi, ut sensim augescens naturæ cognitio, olim gratiæ jungenda, ab Occasu in Ortum & universum refunderet, quod ab Ortu in Occasum ipse cum jure Universi attulit. Ideo est servus servorum fratrum suorum *Cham* addictus glebæ illorum, & *Japetus* est ita per benedictiones *Noachi* dilatandus, ut in jura *Semi* per totam *Asiam* veniens ab Occasu in Ortum habitare jure divino in ejus tabernaculis debeat. Tanti momenti est tuus *Gellius*, in quo tibi videbaris leviusculam operam Reipublicæ præstare. Verùm quia in ordine sacro agis, DEUS te ad sacratissima movet mysteria. De naturali etymo ex Lingua Sancta petito scripsissem aliqua, & potissimùm quæ videtur desiderare *Gellius* tuus; sed in re immensa nolim parvulas opellas collocare. Ab initio duæ Linguæ erant, externa publica-ve, & sacra. Sacra usque ad *Esdram* delituit; nunc quomodo uno solo *Jodi* elemento triangulari, triplicisque Mundi compendiario, consurgant elementa sancta in *Tabulis* docui, mortuamque duce *Adamo* & meâ intelligentiâ in CHRISTO suscitavi. Externa, seu *Samaritana*, unde *Græca* Occidua & *Latina*, paucis *Judæis* in *Oriente* superest. Sed *Samaritanæ* decem Tribus *Israël*, quibus factus est Messias *Muhamedes Ismaëlita*, cum *Alcorano* suo *Arabo-Chaldæo*, hodie externæ illius *Samaritanæ* vices in Oriente & Meridie supplent. *Latina* & *Græca Noachi* alumnæ, expositionem tituli gloriæ CHRISTI habentes, sunt Genti illi refusuræ quæ olim ab externa Lingua receperunt. Ideo mysteria *Cabalistica* in sola *Hebraïca* & *Arabico-Chaldæa* tam sancta supersunt, ut non certiùs ab ipso cœlo mundiciâ & puritate *Christianâ* fretus possis petere vitæ humanæ præsidia, quàm ab illorum characterum virtute. Sunt enim *Arabici* characteres deducti per corruptam chirographiam ab *Hebræis* veris, eò quòd *Samaritanorum* usus in se periit, & pro solo avitæ veritatis testimonio inter paucos *Mosicolas* remanet. Grammaticam ab *Oriente* attuli eo charactere scriptam & *Arabicè* expositam, ut fidem nostro Orbi verborum *Hieronymi* de *Samaritanis* scribentis facerem, & hanc rerum originem primus Orbi Occiduo exponerem. Hæc sunt, mi *Giambullari*, quæ mihi videntur necessaria ad hoc ut validissimam tuæ Linguæ *Arameæ* exponas rationem: nam nullo modo sine Historiæ & rerum stabilitate videris docere, & rem per suas causas deducere. Ipse per hæc aliquot horarum Commentaria per te judicare poteris quàm Reipublicæ mei seculi & maximè uni tibi esse usui cupiam. Fac ut ista post *Gellium* tuum prodeant, aut ubi tibi & amicis habueris fideliter asserves: raptim enim scripsi, ipsumque αὐτόγραφον mitto.

FINIS.

I N D E X
RERUM AC VERBORUM
memorabilium, quæ in hac Commentatione continentur.

Cana-

Etruria,

FINIS.

D. FRANCISCI DYNI,

Lucinianensis, Advocati Senensis, &c.

ANTIQUITATES ETRURIÆ,

Seu

DE SITU CLANARUM

FRAGMENTA HISTORICA,

Deque Rebus feliciter gestis

CIVITATUM

ARETINÆ, CLUSINÆ, AC CORTONENSIS,

cum

SENENSIBUS, FLORENTINIS, EXTERISQUE.

Adjunctæ sunt ad finem

ANNOTATIONES

D. FRANCISCI BALDERESCHI,

J. C. Palaiensis Judicis Clarissimi.

Editio Novissima, priori nitidior, ac emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

BENEVOLE LECTOR.

ETruriam *Viris Clarissimis, rebusque ab his egregie gestis, nulli regioni ab antiquissimis usque temporibus floruisse secundam, nemo est, qui nesciat. Dignissima itaque, quæ Eruditorum celebrentur calamis, sunt ea, quæ* D. Franciscus Dynus, *Advocatus Senensis, hoc opere sibi enarranda proposuerat. Commissæ typis erant hæ lucubrationes cura* D. Francisci Baldereschi, *J. C. Palaiensis Judicis Clarissimi, ut* paginâ 41. *habetur. Prodierant* Senogalliæ, *Anno M. DC. XCVI. apud* Franciscum Antonium Percimineum, *in Quarto:* Superiorum Permissu. *Inscriptionem gerebant:* Antiquitatum Etruriæ, seu de Situ Clanarum Fragmenta Historica, deque rebus feliciter gestis Civitatis Aretinæ, Clusinæ, ac Cortonensis cum Senensibus, Florentinis, exterisque, ad Illustrissimum, ac Generosissimum D. Comitem Hieronymum Dandinum. *Quam acceptæ eæ fuerint Eruditis, varia operi præmissa testantur Carmina. In elogia vero Auctoris, ut rem non nostri fori, non excurremus (res ipsa loquitur:) id saltem innuemus, hos* Dyni *labores nobis & communicatas & commendatas, ut prælo iterum committerentur, esse a Viro quodam in Orbe literario Maximi Nominis; omnemque nos adhibuisse industriam, ut ii nunc prodirent nitidissimi, & a pluribus, quibus prior scatebat editio, typographi erratis purgati. Ad juvandam lectionem Nomina propria, & alia, quæ id exigere videbantur, ut eo facilius pateant, diversis a contextu literis exhibentur. Numeri pagina-*

rum

rum editionis prioris hic ad marginem sunt notati, ut, si forte ab aliis scriptoribus, priori editione usis, quædam ex his Etruriæ Antiquitatibus *citantur, ea in hac nova editione reperiri queant absque molestia: id quod vel in* Balderefchi *hic adjunctis* Annotationibus *ex usu erit. Indicem præterea rerum, quæ hic habentur, notabiliorum, operi subjunctum, non tantum locupletiorem, sed eundem æque, ac Indicem Auctorum, qui præmittitur, in meliorem etiam ordinem redactum reddidimus. His,* Benevole Lector, *diu utere felix, nobisque fave. Vale.*

AUCTORIS EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustrissimo, & Clarissimo

D. COMITI HIERONYMO DANDINO,

D. & Patrono suo colendissimo.



Onsuevere, *Illustrissime Domine*, litterarum studiosi, qui typis providè labores suos committere neglexerunt eosdem fidelium oculis amicorum, sapientumque subjicere, nè omnimoda oblivione deperderentur; neve ignari, ac cæterorum vulgus iners egregios quoscumque irridere præsumat: hoc consilio beneficentiæ tuæ sapientissimæ, qui me summo amore, summisque honoribus es prosecutus, quique mira eruditione, ingenioque præ cæteris hujus Provinciæ elato plurimùm polles, annuenti hæc manuscripta transmittenda curavi, quæ tamen gravibus curis, morbis pluribus, ærumnis, officiorumque onere propemodùm fessus, atque in ipsa juventa senescens omisi perficere, & ut morem gererem benevolentiæ tuæ manibus amicorum quorumdam talia qualia sint vindicavi, omnem lapidem movendo nè in lucem ab iisdem ederentur, nedum quia historia suo indiget complemento, & fragmenta conscribendo ob involutos rerum casus, Locorumque gesta seriem annorum retinere perdifficile visum, sed nè invidis, ac blateronibus præbere superinsistendi argumentum, & ab instituto meo aliena viderer contexere; ad ea conscribenda coëgit Patriæ amor, quia, ex Peripatetico, Prima justitia est, quæ Deo, Proxima, quæ patriæ, parentibusque, Postrema, quæ vita jam functis debitum suum cuique præstat officium. siquidem magis unusquisque nascitur Reipublicæ, quàm sibi, & parentibus: ita enim *Arpinas Demosthenes*, omnium societatum nulla est gratior, nullaque charior, quàm ea, quæ est in Republica. unicuique nostrum chari sunt parentes, liberi, propinqui, familiares; sed omnium charior patria, pro qua quis dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus; & qui patriam adjuverint, auxerint, certus est designatus in Cœlo locus, ubi cum beatis omni ævo fruantur, &

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec sinit esse sui.

Stimulum etiam præstitere Civitatum Vallis *Clanarum* in *Etruria* decora gesta, quæ nè dicam jacere, sed vel incuriosius tradi, vel minùs expingi solertèr ab iis, quorum olim in ejusmodi scriptis elucubratio desudavit, & simul ut à quorumdam assertis ira, studio, vel insulsè editis ex monumentis diligentiorum eruditorum studio vulgatis explorata pro animi privata voluptate, ac eruditione vindicarem. Quæ quamvis ob magnitudinem animi tui minima re, & pondere fortasse censeantur, lætaberis in Urbium, ac familiarum vetustissimis principiis, qui origine, ac generosa Nobilitate suprà cæteros fulges, potissimum quia plurima recensentur *Senarum* Reipublicæ egregia facinora, ex qua Clarissimam Familiam *Dandinam* originem duxisse compertum est. Etenim septin-

gentis,& ultrà elapsis annis, *Longobardis* exactis, libertatem pleniorem *Senarum* Civitas assecuta est, pluribus primariis Viris Auctoribus, inter quos *Dandinus* ille Patriæ, nè dixerim Pater, seù lumen, prudentia, ac strenuitate memorandus, Castrorum *Perolæ* Dominus, *Tatti*, ac *Montis Massi* ad *Senarum* maritima, nec non *Montis Ciani* ditionis *Volaterranæ*, ut lapideæ Inscriptiones, insignia Gentilitia Senioribus comprobarunt, & Familiæ monumentis liquet. Primi enim consueverunt *Gothi*, *Longobardi*que Ducatus, Marchionatus, ac feuda de Republica optimè meritis impartiri, quod est indubitatum argumentum Magnanimos *Dandinorum* Avos extitisse præpotentes a longinquis temporibus, cum non sine labore, annorumque decursu Familiæ ad Dominia, Apicemque rerum promoveantur, quorum vestigiis Nepotes emeritissimi inhærentes sibi famam nunquam perituram comparantes, securitati Patriæ, Civium famæ consuluerunt. Aucta enim *Senensium* dissidia *Franciscus* composuit hostibus profligatis, ac *Petrus Dandinus* Alexandro III. Senensi morum suavitate, fide summoperè gratus, quo uno maximè ex Concivibus gravioribus, arduisque negotiis usus est, ad Cardinalatum evectus, ut novitèr Addentes ad *Ciacconium* recensent in Vita Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium per hæc verba: *Petrus Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ ab Alexandro III. Teste Patre Alphonso Ciacconio Cardinalis renunciatus contra Hæreticos Albigenses apud Tolosam in Aquitania Anno* 1178. *legatus est, sapientia, & doctrina clarus.* Hunc fuisse de Domo *Dandina* ex veteribus insignibus trium Syderum, Antiquorum traditione, ac ex sententia aliquorum, quos inferiùs referemus, palàm est. Cujus ex Nepotibus *Ughus Dandinus* in Reipublicæ administratione, potentia, opibus, animique virtute præcellens ad summum gloriæ fastigium pervenit. *David* verò filius *Ughi* divino Spiritu adactus sibi *Divum Galganum* imitandum præfixit: & anno 1250. ad *Cistercienfium* Cœnobia convolans, eo fulsit splendore virtutis, vitæ sanctimonia, doctrina, ac regulari observantia, ut Venerandus, ac Beatus Populi, ac famæ persistentis vocabulo enunciaretur; & *Innocentius IV.* Romanis diffisus in augustam *Perusiam* profugus se, ac labentis Majestatis securitatem ipsius Orationibus, ac Consiliis crediderit, & commendaverit; ac *Urbanus IV.* de frenandis *Cistercienfium* discordiis ipsius ope, ac sapientia Bullam signarit. Anno verò 1270. ad Episcopatum *Sovanensem* Populo acclamante, ac Comite *Aldobrandesco* Auctore, evocatus latuit per biennium, adeò enixè *Christi* humilitatem assequebatur, donec benigno *Gregorii* hujus nominis *X.* Aretio residentis impulsu ad dignitatem capessendam arctaretur, cujus dexteritatem, rerumque gerendarum peritiam, facundiam, heroicasque virtutes admirati excelsi *Senarum* Patres *Caroli Angioini* de *Senensibus* in suspicionem lapsi, propè Mœnia copiis ex tempore admotis, & Civibus rei novitate perculsis, Episcopum *Dandinum* ad conciliandum Regis animum delegaverunt, qui Beatæ Virginis *Senarum* Patronæ ope nixus eo mentis ardore, ac spiritu ante ipsius Virginis Aram extra Mœnia peroravit, ut radiis effulgere, & novum, divinumque hominem induisse Regi videretur, ut pertinax, ac in ultionem propensus Regis animus, Ducesque ad arma parati ad concordiam reducerentur, regiis liliis *Dandinorum* Gentilitio Stemmati elargitis, meritis denique, & virtutibus clarus ad cælestia Virum profectò Venerabilem evolasse consensu traditum.

Verum perpetuis odiis, ac civilibus armis scissa *Senarum* Republica, hæc insignis Familia in vetustissimam Urbem *Cæsenatem* recipitur; quod quibusdam ex Scriptoribus ansam præstitit Nobilissimæ Familiæ *Bandinæ*, sivè diversi Stipitis, seù, ut alii veriùs autumant, incuria, decursu temporum ejusdem agnationis egregios tribuere bello, togaque Viros, inter quos maximè emicuere *Franciscus* Equitis *Salustii Bandini* Nepos *Bandinus*, ac *Germanicus*, Archiepiscopi *Senarum* clementia, ac doctrina Patres emeritissimi, ac *Marius Bandinus*, qui unus ex strenuis *Senarum* libertatis Defensoribus expugnata *Senarum* Urbe cum clarissimis Viris, Matronisque profugus inscriberet in numismatis, *Respublica Senensis in Monte Ilcino.* De *Bandina* verò Familia *Florentiæ* commorante *Octavius* Cardinalis *Bandinus* à *Clemente VIII.* 1595. renunciatus, ac secundus *Firmi* Archiepiscopus, eademque dignitate *Petro Dyno* concessa *Flaminiæ* Legatus creatus. Ex Familia *Dandina* emanavit litteratissimus *Hieronymus Dandinus*, Anselmi Equitis filius, Prælatus Domesticus, & a secretis *Pauli III.* Casertæ, & Imolæ Episcopus, bis pro arduis, implicitisque negotiis ad Regem *Gallum*, & bis ad *Carolum V.* Nuntius transmissus, & denique à *Julio III.* ann. 1551. sacra Purpura insignitus titulo *Sancti Marcelli*, iterùmque missus ad *Carolum V.* de latere Legatus, de quo cecinit Janus Vitalis:

Magnorumque parat, dum præmia grata laborum,
Dandine, Vir clarissime,
E septem Geminis plaudit tibi collibus ingens
Regina Roma Gentium.

Imolensem Ecclesiam Patri *Anastasio Uberto* ex Sorore Nepoti, Theologorum maximo, tradidit, eoque vita functo, iterùm moderandam suscepit invidis fatis immaturè raptus Anno ætatis L. à reparatione Mundi MDLIX. Eques quoque *Pompejus Dandinus* consilio, manuque egregius Filiorum *Marci Agrippæ*, ac *Anselmi* dotibus clarior, quorum primus in utroque jure peritissimus ad Episcopatum *Æsinæ* Civitatis vocatus anno 1599. ubi perpetuis Civium laudibus, omni ævo famæ, ac gloriæ adolescit. *Anselmus* utriusque Signaturæ Referendarius à *Gregorio XIII.* in *Gallia* Nuntius, *Bononiæ* Vicelegatus, *Perusiæ* Gubernator electus, ac unus ex Ponentibus Sacræ Consultæ designatus, *Pompejus* Nepos *Gregorii XV*, & *Urbani VIII.* Prælatus Domesticus in peragendis, decernendisque negotiis prudentia clarus, Legum, ac sacrorum Canonum studiosissimus. Junior quoque *Anselmus*, D. Comitis *Herculis Dandini* filius, morum probitate, ac maximo in re litteraria judicio pluribus *Italiæ* Tribunalibus integerrimus Præses, Episcopus *Cerviæ* creatus immaturæ anno ætatis

ætatis 38. sui desiderium reliquit. Pater *Hieronymus* Societatis Jesu in *Patavina*, *Perusina*, ac *Parisiensi* Universitate, Philosophiæ, ac Theologiæ Lector, edidit de corpore animato, Ethicam sacram, ac relationem Legationis sibi injunctæ per *Clementem VIII.* ad Patriarcham, ac *Maronitas* Montis *Libaui.* Redolescit Avorum memoria in vigilantissimo, ac integerrimo *Senogalliæ* Antistite *Mutio Dandino*, qui Musis amicus, ac historiis versatus tanta decoratus æquabilitate, ut neque familiaritas contemptum pariat, neque dignitas affabilitatem pessundat, communi Populorum, ac Provinciæ sensu Pauperum Pater, morum candore, ac prudentia famigeratus, structis in ea Civitate, ac *Rochæ* in *Contrata* ære suo ædificiis summoperè liberalis.

Æquè in re militari Duces, Equitesque laudabiles ostentant patentia *Dandinorum* monumenta: etenim iis posthabitis, qui longa serie annorum in Republica *Senarum*, tàm pace, quàm bello floruere, ac etiam prætermisso *Oddo Antonio Dandino*, qui opibus, famaque maximus anno 1525. cum *Joanna Borbona* Excellentissimorum Marchionum *Montis* Sponsalia contraxit, eximium recenseo Militum Præfectum *Pompejum Dandinum*, qui à *Carolo V.* ob egregia in re militari facinora Eques auratus, Comes Palatinus cum Privilegiis amplissimis nominatus Aquila Imperiali sibi, posterisque donata à *Paulo*, ac *Julio III.* omnium Arcium *Romandiolæ* Præfecturam sortitus emicuit fortitudine, ac fide; ac strenuissimum Virum *Marcum Agrippam*, sub eodem *Carolo* Equitatus Capitaneum, ac Magistrum, qui in expeditione adversus *Turcas* diem clausit nunquam gloriæ moriturus, *Hyacinthum* quoque, Ducem Militum Custodiæ Magni *Etruriæ* Ducis, ac juniorem *Marcum Agrippam Dandinum*, Patruum tuum, Equitem *Melitensem* in flore ætatis *Turcarum* hostem infensissimum, nec non *Hieronymum* æquè Patruum tuum, in *Belgio*, ac *Sabaudia* militia clarum; annè ingrato silentio involvendi Comes *Hercules Dandinus*, ac Comes *Oddus Antonius* Genitor tuus? an tu ipse, Agnatique sui, Viri undequaque clarissimi? ut fama tot gestorum inter gentes diffusa à *Bononiensibus*, *Perusinis*, ac *Cæsenatensibus* inter Patritios primi ordininis Gens *Dandina* dudum recepta generosa, ac incorrupta nobilitate ita refulget, ita à seculis pluribus affluit divitiis, ut meritò inter primarias *Italiæ* Familias jure recensenda sit, quæ & Viros superiùs laudatos commendarunt ex Familiæ documentis Abbas Libanorius *in Vita Venerabilis Episcopi Davidis Dandini*, impressa *Venetiis* 1605. *Pompæ Senenses*, *Apostillæ ad Chronicas Senarum Bisdomini*: & in iisdem Chronicis M. S. Episcopus Patritius, P. *Ughellius*, P. *Ciacconius*, & fama, vetere sque comprobant traditiones Seniorum.

Tu itaque, *Juvenis Eruditissime*, qui verborum facundia, gratiaque emines plurimùm, opus brevi dierum periodo confectum legere nè dedigneris, novumque hoc benignitatis tuæ argumentum patefacere, quod si amplitudinem tuam consideres, animumque offerentis devinctissimum perpendas, te hoc denegaturum ambigere neutiquam possum. Valeas, teque, & tuos ad ampliora serva, Patriæ Amor, & Provinciæ ornamentum. *Romæ*, 1 *Julii M. DC. XCIII.*

ELOGIA AUCTORIS.

Sopra

l'Historie di Valdichiana

Attribuite all' ingegnosa Penna

DEL SIGNOR

FRANCESCO DINI,

Avocato Sanese

Parla Lucignano Patria nativa del medesimo.

SONETTO

Del Signor

SEBASTIANO DANTE,

Priore, & Avocato eruditissimo di Jesi.

ERano i preggi miei dal tempo edace
O' già dispersi, ò nell'oblio sepolti:
Eran gl'aviti rai nell'ombre auvolti
Fatti scempio crudel d'Evo rapace.
Fù sempr'il seno mio d'Eroi ferace:
Mà qual prò, se dal sen materno sciolti
I patrii Colli abbandonàro incolti,
Portande lungi la LICINIA face.
E pur vollero i Fati, amica Stella,
Ch'hoggi al Mondo risorga rediviva,
E quanto antica più, tanto più bella.
Hor tutto al tuo valor DINI s'ascriva,
Se à chi vita ti diè vita novella
Porge dotta la Penna all'hor che scriva.

E L O G I A

In idem Argumentum

Historiæ Hetruschæ

D. FRANCISCI DYNI

E P I G R A M M A

D. JOSEPHI RADICINI DE MONTE GEORGIO,

Bononiæ doctissimi, & integerrimi Auditoris, & Romandiolæ Generalis Locumtenentis.

IUnior implicitas DYNUS disrumpere lites,
Præsesque Æsinis dicere jura solet,
Sermonetanis, Nursinis, & Beneventi
Auditor Monaci, quaque Ravenna vetus.
Frusinis, Romæ Judex, & cætera norunt
Galli, atque Hispani, & qua fluit Arnus aquis.
Patria, LICINII Colles, ab origine Sena,
Nomen fama refert, quod latet historia.
Gesta virum, & CLANAS describis primus, & unus
DYNE ibi laudatus primus, & unus eris.

In

Historias Vallis Clanarum

D. FRANCISCO DYNO

vulgo adscriptas

D I S T I C H O N

D. PETRI DE MELIORIBUS,

J. U. D. Sarnanensis.

ASsecla Democriti, fidus Baldo, atque Camenis
DYNUS Clanarum primus in Historia.

Alle glorie

Del Sig. Auditore

FRANCESCO DINI

Per le Historie di Valdichiana,

Alludendo all'Arma del medesimo formato da un GIGLIO, che regge una CROCE coronata con due STELLE.

M A D R I G A L E

Del Signor

GIOVANNI PECI,

Vice Potestà dal Monte Santo Vito.

DAlle Tosche riviere
Stemprando eterni inchiostri
Con suo nobil pensiere
D'Ignoranza Letea calcando i Mostri
Cinto il fronte d'alloro
In questo Regio Suolo
Venne DINI à trattar penna erudita
Arricchito lo Stemma, hà il Giglio d'oro,
E di gloria sul Polo
S'hebbe per scopo il ver con face unita
Arderan sempre più fulgide, e belle
La CROCE coronata, e l'auree STELLE.

Nel publicarsi

l'Antichità Toscane,

composte

DAL SIG. DOTTOR FRANCESCO

Del Sig. Pietro Dini,

Si scherza sù l'Arme, e si lodano alcune Opera dal medesimo composte.

O D A

DEL SIGNOR DOTTOR EMILIO,

Del Signor Marc' Antonio de Nobili,

Gentilhuomo, & Accademico eruditissimo di Jesi.

COn ardente desìo dall'alto Coro
Delle Dive d'Apollo, Arco e faretra
Imploro, acciò per l'etra
Risuoni il mormorio vie più sonoro,
E lungi stian da me le gran follie
Odi Cadmo, odi Tebe altre bugie.

Mà con arguto suono è veritiero
Con le Pieridi sue il Dio di Pindo
Sparga dall' Arno all' Indo
Il Nome di FRANCESCO reso altero
Nell' Italiche Curie, ove rimbomba,
E la fama dà il fiato all' aurea Tromba.
Ond' Io tempre le corde del sonare
Vò tessend' Hinni al suo bel Nome adorno
Più che di luce il giorno
Di virtudi, e di glorie assai ben rare,
Che mostra homai, che nel Castalio loco
Fà il suo buon plettro ogn' altro accento roco.
FRANCESCO à i gran fulgor di tua virtude
S' offusca di Solon l' antica fama
Se invitta Astrea ti chiama,
E nel suo giusto sen lieta ti chiude
Minerva altera del Licinio olivo,
Per te nell' Essa impetra il grido Argivo.
Così n' andarà la tua gran fama à volo
Il nobil dire, e l' armonia sonora
S' uniran Serti di Flora,
E quei dell' Esio, e del Sanese Suolo,
A te 'l Colle Licinio, ove Minerva
Gl' Avi adorar, un serto d' Or riserva.
Folle son Io, che à Delfica tua lira,
Sì perfetta nel suon non può bramare
La Musa mia recare
Più gloria, overo honor, mentre rimira,
Che qual Ione novel in Prose, e in Carmi
Decanti Storie, & il valor dell' Armi.
E se dell' Esio, e suoi Castelli illustri
Tessi le glorie, e in Versi scrivi i pregi,
Ben tra gli huomini egregi
Ascritto, le tue lodi in lunghi lustri
L' Esio decanterà, e l' Essa avito
Per te gonfio n' andrà oltre del lito,
D' antica Nobiltà germe glorioso
L' DANDINO Eroe con degna ricompensa,
Qual serba à te, ch' immensa
Nel tuo Carme erudito, & armonioso
Degl' Avi suoi la gloria approvi, e mostri
Homer verace in eruditi inchiostri.
Mà il primo nò, nè forsi tu sei stato
Il più degno trà DINI, e Siena dica
Di Famiglia sì antica
I Patritii guerrier, lo Stuol togato
Le Carte Signoriste è il libro d' oro,
E de' Leoni principiò con l' oro.
Il primo DINO fù Campione audace
Con Goffredo Buglion la Sacra Croce
(Di Soliman, del Trace,
Per rintuzzar l' ardir reso sì atroce)
Tra Crociferi prese, e in Isdraelle
La CROCE inalberò con le due STELLE.
GIANNI, e DINO, da cui GIOVANNI prode,
Indi FRANCESCO, e poi PIETRO esule reso,
Che col Grifolo acceso
A sostener la libertà con lode,
Quest' è tolto alla vita, ei con consiglio
In Lucignan và à terminar l' esiglio.
Siena d' Eroi feconda, hor se produsse
Di scienza un Corifeo al par d' Atene
Esultar li conviene,
Se l' ignoranza il DINI suo distrusse
Do quei hebbe l' origo, e in Siena apprese
Le scienze, e 'l metro. ond' immortal si rese.

APPROBATIO

Pro Impressione,

Quæ habebatur in prima Editione.

Ex commissione Illustrissimi, & Reverendissimi Domini mei Mutii Dandini Episcopi Senogalliensis, & Comitis attentè perlegi, ac sedulò animadverti Librum, cujus titulus est, *Antiquitatum Etruriæ*, seù *De Situ Clanarum Fragmenta Historica*; nihilque in eo reperi, quod Catholicæ Fidei, sanæque Doctrinæ adversetur, ac propterea dignum censeo, ut typis dari possit. Datum in Conventu Sanctæ Mariæ Gratiarum prope Senogalliam die 8. Septembris 1695.

Ita est Ego Frater Laurentius ab Aesio Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ Sacræ Theologiæ Lector.

Imprimatur,
Laurentius Bolis Vicarius Generalis.

Imprimatur,
F. Hieronymus Maria Urbinati Servita Vicarius Sancti Officii Senogalliæ.

INDEX AUCTORUM,

Qui copiose in Opere referuntur.

INDEX AUCTORUM.

CApitoli *nella Cancellaria di Lucignano.*
Carriera (*P. Franciscus*) *Chronicæ Pontificum.*
P. Ciacconus, *Vita Pontificum.*
Castrensis *Consilia.*
Cicero, *de Legibus*, *& contra Rullum.*
Cini, *Vita de Cosimo Primo, Gran Duca di Toscana.*
Citorio (*Cavalier Fontana del Monte*) *Discorso ad Innocentio XII.*
Cluverius, *Antiquitatum Etruriæ.*
Collenuccio, *Storie Napolitane.*
Christoforo, *da Forlì Cronica.*
Q. Curtius Rufus.
DAthus (*Augustinus*) *Senensis Hist. & Epistolæ.*
Deuteron.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnassæus.
FAscitello (*Honorato*) *tra le Lettere de Giovanni Turchis.*
Fasti *Senenses.*
Faunus (*Lucius*) *Antiquit. Roman.*
Fedeli (*Onofrio*) *Croniche.*
Florus, *Epitome.*
Fontanella, *Decisiones.*
P. Fortunio, *Croniche del Monte San Savino.*
Frontinus, *de Coloniis, & Stratagem.*
GEnebrardus, *in Chronicis.*
Abate Gamurrini *Aretino, Famiglie Umbre, e Toscane, nell' Istoria di Arezzo M. S. appresso più Letterati Aretini.*
Gellius (*Aulus*) *Noctium Atticarum.*
Grifolus (*R. Jacobus*) *Orationes.*
Guazzo (*Marco*) *Historie e Cronica.*
Guicciardino, *Storie di Firenze.*
Guigues (*Marc' Antonio*) *Idrographia M. S.*
Gyraldus, *de Sepulchris.*
HOratius Flaccus, *Odæ.*
Inghirami (*Curtio*) *Antichità Toscane.*
Jovius (*Alexander*) *de Solemnitatibus in contractu Minorum.*
Justinus, *Historiæ.*
Juvenalis, *Satyræ.*
LAndino (*Cristoforo*) *Plinio volgare.*
P. Landucci, *Silva Ilicetana, & Chronicon breve.*
Latro (*Capycius*) *Decisiones.*
Lauri, *Storia di Cortona.*
Lazius (*Wolfgangus*) *de Republica Romana.*
Lazzari (*P. Alberto*) *Dominicano della cause, e origini delle guerre.*
Leonardus Aretinus, *Historiæ.*
Abbas Libanorius, *Vita Venerabilis Servi Dei Davidis Dandini.*
Libro delle Riformationi *di Lucignano.*
Lipsius, *Politicorum.*
Epitome Liviana.
MAcrobius, *Saturnalia.*
Malevolti (*Orlando*) *Storie di Siena.*
Malespina, *Storie Fiorentine.*
Malus (*Junianus*) *de Verborum Proprietate.*
Mancinellus, *Commentaria ad Horatium.*
Mancinus (*Lelius*) *Quæstiones Geniales.*
Manenti (*Cipriano*) *Storie.*
Manozzi *dell' Aere, e Sito di Fiano.*
Manutio (*Paolo*) *Lettere volgari.*
Marsius (*Petrus*) *Commentaria ad Silium.*
Martialis, *Epigrammata.*
Mascardo, *Arte historica.*
Mastrillus, *Decisiones Neapol.*
Mesa, *Resolutiones.*
Minati, *Storie M. S. di Monte Pulciano.*
Missaglia (*Marc' Antonio*) *Vita di Giovanni Medici, Marchese di Marignano.*
Mutius (*Victorius*) *Lucinianensis, in erudito Tractatu de Fortitudine, & re Militari.*
NAtalis Comes *Historiæ.*
Natta, *Consilia.*
Cavalier Nini, *Guerre d'Italia M. S. nella Libraria del Nobile Francesco del Sig. Gio. Battista Piccolomini Sanese.*
OPmeerus (*Petrus*) *Chronicæ orbis.*
Osaschus, *Decisiones Pedem.*
PAnvinus, *Antiquitatum Veronæ.*
Picus, *Antiq. Roman.*
Pius III. *Annales Senenses.*
Platina, *Vita Pontificum.*
Poggio, *Storie Fiorentine.*
Polybius, *Historiæ.*
Pompe *Sanesi.*
Pomponius.
Porcacchi, *Note al Guicciardini.*
Possevinus (*P. Antonius*) *Apparatu sacro.*
Propertius, *Carmina.*
RAmonius, *Consilia.*
Reformationi (*Libro delle*) *di Lucignano.*
Ridolphinus, *Praxi Recentiorum*
Roseo (*Mambrino*) *Storie Neapolitane, & aggiunte al Tarcagnotta.*
Rota *Romana apud Bichium.*
Rota *in Recentoribus.*
Ruth 4.
Rutilius (*Bernhardus*) *de Re Rustica.*
D. SAbellius, *Summa Tractatuum.*
Salianus, *Annales.*
Salustius, *de conjuratione Catilinæ.*
Sanleolinus (*Sebastianus*) *Florentinus, Carmina Cosmianarum Actionum.*
Sansovino (*Francesco*) *dell' Antichità del Mondo.*
Scottus, *Antiq. Roman.*
Scala, *Histor. Florentin.*
Servius, *super Æneida.*
Sigonius (*Carolus*) *de antiquo Jure Italiæ.*
Spondanus, *ad Annales Baronii.*
Strabo, *Geographia.*
Stephanus Bysantius, *de Urbibus.*
Surdus, *Decisiones.*
Suetonius, *Vita Cæsarum.*
TAcitus (*Cornelius*).
Tarcagnotta, *Storie Universali.*
Tholosanus, *de Republica.*
Thomati (*Jugurta*) *Storie di Siena.*
Thuanus, *Historiæ.*
Tiraquellus, *in annot. in dies geniales, & in l. 2. Conuub.*
P. Torsellino, *Storie.*
Ser Tosi *d'Andrea da Sinalunga, Contratti nell' Archivio di Siena.*
D. Advocatus Tonsius *Æsinus M. S.*
P. Torelli, *Secoli Agostiniani.*
Trentacinquius (*Alexander*) *Variarum Resolutionum.*
Cardinalis Tuschus, *Practicarum Conclusionum.*
VAlerius Maximus.
Valla, *Commentaria in Salustium.*
Vannini (*Giovan Battista*) *Scrittura M. S.*
P. Ughellus, *Italia Sacra.*
Vitruvius *Architectus.*
Villani (*Giovanni*) *Storie Fiorentine.*
Virgilius, *Æneidum.*
—— (*Polydorus*) *de Rerum Inventoribus.*
Vitalis (*Janus*) *Epigrammata.*
Volaterranus, *Commentaria Urbis.*
Vossius (*Gerardus*).
Volserus, *de Rebus Boycis.*
D. Auditor Urceolus, *Consultationes.*
Ursinus (*Fulvius*) *de Nobilibus Familiis Romanorum.*
WAddingus (*P. Lucas*) *de Scriptoribus Ordinis Minorum.*
ZOnaras, *Annales.*

D.FRAN-



D. FRANCISCI DYNI,

Advocati Senensis,

ANTIQUITATES ETRURIÆ.



*C*Lanarum Fluvius *Glanis* Tacito, *Glanicus* Alexandrino, ferè *Etruriæ* medio, ut in ubere Sinu in Lacus, ac Paludes extensus per contrarium, ac diversum cursum Naviculis patens ad Orientem, &
Septemtrionem fluit, olim Lacus *Clusinus* per
veterem *Clusii* ditionem propè Orbevetum *Palea*
amne commixtus in *Tiberim* tribus milliaribus
relicto nomine trans *Aretium* in *Arnum* diffunditur;
Romæ ac *Florentiæ* exundationibus
Tac. memoratus *Tiberio* regnante, orantibus *Floren-*
Lib. 1. in *tinis*, & Legationibus Coloniarum, ac Munici-
fin. piorum, nè solito alveo demotus in *Arnum* trans-
ferretur.
Variis collibus circumdatus, Arboribus, &
Pomariis consitis, vinique albi, & vermiculi
2 qualitate, copiaque clarus maximè *Politiani*, &
Plin. *Luciniani*, & uva olim dicta *Talpana*, *& Con-*
Lib. 14. *sciminia Aretina.* Olearum quoque prædulci suc-
c. 3. Lib. co in ea parte, qua amœno colle *Licinianum* fun-
15. c. 5. dit oleum, cum *Liciniæ gloria præcipua Olivæ*,
Macr. Plinio, Macrobio, Rutilio, cæterisque laudatæ.
Saturn. Lib. 3. Beroald. Regio venationibus frequens, deliciis unde-
Rut. de quaque affluens, Situ potissimùm in locis aquis
re rust. palustribus remotis, aëris subtilitate, ac hilaritate
Lib. 3. fontibusque irriguis saluberrimo, ut agri beatitu-
Strabo dinem agnovit *Strabo*, & exornat eruditissimus
Lib. 5. *Politianus.*
Lel. In amplas, fructuosasque spatiatur planities *A-*
Manci- *retinas*, Vallis *Chii*, *Fluennæ*, pingues *Florenti-*
nus disq. *næ*, *Senensis*que ditionis fines abluentis, Clari *Poli-*
Geniales *tiani* ad lacum usque *Trasimenum* Augusta *Peru-*
cap. 300. *sia*, & *Annibalis* victoriæ fama superbientem spa-
cent 3. tio ultra LXX. milliaria in longitudinem, lati-
tudine verò circiter XX. à finibus *Tipherni* ad
montana *Scytonii*.
Civitatibus, ac Oppidis circumfusis vetustate,
opibus, memoria feliciter gestorum insignibus,
3 *Cortona*, *Clusio*, *Aretio*, *Politiano*, *Luciniano.*
Livius Etenim relicta *Græcorum* levitate, dataque anti-
Lib. 1. & quitati venia, quæ miscendo humana divinis re-
2. Strabo rum exordia augustiora faciat, *Livio*, *Strabone*,
Lib. 5. *Polybio*, *Diodoro*, *Plinio*, *Dionysio*, Etruscos li-
Polyb. Lib. 2. quet vetustissimos esse, rerumque copia affluen-
Diodor. tes, à quibus aras, ritus, divinationes habuit
Lib. 11. prisca Italia, *in utrumque mare vergentes jam non*
Plinius Lib. 3. c. 5. *Terras solum*, *sed mare per totam Italiæ longitudi-*
A *nem implevisse fama*, *ab Alpibus ad fretum Siculum*, Dionys.
& Marcinam condidisse inter Sirenulas, *& Possi-* Hali-
doniam, *& à Suriento ad Sillarum amnem triginta* carn.
millia passuum agrum Picenum urbibus, *oppidisque* Lib. 1.
insignem, *& Campanum fuisse Tuschorum*, *& Ca-* Lucas de
puam olim Volturnam, *& Nolam in potestatem re-* Linda.
degisse, *latè maris dominos Sardiniam*, *Corsicam*, Gritius
Italiam: ut Legati Samnitibus missi ad gene- Hist. Æ-
ralem *Tuschorum* Conventum ad Fanum Voltu- fin. fol. 2.
mnæ professi sint, *illos gentem Italiæ Armis*, *Vi-* Livius
ris, *pecunia*, *præpotentem*, *& opulentissimam.* Lib. 10.
Populos diluvii traditione horrore perculsos in
ea regnasse per nemora, ac Montium cacumina,
B quos *Umbros* dixere, quod imbribus superfuerant, 4
quos exegere Pelasgi, Thessaliæ Populi, tribus circi-
ter Sæculis ante *Trojanum* excidium, *hos Lydi Du-*
ce Tyrrheno Athis Lydorum Regis Filio fame, & mul-
titudine populorum ad quærendas Sedes adacto,
qui ferè septingentis annis ante Urbem conditam
Agillina potiti *Cere* denominaverunt, & *Tarconti*
Tyrrheni Filio demandatum, quod duodecim
Urbes conderet in locis munitis, copiaque rerum
luxuriantibus. Verùm quia, ut perhibet Stra- Strabo
bo, *incursantibus prædonum Navigiis*, *ne exuviæ* L. C.
fierent Latronum bacchantium ad turmas, *ac Pira-*
tarum illi Urbium Conditores maritimas effugiebant
C *oras*, *solam Populoniam ex Tuscis primam ad mare*
fundasse, *in qua tuta jacerent propugnacula ad re-*
pulsandas insidias, *interim consedisse in Urbibus Um-* L. C.
brorum, *ac Pelasgorum*, *quibus plurimas*, *atque*
optimas occupasse disserit *Dionysius*, easque præ-
cipuè inaccessibiles, & signanter *Cortonam* Ste- Steph.
phano, & Dionysio *Croton fortunatam*, *& am-* de Urbi-
plam, quæ agrum coleret aptum Pascuis, & bus.
qua utebantur Pelasgi *arce*, *ac munimento* adver- 5
sùs hostes, & ut Etruriæ *Metropolim* Tusci *di-* Silius
xere Tyrrheniam: hinc rectè *Herodotus Diony-* Lib. 4.
sio relatus asserit *Crotoniates* ad suam ætatem *soli-* & 5. de
tos uti lingua Pelasgica, *Polybio Cirtonium*, *Silio* Bello
D Coritonia. Punico.

> *Pœnus nunc occupet altos*
> *Areti muros*, *Corithi nunc diruat arcem*,
> *Hinc Clusina petat*,

Et alibi:

> *Ergò agitur raptis præceps exercitus armis*
> *Lydorum in Populos Sedemque ab origine Prisci*
> *Sacratam Corithi*, *junctosque à sanguine Avorum*
> *Mæonios Italis permixta stirpe Colonos.*

Volaterr. Comm. Urb. Lib 5. Ridolphin. Prax. rec. cap. 15. Laur. Hist. Cort. Lib. 1.

Clusium quoque in ditionem redegere *Tyrrheni*, quod, ut Auctor est *Livius*, olim *Camers appellabant* ab *Umbribus Camertibus* exstructum, *Polybio*, *Frontino*, *Cluverio* memoratis à *Cluere*, quod in prima ætate *Aramec* pugnam indicet cum victoria, cujus agro, veterisque *Cortonæ* ad fontes *Tiberis* primam sibi sedem statuisse comprobat *Dionysius*, quia Situs lætus pabulo, munitæque
6 in ea ætate præ cæteris urbes sub montibus tutæ sibi finitimæ ad auxilium paratæ, & ex recentioribus *Annius Albertus*, aliique post *Herodotum*, & *Dionysium* scribunt, *in læva Tiberis parte consedisse* sub *Apenninis* Aretinorum, perque uberem *Clanarum* oram diffusos agri felicitate, Pagorumque frequentia allectos per propinquas, remotioresque regiones famam triumphalem, ac arma victricia circumtulisse, & *Crotonam* fuisse Arcem, & Metropolim, cum potentia, ac vis Armorum Populi illius etiam ante Urbem conditam, *Porsenæ*que Lucumonis *Clusinorum* Regibus exactis satis indicent plurimos *Lydorum*, primosque nedum genus, sed virtutem, opesque Posteris transfudisse, ac gloriam militarem; Et describit Plinius *Volatyrrheni cognomine Etrusci*, *in eadem parte Vulsinenses*, nempè Tyrrheni *antiquiores* (*ut Annius perhibet*) ab Æthereis rebus, sacrisque prope *Vulzinios* in finibus *Clusinorum*, ut malè *Volaterranus*, & post eum scribentium vulgus legant *Volaterrani*, quorum ager ultra LXXX.
7 Milliaria *Vulzinis* distans in remotiori parte post *Clusinos* ad mare protrahebatur, nec dissentiunt *Silius*, Virgilius:

[Lib. 10. Polyb. Lib. 11. Fron. Strattag. L. 1. — Cluver. Lib. 2. f. 567. Ital. antiqu. Plin. Lib 15. c. 29. P. Ann. Viterb. de Reg. Affir. & super Mirsilum c. 2. Monalden. Hist. Orbevet. Lib. 1. fol. 13. Lel. Manc. dicto cap. 300. n. 30. fin. — Plin. Lib. 3. Volaterr. Lib. 5. Ann. de Antiqu. Etrur. Silius Lib. 8. Æneid. 7.]

Cortona Superbi
Tarcontis Domus.
Hunc illum Corithi Tyrrhena a Sede profectum;

Rejecto etiam moderni *Cluverii* figmento de *Etruriæ Circumpadana* trans *Apenninum*, in qua primi *Lydorum* sibi locum paravissent, cum *Strabo* describat, *Tuschorum fines sub ipsis Liguriæ Montibus in Adriaticum Sinum proprio Mari capere originem*, *atque Tiberi & Pisas* primam Tuschorum Urbem ad occasum *Polybio*, *Plinio Lunam usque ad Ostiam*: & modò, ut ajunt de *Tiberi* ad *Macram*: & docet *Livius Tuschos* (auctos numero, rebusque) *incoluisse Urbibus duodenis prius cis Apenninum ad inferum Mare*, *postea trans Apenninum totidem*, *quod capita originis erant Coloniis missis* lato Imperio, & Armis felicibus, *quia in summa fortuna id æquum*, *quod validum sua retinere privatæ Domus de alienis certare regiam laudem esse*; id-
8 eòque duodecim illis Principibus Civitatibus, eorumque Lucuminibus, si quid consultò opus foret, prope *Vulzinios* Concilium frequenter indicebatur, & sedendo vincerent, ut de Romanis *Cato plura Consilio, quam vi perfecisse magnos Viros*, *pluraque in summa fortuna consiliis*, *quam telis & manibus geri.* In lucis quoque, & ad Fanum *Voltumnæ* concilia, ac Sacra Diis conficiebant Thure focis commisto, luci à lucendo dicti, & recenset Poëta:

Lucus in Urbe fuit media lætissimus umbra.

Et alibi:

Templum augustum ingens centum sublime columnis,
Horrendum Silvis, & relligione Parentum,
Hoc illis Curia templum.

Nempe lucum nobilem augurio Sacrum Patrum Religione venerandum, ubi Judices convenirent, quorum alii sub aperto Cœlo, *Lacedæmonii* sub humili tecto judicia exercebant, ut primum in ampliore forma Prætorium fuerit *Lutetiæ Parisiorum* institutum. Plerique veterum propè Portas
9 Curiam constituere ab Ædificiis remotas, *Judæi* in foro Civitatis, per *Tuschos* exclusis fœminis, *cum non imbellem tantum*, *& imparem laboribus*, *& consiliis Sexum*, *sed si licentia adsit*, *sævum*, *ambitiosum*, *potestatis avidum*, quamvis apud *Spartas*

[Tac. Ann. Lib. 15. — Cluver. Lib. 2. Ital. Antiq. Tiraqu. Annot. Alex. ab Alex. dies geniales Lib. 3. Tac. Ann. 2. 13. Ann. 3. Virgil. Æneid. Tholos. de Rep. Lib. 2. cap. 6. Deut. cap. 1. Ruth. 4. — Tac. Ann. & de Mor. German.]

A Mulieres sententiam dicerent, & apud *Athenienses*, *Gallos*, *Germanosque*, ac *Ægyptios*, & de *Justiniano*, qui *Theodoram* Conjugem in rebus habuit participem, quod inhonestè factum, etiam ob fragilitatem consilii, voti lubricitatem, secreti periculum, & ne destruant justitiam ad nimiam pietatem proclives. Verùm *Romanis* minus rectè improbata Lucumonum, Senatorumque consilium insimul, ac dominatio, cum iis *Romulus* Aristocratiam, sive Monarchiam proposuisset, hanc elegisse, *Livius*, *Tacitus* memoriæ commendarunt, quod in cæteris vetustissimis Populis observatum scripsit *Aristoteles*, quibus legibus *Tusco-*
B *rum* fama, ac Sapientia adeò mentes, oculosque Populorum in admirationem attraxit, ut sicut *Athenas* tota Græcia, *Spartam* Lacedæmonia, ita apud *Hetruscos* Romana Pubes tota conflueret; ut ibi in-
crementa Nobilitatis hauriret, ubi patebant rudi- 10
menta virtutum, interque *Hetruriæ* capita, *Dionysio*, *Livio* recensentur, *Clusium*, *Aretium*, *Cortona.*

[Polyd. Virg. de invent. Lib. 8. Lipsius Lib. 2. Polit. cap. 3. Tiraquell. in leg. 2. Connub. num. 64.]

Trojaque excisa, Æneas, Rutilique ad florentes
Tuscorum opes confugiunt, *ut cecinit Maro*,
Qui mœnia Clusi
Extremas Corithi penetravit ad Urbes,
Lydorumque manus collectos armat Agrestes.

[Servius sup. Æneid.]

At pulsis Regibus, Senatus, missis Legatis,
C *Aretinos* enixius rogavit, nè fracto jam, fugatoque *Tarquinio* suppetiæ mitterentur, siquidem Patribus exploratum vi sua inniti Principes *omnia scire*, *omnia exsequi*, sævire, impune rapere, publicæ nomine utilitatis, subsidiorumque aliena extorquere, quorum sensus impium scrutari, & si quid occultius parant, iis opes *missi*, *gestique honores pro crimine*, *& ob virtutes certissimum exitium*, quia *tristia in bonos*, *læta apud deteriores esse.* Tarquinii interim *Porsenam Clusinum* Lucumo-
nem hortantur, nè ejusdem Sanguinis, nomi- 11
nisque Viros exulare pateretur, ne modum Pellendi Reges fineret inultum, *nihil excelsius*, *ni-*
D *hil supra cætera æquari summa infimis*, *satis libertatem ipsam habere dulcedinis*, *ferenda Regum ingenia*, *nec usui crebras mutationes*, *quia boni Principes voto expetendi*, *qualescumque tolerandi*; Igitur ut exornat *Dionysius*, *Porsena Vir arrogans præ divitiis maximo Imperio*, *& pecuniis* convento ex propinquis *Hetruriæ* arvis commeatu statim ad Urbem Castra movet ratus cunctatione opus non esse, *ire ipsum*, *& opponere Imperatoriam Majestatem*, *cessuros*, *ubi magnificentiæ summum vidissent. numquam alias*, Teste Livio, *tantus terror Senatum invadit*, *adeò tum res valida Clusina erat*, *& magnum Porsenæ nomen.*

[Tacit. Lib. 1. Hist. — Tac. Ann. Lib. 3. & Lib. 12. — Tac. Lib. 1. Hist. Ann. Lib 2. Liv. Lib. 2.]

E *Et antiquus Romanis Mœnibus horror*,
Clusinum vulgus cum Porsena magne jubebas,
Cecinit *Silius.*

[Sil. Lib. 8.]

qui jam propè ingentibus copiis aderat, & *Tar-*
quinios manu reducebat, & capto *Janiculo* firmio- 12
ribus præsidiis munito, *Latinis*que profligatis, si cum profugis una Victores irrupissent, Urbe potiti illa die fortasse fortunæ ludo datum fuisset tot posterorum clades avertere, jacturam communis libertatis vindicare, & latius ubique ferre nomen, & gloriam triumphalem. par eventu *Annibal*, post *Romanarum* exuviarum acervos, attritas aceto, cœloque *Alpes*, Consules trucidatos, ad Ur-
F bem adactis copiis longè expetitam prædam præterit inconsultus, fatis auctoribus, ne *Romana* Virtus, viresque fractæ præberent exteris argumentum, proculcandi futuræ orbis moderatricis amplitudinem, ac Majestatem.

At *Romulidum* Virtus magis in adversis prospecta, *Coclitis* fortitudo, *Mutii* temeritas gloriosa, *Tarquiniorum* de avertendis pacis futuræ consiliis calliditas flagitiosa fregere Victoris animum, qui receptis Obsidibus fœdere inito, *Romanos* libertate donavit, ut cognita virtute ejus, æquè cogno-

[Florus Epit.]

Just. Lib. 18.

gnosceretur animi magnitudo, ac liberalitas, eo-
13 dem cum Romanis *Porsenæ* exemplo, parta apud *Terentinos* Victoria, captivis dimissis, usus est Pyrrhus, *cum non regiæ tantum, sed infinitæ virtutis sit odia vincere beneficiis.* At Senatus missa sella eburnea, sceptro, corona aurea, Triumphali Veste, qua Reges ornati incedebant, gratiam *Porsenæ* insueta munificentiæ pompa sibi magis conciliandam censuit, ut *Aretinus* regionis gloriam, factique dignitatem prænoscens *nullo unquam*, ait, *Imperatori, vel genti Populus Romanus obsides dedit ad pacem impetrandam.*

Leon. Aret. Hist.

Dionys. Lib. 5.

Verum *Porsena* sibi proprium paraturus Imperium, divisis copiis, expeditionem filio *Arunti* commisit adversus *Aricinos*, qui vestigia Patris, animique virtutem imitatus, pluribus hostium trucidatis, inter ipsos cecidit haud inultus nunquam famæ moriturus; *Porsena* mœrore, seu mortis memoria ductus, ut ex *M. Varrone* describit Plinius, *sub Urbe Clusio monumentum reliquit lapide quadrato, singula latera pedum lata trecenum, alta quadragenum, inque basi quadrata, intus labyrinthum inextricabilem, quo si quis improperet sine*
14 *glomere lini exitum invenire nequeat, supra id quadratum Pyramides stant quinque, quatuor in angulis, in medio una, in imo latæ pedum septuaginta quinum, altæ pedum centum quinquagenum, ità fastigiatæ, ut in summo Orbis æneus, & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendent excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata longè sonitum referant, ut Dodonæ olim factum, supra quem Orbem quatuor Pyramides, quarum altitudinem puduit adjicere.... adeo vesana dementia quæsiisse gloriam impendio nulli profuturo; Præterea fatigasse Regni vires, ut tamen laus major artificis esset*, portentosissimum humani ingenii opus supra *Ægyptias* Pyramides, ac *Cretensem* Dædali Labyrinthum: nec Veterum opinione compertum *Porsenam* animi impetu percitum se propriis fodisse armis, ut in *Phæsulanis* antiquitatibus, quas ab Avis mordicus *Annii* tempore confictas è sinu terræ *Scornellæ* propè *Volaterras* edidit audax *Inghiramus*, merito apud graves Viros dubiæ, levisque fidei passim habitus, *Porsena* Viro secundis, adversisque juxta famoso.

Plin. Lib. 36. cap. 13. Girald. de Sepul.

Abb. Machionus Apologia ad Gamurrinum. Curtius Inghir. Antiqu. Etruriæ.

15 Sed anno ab Urbe condita CCCLXIV. *Aruns Clusinus* de ordine patritio injuriam Uxori *Lucumone* inflictam indignatus dulcedine vini allectos convocat *Senones* Patriam oppugnaturos, qui *Italico* vino gustato admiratione tantæ dulcedinis sumptis armis in colles, qui talem pingerent fructum, impetum fecerunt, Gens numero, & natura ferox moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, & armis ingentibus adeò terribilis, ut planè ad hominum interitum, & stragem Urbium nata videretur. *Clusini* avitæ memores gloriæ militaris, pactæque cum *Romanis* Societatis ad spem victoriæ, ac libertatis evecti, nunciis *Romam* missis è muris erumpunt, *Gallos* aggrediuntur, & mœniis arcere conantur, *Romanorum*que legatis mordicus exponunt Senones *quantum præ cæteris mortales Galli virtute præstarent pacem non aspernaturi, si partem finium latius possideant, quam colant Clusini, concedant*, Sedemque ubi tandem consistere datum sit, *Jus in Armis, omnia fortium Virorum esse*; At Legatis dissi-
16 dentibus, compertisque hostibus duris ad defensam, & propugnationem paratis ad Urbem contendunt, Legiones *Romanorum* sternunt, profana Sacris confundunt Senatoribus cæsis, animis *Latinorum* semper infractis, *scire volentibus Diis, an Romana virtus promereretur Orbis Imperium*; quæ victoria, indomitæque *Clusinorum* vires palam indicant, quantum ea tempestate supra *Romanos, Gallos*que virtute una esset *Clanarum* Princeps Civitas validior, potiorque.

Zonar. Ann. Lib. 2.

A Verum anno CCCCXLIV. à Romanis *Tuscorum* viribus attritis, ut universis quies quæreretur, *Perusia, Cortona, Aretium, quæ*, ut inquit *Livius, ea ætate fermè capita Populorum Hetruriæ erant, pacem petiere.* Et de Anno CCCCLX. iterum *Perusia, Aretium, Vulzinium*, quas idem Livius vocat *Urbes validissimas.*

Liv. Lib. 9. & 10.

Interim *Galli* iterùm variis, diversisque tempore incursibus *Aretium, Clusium* oppugnare aggressi *Lucio* Prætore propè *Aretium* cum Legionibus trucidato haud victi *Tuscis*, nec Victores recedunt, hoc traditum, nec unum de tot superfuisse, qui incensam à se Urbem gloriaretur.

Polyb. Lib. 1.

17 Polyb. Lib. 2. seq.

B Indomiti vero Lucumonum animi novis, Ducibus *Aretinis* exarsere odiis, *Hetruriam*, inquit Livius, *rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto nunciabatur, ubi Licinium Genus præpotens divitiarum invidia pelli armis cœptum est.* An hæc pollens familia eadem sit *Liciniorum* Urbis, ignoramus, quam vetustam, & latam commendat *Volaterranus*, & refert *Tullius* ad *hastam vendi sub atriis Liciniis*, ac inter agrum *Tarquiniorum*, qui inter Urbem, & *Tiberim* Marti consecratus *Martius Campus* fuit, ac forum *Columnæ* ad viam *Flaminiam* propè Colliculum à citandis Tribubus, & Centuriis in Comitiis Citorius dictus. per Silvam *Lici-*
C *niam* ad jucunditatem aberrantes de summis rebus Sententiam dicturi *Romulidum* Seniores insimul conveniebant, ut etiam desumitur ex manuscriptis Viri plurimæ eruditionis D. *Julii Cæsaris* de veteri familia *Tonsa* Prioris, & Advocati *Æsini*, & tradidit ex Numismate *Ursinus*, ubi quod ultra Silvam *Liciniam* in denarii altera parte expressa sunt septa, sive Cancelli Comitiorum, quibus populus suffragium laturus includebatur, quod est argumentum potentiæ, ac dignitatis *Liciniorum*, quorum plures primarios in Republica Duces, ac Principes cæteri recensent Analistæ.

Livius Lib. 10.

Liv. Lib. 2.

Cic. ad Att. Ep. 16.

Fulv. Ursin. de Nob. Fam. Rom.

18 Eques Fontana ad Innoc. XII. disc. de Monte Citorio.

D Quidam opinantes fuisse de Civibus *Aretii* in mendosis *Livii* Codicibus legunt *Civium Licinium genus.* In dubium siquidem est tum *Livio*, tum veteri traditione, inscriptionibusque, *Gamurrino ac Machiono* in docta Apologia memoratis *Licinios* præpotentes ob Plebem, sequacemque turbam, opesque congestas floruisse in dominatu *Aretinorum*, nec sedibus expulsos; habito quippè Nuncio de *Tuscia* ad rebellandum parata, contrariis fortè scissa studiis, Senatus prævigili cura Dictatore cum Legionibus misso *Licinii* una cum plebe reducuntur in gratiam, & patrocinium *Romanorum*, ut prosequitur Li-
E vius, *sine ullo memorabili prælio pacatam à dictatore Hetruriam esse seditionibus tantum Aretinorum compositis, & Licinio genere cum plebe in gratiam reducto.* Et profectò citrà notam temeritatis, si liceret post sæculorum lapsum, ex defectu Auctorum, qui in specie egerint de rebus *Tuscis* incassum conquærentibus pluribus ex nostris ab Urbe condita, quod *Tuscorum gestis invidit Livius, quem negligentem, verbosumque arguebat Caligula* in esse, ponere, quæ ex conjecturis probabilibus suadentibus, equidem non videretur abesse à veritate *Licinios*, armis tàm magno seditionum
F turbine excitatis, aggressos, sed nullatenùs pulsos; quia opibus florentes oppidorum arcibus tuti non nisi vi armorum pelli posse invidis Senatoribus viderentur, *insita enim mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque non magis exigere, quàm quos in æquo viderunt, nihil enim ausuram plebem, Principibus amotis*, ut potè fluxioris fidei ubertate mercedis ad momentum omne versabilem, ut ferè communis evaserit traditio, cui in specie subscribunt Moderni superius relati, Oppidum *Luciniani* quatuor milliaria propè *Clanim* munito Col

Serv. Antiq. Rom.

Volater. Lib. 5.

Luc. Faunus Antiq. Rom. fol. 666.

Par. Gamur. Fam. Umbr. & Tusc. de Fam. Cilnea, & Licinia.

19 Abbas Machionus Clusinus in resp. ad Gamur. fol. 7.

Sueton. vita. Calig.

Tac. Lib. 1. Ann.

P. Cantur. L. cit. Mach.

20.

Joann. Vill. Hist. For. Lib. 3. cap. 119. Aug. Dat. Senens. Hist. Lib. 1. fol. 223. & Epistol. fol. 182. Sebast. Sanleol. Flor. Casminiar. action. Epigr. Lib. 1. & 3. Gamur. L. C. Machionus fol. 7.

le situm, ac fertili agro copiosum fuisse arcem, Sedemque *Liciniorum*, an ab ipsis conditum statuere non audemus, cum non absit à verisimili *Tuscis* structum, ut Imperii propugnaculum in finibus *Crotonensium*, *Clusinorum*, *Aretinorum*que; hoc probabile visum sub *Liciniorum* ditionem olim stetisse ante *Aretinorum* Rebellionem, cum nonnisi longi temporis lapsu familiæ fiant adeò præpotentes, & ad arma paratæ, ut de eo dominatu ad duodecim milliaria finitimo cæteri Principes *Aretini* armis turba, seù Plebe Oppidanorum tutos incassum pellere niterentur: ob quam rationem latinè à gravibus Auctoribus *Licinianum* denominetur, *Villano*, *Datho*, & noviter *Sanleolino*.

Excelsas Lycini Turres expugnat, Agrosque;

& legimus in Veterum publicis, privatisque documentis, & antiquis inscriptum in Palatio Clarissimi Vicarii Vallis *Clanarum* ibidem residentis

PRÆTORES LYCINIANI.

P. Gamur. Hist. Aret. M. S. fol. 84. in Biblioth. Strozzæ Episcopi Aretin. Appianus Lib. 1. P. Pannuin. Augustin. de Numismat. Dialog. X. Cic. pro Sex Rosc. & in Verr.

Sed ad verificandam originem in antiquis, &
21 nomen est argumento, & lapis vetustissimus comprobat majusculis litteris invidia temporis, nec in totum corruptis ex arce incendio amissa in via publica dictæ Terræ Muro patens præfato *Clusino* indicatus, quem etiam ad litteram refert *Abbas Gamurrinus* in *Historia Aretina* Typis edenda.

LVCIO CORN. L. F.
SVLLÆ DICTATORI FELICI
COMMILITONIBVS
OB LICINIANVM MVRO DVCTO
TVRRIBVS MVNITVM
DECVR. INDICTO NOMINE
LVCIANENSES
P. SERVIL. ET AP. CLAVD. COS.

Cum Universi *Sillæ* tanquàm destinato scelerum vindici monumentis adularentur, *qui tantum potuit, ut nemo illo invito, nec bona, nec Patriam, nec Vitam retinere posset*. Aretio pariter lapis *Gamorrino*, & *Clusino* relatus.

22 A MECENAS DECVR. ARETI. VETER.
LICINIOS EXILIO RESTITVERE.

Leon. Aret. Hist. Alb Ital. de Aret. Volaterr. Lib. 5. Just. Lips. Epist. & Antiq. Lect. c. 22. Pannuin. Scottus. Antiqu. Rom. Picus. Mach. dicta. Apol.

Aretinorum Veterum ex marmore apud Fanum *D. Mariæ Gradatæ* Decretum legisse testatur post *Aretinum* Volaterranus. *Lipsius* perperam in manuscripto *Livii* Codice apud *Sequanos* sibi per Amicum communicato legit *Cilnium genus*, cum *Mecenas*, quem dicit *Aretinum* Silio *Cilnius*, quia an *Cilnium* nomen sit, vel agnomen, vel *Cilnea* gens cognomento diceretur *Mecenas*, *Cilnia* alia censenda est à *Licinia* apud *Aretinos* præpotenti annis biscentum, & ultrà, quod *Mecenas* equestrem ordinem sortitus est, & an Codex ille unquàm fuerit in rerum natura, adhuc quærimus, & quo originali, manuque depromptus, cum nec publica pateret Bibliotheca, sed Viro obscuri nominis sibi traditum testatur ab obitu *Livii* tempora XV. elapsis sæculis; danda igitur venia Moderno unico adversus mille *Livii* Codices expurgatissimos, *Licinium genus* præ se ferentes,
23 exteroque, lapidum ignaro, *Tuscarum*que Traditionum, ingenio famæ fortasse, ac rerum novarum cupido.

Liv. Lib. 27.

Compositis denique *Hetruriæ* rebus *de Aretinis fama in dies gravior, & cura crescere Patribus*, itaquè censuit Senatus, quia prompti ferocibus, vel parato ad asperiora ingenio *C. Hostilio scribendum, nè differret Obsides ab Aretinis accipere*, qui habens Castra ante Urbem præsidia idoneis in locis disposuit. septem Principes Senatus, priusquàm Custodiæ in portis locarentur, cùm liberis evasere, à cæteris Senatoribus *CXX. in obsides acce-*

A *pti*, quod Principum pandit numerum, Urbisque amplitudinem, ac dignitatem, secùs apud *Lacedæmonios*, ac *Florentinos*, qui ignobiles etiam Magistratu donabant, quia *oriri, & nasci à Principibus fortuitum, nec ultrà æstimatur*, & Nobilem Virum non nasci, sed virtute fieri nobilem; etenim

—— *Nobilitas sola est, atque unica virtus.*

Sed *Solon* nullo modo rectum Imperium ratus, in quo popularis improbitas, ac licentia summa quæque Reipublicæ tractare præsumat, Nobilibus, ac Locupletibus, ut etiam *Romulus* judicia, ac sacra 24
gerere permisit.

Tac. Ann. 2. Arist. Lib. 2. polit. cap. 7. Dionys. Lib. 2. Barb. cons. 35. Lib. 2.

Cæterùm dum fama *Romanorum* militaris ultrà montes vagatur, B Aquilæque Triumphales supervolitantes orbem, ambiunt, *Afri*, *Hispani*que discrimen, & dedecus ostentantes, & Regna libidine victoris rapi, nec defuturas cohortes sociorum opinantes, ac servitia Accolarum, inter quos sæpè odium, *fortunam, Deosque Viris fortioribus adesse*, & omnia prona victoribus, nec pressis securitatem, nisi extincto æmulatu redituram, *Annibalem* ad Urbis oppugnationem, deterioremque cædem paratum in arma impellebant, & ad Capitolium, quod nec *Porsena* dedita Urbe, neque *Galli* capta temerare voluerunt, furore grassantis excercitus exscindendum. Qui *Romanorum* C hostis devotus super insitam pervicaciam secundis ferox ad cladem magis, quàm ad pugnam decurrens per effractas *Alpes*, aditu arrepto arma capientes, insimulque inermes truncat præcipiti minarum, & armorum sonitu itinera funeribus complebantur: non sexus, non ætas periculo 25
vacua, cum tanta torpedo animos invasisset, ut *Latini* eversam penè crederent Urbem, victamque libertatem, puerique *Romanorum* joco magis, quàm serio admoniti averterentur à ludis indicto nomine *Annibalis*, ipsumque haud procul mœniis excurrere, cunctaque circum pari formidine implicarentur.

Tac. Hist. Lib. 4.

D Traditum *Aretinos* inter *Phæsularum*que fines situm extitisse Vicum, Oppidum nunc vocant *Incisam*, cujus agro *Annibalem* per alveum veterem *Arni* aquas interfluentes incidisse, ut circum uberes, & ad radices collium *Phæsularum* planities exundatione popularentur, quod cessit commodo finitimis, quippè Pagi, Vicique plures effusi adveniente aquæ paratæ naviculis opportunitate in Civitatem nunc *Tuschorum* Reginam *Florentiam* excreverint, ibidemque admoto *Annibal* celerius exercitu aere crassioris *Clanarum* paludis exturbatur luce oculi orbatus, & cum *Flaminium* Consulem *Aretium* pervenisse compertum, avidius E Elephante supereminens per palustres vias, quam consultius properabat acerrimo milite, & usque 26
in extrema obstinato.

Interim *Etruscos*, quibus compositis rebus nulla spes in *Pœnum* ira agitabat, & invidia in *Romanos* semper genus iis perosum, suspectumque, cum quibus bellum magis desierat, quàm pax cœperat, adversisque fracti nequaquam domiti inter socios acciti, cum totam servitutem pati nequirent, convulsi vi veteris Majestatis periculorum, munerumque participes habebantur. Ambigua, corruptaque serie temporum fama de *A*- F *retinis* præ aliis ea ætate terrestribus, maritimisque ineundis incursionibus æquè paratissimis, an *Pœno* fines vastanti cedere maluerint, quam aciem in hostes per insidiosa loca instruere metu ne, an studio? cum pluribus *Etruriæ* Civitatibus bello fessis pax aurea, desidiaque in ignaviam cessisset, luxuriantibus otio animis *Annibal* regionem in primis *Italiæ* fertilem *Phæsulas* inter *Aretium*que, frumenti pecoris, & omnium rerum copia opulentam, incendiis, cædibusque involvit. Concilio interim in Senatu *Aretinorum* con-
vento censuere Patres Collegam expectandum, 27

&

& communi animo, consilioque patrandum bellum: rem esse cum hostibus, & armorum genere, & usu militiæ, & fama gestorum paribus, & magnitudine spei, vel periculi; cunctatione opus esse, temperandamque animi ferociam, quia spreta in tempore occasio, seù gloria interdum tutior, ac cumulatior redit. Consul præpropera mente, nec Patrum satis metuens mordicus increpans, *Aretii ante mœnia sedeamus*, inquit, *hic enim Patria, & Penates: Annibal ad Romana mœnia perveniat, & perpopuletur Italiam*; Iraque percitus ex Consilio proripuit, præcepsque equo insiliens, sellaque exturbatus signum pugnæ proposuit: cum *Annibal* Tipherno ad lævam, *Liciniano*que ad dexteram relicto per radices Montium *Cortonensium Trasymenum* subiturus, quia maximum in celeritate momentum moram magis, quàm bellum metuens, quod agri est inter divitem illam, stratamque regionem omni clade belli pervastat, quo magis ferox Consulis ingenium, ad

[Liv. Lib. 22.]

28 sociorum ulciscendas injurias incenderet; & ad conferendum manus infensos evocaret. Hic cum ad Lacum pervenisset, in patentiorem campum pandi agmen cœpit, nocteque exacta nebulis per palustria circumfusis se undique positis *Pœnorum* insidiis circumductum, & montibus septum inspexit, impavidus ordines, Phalangesque instruit, statimque ad arma discursum, *Romanis* pro libertate, aris, focisque; *Pœnis* pro delendo nomine *Romanorum*, & orbe Terrarum liberando tres ferme horas pugnatum infestissimis animis, utrimque atrociter; cum acuisset ignaviam necessitas, donec exangues *Romanorum* legiones, Sociorum fusæ, cum impetus recentis *Afrorum* Alæ perculit hostes, *Flaminius* extremis audax compressis hostibus vulneratus magnam, invictamque animam emisit; fractusque ardor animorum adeò intensus, ut hostis hosti hæreret, nec exauditus ingens Terræmotus, qui plures Urbes *Italiæ* evertit, Montes prostravit: multiplex utrimque cædes, donec *Romani* per prærupta, ac palustria evadunt. *Romæ*

29 recepto cladis nuncio mœnia, Dii Penates, Sepulchra majorum, Liberi, Conjugesque occurrunt trepidis: excidium ante oculos, aut servitium, non orbis Imperium ostentantibus. Agebatur de extremis quæstio victore per diversas *Italiæ* regiones grassante, cum fracto *Campanis* deliciis *Annibale*, *Afris* in luxuriam versis, lasciviæ epularum, aut somno, aut vino procumbere avidis. Erexit omnium animos *Scipio* supra ætatem rerum magnitudine; *Pœnorum* spes in *Annibale* hærebat, velut ad supremum certamen comparati Duces.

Agebatur annus belli *Punici* XIV. *Etruriæ* primum populi pro suis quisque facultatibus *Scipionem* in *Pœnos* profecturum adjuturos polliciti, *Perusini*, *Clusini* abietem in fabricandas naves, & frumenti magnum numerum *Aretini* XXX. scutorum millia galeas, totidem pila, gæsa, hastas longas millium L. summam pari cujuscumque generis numero expleturos secures, rutra, falces, alveolos, molas quantum in quadraginta longas Naves opus esset tritici, CXX. millia modium

30 in viaticum Decurionibus, remigibusque collaturos, ut nulla par esset ea tempestate Princeps *Italiæ* Civitas animis præpotens, copiisque ingentibus, latissimaque ditione à finibus *Graccianis* lato usque Portum *Ariminensem* imperio.

Scissaque civilibus odiis *Romanorum* Republica, *Clusini* cùm *Carbone* adversùs *Sillam* prælio commisso propè *Glanium* fugatis per *Sillam* Celtiberis, cùm *sub Clusio æquo Marte pugnarent*, *nocte pugna dirimitur*.

[App. Alex. Lib. 1.]

Pluresque aliæ Principes Civitates cum Romanis commistis armis *ob communem hostem concordia pulsandum*, Victorem ad scelera propensum, præcipitemque traxere in ultionem. Traditum est

A *Aretinos* bello Sociali Auctores fuisse *Hetruriæ* defectionis simul cùm *Martiis*, & *Picentibus*, quapropter *Silla* in eos acrius sæviit agro adempto proscriptis Civibus novos Cives deducendo, lege lata, quod publici forent proscriptorum agri, ac Commilitonibus suis habita ratione meritorum numero suprà centum millia distribuit, Arces, Villasque, ac Castra priùs validioribus armis, 31
Virisque Amicis credita sibimet nomine Felicis indito eo, quod tot millia Civium proscribere, ac trucidare valuisset, ut tradunt *Tullius*, *Volaterranus*, *Appianus*, *Livius*, *pluribus Coloniis militaribus*, & armatis Hetruria deductis, ut refert *Salustius Milites de Coloniis Sillanis ex Hetruria conductos*, ut rectè *Tacitus* memoret *Municipia Clanarum exundationem extimescentia*, quæ differre à Coloniis Aretio, Cortona, Clusio docent latius, *Gellius Pannuinus*, & de *Fæsulis*, ac *Florentia* Commilitibus *Sillæ* in ampliorem formam deductis *Scala*, de *Sillano* in agro *Senensi* Silla dicto meminere *Albertus ac Thomasius*; de *Luciniano* Colonia *Sillana* in memoriam *Sillæ*, qui *Lucius* vocabatur idem *Thomasius*, quem malè legunt denominari à *Liciniano* ex Ducibus *Sillæ* bellorum civilium Scriptoribus ignoto; & nomen est argumento ex eodem *Lucio* ab insigni deductum, ideòque de Liciniano *Lucinianum*, ut traditur eodem *Thomasio*, quamvis incidenter loquente; nec abest à verisimili, quod situ *Sillanis* copiis ibidem grassantibus notissimo natura munito planitie co- 32
pia rerum ubere munimento, ac Sede usi sint Commilitones, cùm inter *Aretium*, & *Cortonam*, nec vetustius, nec magis aggressoribus durum intuentibus oppidum occurrat: hinc *Guazza Lucinianum* ait, *arte*, *ac natura*, *ferociumque Virorum copia præmunitum*, & locis hujuscemodi deducebantur Coloniæ maximè militares, ut propugnacula Imperii esse viderentur, & *Natalis Comes* latinè scribit *Lucianum*, & in janua ante militarem Plateam in antiquo Lapide LVCIANENSES.

Ut minus rectè *Sigonius* credat, an & quas Colonias *Silla* deduxerit, non esse memoriæ proditum.

Agro denique iterùm *Aretinis* Ciceronis sententia remisso novi Cives, nova Civitas viribus suis restiuta cùm *Catilina*, ac ejus sententiæ collatis signis valido *Phæsulanorum*, *Aretinorum*que exercitu circumfluente avitam potentiam infractam, & auctoritatem exhibuit minimè prostitutam, ut verificatum planè sit, *non cùm toties vi-* 33
ctis, sed cum novo genere Hetruscorum videretur dimicatio esse.

E Siquidem *Catilina*, cujus animus cupidine incensus ad inceptum scelus prævertendæ Reipublicæ rapiebatur, militibus *Sillanis* victoria efferatis, Urbiumque purgamentis ad nova emolienda accersitis, eò quod æs alienum per omnes Terras ingens esset ad rapinas, cædesque anhelans *Manlium* in *Etruria* ad Plebem sollicitandam delegerat tabulas novas pollicitus, proscriptionem locupletum ad militum excitandam libidinem, quorum *C. Cornelius* nocte armatis *Ciceronem* Consulem haud præcaventem confoderet, confectumque facinus, ni *Fulvio Curione* intellecto dolum aperuisset. Igitur *Manlius* cum *Fæsulano* Cohortibus, Auxiliariisque ex agro *Fæsulanorum*, quam pluribusque *Aretinorum* accitis, ubi *Antonium* cum legionibus adventare compertum, propè *Pistorium* cum *Catilina*, reliquisque Ducibus irrupit, & repentè montibus, hostiumque copiis occlusus fortunam belli tentandam adoritur, statimque infestis signis concurrunt *Romani* pro libertate, hi 34
pro dominatione. *Catilina* cum expeditis pugnare, in prima acie versari, strenuique Militis, & Imperatoris officia exsequebatur, dum interim *Manlius*, *Fæsulanus*que in primis pugnantes cadunt:

[Volaterr. Lib. 5. de Aret. — Cic. pro Rosc. Amer. — Volaterr. L.C. — App. Lib. 1. — Epitome Liviana Lib. 76. — Salust. ubi Valla in Comment. in Catilin. fol. 19. — Tac. Lib. 1. in fine. — Volfang. Lax. de Rep. Rom. Lib. 12. — Aul. Gell. Noct. Att. Lib. 16. — Salian. Ann. fol. 999 — Pann. Antiq. Veron. Lib. 2. — Scal. Hist. Flor. Lib. 1. — P. Alb. Ital. fol. 84. — Thomas. Hist. Senens. Lib. 1. — Marc. Guazz. Hist. Lib. 1. — Cic. pro leg. Agrar. contra Rullum. — Nat. Com. Hist. Lib. 8. — Sigon. de Antiq. Jure Italiæ. — Cic. ad Atticum Epist. 16.]

dunt. *Catilina* pristinæ memor dignitatis incurrens in confertissimos hostes, trucidatis iis longè à suis inter hostium cadavera procubuit, *felix si ità pro Patria cecidisset*; tantaque audacia decertatum, ut quem quisque pugnando vivus locum ceperat, eum amissa anima corpore contegeret. *Cæsar* Aretio *Romanis* fide, ac potentia prospecto potiri æquè curavit. *Octavius* copias suas jussit coire *Aretium*, pluraque beneficia præ cæteris elargitus, ut rectè Plinius, *Aretini veteres*, *Aretini fidentiores*, *Aretini Julienses* ad differentiam proscriptorum à *Silla* in argumentum fidei reliquorum, ac *Juliæ* liberalis beneficentiæ inter Colonias ascita, *Frontino verò Colonia lege Triumvirali conducta*, & alibi *Aretium lege augusta censita limitibus Grachianis* Avorum servaverit, auxerit memoriam, & amplitudinem.

Salust. in Catil. — Lib. 3. — Front de Colon.

35 Sed ut quædam de singulis ordine disseramus.

Ad Ortum supereminet *Cortona* circuitu ad tria milliaria Muro ingentibus saxis veterum more compacto, situ invio, & declivi tota patens longè intuentibus, via tamen Palatiis Nobilium decora, strata, lataque; Populus supra cæteros *Clanarum* Dives, ad opum coacervationem propensus, Mons Oleo, Vinoque, planities frumento copiosa, alit incolarum supra duodecim millia, gentem eloquio nihil *Hetrusco*, non nugis agentem, propositi tenacem. Sedem fuisse *Corithi*, hoc est *Hetruriæ* Principis Haltati, Romanis *Quirini*, credit *Silius*, & unam floruisse de duodecim Principibus Civitatibus communissima est opinio, & comprobant *Stephanus*, *Livius*, & pacis fœdera cùm *Aretinis* obtulisse, & plurimum exornat *Dionysius*, ubi etiam fuisse *Romanis deductam Coloniam, & Cortonam denominatam*. Opinantur *D. Romulum* D. Petro transmissum *Christi* Reparatoris doctrinam *Cortonæ* patefecisse, Divis postmodùm
36 fratribus Pergentinis *Donati* Episcopi, ac *D. Mustiolæ* Sanguine *Clanarum* regione confirmatam.

Volaterr. Lib 5. & 33. — Junian. Mal. de verb. Propriet. verb. Coritus. — Sil. de bell. Punic. Lib. 4. 5. & 8. ibidem — Pet. Mar. Ridolphin. Rec. p. 1. cap. 15. num. 13.

At *Longobardis* propulsis libertatem est assecuta Consulibus creatis ob flagitiosas *Ghibellinorum* incursiones, sumptis armis, ut de propinqua regione expurgaret *Farnetellam* deletis iis, in qua sedem delegerant, muro nudavit; & cum in dies finitimis gravis fieret æstuantibus ibidem ad insaniam partibus *cum vergentibus Imperiis satis nihil præstare fortuna majus possit, quàm hostium discordiam*, quibusdam rogati Aretini *cum sæpè inter accolas odium* exemplo *Philippi* à Græcis in auxilium acciti nocte inopinantes aggressi victis adversis unius gratulantes, & victores anno 1258. disperdunt muro diruto fortunis exutis aliis, aliis in exilium multatis, bonis Civibus, proditoribusque peremptis simul, quos ne in Patriam arma caperent, & multò minus in eam veteres æmulos evocassent, persuadere satis poterat *Africanus* ille, nec etiam ingratam patriam ultus, nè sileam *Themisti oclem*,
37 qui nè *Persarum*, ad quos se receperat, arma ferret in *Athenienses* concives ingratissima, quamvis proscriptione ad necem ipsum insectantes, vitam ipsam potiùs spontaneo veneno abrumpere non verentem.

Tac. de mor. Germ. — Just. Lib. 7. — Malesp. Hist. Flor. cap. 160. — Valer. Max. Lib. 5.

Sed per triennium vexati, aut libertatem, aut ultimam sortem experiendam censent, ac Duce *Ugutione*, cum se eximunt ab iis, in deterius ruunt, nam sub Duce *convulso, ac mutato vi dominationis*, quo usi sunt ad libertatem, sæviorem Tyrannidem experti sunt: quippè Senatoribus infensus, vi matronis adactis ad turpia, ad omnem libidinem effusus, & *Verre* Tulliano rapacior, cives furtim, & palam quoque jugulandos commisit. Eodem tandem obtruncato, libertati litarunt, quam *Henricus Septimus* de anno 1312. dum *Cortonæ* moraretur, Populo acclamante juramento firmavit. Regem *Ladislaum*, qui in *Florentinos*

Tac. Ann. Lib. 6.

A expeditionem fecerat, armis arcent fortitèr à mœniis Civitatis, iis Beata *Margarita* palàm visa, qui in ultionem agros, villasque depopulatus obsessos acriora passuros arbitrio recepit, Civitate post biduum *Florentinis* vendita vili pacta mercede scutorum septuaginta millium, 38 sed rerum ordine, ac variantibus fortunæ vicibus, initis capitulis *Senensium* Patrocinio tuta, unà cum iis *Perusinis*, Urbem obsidentibus nunc victa aliquandò victrix cum Republica magni nominis manus conferendo amplissimam Gloriam est assecuta.

Verùm cum quidam victam armis libertatem in dominationem vertissent (vetus *enim ac jam pri-* B *dem insita Mortalibus potentiæ cupido cum Imperii magnitudine adolevit, erupitque*) cunctis Rempublicam *Florentinam* congestis studio pecuniis affluentem, veluti destinatam rerum Dominam adulantibus, unum id refugium nacta ad omnimodam deditionem diuturnæ spe pacis allicitur, *Senensibus* ad communem libertatem vindicandam, miserioremque in dies futuram servitutem avertendam ad arma. proruentibus etenim *Cosimus primus* acriora parans, quippè bellum habere, quàm gerere malebat, *& nihil magis festinatione tutiùs, ubi facto magis, quàm consulto opus esset*, ut contemptum rei suæ elatis hostibus demeret conscri- C pta priùs verbis magnificis Epistola, 39 qua nitebatur *Senenses* à *Gallorum* Societate disrumpere, & cognito satis iis curas *Florentinorum* palàm esse, *Galeottum* Cortonensium Capitaneum subsidio misso ad *Lucinianum* Oppidum oppugnandum delegit, qui, ut occultando facinori nox adhiberetur, solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur, ratus, gentem peditibus ter mille obtestans vindictæ properam haud facilè vinci, ni repentinis hostibus circumveniretur; admoto agmine occurrentes, incolasque catenis coërcet, nè nuncius inopinantes, & ad tolerandas obsidiones paratissimos accenderet, auditisque exploratoribus portas, nè dum de more patere, D sed alto noctis silentio cuncta obvolvi, avidiùs progreditur, Oppidumque invadit, dum interim somno exciti *Lucinianensium* Juniores, ac eventu territi fugantur. Strenue præ cæteris *Christoforus Ristorius* arcium Præfectus, validiori Civium manu tutus ictibus bombardarum, ac flammis missilibus suos firmiores reddere, convocare aggressus, hostium- 40 que audaciam infringere, ut superesse adhuc vires pateret, & ipsos extrema passuros ausurosque. *Galeottus* instare perculsis, sternere obvios; quidam exciti prospero pugnantium clamore, qui modò per agros fuga palabantur, pugnæ se miscebant, E repressoque aggressorum impetu multa parta cæde ad arcis veteris defensionem properabant. *Cortonenses* aut victos in deditionem accipere, aut expugnare deposcunt, sed ipsis ad exequendas obsidiones, nulla cominùs audacia, ubi promovere Scalas, & machinamenta inciperent, facilè detrusi erumpentibus nostris cæduntur. Sed terrore obstructas quorundam mentes *Ristorius* spe, & certi præsidii illexit, & futurum (ut accidit) nè *Etruria* armis ingrueret, *Florentinos* cœptis cessaturos; efferatique *Cortonensium* animi Domum Præfecti ad Januam *S. Angeli*, veterumque F monumenta observata igne immisso perdidere, jactura æquo recepta animo gnaris se debere plus Patriæ, quàm fortunis.

Tac. Hist. Lib. 2. — Tac. Ann. 15. Hist. 1. — Ninus bell. Ital. loc. cit.

Civitas præ cæteris *Italiæ* vetustissima sub *Vigilio* Anno DLII. legitur *Jordanus* Episc. Cortonensis Anno MCCCXXV. iterùm *Joanne XXII.* Episcopo donata, Patria Beati *Ugolini de Zeffirinis*, cujus è corde tria lilia floruere divinitus, quæ cæcis lumen tulere, ægris levamen alboris, odorisque excellentia, ac *D. Margaritæ* membris usque dum à corruptione exemptis, Beatæ *Veronicæ*, Beati *Guidi*, Beati *Augustini*, *Ægidii* 41

P. Torellus Secul. Aug. Tom. 5. fol. 593

dii Cardinalis *Bona* ab Annis 1172, *Sylvii* Card. *Passerini* Umbriæ Legati, ac *Jacobi* sapientissimi Perusiæ Episcopi, *Sylvii Passerini* Archiepiscopi Cosentini, Illustrissimi Abbatis *Manciny* ob dexteritatem, prudentiam, comitatem Serenissimæ *Mediceæ* Familiæ in Urbe Advocati, & à secretis, ac *Ridolphini* recentiorum praxi de legali disciplina emeritissimi, D. Advocati *Baldachini* Florentiæ pro Sancta Sede Nuncii Auditoris, Advocati *Antonii Coratii* I. C. Principis, ac æquè inter Pictores celeberrimi *Petri Cortonensis*, aliorumque plurium æquè clarissimorum de nobilissimis Familiis *Petrella*, *Passerina*, *Zefferina*, *La-*
42 *parella*, *Serangela*, *Tomasia*, *Sernina*, *Alferia*, *Mancina*, *Ridolphina*, *Baldella*.

Mannoz. de Situ Floriani. F. Fortun. Chron. Mont. S. Sabini. Ann. Viterbiens. super Berosi. Genebar. fol. 26. Cluver. Lib. 2. fol. 565. Blond. Ital. de Janua.

Propè Clanas *Fluvianum*, aliis *Folianum*, Incolis *Foanum*, Fanum olim Deorum Templis, jactant forum *Jani*, *Lucinianum* Lucum *Jani* Tusciæ aureo sæculo Regis, ex Coloniis *Arinianis* Annio ex suppositis *Beroso*, ac *Catone* confictis, quem fabulosum, levemque arguunt *Cluverius*, *Genebardus*, Oppidaque *Jano* dicta pueriles nugas censuit *Blondus*. Vasto cingitur Territorio, alit Incolarum circiter quatuor millia, apud quos inimicitiæ graves cito pereunt ad rixas amicis, fœminisque armis, fustibusque accurrentibus, leves verò nunquam. Terra honesta, & copiosa præ aliis venusta, ter hostibus ferro, igneque amissa, ac nece *Carlotti Orsini* memorata expugnato *Senensibus* Oppido; sub *Florentinorum* Patrocinio merum, & mixtum Imperium subimet usurpavit arbitrio; cum *Lucinianensibus* spatio ferè annorum centum armis disceptavit de finibus, Commissariis *Florentina*,
43 *Senensique* Republica, pro pace utrique incassum missis, neglectisque; cæsis plurimis ex Oppidanis, militibus *Florentia* ductis, planitiem ponte diruto (de quo *Senarum* nuncios cum *Florentinis* conquestos refert *Dathus*) cum injuria pactionibus violatis curant *Fluvianenses* mergere aquis palustribus.

Dathus Epist. fol. 207. ad 229.

Lucinianenses duri ad arma accurrunt, victos pulsant *Fluvianum* usque, januamque Castri occurrentem, igne, tormentisque quatiunt in Colle *Cimabello*, cum Custodibus arcem designant, quod illi ægre ferentes cum *Florentinis* palantes aggressi sternunt, sub janua exactis diebus collapsa, ossibus pro cæmento appositis. *Lucinianenses* eorum captivos in frusta scindunt, dividuntque. Verùm *Jacobus* Cardinalis Papiensis *Senensibus*, *Florentinis*que rogatus anno MCCCCLXXII. etiam jussu *Xisti IV.* Legatus missus in Ecclesia *Sabina* residens eorum cervices, nec precibus, nec minis flecti posse conqueritur, *Amphionis*, inquit ille, *Cytharæ*, *quæ movisse saxa sunt dictæ*, *surdum in has Valles cecinissent*, *quid agam jam nescio*, *diutiùs*
44 *hic esse decorum non est*, *miserum quoque abire*, *miserrimum hos infelices in vitæ discrimen relinquere*, *pronunciavi*, *quod neutri placet non futura tanti operis Bessarioni Cardinali Nicæno pacificatio Burgundi*, *ac Galli*, eos cum increparet, refert quendam Loci (quod Serbatistæ tribuunt) excipientem, *an nescis Cardinalis in hanc Vallem*, *nec Moysem unquam*, *nec Justinianum venisse*; *leges nostras arbitrio nobis ipsis imponimus*, *& quidem ad arbitrium ferimus*; *tu credis Latinis hic*, *aut Tuscis moribus vivi*; *Servi esse Civitatum nostrarum cum Imperio volumus*, *cujus merces est pro iis belli tempore intrepidè mori*. Verùm septuaginta, & ultrà lapsis diebus contractibus hinc indè patefactis pro manutentione in possessionem latæ Sylvæ *Paternensis* Collium *Cimabelli*, *Cetinarum*, tractusque à Ponte *Arenarolo* ad Vallem, qua semita propè *Podiolum* Fluennæ, viamque, qua aditus patet ad *Bettollam*, re ad desperationem inclinante Columba candoris immensi à Septemtrionibus lapsa supra ipsum Conventum in flammas est resoluta,
45 quòd pacis omen fuit, statutique fines, hilarique

Papiens. Epist. 465.

Papiens. Epist. 445. & 460. P. Ciacconius vita Pii II. cum addit.

Papiensi gratulantes, nec ampliùs rudes, trucesque ramis olivarum occurrunt *Xisto* restitutori pacis sedulò benedicentes. Habet exuvias *D. Bonifacii*; floruere Benedictus Prædicatorum eloquentissimus Orator, cæterique de Domo *Peccia*, ac *Serneria* inter nobiles *Senarum* fastis commendati.

Papiens. Epist. 464. In laudo ad finem.

Ad meridiem *Graccianum* vetus ortu *B. Agnetis* inclytum.

Acer mons, pollensque *Politianus* Datho *Pollitianum* Civitas, qua nil molliùs cælo, nil uberiùs solo, vertice Montis platea in planitiem ad arcem usque diffunditur, Palatiis communis ac clarissimarum familiarum Nobilium, *Ricciorum*, *Thaurusiorum*, *Antonii* Cardinalis Montium Concivis, exteris jucunda, temploque extra Urbem B. Virginis marmoreo, reliquum Civitatis in declive situm. Accolæ ultra novem millia.

Dathus Epist. Lib. 3.

Cives generosæ Nobilitatis, ac memoriarum Studiosi graves plurimi, inter quos rarò discordia detecta, concordia nunquàm, quique in comitiis summa ope nituntur reliquos in sententiam 46
ducere, ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet privata gratia devictum, cum *sanctiùs*, *atque rectiùs olim provisum*, *& ea*, *quæ converterentur in deterius mutari*, hinc aucta, receptaque ad tempus onera publica, ut passim in quorundam Locorum conventibus non sine lacrymis, & ærumnis Populorum diù mansura, Facundi, Solertes, eloquio materno grati, in quibus Specie, habituque Corporis venusto ritè arguitur qualitas mentis, *Senensibus* moribus pluribus haud dissimiles, sub quorum miti Imperio, & juxtà rerum Causas Societate fœdere tamen inæquali compacta, exactis illis felicibus Sæculis aucti, datisque immunes; quique in Urbe decorantur muneribus, avidi Patriam, & gloria illustriorem reddere, & opibus affluentem, ut ingenio Accolarum, maxima quæque Civitatis dignitas, ac felicitas singulariter tribuenda jure sit, & æquè Magno Viro *Joanni* Cardinali *Riccio* Reipublicæ Litterariæ munificentissimo Mæcenati, Patriæque Patri, qui intèr egregia pietatis, animique 47
magnitudinis monumenta in *Pisana* Academia, Collegium *Riccium* amplissimè struxit ære suo, ut Concivium Puberes præclaræ indolis eodem alerentur corpore, & ditarentur mente rudimentis litterarum, quas innumeri profectò acutissimi Juvenes assecuti sunt, humanis litteris, primisque Scientiarum principiis fideliter imbuti Collegio Sapientissimorum Patrum *Jesuitarum* ad pleniorem Civitatis decorem ibidem piè degentium. Urbs Doctoribus, Equitibus Divi *Stephani*, ac *Melitensibus* insignis, Ecclesiasticis Canonicis, cæterisque Dignitatibus, ac Regularibus Institutorum complurium nobilissima, quæque non sine injuria aliis quibuscumque posthabenda sit; habet Fœminas luxus curiosas lepida venustate, & multùm loquela frequentes; fortilitiis, ac munimento tuta, muris elatis, præruptis, cingitur duorum milliarium ambitu. Civium, Colonorumque industria in sterilibus circùm Collibus vineta plurima sepibus distincta, quibus non longa serie Arborum super Ulmos, & Populos maritantur vi- 48
tes, sed arundinibus loco productis insimùl propè solum commissæ solis radiis patulæ, & interdùm terræ pluvia humiditate, aëreque Cœli, Fluminum, *Clari*, *Trasymeni*que ex crystallinis humoribus summoperè hilari, ac beato enutritæ uvas albas, rubrasque gratia electissimas pingunt, sapore mediocriter vinoso, subdulci, mordente, odorifero, incautos, & vini coloris albi aquei lenitatem parvihabentes in ebrietatem lætam, & ridiculam trahunt, vinum capiti amicum, nutriens, non rejicitur stomacho, nec remoratur urinas. *Clancianense* quoque sapore, & lenitate gratum, sed album non æque vigoris, odorisque, quod-

Tac. Ann. Traj. Buccol. relat. Par. cent. I.

quodque exigua aqua adulteratur, æstiva nive in poculis gelidum dulcescit, deficitque. Superat etiam tam copia, quàm gratia vinum album *Lucinianum*, rubroque Stomacho magis leve, firmiorisque æstimatur substantiæ, pelago vecturis, vasisque agitatum resistit; at si ex collibus viniferis, ac amœnis, qua supra abundè *Liciniana*, &
49 pacifera autumnat oliva vitibus amica exigua albi *Perusini*, ac *Vernatiæ* (sic vocant Incolæ) portio miscetur cum *Vajano* Nigro, ac *Calabrense* tàm colore rubro perspicuo, quàm gratia multa in potibus, odoreque amabilissimo, nè dum *Politiano* studio utriusque Populi in conviviis comparatur, sed servatur tutè subsequentibus annis haustu meliore, idemque remota febri ægrotantium usui accommodatur ob generosas virtutes, parce tamèn permittitur, & sub nomine *Politiani* avidè bibunt exteri indistinctè. Pariterque *Muscatella* tam alba, quam rubra æquè accepta gignit Colle, ac *Vandalia* cum Cohortibus à *Gothorum*, *Vandalorum*que vastatione, ut ajunt *Lucinianensium* Seniores nomen sortita. Cæterùm, qui *Lyæi* Scyphis indulgent, utique fatentur ea, qua pollent libertate, unica vini *Liciniani* amphora desuper avara manu aqua superfusa ocyus amoveri sitim, quam pluribus *Politiani* lenioris palatum, gustumque mollitie quadam primis haud detecta potibus, mixtaque plurium uvarum luxuriè implentibus, ne-
50 quaquàm satiantibus, atque pretio cariori quæsitis. At si, qui *Lucinianensium* in dies sincerum bibunt post prandium turbidi, atque elati evadunt ad jurgia proclives, deque impertinentibus, rebusque arduis saniorem indaginem exigentibus, Regumque curis ignari ut plurimùm, segnesque, qui se credunt doctiloquos, temerè, & cum ira inter se palàm disceptantes, submovent risum, providumque silentium indicunt studiosis invisum, quorum *limen* in illa ditione clarissimi Vicarii Vallis Clanarum *relictum*, nemo laudibus tollere; procul esse, & dentibus frendere. Perennes quoque passim venæ frigidissimi humoris Villarum *Politianensium* commodo, frumenti quo laudatissimum, ac candentem panem educunt exteris acceptissimum, rerumque ingens copia per latissimum comitatum circa Lacus, ripas *Salarchi*, montiumque radices; & innuit Strabo *ad agri beatitudinem accedunt Lacus magni, & permulti, qui multa piscium nutriunt obsonia, & palustres aviculas, non modicum etiam cremium, papirusque, & ulva copiosa.*

Lib. 5.

A quo originem duxerit veterum historiis igno-
51 ramus. Recentiores putant à *Laarte Porsena*, qui ad vitandam propè *Clusium* infectam Paludem in illis collibus *Clusinos novos Plinio relatos* per villas deduceret; & sunt argumento murorum structuræ veteres, platea sub ædificiorum fundamentis defossæ, & vinum prædulce, quo putant allectos *Senones*, ad *Clusii* eversionem, cum Politis Civitas municeps *Græcis* sonet, quod anceps visum *Gamurrino* opinante *Clusium* vetus Oppidulum esse ad montana *Aretinorum*, quo prænobili, latæque circum *Casentinæ* (quibusdam *Clusentinæ*) regioni nomen indictum, novos verò *Clusinos* Porsena maximo imperio, ac pecuniis præpotente per horam *Clanarum* conditos, ubi nunc *Clusium* Civitas abrupto monte sita, natura, ac paludibus præmunito, ut *Vulziniis*, *Phaliscis*, ac *Romanis* ille propius inesset ferendis auxiliis, vel incursionibus paratus, & est conjectura inter *Salpinates* propè *Orbevetum*, ac in finibus *Vulzinensium* mons magnis saxis circumseptus latinè Incolis Arx Regis *Por-*
52 *senæ*. Sed ob angustiam *Clusam* denominari arguunt moderni, Pagumque rusticis mansionibus informem, nec ullo unquam tempore veterum, recentiorumque historiis comprobatam loci dignitatem, aut vestigium murorum, seu turrium de-

Ughell. Ital. Sac. de Episc. Politian.

Cluver. Ital. antiq.

A signatum in argumentum vetustatis, & describit Strabo *ad montana extat Aretium MCC. Roma distans stadiis Clusium DCCC. Clusentinum* verò, ut jugis montium asperis, nemorosis, & inaccessis obclusum stadiis ID. longè à *Clusinis* de veteri extitisse *Aretinorum* dominatu consensu traditum, ut ineptè ex commentariis *Sansovino* falso ascriptis super confictas Fratre *Annio* Sempronii antiquitates amissas à pluribus sæculis cum detrimento veritatis obstruatur probatio *Clusentinos* inter *Clusinos* novos haberi, quo auctore, Duceque editos ignoratum, propè Mœnia Principis Gentis *Aretinæ* supra cæteros *Clanarum* præpollentis armorum gloria, vetustate, lataque circum ditione, & in-
B nata Accolarum protervia ultioni paratissimæ.

Strabo loc. cit.

Franc. Sani. de antiq. mundi, & super Sempron. Annii Antiqu. fol. 68.

Alii fortasse verius putant *Politianenses* post *Sillanam* proscriptionem, Urbiumque excidium inter novos *Clusinos*, Civesque profugos recenseri, 53 Plebem verò, ubi nunc relicto *Clusio* trans *Clanas* Civitas Plebis diffusam.

Cluver. loc. cit.

Cluverius ad *Statuas* itinerario *Antonini* inter *Clusium*, & *Aretium* mensura stadiorum credit Montem *Politianum*, quo nec ipse edicit argumento, nec ego assequor conjectura, cum eadem distantia de aliis, ut *Gracciano*, ac *Fullonica* verificetur. Æquè claudicat *Onuphrii* temerè dictum fuisse annis MMXVIII. ad suam ætatem *Landerico* constructum, ac improbata *Volaterrani* opi-
C nio Zenobium *Landerici* Romani Senatoris Filium anno CCCLXX. ab orbe redempto *D. Donato* Episcopo *Aretino* baptismate ablutum donasse Basilicæ Episcopali *Politianum*, *Corsilianum*, *Fluvianum*, *Secianum*, *Lucinianum* eodem condita, & Viris *Romanis*, ut ipse credit, denominata, ut *Lucinianum* à *Luciis*; comprobatque ex quibusdam confictis tabulis *Aretinis*, ac instrumento *anno MLXXXIII. ab Urbe condita tertio Valentiniani confecto*, quòd ad litteram relatum ex pro- 54 babilibus conjecturis falsum convincunt *Ughellius*, *Bencius*, *Thomasius*, cum Annus MLXXXIII. cadat sub magno *Constantino*, & nomen *Landerici*, vel fictum, vel *Longobardum* pluribus judicetur,
D nec utroque Consule, nec *Valente* Valentiniani Collega enunciatis ex recessu a consueta forma eliciunt falsitatis indicium, cum etiam abs re in eo legatur conditum à *Romanis* Castrum *Senense* tempore *Bruti* Consulis, quòd nec *Volaterrano* probatur, autumantque *Tuscis* structum loco adeo ubere, & munito, quidam valido in antiquis nominis argumento dictam *Senam* Senonibus in felicibus illis agris excurrentibus, & dederunt potentiæ materiam *Russellæ*, & *Populonia* finitimæ quondam Urbes eversæ, opinatur *Blondus* à sex plebibus propinquarum Urbium per *Joannem XIII.* de-
E ducto Episcopatu nomen derivasse; non docto, quo priùs nomine uteretur merito *Volaterrano*, atque *Alberto* improbatus, cum in græco *Ptolomæi* Codice *Sena* Mediterranea, *Plinii* verò Colonia 55 *Romanorum* denominetur, *Cluverio* Colonia *Julia*; & ob eandem rationem fabulosus evincitur *Villanus*, qui à *Carolo Martello* dictam censet, relictis ibidem Senibus, ac Valetudinariis commilitibus, ut miti aëris benignitate, Collium luxuria, ac Fontium salubritate reficerentur. Non constat, quo titulo, quo jure possideret *Zenobius* ille regionem latam, uberemque Supremo rerum Do-
F mino *Valentiniano*; nec de originali exemplaribus variis, & recentis latinitatis methodo, insuetisque clausulis suspicionem patefacientibus, etiam inverisimilis visa, ac æquè scandalosa Idololatris donatio palàm, & coram Testibus, gravibusque Viris in Instrumento habitis *Damaso* tunc Pontifice, ut asseritur, missis, *D. Donato* paupertate *Christi* inviso inter Martyres ascripto. Quæ castra fuisse, & à quibus *Romanorum* historia relatis denominata, nec nomina evincunt. *Corsilianum* fabulantur

Ital. antiqu. L. C.

Onuphr. Fidel. Chron. Lib. 5.

Ughell. Ital. Sacr. de Episc. Aretinis. Bencius Hist. Polit. Thomas. Hist. Senens. Lib. 1. Thomas. Lib. 1. Sigon. loc. cit. Stralere Lib. 1. Ughell. de Episc. Senens. Volaterr. Lib. 5.

S. Antonin. Hist. Flor. part. 1. Blondus Ital. Thomas. Lib. 1. Ughell. L. C. Bural. de Episc. Aret. Bart. in l. 1. de fal.

tur à *Corſo*, pleriſque ignotæ Originis *Pii* ortu,
56 aç nomine decoratum, *Secianum* aliis *Axianum* ab
Axe Deorum Delubris; *Fluvianum* propinquo
Glanis fluvio, *Politianum* græcè Politis; *Lucinia-
num* à Silla, qui *Lucius* dicebatur, quia nomina
ab inſigni nempè Ducibus indicta Caſtris, fluen-
tis & regionibus, cum quorundam hujus deno-
minationis ex priſcis Ducibus, qui ante *Zenobium*
fatis ceſſere lapſu Sæculorum, cur relicta nomina,
nec aperiat *Volaterranus*: cum felicitas Impera-
torum, ac recens geſtorum fama de aliis oblivio-
ne ſublatis novam fieri memoriam à *Romano* Se-
natore locis *Latio* finitimis non ſine injuria pate-
retur. Sed Modernus ille, & poſt eum ſcriben-
tes, ut aves inconſultò volitantes, ſuæ tantùm
edidit Judicia credulitatis, cum priſcis ætatibus
conderent Urbes parvas, & deſcriptione *Auguſti*,
Antonini, *Pliniique* recenſentur, quæ publicis
viis, vel capita locorum, re, ſituque memora-
biles, nominibus Caſtrorum novitate rerum cor-
ruptis, & ſenſim æquentur ima ſummis, quod de
Malaſp. Hiſt. cap. 119.
tàm ſpecioſa Civitate verificatum planè eſt, quæ
Florentinorum, ac *Senenſium* gliſcente potentia
57 modò his, modò illis ceſſit in prædam, modò li-
Benc. Lib. 3.
bertatem aſſecuta, donec *Senenſes* diuturnæ paci
brevi bello conſulendum rati *Politianum* Civibus
Pogg. Hiſt. Flor. Lib. 3.
acerrimè defenſum anno MCCXXXII. in deſolatio-
nem relinquunt, *Florentini* agrum *Senenſem* depo-
pulantur, ea conditione pax firmata muris *Poli-
Cinus Vita Coſimi Primi Lib. 3. fol. 180. 190. Lib. 4. & 5.
tianenſibus* in priori forma reſtitutis. Novam bel-
lorum materiam æmulatione excitante ob *Politia-
ni*, *Lucinianique* munimenta, locorumque conſe-
quentiam partibus hinc indè æquè decertatum,
quia, ut inquit *Podius* ea quoque ætate *Lucinia-
num dives*, *& potens judicatum*, *& locum ſummæ
Mamb. Roſeus Hiſt. Neap. Lib. 4. part. 2.
conſequentiæ*, *Clanim Vallis Clanarum*, *ut auctor
eſt Cinus*, *Roſeuſque*, & coràm Arbitris cauſa diſ-
cuſſa *Politianum* Florentinis, *Lucinianum* Senen-
ſibus adjudicatum, quòd de anno MCCCLXXXVI.
Sententia *Bononienſium* venditis per *Aretinos* Op-
Ad Tarcag. part. 3. Lib. 6.
pidorum Juribus Reipublicæ *Florentinæ* relaxa-
tum fuit, ſed *Galeazzo Vice Comite* primo *Medio-
lanenſium* Duce *Senis*, *Lucinianoque* in gratiam
58 receptis reluctante eo, quia (ut cenſet *Platina*)
oppidum arte magis, quàm viribus in poteſtatem
P. Baſſius de Nobilit. Mediol.
redegiſſent, iterùm in Dominis *Januenſibus*, ac
Magno *Rhodi* Magiſtro etiam de ordine Sanctiſſi-
mi remiſſa rei diſcuſſione, intetim ſteterunt in
Pius III. Annal. Senenſ. Lib. 7. in Biblioth. Nobilis Franciſci Piccolominei Senenſis.
deciſis, ut *Lucinianum* Senenſibus; *Politianum Flo-
rentinis* pertineret; ob præduram Cæſareæ Mi-
litiæ obſidionem *Orbeveto*, ad deditionem incli-
nante *Politianenſes* præſidio prævalido accurrunt,
& in amicam Civitatem per hoſtes, per tela ir-
rumpere auſi ſunt. Pluriès cum finitimis exortæ
de finibus lites; conquerentibus apud *Florentinos*
Senenſibus, *Pollitianenſes*, cum injuria *Calicia-
nenſium* progredi latiùs, & ſub Urbe *Cluſio* po-
Malevolt. Lib. 10. p. 2.
ſitis Caſtris, *Cluſinis* in ultionem verſis providis
Senarum Commiſſariis pax firmata, *Orbevetanis*
in aciem prodeuntibus, & adverſùs *Senenſes* im-
Platina Vita Urbani VI.
petu facto, victi, fugitatique *Politianenſes*, So-
ciique. *Monaldenſis* Dux *Orbevetanorum* Sarteano
exceptus, Oppidoque expugnato, Duce in vin-
culis conjecto, lata Regione *Senarum* armis ſuba-
Dathus Epiſt. Lib. 3. fol. 180.
59 cta, evecti ſunt *Senenſes* ad apicem potentiæ,
gloriæque triumphalis, antiquioribus Dominis re-
ſtituto *Clanarum* Imperio.
Sed iterùm ad libertatem elatis animis *Pecoram*
familiam de Ordine Senatorum *Politianenſes* armis
pellunt, & coràm *Carolo* in ea Civitate cum co-
piis moram agente, *Senenſium* detectæ artes, co-
gnitumque Oppidanos pares iis, qui *nec totam li-
bertatem*, *nec totam ſervitutem pati poſſunt*, & ſi
Tac. Lib. 1. Hiſt.
caſus daretur auſuros, *Senenſium* denique patro-
cinio reſtituuntur, conventione lata, ſinant *Po-
litianenſes* præſidiis *Senarum* arces præmuniri, de

A cætero eiſdem mero, & miſto Imperio, ac civi-
Thomaſ. Lib. 7. p. 1.
litate *Senenſi* elargita, cum Cives primi, ac ſe-
cundi gradus inter Nobiles reputarentur. Demùm
Fullonicam expugnant ac *Turritam* quatiunt, ſed
Eques Ninus de bellis Ital. Lib. 6. in eadem Bibliotheca Piccolominea. 60
de anno MDLIII. *Luciniani* Terram obſide-
re cum præſidio *Florentinorum* arce receptorum
adorti, ut fatetur *Ninus*, Lucinianenſibus ſtrenuè
pelluntur, profliganturque *Politianum* uſque, a-
cieque *Cluſinorum* victoribus miſſa *Fluviani* Terri-
torium diripitur, Villa dives *Puteana*, & *Baſtar-
dum* ante oculos *Aretinorum* ad arma procurren-
tium expugnatur, flammiſque diruitur, ac ingen-
ti parta præda ovantes *Lucinianenſes* per agrum
B *Sabinum* redeunt in Patriam. Viris toto Orbe
celeberrimis claruit, *Angelo Politiano*, *P. Angelo
Pacciucchello* Libris Hiſtorico-Moralibus, lectio-
nibus in *Jonam* Prophetam, ac tractatu de paſ-
ſione *Chriſti*, R. P. D. *Tauruſio* Sapientiſſimo
Piſarum, ac Sardiniæ Archiepiſcopo, *Lelio Man-
cino* diſquiſitionibus genialibus, aliiſque Volumi-
nibus, dum *Paduæ*, *Piſiſque* legeret, *Griſolo* vo-
lumine conſiliorum toto Orbe notiſſimis, D.
Griſo de *M. Policiano* (ut ſcribit *Alexander*) Ad-
Alex. Trentacinq. var. de legitimà reſ. 3.
vocato clariſſimo, aliiſque celeberrimis viris Hi-
ſtoria *Politianenſi* numeratis de Illuſtriſſimis Fami-
liis, *Riccia*, *Nobilia*, *Cervina*, *Bellarmina*,
C *Tauruſia*, *Gagnona*, *Contuccia*, *Braccia*, *A-
vinionenſi*, quinque omiſſis Prælatis, Purpureis
Principibus, *Antonio* Cardinali *Montium* inter
Cic. de leg.
Cives aſcripto, qui inſtructis Palatiis nomine, in-
ſignibuſque deprompţis edixit, quod *Patria ſit*, *&* 61
in qua nati, *& in qua ſuſcepti ſumus*: Card. *Bel-
larmino* Eccleſiæ fulcimento, *Roberto* Card. *No-
bilio* Purpuratorum maximo in flore rerum extin-
cto, *Joanne* Card. *Riccio*, qui defuncto *Pio IV.*
parùm abfuit, quin Pontifex renunciaretur, *Fran-
ciſco Maria Tauruſio* Cardinali, ac *Julii Tertii* Ne-
pote, de quo Leo Undecimus; *nulli unquam*, in-
quit, *naturam ſpecioſiora talenta crediditſe*, qui eo-
D dem florentes ſæculo amplitudine, probitate, fa-
ma decertare videbantur. *Marcello* deniquè Se-
cundo de nobiliſſima *Cervinorum* familia, qui Præ-
deceſſorum gloriam attigit, ſuperavit, poſterorum
ſpem dejecit, quorum aſſequuntur veſtigia R. P.
D. *Antonius Cervinus* Politiani integerrimus An-
tiſtes, R. P. D. *Franciſcus Tauruſius* inter Rotæ
Romanæ Auditores doctrina magis, quàm ordine
primus, R. P. D. *Julius Riccius* ab *Innocentio
XII.* motu proprio inter Domeſticos Prælatos
accitus, pietate, ac morum ſuavitate Patriæ or-
namentum; an omittam ſummos Doctores, pri-
mis inter Minores dignitatibus decoratos, an 62
E Duces, plurimoſque in hiſtoria *Politianenſi* per
Bencium relatos, inter quos *Vincentius Nobilius*
pro Sereniſſimo *Coſimo Primo* Militum Præfe-
ctus, ac *Thorus Cavalerius de Pecora* à prævalidis
corporis viribus, inſignibus Tauri arreptis, *Tauru-
ſius* cognominatus, *Caroli V.* militum cuſtodiæ Ma-
giſter? an etiam P. Magiſtrum *Franciſcum* ſuæ Cel-
ſitudinis Sereniſſimæ Theologum, typis Theolo-
giæ theſibus vulgatum; an P. Magiſtrum *Cechar-
dum* in Academia *Piſana* Theologiæ Lectorem
primarium, quæſtionum diſcuſſione ſubtiliſſimum.
Civitas æquè exactæ integritate vitæ laudatiſſimis
F clara, D. *Agnete*, B. *Paulina*, B. *Margarita*,
Beatis *Angelino Daneſio*, *Hieronymo* inter Capucci-
nos Venerabili, B. *Bartholomæo*, *Philippo*, *Joan-
ne*, *Franciſco*, B. *Jacobo Pagnino*, aliiſque pluri-
bus in annalibus ordinis D. *Franciſci* ſanctitate, &
doctrina perſpicuis.

Mons *Latonæ*, vulgò *Totone* vocant Incolæ, ad
Statuas, Idolorum Simulacris Vatibus venerandus
conditis *Porſenæ* Theſauris præſtigiis horrendus
Anuum nugis natis fabuloſus, dirutis magnis ſaxis 63
ſtrata in apice Platea aeris hilaritate perjucundus.
Ad quatuor milliaria *Clancianenſes*, quaſi cis

Clanas, generoso vino hilares, venationum ami-
ci ad epulandum prædas conveniunt insimul, ad
Balnea ægrotis saluberrima confluentibus exteris,
Plinio *Clusina* leviora iis, quæ Oppido *Sancti
Cassiani* fundit repens *Ficoncella* sulphurea, cras-
siorique vena fluens, incuria olim aqua pluvia in-
fusa vehiculis, adulterata, nec capiti, nec ami-
ca melanconiæ, quæ litteratos studio fessos, ut
plurimum torquet acriter, Exteris pluribus, ut
fama, ac sepulchrorum inscriptiones loco faten-
tur, tanquam ad vada Lethæa haurienda trans-
gressis.

Decem hinc milliaribus ad meridiem prærupto
Monte *Clusium* in longum se protendit unius cir-
citer milliarii murorum ambitu, via non inorna-
tis Nobilium ædificiis decora, collis jugum, mo-
numentis, ac reductis, quos Theatrales vocant,
signa habet veteris majestatis, qua Civitate gene-
64 rosam jactant originem *Plebenses*, *Camertinenses*,
Clusciencs, sub ditione *Perusinorum* in finibus dif-
fusi *Politianenses*, ac *Tarquinienses* consanguinita-
tem, reliqua veterum *Etruriæ* Populorum capita,
nè dum gloriæ incrementum professæ sunt, sed
compressis hostibus pacem, & securitatem. A
Romanis, quibus decertare de Imperio non dubi-
tavit Colonia ducta, *Longobardorum* jugum passa,
in qua Duces *Ildebrandus*, ac *Reginaldus*, & suc-
cessivè plures; pristinæ litavit libertati usque ad
Senensium, ac *Florentinorum* propugnationes, à
quibus in ultimam desolationem dejecta inter an-
gustos muros haud vulgare variantis fortunæ ex-
emplum. Cum attritis viribus *Etruriæ* Princi-
pum Civitatum, *Pisanis* nimirum, *Cortonensibus*,
Aretinis, ac *Politianensibus* à Republica *Florenti-
na* post varios rerum, sævientisque fortunæ casus
sub Imperio acceptis; anno MDLIV. *Petrus
Strozza* è *Mirandula* maritima *Senarum* subit,
juniores describit convecto prius stratis *Campiliæ*,
ac *Rossetti*, *Rusellarum* eversione dicti, auctique
65 agris uberibus, commeatu. *Marinianus* ex Mar-
chionibus *Mediceis Cosimo* intellecto secus, quàm
par erat, belli exitus subdubius, nec militiæ ap-
paratu, numero, egregiisque Viris præstanti satis
fisus, invictam Principis mentem ad consilium re-
vocaverat, cui subridens *Cosimus* ait, majora peri-
cula ingenio; sed ære cuncta Majoribus nostris
victa manent, opes dudum thesauris Reipublicæ
coacervatas ad hunc, in quo consistimus, finem,
bellumque ob æmulationis causas penitus obtrun-
candas sub clavibus, manibus, consiliisque tuis
relinquimus, in te spes Reipublicæ, ac felicitas
domus nostræ. *Marinianus* ex gemmarum, auri,
argentique pondere præpotentiam, & victoriam
auspicatus, pecunia, inquit, belli robur, ac for-
tuna, quæ duros hostes bello in longum protra-
cto, quoscumque, vel fessos eludit, vel deditio-
ni allicit, ut nec turris ahenea, robustæque fo-
res muniant satis, vel remotos milites fama, &
re feroces ad æmulos exscindendos impellit. ala-
cerque nocte iter arripiens per insidias ad portas
66 *Senenses* excurrit, sed *Laurentii de Castellione* A-
retino providi militis cura obclusis *Camulliæ* cardi-
nibus illusus intendit animum ad quoscumque va-
lidiores, nobilioresque Populos subigendos, ra-
tusque *Ilcinenses* longe à finibus *Florentinorum Se-
nensibus* fidos, militiaque egregios monte insiden-
tes munitissimo, nec facilè vinci, nec diù retine-
ri; *Lucinianum* verò maximo impendio, studio,
rebusque cunctis ad quoscunque casus instructum
Civibus infractis, bello natis, & fortilitiis diffi-
cilè, commisit *Clusinarum* arcium expugnationem
strenuis, & præclarissimis Ducibus. *Perusia* Sum-
morum Virorum tàm bello, quàm pace fœcundis-
sima, missis *Ascanio* de *Cornia* ex Nepotibus *Ju-
lii* hujus nominis *Tertii* peditum Magistro, ac *Ri-
dolpho de Primati*, ac nobilissimo Domini *Petri*

A *Baglieoni* genere Equitis virtutibus maximis lau-
datissimi, & primis *Italiæ* Principibus ab inti-
mis, qui equitatus Præfectus armatorum qua-
tuor millibus, ac generosa animi sui fretus virtu-
te palam ire aggreditur, hostes evocare, & ma-
chinamenta componere; Sed *Ascanius* tutiora
molitus *Santacii* de *Pistorio* fidem tentare, & ho- 67
stes proditione intercipere, statutæque noctis ho-
ra castra ad Mœnia admovit; interim *Pistoriense
Senensibus* detecto facinore in inimicorum paratis
insidiis cadit, *Senisque* adductus; *Baglieonus* in
hostes sclopos exonerare, gladium educere,
obviosque trucidare, & propè portas studiosè pa-
B tefactas progredi cœperat, *Clusina*, & *Senensium*
manus attrocius instare, tormentis aggressores
cædere: utrimque ferocitèr pugnatum; at dum
Baglieonus januis irrumpit, suosque hortatur ad
cædes à *Pippo Ciaia*, *Tura*, *Zondodario* Viris
strenuissimis, quorum fidei portæ cardines cre-
diti, cum aliis confoditur. Patres nuncio victoriæ
recepto, nè inofficiosam Pontificis mentem Ne-
pote carceribus addicto provocarent, ad Regem
Gallorum *Ascanium* properè mittunt, & ad con-
ficiendum bellum, diffidentiaque Civium, Sena-
torumque intempestivè obdurata ingenia, curas,
atque animum intendentes.

C Evangelium Martyrum Sanctæ *Mustiolæ*, San-
cti *Secundini Irenei*, Beati *Anonimi* cæde propa- 68
gatum; jactat *Flavianum* anno CCCCLXXXXIX.
Cæsenæ Episcopum Venerabilem, *Gratianum*, qui
decreta, ac Jus Pontificium in unum redegit,
Samuelem tractatu de Sepulturis oblivione vindi-
catum, ac Nobilissimas Familias *Ciaiam*, & *de
Deis*, ob Viros egregios fastis *Senarum* signatas.

Ad radices Montis *Cetonia*, seu *Scitonium*, di-
cunt *Chritoniam*, *Romanorum* Coloniam, Platea
decenter ornata laudatur, ac Beatis *Guido*, *Pe-
tro*, *Herculano*, ac *Bernardino Ciolo Minutello*
Sessæ Episcopo, moderno *Dionysio Pignatello* Ro-
D mandiolæ *Ferrariæ*, *Bononiæ* Subauditore, *Ra-
vennæ*, ac *Frusinas* generali Locumtenente; *Ge-
nuæ*, ac *Florentiæ* Auditore, ac Advocato *Vulpi-
no* Reorum Defensore acerrimo, & opinionum
Prosperi Farinaccii indagatore studiosissimo; *Lu-
ca Contile* eruditione præclaro, Principum à se-
cretis, qui editis Epistolarum libris, in quadam
Cetonensibus missa conqueritur insulsos concivium
animos merito ipsius haud intellecto honestiori 69
suffragio ignarum prætulisse.

Tom. Li. 1. Hist. Sen. P. Landucc. Silva Ilicetana

Haud procùl *Sarteanum* Terra habitantium
numero, supra trium millium, fortilitio, nego-
ciis, fide ac strenuitate Civium Nobilis, qui va-
E lida manu obsidione diù pressi, victi nunquam
exemplo *Scytharum*, quos ut exornat Justinus:
Virtute animi non numero, opibusque censeri,
vulnerum *Piccinino* in fugam verso inflictorum
memoria gloriantur, & ab origine Cardinali *Cen-
nino*, ac Patre *Alberto* Oratore litteratissimo, ac
egregiis Viris nobilis generis *Gotorum*, *Fanello-
rumque*.

In aprico Colle *Fullonica* Beatum edidit *Ana-
stasium* clarissimæ Familiæ *Coppulæ* feudum.

Ad occasum *Turrita*; quasi vi *Turrium*, Patria
moderni *Annibalis Michelii* Ravennæ Auditoris,
ac generalis ad criminalia Locumtenentis *Ferra-
F riæ*, *Parmæ*, *Florentiæ*, *Genuæ* ad civilia, &
criminalia Auditoris.

Ad occasum *Senalunga* Terra honesta, Præsi-
dis Sedes, plures olim passa vastationes; nobilium
quorumdam *Senensium* familiarum incolatu evasit 70
illustris.

Scursianum tristè Venatoribus laudatum *Longo-
bardis* nomen relictum. *Farnetella* inops. *Rigo-
magnenses* dulces eloquio læta fruuntur aëris be-
nignitate; *Calicionenses* rudes; *Gargonsa* Turri-
bus indicata. *Aretinis* ab hostium incursu vindi-
cata

cata cum *Clementis* Pontificis, ac *Florentinorum*, efferatis animis ob noviter per *Tusciam* partes discissam excita dissidia *Neapolione*, Cardinali *Ursino* dilecto pacis arbitro *Florentinis* in pervicaciam lapsis, eodemque interdictis, *Aretini* Pontificis gloriæ cupidi, ac *Florentinis* infensissimi *Neapoleonem* in Civitate libentiùs susceptum militum decem millibus in hostes ipsius ductu commissis ad necessariam, diùque nimis protractam ultionem exsequendam impellunt. Sed *Florentini* decem, & octo millibus militum *Gargonsam* premunt obsidione exitu ancipiti; Legatus in nobili, fidoque *Bibienæ* Oppido stativam habuit sociis admonitis, & nocturnum iter celeriùs con-
(Franc. Sansovin. Hist. Domus Ursinæ.)
71 fingens *Florentiam* versus contendit quasi oppugnaturus, quod extimescentes *Florentinorum* acies dum ad mœnia, patriasque ædes tuendas properant incomposita, *Neapolio* Nuncio monitus in celeritate certam inesse victoriam, sed hostium cædis arcendæ sollicitus elusis Ducibus *Aretii* petentibus pugnæ signum verbis sub dubiis ut vi beneficii expugnaret inimicorum ingenia, interim iisdem transcensis montibus ab imminenti clade tutis *Aretinos* spe futuræ victoriæ alacres *Aretium* ægre reduxit, Senatus *Florentini* donis, ac Nuntiis in grati animi argumentum ibidem exceptis improspere, populo studiose in excommunicationem tabescente, nec *Aretinis* satis fidens excessit rebus infectis.

Ad Montana, & Septemtrionem *Aretium* Urbs à prima ad hanc ætatem validissima unà dempta *Perusia* supra Principes *Tuscorum* duodecim Civitates Splendorem Civium, opes, nobilitatemque servat incorruptam, Viis latis montanis quibusdam, & platea aquis stillantibus, negotiis, Pa-
72 latiisque perhonesta, ac amplissimo Reverendissimorum Patrum *Jesuitarum* Collegio de Republica litteraria emeritissimorum. Ambitu muri ultra tria milliaria, materiam, structuramque veterem attollunt *Silius Vetruvius*, & *Martialis* cristallina testæ *Aretinæ* Munimento prævalido Equitibus, Doctoribus, Regularibus, Ecclesiasticis Civium numero cum Comitatu ad XV. millia nobilissima amœnis in campis sita frumento, Vino, cæterarumque frugum abunde fertilibus. Scribunt conditum ab *Umbris*, vel *Pelasgis*, quidam à *Retiis*, cum *Isdrael* Judicibus regebatur; Verius *Tuscis*, quibus in ubere *Aretinorum* agro insidentibus ab Aris *Aretium* denominatum, *Tusci* à Thure dicti, quo in Sacris utebantur. Rejectis *Annii* figmentis de *Aretia*, hoc est *Vesta* Uxore *Noe*, quem modò *Vadimonem*, *Janum*, *Ogigem* modò fingit fabulis pluribus coimplicatis *Cluverio* meritò irrisus levis, ac flagitiosus cognominatus, & ob eandem rationem *Possevinus* monet cavendum ab *Alberto*, *Joanne Lucido*, *Nauclerio* ineptiis *An-*
(Vetruvius Archit. — Cluver. Lib. 2. — Ughell. de Episc. Aret. — Ann. de Antiqu. — P. Ant. Possev. Appar.)
73 *nianis* seductis. Vestigia Amphitheatri Seniores designant, ut reliquiam regiæ munificentiæ, cujus latitudo curules pariter cursus, ac equestria certamina expedita suppeditaret impendio ingenti, ut quoque Babarorum vanitas superaretur ab *Italis*.

A *Gothis*, *Longobardisque* disjecta per triennium mœniis exuta jacuit, illorumque etiam dimisso fræno in libertatem se asseruit, *Guelforum*, ac *Ghibellinorum* discissa Studiis *Senensium*, ac *Florentinorum* sæpè vexata irruptionibus, à quibus victa aliquandò, & ipsa Victrix De anno MCCLXXXVIII. *Florentinorum*, ac *Senensium* Aretini fines excurrunt præcipiti impetu armorum, sed hostibus equitanter *Aretium* usque progressis, hortis, vineis, villisque prostratis, clam è muris erumpunt, ac *Senenses*, *Florentinis* monitos, nè Sociis dimissis metu insidiarum posthabito ovantes incederent, *compositius cuncta*, *quam festinantius agerent*, dum gratulanter ad *Licinianum* Clanarum oppugnan-
(Gerard. Vols. Inghiramus de fens. Antiqu. Hetruriæ tract. 10. — Joan. Villan. Lib. 7. cap. 119.)

A dum contendunt ad plebem *Toppi* adoriuntur, ac sternunt cæso Duce. Sed anno MCCLXXXIX. 74
à *Senensibus*, & *Florentinis* ad *Campaldinum* effractis eorumdem, *Guelforumque* viribus *Senenses* Licinianum *Aretinorum* ope nunciis quæsita destitutum de veteri *Senarum* dominatu Patrocinii fœdera subire armis cogunt, in Cœnobio *Divi Francisci* pactionibus statutis CL. junioribus pubis floridissimæ in obsides receptis structa Saxis Turri, arcuque ingenti ad veterem arcem intermedio, utrinque paratis offendiculis, effossis puteis, horreisque interclusis, ad eludendas, ut accidit sæpè, *Aretinorum*, *Florentinorum*que irruptiones; aucti in-
B terim *Orbevetenorum* potentia anno MCCCVIII. cum *Politiano*, *Sarteano*, *Clusio Lucinianum* Ecclesiæ *Romanæ* censum, *Orbevetanis* tributum obtulit, equis militibus pro expeditione ineunda transmissis; sed familia *Tarlatorum de Petramala* rem *Aretinorum* ad summam potentiam evexit conclusa artius muris Civitate ad arcendos hostium incursus; Interim quibusdam *Lucinianensibus* anno MCCCXV. futura deditione allicitur Episco- 75
pus *Aretinus*, elusisque Custodibus Terram, nocte equis armis invadit, reliqui pro Patria, qua egregiis Viris nihil carius, hostibus vindicanda, seù mori, seù vincere parati, dum septi multitudine
C victoriam desperant, impetu mirabili æstuantibus animis *Aretinos* arcibus pellunt, ac porta *Filaria* confodiunt, cæduntque, ad hanc ætatem defossis in structura ædificii extra Januam Ossium acervis, ibidemque in memoriam facti tempore bacchanaliorum *Lucinianenses* signis diversis in partes scissi confecto saxis terra contectis suggestu (quod *Castellum* vocant) ad sonitum Tubarum cum plausu juncis filo obductis se invicem quatiunt, Castello una ex partibus potita, ex adversa illud sibimet subjicere præ viribus nixa. Incassum viam juris cum *Senarum* Republica per Nuncios adversus Victores capessentibus Aretinis, *se jus armis*
D *jactant redemisse ab iis olim relictos*, *nec subditos*, *sed Senensium patrocinio addictos*.
(Monaldi den. dicta Hist. Lib. 3. fol. 18. & fol. 88. Lib. 9. fol. 79. — Manent. Hist. part. 1. & 2. fol. 200. — Malevolt. part. 2. Lib. 4. fol. 77.)

Sed anno MCCCXVI. *Sabinates* in potestatem Episcopi se redigunt, finitimi quoque *Luci-* 76
nianenses se jungunt *Aretinis* victoria superbientibus; etenim *Senenses*, *Florentini*, manus Regis *Roberti* contra *Ugutionem Fasolæ*, *Aretinosque* prope Montem *Catinum* in aciem prodeunt, victique, occiso *Carolo* ex Nepotibus *Roberti* in flore spei, & ætatis, at majorem gloriam, uti de *Romanis* Pyrrhus, *Ugutio*, quam lætitiam habuit *Francisco* filio; ac majore Militum parte cæsis æque ob *Bruti* necem libertatem *Romanis* magno
E stetisse, & *Crasso Pacoro* extincto victricia arma circumtulisse; grassantibus Aretinis *Tornanerium*, *Boncoventum*, *Castrum Rotium* diripitur, venustioribus adductis fœminis, nudatis senibus, ac Provinciam terrore armorum concutientibus, ut ipsius Imperium affectare viderentur.
(Justin. Lib. 18. Valer. Max. Lib. 5.)

Sed supremo gloriæ fastigio elata veteri *Ubertinorum* genere, quorum *Gulielmus* Episcopus *Senensium* fines populatur, ac *Cecilianum* Oppidum invadit, Senatoribus pulsis *Sabino* receptis Imperio potitur, compositisque rebus cum *Senarum* Republica, atque exorto dissidio de finibus, A- 77
F grorumque direptione *Florentinos* lacessit ad bellum, qui *Bibienam* obsident compacto exercitu equitum, peditumque decem, & novem millium. *Gulielmus* militaris suorum fama, & alacritate permotus nihil cunctatus, nec finitimorum auxiliis injunctis novem millia Armatorum *Aretio* eduxit, ire ipsum conclamare celeriter ad arma paratus, manus conferre, & propiùs castris constitit, secumque quod roboris erat in medio circumfundit.

Hæc fuit insignis ad *Campaldinum* pugna, in qua duo validissimæ Principes Civitates, *Etruriæ*

Imperium armis disceptabant. *Aretini* vetustio-
rem gloriam, hi recentem, præcipuamque osten-
tantes, primi bellum sæpè inferre, illi repulisse,
hostibus ipsis, *Tuscis*que profligatis; *Aretini* ex
ipsa clade superbientes, nec hostium numero ter-
reri, spe insistere, & progredi. Interim *Floren-
tinorum* primores de more gentis, cum pugnæ
initium esse vererentur, nec petere præcipuam
periculi sortem, quidam ex Ducibus, *T. Man-*
78 *lium*, L. F. imitari præsumens cum Nepotibus si-
gnum hostibus, omenque belli indicere, & no-
men gentis invictum juvantibus fatis præstare,
cum temerè, & improvide cum aliis primos or-
dines turbare adoritur, insecutus ad stationes Com-
militum multitudine hostium pellitur, tunc ir-
ruere acies, occidere, vulnerare, capere, cum *Flo-
rentini* impetu hostium facilè turbantur, fugan-
turque, Equitesque *Aretini* victoriam conficere
celeriùs avidi longè à suis profugos insequuntur
inconsultò; Pedites *Aretinorum* non virtute, sed
fortuna, numeroque impares, multitudine, E-
quorumque incursu perculsi, dispersis ordinibus
recedentes spe victoriæ conversa rei facie in dete-
rius, reddidere hostes alacriores, magnaque par-
ta cædes. Episcopus gladio interemit accurrentes,
ferociamque Equitum incusans fluctuavit animo,
utrum protinùs *Bibiena* se reciperet, an suos
in extremam pugnam incendere præstaret; per-
contatusque à proximioribus ad fugam capessen-
79 dam ipsum incitantibus, an pedites *Bibiena* infra-
cti reduci valuissent signo receptui dato, iisque
intellecto, quod pars in fugam effusa, pars cum
substitisset ab hoste à fronte, & a tergo urgente
Aretin. Hist. Lib.4. & 5. circumveniebatur; tum *Gulielmus*, nec gentis se
ipso adductæ desertorem, nec profugum, nec vi-
ctum visuros *Florentinos* obtestatus, incedens pri-
mus, jubet invadi à latere hostem, claram satis,
& insignem Virtutem esse, nec dubiam ultionem
futuram strenuis viris, cum manus Equitum *Are-
tinorum* bello redux exaudito suorum clamore ver-
sa extemplo fortuna integri profligatam pugnam
accipiunt, sed qui inierant prælium inclusi adver-
sus circumfusos, fessi cum recentibus, vegetisque
pugnabant, sed *Gulielmus* suo, hostiumque san-
guine fœdus cadens convocat propinquos, minis
hostem territat, quasi in ipsa clade vincere videre-
tur, exscindendumque hostem clamat, cum quo
nunquam pax fida, verùm eo occiso omnia libi-
dine, & licentia Militum, nihil Imperio eorum,
qui præerant, gerebatur. tribus millibus hominum
80 acie cæsis, captis duobus millibus, cæteri frequen-
ti agmine timore ducti *Aretium*, *Bibienam*, *Ca-
stilionem* petunt, aut Montana, & natura inacces-
sa. Victoria, quæ magno stetit sanguine majori
parte Militum vulneribus confossis, cæsis ferè
duobus millibus, Reipublicæ *Florentinæ* permis-
sa Superioribus causis, eadem hora Prioribus *Flo-
rentiæ*, negotiorum mole fessis, qui somno se re-
liquerant mirè incerti voce Auctoris nunciata, con-
secutæque Urbis acclamationes pluribus admira-
tione percitis, cum Nuncius non inesset, nec si-
ne Numine id actum, ut æquè *Macedonibus*, &
Rege *Perseo* devictis *Romæ* vulgata eadem die ho-
stium cædes, & *Domitiano* regnante hostes vali-
dè subactos statim Urbe exauditum, sique fas pro-
fana sacris confundere *B. Pio Quinto* Navalis ad-
versus *Turcas* Victoria, & *Innocentio Undecimo*,
Budæ expugnatio non sine Numine confestim pa-
tefacta. Victores *Bibiena* in potestatem accepta,
murisque prostratis octo exactis diebus *Aretium* ob-
81 sidione pulsant, sed cæsis plurimis, ustisque moli-
bus militaribus abscedunt, temploque dudum *Mar-
ti* Sacro Galeam *Gulielmi*, exuvias hostium, ac
Victoriæ munera Aris addicunt. Indè *Guidus* E-
Albert. Ital. de Aretio. piscopatum anno MCCCXVIII. assecutus acri-
bus in hostes auspiciis, diùque sine memorabili

A prælio decertatum, sed Militibus *Roberto* missis
exterritus pacem, vel inducias hostibus petit, qui-
bus nec diù fidus, finitimos exterret Nunciis, mi-
naturque, & capto *Tipherno*, quò magis infen-
sam Pontifici mentem patefaceret ob novitèr *Cor-
tonæ* permissum Episcopum de gente *Ubertinorum*,
eorum Oppida diruit, *Ludovico Bavaro* Ecclesiæ
hosti devoto ferrea corona imposita, ad bella po-
tiùs, quàm sacra natus *Burgum*, *Castilionem*, *Ter-
ramnovam*, *Civitellam* duriori jugo retinere, muris
præcingi, vias ab *Aretii* portis excurrentes latari,
dirigique curavit, maximè ab *Angulario* ad *Bur-
gum Picinini* parta *Florentinis* clade nobilitatas.

B Anno verò MCCCXXV. Oppidani quoque
S. Sabini de comitatu *Aretinorum* parùm visi *Are-
tinis* ad arma versis fide tuti, hinc Episcopo In- 82
colæ exilio pulsi supra mille existentes (ut refert Tarcag.
Villanus) ædificiis, muris, domibusque, ne am- P.4. Lib.
plius reficerentur, eversis. Donec efferati *Floren-* 56.
tinorum animi de annis MCCCXXXIV. *Perusi-* Joan. Villan.
nique in excidium *Aretinorum* conspirant: gene-
rosa illorum pectora in omnem fortunæ eventum
suffectura, *Perusinos* fugant, & *Perusiam* usque
equitantèr incedunt, auctisque copiis *Perusini* va-
statorum manu ad bellum insurgunt avidius, *Sa-
bino* occupato, *Licinianum* agrum depopulantur,
C & resistentibus suburbium, Pagumque *S. Blasii*
in finibus incendunt, ubi adhuc murorum vesti-
gia, ac propè domus ustæ nomen habent, & quos
armis non subegere, privilegiis, ac receptione in-
ter Amicos cum donatione *Griphonis* pro insignibus
sibi conciliant, pacto tributo; *Aretium* Florenti-
nis addicatur, sed vetustæ lapsis annis libertati re-
stituitur sexaginta viris ad regendam Rempubli-
cam creatis; *Lucinianum* quoque à *Perusinis* re-
bellavit, & in libertatem se asseruit, ut idem *Ma-
levoltus* profitetur; *Aretini* bellum, aut deditio- 83
nem Oppidanis indicunt, agrosque diripiunt de Male-
magis veteri suorum ditione autumantes; illi ar- volt.
D mis certare Patriam, dignitatemque, accitisque Lib.6. &
Militibus, *Senarum* patrocinium implorant ite- 8. fol.
rum, ut refert *Pius III.* per hæc verba, *Aretini* 138.
Licinianum insignem locum Clanarum obsidebant, in- Pius III.
ter quos, ac Licinianenses varium, ac longum per Annal.
XV. Annos tractum est bellum, Senensibus partem So- Senens.
ciorum adjuvantibus, & ne bellum cum Florentinis fol. 131.
gerere cogerentur, in sua libertate dimiserunt, donec de fol. 142.
anno MCCCLXX. & iterum MCCCLXXXIX. in Biblioth.
Capitulis juramento vallatis à *Senensibus*, ut idem Piccolom. Se-
comprobat Malevoltus, *civilitatem* assequuntur, ac narum.
merum, & mixtum Imperium, quod priùs habebant, Bisdom.
& omnimodam Jurisdictionem, ut cum festo B. Vir- Chron. Sen.
ginis Augusti à Castris dominatus tributa in Aula
E nominatim exhiberentur, Patres cum Plebe singu-
laritèr acclamarent, *Lucinianum* amore non vi, me-
tuque duci ad liberalem deditionem. Sed com-
positis rebus cum iis de Comitatu à *Lucinianensi-
bus* quoque gabellas exigi deliberant, lite apud 84
Pontificem agitata *Castrensis* voto resolutum *Se-* Castrens.
nenses haud posse oneribus exemptos subjicere, nec conf. 85.
Terram vendere, agrumque distrahere, quia non & conf.
esset de comitatu, sed suis nixa Juribus, ac ve- 292.
teri freta Imperio. *Aretini* aliis diffisi cum *Caro-* Tuscus
lo Siciliæ Rege in Societatem conveniunt, quod litt. l.
F cum *Ludovicus Angiovinus* a *Clemente* Pseudo Pon- concl.
tifice *Siculorum* Rex designatus ad injuriam revo- 448.
casset, Provincialibus subactis per *Etruriam* cum
equitibus, exulibus, sociorumque missis cohorti-
bus anno MCCCLXXXIV. triumphali more de-
currens proditione *Aretium* intercipit, & libidini
effrenatæ militiæ ædibus, templisque relictis for-
tilitio *Guelfis* cum clade victorum acerrimè defen-
so, dum ad reliqua conficienda facinora progre-
ditur properè, è vivis excessit, quia ut magnus
redarguit Tacitus *nemo Imperium flagitio quæsitum,
nec diu consequitur, nec bonis unquam artibus exer-
cuit*,

cuit, eoque vita functo *Aretium* venditur *Florentinis*, qui pretio magis, quàm virtute fregere
85 *Guelphorum* animos arcium deditione, atque ita vi gentibus ad concordiam revocatis, exule *Petro Medices* anno MDII. *Aretini* rebellant iterùm. Episcopus *Cosimus* Florentinus ex liberis *Gulielmi Pactii* Commissarii munimento profugus jura libertatis patriæ tuebatur avidius, quàm tutius, fractam fidem increpans obsidentibus, quibus *Vitellozzio* de vetusta, & à pluribus sæculis generosa nobilitate perspicua Marchionum *Vitelliorum* familia, & eximio Duce *Joanne Paulo Baglieono* ad ferendas suppetias evocatis, susceperant Senatores *Aretini* conducere Milites, leges indicere, ac hortari finitimos, & atrocia moliri; cum *Vitellozzius* Pandolphi Petrutii *Senarum* Moderatoris epistolis intellectis, quibus se enixè paratum asseruerat *Petrum Mediceum* optimum Principem, & pacis studiosum, in *Florentiæ* dominatu reconducere *Tiphernatibus* suis, ac auxiliariis *Perusia* Baglieono missis *Aretium* fortiter pervenit, ac fortilitio militibus vacuo præsidiis præmunito aucta ad *Clanas* ditio-
86 ne, cùm *Mediceus* manus junxisset, *Montem Sancti Sabini*, *Castellonem*, *Cortonam*, *Bibienam*, *Pupium*, ac *Burgum* potestati, armisque *Mediceis* restituit, gratiam, & Principis mentem sibi, ac fidis, deditissimisque Nepotibus munificentissimè mansuram assecutus. Habeo Auctorem sine ullo memorabili prælio cunctas Vallis *Clanarum* Terras, atque Oppida in gratiam *Petri* reducta, metuque actum; nè irruens vastatorum manus maturas messes arriperet, quod veritati absonum, nec Gentium gloriæ cedit, nec mihi probatur *Sabinenses* providos, *Castellionenses* superbos, *Cortonienses* potentes, *Lucinianenses* feroces, *Aretinos* armigeros vili rei frumentariæ jactura incruentam substinuisse victoriam, an veriùs *Medicea* felicitas fortunæ arbitra crebriore pietatis, ac magnitudinis rerum fama aureæ, perpetuæque spe pacis illexerit animos, hoc palàm, *Guicciardini* mentem percipi de Oppidis *Clanarum* ditione Reipublicæ *Florentinæ* degentibus, quia quam plurima de juribus vigilum *Senensium* regione diffusa,
87 ac *Lucinianum* turpiter nunquam subactum *Vitellozzio* Senensibus amico ad sinistram copias admovente arma tuebantur, & patrocinium *Senarum*.

(Guicciard. Lib. 5. Hist.)

Agebatur annus MDXXIX. cum *Filiberto* adversus *Mediceos* per *Carolum V.* copiis in *Tuscia* præfecto *Aretini* ultrò accedunt, & nomine *Caroli* deditio stipulata merum, & mixtum imperium permissum, & statutorum, legumque edendarum jura, sed pacatis dissidiis improsperè omnem lapidem movent *Florentinorum* jugo eximi, nec obsides, nec tributa recipi rescriptum, motu Cæsaris, votoque, precibusque Clementis *Medicea* Familia *Tuscis* in Principem dudùm destinata infracta, prosperis melior adversis.

Romulo Etruriæ Apostolo fidem suscepit, sensim tamen, *Laurente*, ac *Pergentino* fratribus, & deindè *Donato* Episcopo Martyrio decoratis ad perennitatem confirmatam. Tradunt *Cælestinum II.* ignotis ortum Parentibus, verùm sanctimonia, ac Litteris memorabilem in agro de veteri *Aretinorum* ditione obortum propè *Thiphernum* castro *S.*
88 *Felicitatis*.

Habet spolia B. *Gregorii*, *Innocentius V.* Aretio creatus, *Leonem V.* scribunt *Aretinum*, Episcopus Principis Imperii titulo insignitus, ac Comitis *Cesæ* dictæ cæsis *Silla* incolis, Diœcesis olim latissima argumentum veteris dominatus limitata fuit *Cortonensis* à Joanne XXII. *Pientina*, ac *Ilcinensis* à Pio II. *Politiana* à Pio IV. *Burghi* à Leone X. Archiepiscopatus *Senarum* ex *Aretino* amplificatus. Quot Ecclesiæ Antistites, ac Duces per *Buralium* enumeratos, quos supra bis centum negligenti calculo obliviosa recenset Anti-

(Bural. de Episc. Aret. fol. 33. S. Antonin. part. 2. tit. 12. §. 14. Hist.)

A quitas, & ostentat Patria, ut de Grachis *Cornelia* Mater, *hæc sunt Domus meæ ornamenta*; Nec omittam *Franciscum Redum*, S. C. Sereniss. Physicum, *Pisis* Lectorem, editis voluminibus Excellentissimum, ac R. D. *Baccium* Vicarium Episcoporum *Aretinorum*, Cardinalis *Cursini* Auditorem, *Florentiæ* Advocatum eximium, Reverendissimum P. *Capuccinorum* Generalem *Bernardinum Catastinum*, ejusdemque Socium, & Consiliarium *P. Franciscum Mariam Casinum* Theolo- 89
gos, & Oratores toto Orbe celeberrimos, *Paulum Franceschinum* Curiæ Advocatum Cardinalis *Brancati de Laurea* à secretis arduis rebus assum-
B tum; Virum summæ Integritatis *Marcellinum Albergottum* V. Signaturæ Referendarium Legationis *Ravennæ* Vicelegatum, cumulatis beneficiis recolendum, qui invidis proculcatis, merito ad munera Gubernatoris Civitatis *Cæsenatensis*, *Reatinæ*, *Orbeveti*, ac *Montis Alti* ætatis flore promotum; & olim P. *Guidonem* Musicum etiam Theologos inter doctissimos habitum, *Petrum* vernaculæ linguæ ornamentum, *Leonardum* litteris græcis, ac historia vulgatissimum, *Angelum* Summum Practicum *Ludovicum*, ac *Carolum Brunum* Reipublicæ *Florentinæ* à secretis, *Joannem Tortellium*, *Franciscum Albergottum*, *Franciscum Accoltium*
C Jurisconsultos litteratissimos, Patrem *Augustinum Bonuccium* Servorum Generalem vigilantissimum, Patrem *Franciscum de Pitigianis* Minorum de Observantia, scripsit disertissimè Summam Theologiæ 90
speculativæ, & moralis, Commentaria in tertium librum sententiarum, & Annotationes in octavum librum Physicorum *Scoti*, Serenissimi *Ferdinandi* Ducis *Mantuæ* Theologum, eruditis carminibus Concivium *Emilii Vezzosi*, ac *Appollonii* concelebratum, Reverendissimum *Baccium* Prælatum eximium Honorato commendatum, *Petrum*, ac *Benedictum Accoltium* Cardinales, *Stephanum Bonuccium*, *Paulum Buralium*, *Benedictum*, *Bernardum Tarlatum*, ac *Galeottum Tarlatum Petramalam* ab Urbano VI. in cœtum Purpuratorum di-
D lectum, pietate, animique magnitudine Cardinales amplissimos, Archiepiscopum *Durantem Tarlatos*, *Petramalos*, *Borros*, plurésque litterarum studiosissimos, Lectores, Oratores, Physicosque, quorum gesta memorabilia integro volumine conscribenda, dolendumque, *Aretii* litteratorum incuria clarissima augustæ Civitatis monumenta oblivione contegi, aliosque egregios bello Viros Præfectos Generales de Nobilissimis Familiis Marchionum *Sanctæ Mariæ*, *Montis Acuti*, *Albergottorum*, *Actiorum*, veterum de *Brandaglia*, DD. *Chitignani Buralium*, *Lambardorum*, *Sacconum*,
E *Tortellium*, ac Familiæ *Gualteriæ* ejusdem credunt agnationis Eminentissimi Cardinalis *Gualterii Orbevetani*, *Ricciæ*, *Nardæ*, *Octavianæ*, *Subianæ*, *Cipolleschæ*, *Gambilionæ*, *Accoltiæ*, *Bonucciæ*, *Bacciæ*, *Ubertinæ*, Judicumque. *Ciocchorum* Familiam *Montium* dictam, quorum Palatium cum in signis *Aretio* patet, jactat de Concivibus, & ob Civium jurgia per Montana, ac Oppida Comitatus confugisse, quæ *Antoninum*, *Innocentium*, Familiæ addictum Cardinales, ac *Christophorum*, quem dicit *Aretinum* Ciacconius (stem-
F mate dissimili) *Petrum* Magnum *Melitensem* Magistrum, ac *Julium* ostentat *III.* quem *Aretinum* scribunt *Spondanus*, *Manentus*, *Cariera*, *Buchingerius*, ubi dicit Patria *Aretinum*, *Oppemerus*, *Bussieres* Scriptorum consensu; sed hic incidit quæstio, quæ de *Homero* apud *Græcos*, quem aliqui *Chium*, alii *Colophonium*, *Athenienseem*, *Argivum*, quidam scripsere *Thebanum*. Nam *Chro-* 92
nicis Montis Fratri Fortunio ascriptis legitur *Sabinus*, sed ab origine de *Florentinis*, & *communiter* traditum antiquos *Julii* Sabino natos, quicquid credant *Lucinianensium* Seniores quosdam de eodem

(Hon. Fascitell. inter Epist. Joannis Turchii Lib. 2.)

(Spond. ad Baron. Cyprian. Man. Hist. Lib. 2. fol. 168. or P. Ciacc. prima impress. P. Franc. Car. Chron. Pontif. fol. 386. Michaël Buch. Hist. Eccl. Pet. Opp. Chron. Orb. P. Joan. Bussieres Soc. Jesu Chronol. Principum. Fortun. Chron. Sabin. Panun. de Pontif. Addens ad Platinam.)

eodem *Ciocchorum* Sanguine *Luciniani* se reduxisse. *Politianenses* quoque *Julium* acerrimè in Civem respiciunt, Nepotem Cardinalis *Antonii* cum iis de agnatione ibidem inhabitantis, & sunt argumento *Catharina*, ac *Ludovica Montium* nuptui traditæ domi *Taurusiorum*, Nobilium, *Pucciorum*que, ac duo Cardinales creati, gratiæque plures singulariter Civitati elargitæ, inter quas potissimùm recensetur electio in Pontificem *Marcelli II.* Familia *Montium* præ viribus procurata, & probant Epistolæ *Barberio* relatæ ab eodem Pontifice *Politianensibus Concivibus* missæ. *Senenses* verò ne dum ex linea materna dicunt *Senarum*, sed educatum in eadem Civitate se pluries in Civem subscripsisse. At *Genebardus* decidit *Julium* esse Pontificem *Romanum*, ortum in Urbe *Vin-*

P. Barber. Vita S. Agnetis Lib. 2. fol. 139. Minat. Hist. Politianen. M. S ad finem. Benc. Lib. 2. fol. 168. & Lib. 4. fol. 91. secunda impress.

93 *centio* Curiæ Advocato primario reprobato *Thuano*, qui scriptum reliquit, *Joannem M. Montium Montanum Aretinum in humili loco natum in Pontificem renunciatum*, quia ut docet *Tacitus* veritas pluribus nobis infringitur ira, studio, vel quia posteri manent: at vulgò traditur *Julium Aretinum*, vel ab insigni, vel ab origine nomine indito, qua foeti Civitate Beati *Nicolaus* Servorum, *Augustinus* Ilicetanus, *Benedictus* Minorum, *Rainerius*, *Sinigardus*, ac *Justina*, Sanctus *Laurens*, ac *Pergentinus*, *Asterius*, *Justus*, *Ermenius*, Sanctus *Andreas Guasconus* cum iis de Familia, aliisque innumerabilibus Paganis *Christi* fide jugulatis.

Ninus de Bell. Ital. Lib. 1. Genebar. in Chron. Thuan. Hist. Lib. 6. Tac. Lib. 1.

Quinque milliaribus ab *Aretio*, & à *Cortona* totidem lato, ac diviti Colle *Castilio* Aretinus dictus, sed habita quæstione de nomine cum *Aretinis* statutum ad vitandum jurgia, ut *Florentinus* denominaretur; supra Oppida par Urbibus, quibus *Florentiæ* Magistratibus Serenissimi M. Ducis mandato nobilibus Viris inscribitur Civium numero ultra quatuor millia, negotio, Equitibus,
94 Laureatis, Regularium, ac Ecclesiasticorum dignitate fulgentium copia nobilis, singularitèr Civium habet ordinem, & plebem. Pulsis *Silla* Accolis, disjecto *Aretio* lapsis annis plurimos *Aretinorum* in Collibus illis cum Incolis simul in communionem convenisse, vel inter *Aretinos* novos veteribus proscriptis connumerari, non autem ab *Aretinis* se conditos fatentur, quàmvis *Cortonenses* eorum ruinis dicant Castrum derivasse cum eodem Protectore *Sancto Michaële*, ac signo Draconis utantur, eorum tamen fama, dum *Romani* rerum potirentur, obscurissima fuit. *Blondus* rectiùs scribit ab amplitudine *Castellonem* nominatum, diùque sub *Aretinorum* Imperio conquievisse, murorum circuitu ferè per milliare extenditur, latis viis, Templisque non inhonestis, gens rudis eloquio in agibilibus alacer, ingenio superelato, nec finitimis Civitatibus se imparem credit; egregiis Viris illustris *Lapo* allegationibus Latinis, Græcisque litteris eruditissimo *T. Porchachio* editis Geogra-
95 phiæ, Historiarumque voluminibus, Additionibus ad *Guicciardinum*, & sepulchralibus veterum Inscriptionibus vulgatissimo *Marco Mancinio* insigni ex tempore Poëta, Lectore primario Philosophiæ *Pisis* misso *Petro* Cardinali *Octobono*, quo Medico usus est, *Prospero Thedesco* Paduæ, Pisisque Lectore; in utroque Jure consultissimo D. Advocato *Serrato* Pisis Lectore, Reverendissimo P. D. *Romeo* Prædicatorum Generali, Archiepiscopo *Lambardo*, *Gioia Dracomanno* Bononiæ Vicelegato Episcopo *Pientino*, aliisque æquè illustrium Domorum *de Brozzis*, *Gacis*, *Pasquis*, *Tacciis*, ac Beato *Benedicto Moncetto* Ilicetano strictioris observantiæ Promotore vigilantissimo. Sub Principatu *Sancti Sabini* Annius Historicorum levissimus, teste *Cluverio*, scribit *Ogigianum* Coloniam *Tuscis* Patre *Noe* fundatam, quem & *Ogigem*, & *Janum* confingere ausus.

Laur. Hist. Cort. Ughell. de Episc. Corton. Albert. Ital. de Aretio.

Collibus circumdata Terra *Montis Sancti Sabini*

A copia rerum, Mercatura habitantium fastu, ostentationeque in Academicis, Comicisque Viris eruditissimis lapso sæculo illustrata, in qua littera- 96
rum Cultores laudantur, & pollent plurimùm existimatione, & fama. Vicus erat (inquit *Fortunius*) sub Monte ab herba *Sabina* solo producta denominatus, dirutusque, à quo nomen, genusque susceptum, qua ætate in incerto, tutiùs creditum ab insigni, & nomine ipso patet origo, quod *Sancto Sabino* fide, summa paupertate, prodigiis, meritisque ad suprema *Christianæ* pietatis incrementa perducto pro Patrono habito prope Ecclesiam Plebis in apice collis Divo dicatam ubertate
B comitatus, atque Cæli clementia Fidelibus latè diffusis confluentibus, sivè ut accidit metu armorum grassantis exercitus incolis Monte profugis, excreverit in Pagum, Oppidumque, & tractu temporis evaserit Terra muris circumdata *Senensium*, sub quorum quievit Imperio ære refectis, habet Palatium Familiæ *Montium* Concivium, aliaque plura ædificia veterum familiarum. *Calabriæ* Duce adversus *Florentinos* exercitu instructo obsidione cingitur, *Florentini* valido numero suppetias laturi accedunt propiùs, initæque inter u- 97
trumque exercitum quatuor dierum induciæ, ut remissi Militum animi, acriores in aciem resurge-
C rent, quibus lapsis statim *Sabinum* expugnatur, *Florentini* consultò recedunt, ac *Romæ* pace firmata *Francisco Dyno* Clanarum Commissario, ut *Chronicis* legitur rescriptum, ut *Sabinum*, aliaque Castra *Florentinis* relaxarentur; finitimi populi incursu, ac vastatione *Sancti Vitalis* Patroni auxilio *Sabinates* mirabilitèr tuti ad exturbandam repentinam obsidionem resonantibus Cælo tubis, ac fragoribus somno promptiores exciti, hostibus per nemus veteris *Lucinianensis* Abbatiæ insito quodam horrore transversis lætabundi per Oppidum, agrosque incedebant. *Julio* regnante *Montium* Nobiles abierunt in feudum, & deinde in Mar-
D chionatum Domus *Ursinæ*, modò in Serenissimæ *Mediceæ* Familiæ Principatum cessere. Vix sustinere valent potestatem Præfecti Militum *Luciniani* residentis subire, quod *Axianienses*, *Senalunghenses*, *Castrinovi*, *Rigomagni Clanarum* mili- 98
tes opportunum, decorumque putant, cum nulli impares esse virorum memoria dignorum arbitrentur, inter quos *Fabianus de Monte*, ac *Vincentius* Curiæ Advocati celeberrimi, & plures ad Prælaturam evecti Chronicis *Fortunii* satis superelati, & novitèr Reverendissimus Episcopus *de Petris*, *Salustius* Episcopus Stringuli, *Eliseus*que de *Bartolis* ab origine, in primis *Italiæ* Tribunalibus Ju-
E dices, Præsidesque, pluresque de Illustribus Familiis, *Galletta*, *Buccia*, *Gungia*, ac Reverendissimus Metropolitanæ *Senensis* Canonicus *Guccius* litteratissimi Cardinalis *Cælii Piccolominei* Vicarius Generalis, doctrina, & integritate laudabilis, *Petrus Franciscus Minottius* edita Poësi, ac legali disciplina perspicuus, & Modernus *Petrus* quondam optimi I. C. *Silvii Buccii* Provinciæ *Lunensis* Auditor. Propius *Clanas* Martianum *Strozzæ* clade insignitum cum pingui Villa *Puteana* ad avitum usque *Essam* Planitie diffusa.

At medio *Clanarum* Vallis sinu præeminenti insidet Colle Lucignanum, *Datho*, & *Pio III. Li-* 99
F *cinianum Luciano Comiti*, cæteris Lucinianum *Jano* regnante annis à Creatione Mundi MMDXXX. profugoque *Dardano* (à quo *Dardanidæ* conditi) *Etruriæ* Corito lucum fuisse sacrum fabulatur *Mannozius*, saluberrimo utitur cælo, ac fertili solo olivæ Liciniæ *Plinio*, ac novitèr *Guigues* Viro eruditissimo relatæ præclaro. Ad Terram euntibus aperit aditum difficilis, sinuosaque via Montem ambiens, illinc *Cortona*, illinc *Politianum*, *Tumniates*, *Nursiæ* Montes, quindecim, & ultrà Episcopalium locorum ad jucundi-
tatem

Porchach. in Addit. ad Guicciardinum. Frater Fortunius Chron. Sabin. Christoph. de Forolivio Chron.

Thomas. Hist. par. 1.

Collenucc. Histor. Neapol. Malevolt. Histor. Senens. par. 2. Fortunius Chron.

Fasti Senens. tit. 7. & tit. 16.

Plin. Lib. 15. Tursell. Hist. Lib. 1. Volat. Lib. 5. Marcus Ant. Guigues Gallus Idrographia.

tatem prospectus. Tribus superbit Turribus ann. MDLVIII. arce inaccessibili rudi tecta marmore, *Sillana* dicta, incendio diruta summo impendio vetusto *D. Michaëlis* Templo ruinis refecto: reliquæ structura vetustissima augent signa antiquitatis magnis saxis sitæ ævo detectis cæmentis, absumptisque. Ea præcipuè suprà puteum vetus prætoriana à citandis Reis nuncupata, in qua cubitis suprà solum XXV. unus, arctusque patebat aditus ab incursione hostium, vel parta præda
100 confugientibus, saxis, hastisque ferratis ad defensam paratis, tormentorum usu neglecto, bombardarum priscis ætatibus ignoto: variis cincto latorum murorum septis Oppido sub hortis Lycei publici ad veterem januam, qua via ad Suburbium in longum protrahebatur, dilatoque giro minùs milliare eodem singularitèr rotundo, Turriculis, ac Turronibus hinc indè ad offensam dispositis ad formam Munimenti, quod perpetuis odiis *Aretini*, *Senenses*, *Florentini*que loci opportunitate, & dignitate armis decertaverunt. Quatuor suggestis tormentariis anno MDLIV. præmunivere *Strozza*, *Galli*que Regiis Liliis lapide suprà *Filariam* adhùc patentibus, ac *Cosimus Primus* Fortilitio amplissimo à fundamentis erecto Colle finitimo, eoque notæ fidei Militibus, Ducibusque suis credito Regionem frænavit sub novo Principe reluctantem, ac ambiguos *Licinianensium* animos, hinc Sanleoninus:

Seb. Sanl. Cosmianarum actionum. Epig. Lib. 3. fol. 86.

Gallica Marmoreis hæc propugnacula Septis
Muniit.

101 Circum Oppidum plurimi fontes, puteorumque perennes venæ impendio quæsitæ, caveæque passim diffusæ pro Frumentis, Ordeis, Bladisque, victu equino servandis. De cætero apud *Licinianenses* parsimonia est magnum vectigal, satisque patrium pingue solum, quod emi exteris vetitum; lingua; aspectuque prompti, gratique, gradus, ac gratiam apud Magnates assequuntur, *acribus initiis, incurioso fine*; cùm nec iis *de plebe sit infrà Servos ingenium.* Juvenes indole, & habitu egregii otio noverca virtutum tabescentes, tamen apud eos frequens Academia, Comicaque exteris plausibilis visa; pace remotis armis suprà cæteros Comitatum; ut *Ninus* inquit latitudine, ac fertilitate, cuique Civitati decentem villis, vineis, silvis, ac frumenti copia reddidere uberiorem, divitemque, expurgatis aquis palustribus per tractum *Fluennæ* ad Montem *Alphonsi* Regis cum copiis mansu *Clarum*, Datho Senensi, *Lycinianum trans Clanas*, Bartolusque meminit *de Padulibus Lucignani*, sic paludes loco dictæ, suprà quas collibus
102 amœnis frequens olea aquis amica fundens oleum *Licinianum*, & olim cecinisse juvat.

Ninus de bell. Ital. Lib. 5. & seq. in eadem Biblioth. D. Francisci Piccolominei Senens. Dath. Epist. Lib. 3. fol. 182. Bart. cons. 193.

Floruit Aretiis proles Licinia Terris,
Undè olea, & vetus hæc Oppida nomen habent.

Et expressè *Plinius* percipiendus de illa parte *Italiæ*, quæ habet Oleum *Licinianum*, & vulgò inquit, *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe, maximè in agro Venafrano, ejusque parte, qua Licinianum fundit Oleum, cum Liciniæ gloria præcipua Olivæ*, nec Oleum *Licinianum* aliundè, quam ad *Clanas* invidorum divinatione exquirendum, nec alibi inesse comprobatum, & pateat nomine, & re olearum excellentia, & *Italiæ* fœcundissimæ bona ad agrum unius Oppidi *Venafrani* Plinium reduxisse in prægnantissima Historia fatuè censendum, cum nostris hisce sæculis quoque optimum, copiosumque insit in Olivetis ad Montana *Ligurum*, ac propè maritima Provincialium, & perangusto *Venafri* Comitatu effundi *Licinianum* suprà illud concelebratum im-
103 probabile visum, à magis insigni fluxis rerum nominibus, ac vocabulis, & de *Venafrano* primo meminere *Plinius*, cæterique Veterum.

Anton. Bruciolus Plinio vulg. Lib. 15. Landinus Plin. vulgari in prima impressione.

A *Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri.*
Viridique certat
Bacca Venafro.
Ipse Venafrano piscem perfundit.

Horat. carm. 2. Ode 6. Juv. Sat. 5.

Et in specie de Liciniano vulgatum, Licinia dat Oleum optimum, Sergia plurimum, & Licinianum unguentis Medicorum apprimè Amicum, *& præcipuam gloriam Liciniæ Olivæ* attollit Plinius, non corruptè legendus *Baccas Liciniæ nulla avis appetit*, quia in aridis tantùm oleastris prodige natura inter saxa, vepresque eductis soli appetentia observatum, vel oleis immaturitate acerbis nucleo, & sanie, cum Olivam præmaturam, mollem, li-
B quore amabilem devorent ferè cunctæ Volucres, & Loci Familiares, traditumque

Bero. Rut. de re rust. Plin. loc. cit.

Licini Baccas appetit omnis avis.

Terra venusta molibus militaribus Servorum templo Deiparæ de Quercu miraculis claræ, ac Minorum, quod Cœnobium dicunt in hospitium 104
secundum *D. Francisco* Patrono *Tuscis* susceptum, ac *D. Felicis* Papæ, & Martyris Patroni, in quo *Felicem* in *Etruria* profugum Baptismate ad radices Montis propè Silvam *Paternensem* Licinianenses timore Paganorum abluisse traditione creditur.

C Gens ad arma ferox, ut Mutius asseruerit, *virtutem Licinianensium sæpiùs jam Senensibus prospicuam.* Etenim anno MDXXV. *Florentinis*, Copiis Pontificiis, Exulibusque *Senas* obsidentibus, & mœnia ad *Camollium* tormentis suprà Collem quassantibus, *Nardus Ciognius* Licinianensis Capitaneus obtulit se cum strenua *Licinianensium* manu paratum tormenta alto suggestu submovere, hostemque pellere, quod nec temerè dictum, quàmvis difficile nota militum audacia judicatum, quibus plures Juvenes Patritii gloriæ cupidi sese jungere non erubuerunt. Vexillo B. Virginis Venerabili *Margharita Bichia* recepto, Januisque fortitèr patefactis non per vias latentes, tutasque,
D sed palam incedunt contra ictus bombardarum, mori, sed vincere parati, captoque feliciter suggestu, eversisque tormentorum rotis manus conferunt, ut *Leonida*, *ac Miltiade Ducibus* de *Græcis* fama vulgavit, quingenti adversus decem millia, hostesque valle ruentes trucidant, ut describit *Marcus Guazzus Licinianensium exaggerans virtutem, fortitudinem, fidem*, mirari *Senenses* obvios ire vulneribus Milites, generosa pectora, & pro libertate animam effundere paratos, *Nardum* suos cohortari ad cædes, properare, ut non ad bellum, sed ad victoriam incederent, & prosperiore eventu exciti alacres à latere, & à fronte mœniis erum-
E punt in perculsos impetum faciunt, fusosque obtruncant, reliqui animos attollere, & in fugientes acrius sævire, tum spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, fugere, occidi, capi, equi, atque viri saucios incursare, simùl omnia strata sclopis, armis, cadaveribus, & humus ad ima sanguine profluens. Duces *Florentini*, *Gallique* irruptione *Senensium* exterriti, rarum circa ipsos agmen, non ardor animis fluxa arma, segnes equi, commeatu, suorumque Imperio libidini victorum permisso in fugam ruunt incompositè; pul-
F si cum sauciis integri suomet ipsi metu, & angustiis viarum conflictabantur, arma & signa militaria, pleraque capta. Tàm magnæ gloriam, famamque victoriæ *Licinianensibus* pugnæ illius aggressoribus cum quibusdam Junioribus *Senarum* præcipuè deberi consensu tradunt, quibus (ut fatetur *Thomasius*) gratiæ habitæ publico nomine, *Ciognorum* familia primo nobilitatis Ordini ascripta, & fastis *Senensibus* laus ingens, perennisque Victoribus concessa, *duodecim desiderati sunt de Oppido Lucigniano, cujus gentis quadringenti pedites ductu Nardi Ciogni strenuè dimicantes in Rempublicam fidem egregia cum laude probarunt*, indè Licinianenses

Victor. Mutius Licinianens. de fortitud. & re milit. fol. 13. & 39.

105

Marc. Guazz. Hist. fol. 25. ad 33.

106

Thomas. part. 2. M.S. in Biblioth. D. Franc. Piccolominei Senens. Fasti Senens. vita Marghar. Bichiæ fol. 333. Pompæ Senens. tit. 29.

ses fidi, dudùm civilitate inter Nobiles secundi Ordinis donati inter socios habiti, Magistratibus ineundis delecti, datiis immunes, leni imperio ob ea fidelissimi, & gratissimi reputabantur, muniti adversùs hostem non mœnibus modo, & armis,
107 atque viris, verùm, & multò magis turriti Collis asperitate, quibus per *Marcum* Mediolanensem perpensis, ut ipsius verbis utar, *Lucinianum*, ait, *Terram rebus cunctis fortissimam.*

Marc. Anton. Missalia vita Joannis Medicei March. Mariniani fol. 177.

Itaque rebus pace circumcompositis, novum, atroxque inter *Clementem VII.* & *Carolum V.* exarsit odium, qui præmisso *Borbone* cum immani exercitu ad *Romam* oppugnandam, & Pontificis elatam mentem exscindendam asperiora moliebatur, is liberè nullis exturbatus insidiis per *Clanas* transvectis copiis impunis vagabatur, Castri Plebenses fidi aditum, ac victualia septi muris armis infausto eventu contendere ausi, quibus non incruenta victoria subactis ad Urbem discursum, *Borbonius* interfectus, nec *Romæ* satis incendia, rapinæ, stupra, sacrorum, profanorumque contemptus in ultionem censita: nam quod in ejusmodi rebus accidit consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere, Pontifex profugus, velut sine Duce quisque rebus privatis consulere, & qui vitam fuga tuebantur, morbosa lue passim grassante, auctaque fame, viis, agrisque interibant:
108 *Borbonis* imperio potitus *Oranges* victis hostis infensior, qui aere *Senarum* intacto, ac lætissimo allectus *Tusciam* subit cum Equitibus, pedite, ægrisque insequentibus, *Florentinis*que oppugnatur. Copiis denique Dux designatus *Ferrantes Gonzaga*, Vir magnis ausis promptus, plura Oppida Vallis *Clanarum* armis circuibat, & naturali avaritia, instinctuque flagitante exercitu, *Hispanis*, locorumque purgamentis compacto (*in omnes libidines effuso*) horrea, Villasque opimas rapi, flammisque absumi, indulgent votis Militum Præfecti, atque hinc ire præcipites gliscere flagitia, & infamia, nec ulla moribus corruptis olim plùs libidinum circumdedit, quàm illa colluvies, nec quicquam improbi moris reservatum. *Senenses*, ut à finibus averterent bellum, legatos nominant, quibus *Gonzaga* responsum se subventurum sociis concessurum usurpata, & excelsam Rempublicam truncatis dissidiis feliciorem redditurum, iisque magnificis verbis fides habita. Sed *Senensium* men-
109 tes elusurus, & fluctuantia in diversas partes ingenia appositis munimento præsidiis fræno compositurus, quod *difficilius est temperare felicitati, ac cupidini dominationis, qua non putes te diù usurum, & multa bello impetu valida per tædia, & moras evanuisse*, pingues prædas, & cuncta avidius arripere, & *Liciniani* Oppidi potiundi maxima cupido invaserat opportuni, tùm propter usum belli, tùm quia res aspera videbatur, & *Senensibus* sæpè infausta, quæ postquàm Oppidani cognovere, res primò trepidè, metus ingens, malum improvisum, sed id facinus contra jus gentium admissum fidem populo naturaliter insitam, durasque quorundam cervices ad bellum instigaverat, nec ultra mora, itaque januis obclusis, nunciisque *Senensium* incassum suppetias implorantibus, incolarum mille Viri Sacramento adstringuntur invicem, nec labori, nec periculo parcendum, animam pro Patria amittere, lares res domesticæ, natique non ampliùs ad preces, sed asperam ultionem accendebat animos. *Gonzaga*, ut tentaret Oppidanos instituit Exploratoribus victualia, ac
110 commodas interim mansiones tradi. initium id illudendi minùs validis, vel si resisteretur, causa belli. illi renuere, se Amicos *Senensium* jactare, pace inniti, hanc appetere flagrantius, ac Cæsaris clementiam invocare; contra hostes urgere, & expugnare contendunt: sed jura pacis non violaturos, ubi parerent petitis, sed cum tuerentur Op-

Tac. Hist. Lib. 2.

A pido opere, & natura munito nullius idoneæ rei egente, armis, Virisque opulento satis hostibus cognitum mentes incolarum, structuramque muri æqua duritie obstare, iisque, qui machinamentis præcesserant sclopis, igne, & lapidibus detrudebantur. Tentat undique omnia, & circumspicit intentus; diebus, ac laboribus consumptis se mediis hostibus inesse animo reducens, incertus an omitteret inceptum: verùm eadem fortuna, eadem utique via, qua *Mario* indulsit in Oppidi *Capsensis* expugnatione *Ligure* quodam aditum aperiente, ità ea res *Gonzaga* fortè, quàm consilio meliùs gesta est. Clericus idemque puer venationi vacans fragore intellecto propè latebat sepi-
B bus, ubi modò *Cappucinorum* Cœnobium colle su- 111
peremínet, militibusque grassantibus carceri addictus, qua facilior, nec adeò munitus inesset murorum locus detegere coactus. is recentis operis structuræ gnarus, qua ocyus diruta per fenestras familiarium, portasque hortorum apertas pateret aditus sub Turre Senioris Capitanei *Bernardini Setti*, hac via, inquit, pedibus, manibusque per caveas murorum gradatim allevati progredimur Juvenes. Palam est hunc fuisse ex natis olim *Marci Bruni* viri *Pandulphi Petrutii* ab intimis, cujus ope Loci plateæ medio Palatium struxit injurio-
C sè monitionibus Priorum, Prætorisque in leve habitis signis *Pandulphi* muro defixis affectans Patriæ imperium, actumque, ni Seniores intrepidè præcavissent. Quo Militibus intellecto nocte umbras circumfundente paratis omnibus parte murorum adversa dùm confertissimis armis *Gonzaga* obsessos exturbat, *Hispani* admovent scalas, ascenduntque, & fenestris patentibus erumpunt. quod ubi *Lucinianensibus* cognitum, plures strenui viri accurrunt 112
aditu decertaturi, inter quos *Joannes Jacobus* * Capitaneus egregia edita pugna cecidit, sævitumque violentia, ferro, flammisque; & postquàm in ædes irrupere, scrutantur loca abdita, clausa effrin-
D gunt, strepitu, & tumultu, omnia commiscent, indè spoliare, imbelles fœminas rapere *vi, & stupris polluere* in omne fas, nefasque avidi, aut venales, non sacro, non profano abstinebant mortalium sceleratissimi, superbissimi, nocentissimi, incensis ira publicis documentis præviis signis latere *Christi* vetustioris Fraternitatis *Sanctæ Crucis*, Monialium modò *D. Claræ* sanguine profuso, eodemque vase sacro observato scelere hostibus ablato, absumptoque; frugum quoque egestas, & exorta ex eo fames in prodigium accipiebatur. *Hieronymus Brunus* Vexillifer, *Dreas Ciognius*, cæterique *Priores*, *Defensoresque de septem pro tempo-*
E *re*, quorum nomina invisa oblivione sublata, cum *suum unicuique decus posteritas rependat* custodibus dati sub arcu ad utramque arcem intermedio immanitèr laqueo suspenduntur gloriam *Tyriorum* as- 113
secuti, quos *Magnus ille Macedo in memoriam cædis crucibus affigi mandavit.* Credunt senes vulgatam traditionem anno proximè exacto ante Urbis excidium *Borbonem* ipsum diræ cladis Autorem, & in proposito, quædam prænotavit *Joannes Baptista Vanninus* J. C. probatissimus, orta fortasse æquivocatione à reliquiis exercitus *Borbonis Gonzaga* Duce depopulantibus, & astipulatur *Male-*
F *voltus*, & liquet documentis illo eodem anno MDXXX. inscriptis *de tempore nostræ devastationis*, cum bello, fame, & novitèr incrudescente lue mortifera undequaque afflictarentur, patetque instrumento locupletum ex arce *Senalunghæ* Hispanis dimissorum cum talea, *Joannis Salvii*, *Christophori Pierii*, *Joannis Angeli*, *Francisci*, & *Donati*, Vici olim *Joannis* * & quorumdam de familiis *Ciognia*, *de Bescis*, *Campanis*, *Chiochis*, *Lazzaris*, *Stephanis*, *Balardis.*

Cæterum *non magis justis judiciis comprobatum, non esse curæ Numini illam auream felicitatem esse ultio-*

*Dynus.

Vanninus Scriptura inter M. S. erudit. P. Jac. Grifoli in Biblioth. Cappucin. Luciniani.

* Ambo de Dinis, ut in Istrum, Ser Tosii Andreæ Senalunghensis anno 1530.

Tac. Lib. 1. Hist.

ultionem, cum *Fluvianensium*, vicinorum, *Lycinia-*
114 *nenses* sanguine fœdi odium atrox promiscua clade tamdiù protraxerint. Pagi plures comitatu effusi *Hispanis* diruti corpus unum, idemque summè validum conficientes hominum affluentia, qui comitiis statutis diebus interessent, cum quisque sua platea Oppido distincta conflueret, Platea *Sancti Blasii* Oppiduli propè *Galicionenses*, *Porchearia*, ad Turrim Prætoris, (antè carceres, propè *Roccham veterem*, ac hospitium Patrum strictioris Observantiæ, Platea Oppidanorum vetus, ac nova, qua via ad Contradam *Corsicæ* Corsis præsidiariis dictam, suo quisque Communi propè ruralem Ecclesiam convivens, Commune *Sancti Sabini* ad Silvas sistentia Cardinalis *Papiensis* cum Curia, ac Commissariis *Senensibus*, & *Florentinis* de nobilissimis familiis *Gora*, & *Acciaiola*, ac *Columbæ* adventu memoratum, Commune *Castellinæ*, qua propè via ad *Fluennam* latronum sede denominatæ, Commune *Badiæ*, qua circumpatent vestigia, Commune *Sancti Smeragdi*, via *Perusina* ad cauponas

[Papiens. in laudo, seu Sententia.]

115 Fontium usque ad Templum *Sancti Laurentii* iis eversum in *Paschineis*, æquè semidiruta vetus Ecclesia *Sancti Felicis* cum Baptisterio, domus tamen Communis integræ in finibus *Essæ* usque ad Sylvam *Paternensem*, ea tempestate Oppidani, Colonique supra quatuor millia, rerum copia, in armis ferocitas, lætissimus Comitatus, & fatetur Podius, *Lucinianum dives*, *& potens*; quæ Ecclesiæ Curæ Plebanorum commissæ, deinde sub aliis Ecclesiarum titulis redactæ, mox Canonicorum septem numero, ac Archipresbyteri dignitatem conficiunt, qui & Curati subeunt nomen, & onera, cum Rectore *Sancti Blasii*, Vicario Episcopali, ac Præposito. Nec sine ultione id permissum, quippè *Hispanis* Senarum libertati infensissimis Patres ad pellendum turpiter *Diegum*, ac fortilitia *Senis* structa evertenda *Lucinianensium* armis usi sunt fortitèr, & felicitèr; donec *Florentinis*, plurimisque hostium *Clanarum* ora bacchantibus excisis muris, haud satis immunitis, & fide locupletum rapinis pressorum *Senensibus* non irrationabilitèr suspecta,

[Pogg. Hist. Flor. Lib. 3.]

[Tomas. par. 2. M. S. Ninus de Bell. Ital.]

116 cum fractæ bello res, nec satis Milites ad totidem hostium diversa per loca evagantium impetus sustinendos, censent peditum, equitumque Magistri, quia dato belli signo *summa imperii ambigua, minora sine cura haberi* Senarum securitati consultum, si amotis *Luciniano* præsidiis, ac offendiculis, lectisque junioribus indefensum relinquerent Oppidum, incolisque vacuum; quod ubi *Lucinianensibus* intellectum, Campana arcis veteris crebriùs pulsata colonos convocant ad arma; tunc Præfectus *Senensium* Villa plurimos pulsat, pellitque; deindè tumultus, & rapinæ, cum validiores jactant muros impensis propriis refecturos, patriæque dignitatis defensioni se paratos, idoneosque, veterumque more, *mœnia virtuti non muris concredere*; reliqui *Lucinianensium* prima noctis hora recta armati contendunt ad Oppidum, clamantque undique, *hostis adest*, & iterato clamore fremitum hostium effingunt. Subitò timore improvidi Milites Præfecti *Fylaria* aufugiunt, illi iterùm muros

[Tac. Ann. Lib. 11.]

[Volser. de rebus Boycis.]

117 occupant, januasque patefaciunt profugis illudendo, nunciantque, si quis auderet accedere ampliùs, non ut hostis, sed ut proditor confodiendus, notaque Reipublicæ, Principumque munificentia *Florentinos* recipiunt, atque inter socios habiti, ut non insulsè *Sanleolinus* de capto, inquiens, post victoriam *Joannis Mariniani* Oppido:

[Cosmi. an. action. Epig. fol. 18. & 85. de Luciniano.]

Imperio Tusci parebam spontè Leonis
Hetruscis rapuit me Lupa Tusca jubis.
Belligeroque volens infecta Luce vocatus
Annua Joanni spontè tributa dedi.
Castello Lycini capto qua Gallica clades
Infecit tabo stagna, Clanemque die
Non minor, aut certè victoria proxima primæ
Victor ait Medices, lausque secunda prior.

Hinc cum deteriùs exardesceret belli turbo, denique *Julii Tertii* placito ad avertendam belli materiam Terra *Senensibus* restituta. Qui cum auctores magnificatæ defectionis ipso jure cecidisse à Capitulorum beneficio vulgassent, XV. ab utroque ex Consiliis Oratores missi oblongis caligis, albaque veste superinduti, qui Patribus vetus *Senarum* patrocinium *Lycinianenses* subiisse iterùm
gratularentur, & nova ostentationis pompa excusa- 118
tionem affectarent, versa in insontes criminis nota adulatione (*vetus id in Republica malum*) expurganda.

[Lib. Reformat. Lucign. anni 1552.]

Cæsareis denique, ac *Florentinis* in *Senarum* exitium irruentibus à *Petro Strozza* belli Sedes eligitur. *Senenses*, quibus pax servientibus gravior, quàm bellum liberis erat, & vetere animis adversus hostes insito odio cum *Gallis*, montanis *Aretinorum* vastatis, *Fluvianum* obsidere aggrediuntur exitu ancipiti, donec *Fluvianenses* improvisa proditione perculsi à Sociis, hostibusque obtruncantur, *Martianum* duodecim Cohortibus præmunitur, dein populatio, & Cædes, ni *Cosimus* propinquo summæ rei discrimine id ipsum metuens, *Mariniano* festinato prælio victoriam præcepisset, rescribens arcendum à finibus bellum, & cunctatione opus non esse, ubi perniciosior est quies, quàm temeritas, & positis castris *Senarum* die Augusti secunda MDLIV. fatone, an incuria *Strozzæ* Aquis, ac fluvio procul loco olim *Scannagalli*
à cæde *Senonum*, *Boyorum*que equis incommodo, 119
propiùs *Cosimi*, ac *Germanorum* Agmina intuebantur, & audacia Militum eminebat fremitu, clamoribusque dissonis, simul instruebantur acies, ingensque utrinque alacritas. Cum *Bighettus* Equitum Magister, (ut accidit æquè *Pompejanis* in agro *Farsalico*) inconsultò fugam cum equitibus capessendo incerto, percitoque rei novitate *Strozza* hostes reddidit audaciores, & strenuè à *Germanis* insecutus per inania, ac palustria loca pervagatur; interim *Marinianus* instat trepidis, nutantemque peditum aciem redux victor equitatus incursat. Nullum in ea trepidatione *Strozza* cum *Aurelio Fregoso* constantis Ducis officium prætermisit, *Tura Zondodarius* ex *Senensium* militum Præfectis de Senatorio, ac nobilissimo genere Illustrissimi D. *Antonii Felicis* Signaturæ Referendarii, *Bononiæ* Prolegati, florida adhuc vigente juventute, integritate, legali disciplina, Chisiaque munificentia Prælatorum maximi ad Suprema nati, cum manu Patritiorum pro Patriæ libertate a- 120
cerrimè propugnans profligavit hostes obvios fortiùs, quàm feliciùs: densis tamen agminibus, & inæqualibus locis ob vallum præruptum in declive hærebat, occursat paventibus, retinet cedentes, exterriti sine rectoribus equi, ut quemquam aditus tulerat transversi, cum *Marinianus* delectam manum opposuit, quantoque ferociùs occurrerant, tantò acriùs pulsos in fugam disjecit; tùm verò insequi, vulnerare, tamquàm pro aris, & focis certaretur, *Galli*que temere effusi, aut clauduntur vallo, aut consternuntur; *Senenses*, *Clusini*, *Ilcinenses*, *Massetanii*, ac *Licinianenses* pro libertate animam effundere fortitèr maluerant, nunquam cedere; & ni prædæ cupido victores à clade evocasset, illa die copiis deletis, nec nuncius quidem cladis superstes; Strozzam *Martianum* priùs, & deinde *Lucinianum* excepit, qua frequens agmen, Ducesque confluxerant; sed *Cinus Capponius* ex proscriptis *Catoni* haud impar, cui plaudens Lucanus:

[Frontinus. Cluver. Lib. 2. f. 575. Roseus Hist. Neap. Lib. 4. part. 3. Ad Tarcagn. Lib. 6. part. 3. Natal. Comes Histor. Lib. 8. Cinus loc. cit.]

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

Vulneratus, & fugere inassuetus pluribus *Florentinorum*, 121
quibus libertas invisa, trucidatis *Silanum* imitatus, nè imminentibus percussoribus gloriam

ministerii permitteret, sivè nè liber homo captivus ad *Cosimi* servitutem adigeretur, effracto acinace gutture mortem approperavit. *Strozza* percontatur ab amicis, numquid rebus attritis consulturus ad *Senas* iter carperet. est memoratu dignum *Morettum Calabrensem* Cæsareis hostem devotum palàm alloquutum, *malum eventum esse in culpa*, exueret ferociam, *sævienti fortunæ submitteret animum*, neù regressus in Urbem æmulatione perosæ potentiæ terribilia *Senensium* ingenia irritaret: relicto itaque ibidem cum præsidio *Alto* Comite, *Tectis Cistis* cum *Fregoso* equo vehitur *Ilcini*, ut *Pompejum* Patriæ Patrem ignota, scissaque navi aufugisse traditum; sed Milites lapso periculo admoniti, noctu evadunt muris admotis scalis; *Altus* somno excitus amicos incusans ad deditionem *Lucinianenses* hortatus celeriùs aufugit Ilcini; *Roche-*
122 *tus* fortilitio propè muros monte, Terra, suggestisque compacto Militibus Præpositus longiùs fugit providè cum *Calabrense*, cum *Altus*, ut recenset Comes, *affectans insulsas sui facinoris excusationes cum oppidum Natura, & arte munitum, rebusque omnibus instructum turpiter deseruisset, quod per multos dies valuisset defendere, atque impetus hostium, & honorificè, & utilissimè sustinere non multò post cum Bighetto signifero Prætorio Equitatus Ilcini capite mulctatur.* Senes, Puerique, validioribus suorum in acie cæsis, *magis tuta, & præsentia experiri censent, quàm vetera, & periculosa, & ponenda arma unum afflictis id remedium*, Cosimo Magno initis pactis, & capitulis spontè se submittunt, qui magis *hanc deditionem, quam victoriam consequentiæ ratus*, cum etiam ad *Senas* subigendas facilior pateret aditus, excogitavit, ut meminit *Bassius*, quomodò Terram gratiis, & prærogativis superillustraret, elegitque, ut caput Provinciæ Prætore misso cum Jurisdictione extensa supra plures Ter-
123 ras, Oppidaque *Senarum*, conventionibus ipsius manu juramento firmatis, quo casu capitula perpetuò ligant, nec requiritur confirmatio, ut docet in eruditissimo tractatu Illustrissimus D. meus *Giovius*, Perusiæ Auditor, & potissimè observanda, si à longo tempore firmata, cum sint in veteri possessione non solvendi gabellas, datia, ac impositiones; & concepta verbis amplissimis, & effrenatis, ut importent exemptionem non limitatam in agendis in loco, & inter Personas, sed absolutam ibi. *Che detta Communità, & Huomini s'intendano essere, e siano esenti in perpetuo, & immuni da ogni, e qualunque gravezza ordinaria, e straordinaria, che in qualsi voglia modo possa essere nominata, ò che dire, ò escogitare si potesse, ancorche quì per Espresso bisognasse farne special mentione, salvo che del pagamento del Censo, e Salario al Podestà, e Castellani.* Quæ verba bis geminata, *ogni, e qualunque*, includunt omnes casus etiam expressis majores, & important absolutam, liberamque immunitatem maximè à datiis tunc vigentibus Principi notissimis, qui etiam ea compræhendi voluit,
124 quæ novitèr excogitari poterant, sublato bellorum metu *veterum nunquàm memoria servitiorum*, & concessa hominibus concomitantur personam, ubicumque contrahere contingat, secundum *Baldum*, *propter immunitatis verba nullis finibus coarctata*, & in dubio cum non agatur de fraudanda Gabella, sed de Datiis nunquam solutis, interpretandum est contra Principem, ita ut dicta Capitula haud possint revocari causis minùs legitimis, vel prætextu alicujus honestæ, vel gravis utilitatis, sed gravissimis talibus, quæ Principem arctent alia ratione insuperabilibus, respicientibus principalitèr utilitatem loci immunis, cui alitèr quàm permissione collectarum provideri non possit, si ponderentur verba, *per espresso, farne special mentione, e che escogitar si potessero*, quæ ad casus necessitatis reducuntur, ut si Rex incideret in captivitatem,

Tac. Ann. 2. — Nat. Comes Hist. loc. cit. — Tac. Annal. 3. & 4. — Roseus Hist. Neap. part. 2. Lib. 4. — Cinus Vita Cosimi loc. cit. — P. Bass. de Felicitate Florentiæ. — Adrian. Hist. Florent. Lib. 13. fol. 913. — Alex. Giovius de Solemnitatibus in contract. Minorum Gloss. 22. §. 19. num. 25. — Bald. in l. digna Vox C. de legibus. — Castrens. Conf. 313. — Natt. Conf. 163. — D. Urceolus consult. 75. num. 5. — Rot. apud Bich. Decis. 30. — Fontanell. Dec. 262. — Rot. Decis. 36. num. 4. & 28. par. 5. rec. — Mesa Re. fol. 27. — Bald. Conf. 406. vol. 5 — D. Sabell. verb. Gabella n. 38. & 41.

A si hostes effectualitèr irruerent, cum iis minora redimenda sint consilio, vel ære Regis maximè divitis, non subditorum inter angustias conquerentium, quia ut declarat Aretinus, *immunitas alicui concessa non debet lædi, nisi cum onus ferri non potest* 125
ab aliis. Surdus verò non procedit in nostris terminis, sed in Privilegiatis mera gratia, cum *Licigniani* Terra esset à Datiis, & Gabellis ab immemorabili exempta, ut probat *Castrensis*, & sunt juratis Capitulis concessa, *non subditis*, cum esset in potestate *Licinianensium* per plures dies arce se tuto defendere spe Præsidii prævigilis *Strozzæ*, quo casu irrevocabilia, nec unica vice restringenda, ut decidit *Osaschus*, ubi quod ob servitiorum remunerationem ullo pacto, nec ingratitudine revocari valeant. Et minùs procedit, si Capitula sint firmata mutuis pactis, & obligationibus, quod *Lucinianenses* se submittant mero, & mixto Imperio amisso, ac Civilitate *Senarum*, & Salaria persolvant, ut est communis sententia, quod cum effectivè faciant privilegia (si ita vocari debeant) cum pacti in causa onerosa firmati habent commensurationem perpetuam, & mutuò onerosam, quæ sine labe peccati revocari nequeunt, si alitèr Principi consuli possit, & in Consiliis coram Serenissimo Domino meo Principe 126
C *Monaci* insistentèr votavit, & obtinuit Dominus *Jacobus Balduccius*, & doctissimè scriptum reliquit, & antè eum *Ramonius*, ubi refert, *Isacidem*, ità ad Regem *Cypri* respondisse, nè *ubi beneficia antevenere odium pro gratia reddatur*, & quod, si plenitudine potestatis adimerentur, Regna evaderent latrocinia magna, quia ut monet *Tacitus*, quotiès *gliscat potentia, non est utendum Imperio, ubi legibus agi potest*, qui autem Regibus adulati sunt, & contrarium sentiunt, iram Dei non evaserunt. Potissimè cognita fide *Lucinianensium*: etenim nedùm bellum difficile deditione faciliùs evasit, & *Senensibus* statim obsessis, pressisque, sublata victualia, & libertas Milites convocandi, & in aciem prodeundi: sed anno MDLVI. quidam *Senarum*, cum *Gallis*, ac *Ilcinensibus* Terram nocte quatere aggressi, Ducibusque timore perculsis, Oppidanis permissis armis, ac data faculate à Januis præsidiariis in hostes irruendi pelluntur, ac finibus arcentur, etiam fœminis, *quarum virilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus sor-* 127
titus est, patriis muris, saxis, fustibusque hastatis invictos, fugientesque irrumpentibus.

Oppidum Militibus, Ducibusque armigeris, sed æquè doctrina Viris egregiis celeberrimum, inter quos *Jacobus Grypholus*, qui edidit *Orationum Volumen*, ac *Defensionem Officiorum Ciceronis* in *Cælium Calcagninum* Ferrariensem, *Jovio* in Elogio *Calcagnini* injuriosè posthabitus, Commentaria super Poëticam *Horatii*, *Demosthenis* Orationibus, & de pace, ac *Zenofrontis Hieron.* de Græco in Latinum versis, *Mascardo*, ac *Manutio* laudatus, *Senensi* Republica litterarum humanarum Lector accitus, ut ipse refert *à Civibus meis honorificentissimè vocatus.* P. *Bartholomæus Bassius* publicus in Universitate *Papiensi* Theologiæ Professor, ac Provinciæ *Mediolani* Lector Generalis, Typis emisit Libros historico morales de Dei in *Romanos* charitate, de *Florentiæ* Felicitate, de Nobilitate *Mediolani*, ac de Theologiæ præstantia, sed à Minoribus ad *Cappuccinos* migrans, Regularis observantiæ spiritu ductus, Animam emisit, Columba radios per caput ejus circumferente, inter Beatos 128
ascriptus *in Cappuccinorum Annalibus*, in quibus paritèr Venerabilis observantia, ac pietate Pater *Augustinus Baccatus*, ac plures Ordinis Minorum in Cœnobio depictos ad primos Religionis gradus evectos, inter quos Pater Magister *Gorus* in Lyceo *Senarum* Theologiæ Lector eximius, ac Pater *Joannes de Angelis* Paduæ Inquisitor, aliique mu-

Aret. l. si ex toto ff. de Leg. 1. — Surd. Decis. 272. — Osasch. Decis. 139. num. 22. & 28. — Mastril. Decis. 164. num. 6. — Ramon. Conf. 24. num. 436. — Capic. Latro Decis. 190. — D. Bald. ad Conf. Ramonii observat. num. 75. — Ramon. dicto Conf. — Tac. Annal. 4. — Tac. Lib. 3. Ann. — Valer. Max. Lib. 6. — Adrian. Lib. 13. — Thuan. Lib. 16. — Cinus Lib. 5. & 6. — Jov. Vitor. Illust. — Mascard. Art. Hist. — Paulus Manutius Epist. vulgares Lib. 2. latinæ Lib. 1. — Griff. orat. 4. — Annal. Cappuccin. anni 1579.

*De Dynis. muneribus decorati, *P. Joannes Jacobus* *, qui Vicarius Generalis *Italiæ*, Senis obiit anno Pompæ Senenf. tit. 13. MDXIX. Inquisitor Generalis doctrina, ac pietate in *Senarum* fastis inter clarissimos addictus; Reverend. D. *Joseph Renzolius*, qui Venetiis legalis Philosophiæ Lector, & benè gerendæ Reipublicæ documentis Nobilibus pergratus ob egregia merita inter insignes *Venetos* Viros cum edita gestorum historia relatus; Rev. *Petrus Jacobus Veridianus* in Collegio Propagandæ Fidei Lector ante *Urbanum VIII.* oravit, edidit de Deo Trino, & Uno, ac Flores Poeseos. Pater *Victorius*
129 *Brunus* Minorum anno ætatis 37. defunctus, cujus ætatem si gestis compares, ætatem ultra putes, scripsit, dùm *Bononiæ* Collegialibus legeret, de Deo, de Anima, de Angelis cognomento *Scotus* inter insignes Ordinis, doctrina, famaque Viros in Cœnobio *Politiano* depictus, de quo plura Modernus *Mastrius* ingrato silentio Auctore omisso extorsit, Pater *Joannes Ristorius*, Pater *Cosimus Gripholus*, ac Pater *Sanesius*, qui in muneribus gravissimis, Thesibusque Theologicis primi Minorum Cœnobii *Lucimanensis* famam *Italis* fecere celeberrimam: Rev. Archipresbyter *Emilius Ristorius*, qui coimplicatis Excellentissimæ Domus *Sforziæ* litium nexibus in Rota *Romana* discissis Auditor Generalis nominatus, difficillimis superatis temporibus, priùs extinctus, quam fessus, aliisque in Statu *Mediolani* dignitatibus insignitus.

Petrus Maria Domini *Bartholomæi* quondam *Petri de Capeis* claræ recordationis, divitiis etiam piè cumulatis suprà cæteros illius temporis, gestisque laudatissimi, *Senis*, *Pisis*, *Romæ* studiorum, ærumnarumque consocius corpore exiguus non
130 ingenio, qui in reconditorum *Taciti*, *Juvenalis*, *Perseique* sensuum explanatione, ac legali Philosophia subtilissimus, *Joannis* Senioris J. C. de *Capeis* Patrui Historiis, gravibusque sententiis versatissimi, ac *Lactantii Bruni* in Urbe Curialis egregii integritate, praxi, opibusque congestis celeberrimi famam assecutus *Francisci Battellii* Innocentii XI. ex Aulicis, & Familiarium *Medici* stimulis excitatus, studiis fessus, Advocationis dignitatem degustare avidus, immaturè raptus anno proximè lapso MDCXCIII. ætatis XXXI. eò tamen usque pervenit, ut *Alexandro VIII.* ad summi Sacerdotii culmen evecto Aula, Curiaque notus emergeret involutis litibus enodatis, ac injuriosè toleraverit fortunam, fatumque, quod congruere rebus putant, Principumque ingenia loci Jurisperitis, litteratisque infestissima. Celebris Canonista *Romæ* natus *Ludovicus Ciognus* Episcopus Venafranus filius *Leonardi* Lucinianensis, *Sabinæ*, *Reatinæ*, aliarumque Civitatum Militum Ge-
131 neralis Præfecti ejusdem agnationis *Ciogniæ* familiæ ex Patritiis *Senarum*, quæ inter plurimos Viros Patrem *Guglielmum Ciognium* Magistrum Eremitarum Sancti *Augustini* Oratorem litteratissimum ostentat, & Theologum Principum, Regumque, Dominicus *Ciottus*, qui cùm diù cum *Cæsare Borgia* Locumtenentis Generalis munus subiisset, ad supremum Comitis stabilis militiæ gradum ab *Alexandro VI.* ascriptus politica, ac Poësi inter Aulicos notissimus, *Joannes Salvius* strenuus Dux *Pisanorum* ob Oppidum *Calcinarium* ter Giovius Hist. ab irruentibus *Florentinis* defensum à *Giovio* ad perennitatem commendatus. *Marianus Bassius* Fortilitii, ac Arcium *Senensis* ditionis, Annonæque Præfectus, *Hieronymus Brunus* Commissarius Vallis *Clanarum*, & Nuntius Pontifici, ac *Carolo V.* Senensibus missus supremis Magistratibus dilectus. *Dynus. *Ludovicus* * qui cum in maritima expeditione adversus *Turcas* cum *Venetis* manus conferret, Puppi Generalis vi expugnata ad propellendos hostes nudato ense præcedens cæteros, Capitanei nomi-
132 ne eodem Generali decoratus, & à Republica con-

A firmatus à Serenissimo *Ferdinando* Hetruriæ Magno Duce V. Porta *Pisana* ejus fidei demandata, Capitaneus *Liburni* descriptus; ab origine *Brunus* Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalis, qui floruit in XI. seculo, quod indubia comprobat traditio, nec Scribentibus satis in antiquis nota Oppidani Patria, seù origo, & præclarè gesta, ac Beatus *Matthæus* Eremitarum Sancti Augustini *Ilicetanus* Vicarius *Italiæ* Generalis strictioris observantiæ, humilitate, ac heroicis virtutibus eximius. *In Ilicetana Silva ebullientem Juventutem firmavit, sicut ut initium Canonicæ Congregationis Salvator is plenus meritis, & diebus obiit anno* 1436. ut litteraliter Pater *Landuccius*, ac Pater *Bonsignorius* memoriæ prodidere, eumdem fuisse filium
B *Francisci* * fama liquet, de regulari observantia scripsit subtilissime *Landuccio*, & cæterorum placito rejectis ex adversò dicentibus fuisse de Domo *Forestana* Senarum. Torell. Secul. August. anno 1436. P. Landuccius Silva Ilicetan. & Chronicon. Breve † Bonsignor. annot. M. S. in Bibliotheca Martiniana Senarum signo † *Dyni

Hujus heroica gesta latè recolimus in Poëmate juvenilibus annis edito, cujus hic fragmentum transscribimus.

Huic Natale solum veteris, qua Castra Lycini 133
Sillani coluere Duces de Stirpe * * Dynorum.
Francisco natus, sacro de fonte Joannis
Nomen, & Omen habet, Paulina huic Ciognia dives
Insignis pietate parens ab origine Cives,
C *Qua patet antiquo Senonum de nomine Sena,*
Sed cum primæva umbravit lanugine malas,
Cœpitque æthereæ libare crepuscula lucis;
Hic ubi sacra Deo felix Aurelia Proles,
Ilicibus latuit, quotiès per inhospita Dumi
Ibat inops, inopem quærens radicibus escam
Evulsis, quoties intacto fonte reperto
Transivit latices, quamvis sitis arida fauces
Urgeret, quoties cum Sol exureret Agros,
Aut caderent gravidis hyberni nubibus imbres,
Immaduit pluviis, & solibus arsit acutis,
Et crebrò gemit ille est quædam flere voluptas
Dulcis amarities lacrymarum, ipsæque querelæ
Ipsi delectant, qui sunt in amore dolores.
D *Ah quoties lætæ Valles, Collesque Supini*
Littora, qua transit, rupesque, atque ipsa beatum
Saxa vocant; fortè horrebant super æthera nimbi,
Errantesque ibant pecudes, rapit unda repentè
Pastorem, pavidosque greges, quin improba crescit
Diluvies, mersosque uno complectitur alveo
Arbia, præcipitem volvens verso aggere cursum,
Matthæusque super mediis spatiatus in undis.
Protinùs extinctum limphis extorsit iniquis 134
Andream, (sic nomen erat) dum flebat amicum
Turba frequens, orat, versis ad Sydera palmis
Matthæus, surgitque Puer (mirabile visu)
E *Illum Pastores ad Cælum laudibus æquant*
Matthæum vastæ resonabant undiquè Silvæ,
Et signata cavis Matthæi nomina truncis
Jam Precibus Matthæe meis assuesce vocari,
Et tibi devotis fument Altaria donis.

Emergitque nobilitas patentiùs, ac loci dignitas ex ampla Doctorum caterva, omissis aliis egregiis viris, ut plurimùm in patria æde inhabitantium, qui mihi adhùc Juveni notissimi, ac familiares, hac simùl ætate clarissimi Domini Vallis *Clanarum* Vicarii curia, Oppidoque florent emeritissimi, D. *Angelus Renzolius*, Pisarum, &
F bis Pistorii Judex, R. D. *Salvator Corradus* in Urbe Sancti Spiritus curæ rerum domesticarum Præpositus, ac litibus interessendum deputatus ejusdem Ordinis Eques, ac Prior, D. Archipresbyter *Franciscus de Serbattistis* Principium Aulicus ab intimis, D. *Bartholomæus* olim D. Signiferi *Francisci de Arrighis* Eques militiæ *Divi Stephani* olim Fani Prætor, D. *Bernardinus* quondam D. 135
Cintii Renzolii Florentiæ Causarum Patronus primarius Reorum acer Defensor, D. *Franciscus* D.

Petri de Spoletis Mathematicus, Physicus, & Paduæ Philosophiæ Lector clarissimus, D. *Franciscus Battellius*, D. *Petrus Maria* D. *Bartholomæi de Capeis*, D. *Deiphebus* olim D. Jurisconsulti *Antonii de Settis* ex tempore Poëta eruditissimus, D. *Antonius* quondam D. Physici *Joannis de Salvis* Medicus Florentiæ laudatus, D. *Franciscus Maria de Bonastris*, R. D. Canonicus *Armenius*, D. *Archangelus* fratres *de Battellis*, D. *Joannes* cognomento *Pius*, ac D. *Carolus* olim D. *Petri de Capeis*, D. *Franciscus*, D. *Flaminius* D. *Joannis Francisci de Arrighis*, D. *Felix* D. *Petri de Grifolis*, D. *Petrus Marcellus*, ac D. *Dominicus* D. Signiferi *Joannis Baptistæ de Capeis*, R. D. Canonicus *Joannes Baptista*, ac D. *Franciscus* D. *Petri de Serbatistis*, R. D. *Joannes* olim D. *Prosperi Ciogni*, D. *Franciscus Ciognius*, D. *Hyacinthus* D. *Constantini Ciogni*, D. *Joannes Baptista* olim D.
136 *Maynardi de Ciognis*, R. D. Canonicus *de Tornainis*, R. D. Canonicus *Franciscus de Daniellis*, R. D. *de Lazzaris*, R. D. *de Bernardinis*, R. D. *Petrus de Bassis*, R. D. *de Salvis* Theologiæ Doctor in ditione Mediolanensi Archipresbyter, D. *Gabriel Scarmalius* Petiliani Prætor, D. *Franciscus Corradus*, D. *Franciscus* D. *Belisarii de Angelis*, D. *de Stephanis*, ac D. *Joseph de Bernardinis* Florentiæ Curia summè Practici, D. . . . . . RR. DD. Abbas *Matthæus*, ac D. *Fabianus de Arrighis* Eques Militiæ Divi Stephani, D. Canonicus *Ubaldinus de Capeis*, ex recentioribus verò D. *Fabianus* D. *Bartholomæi Arrighi*, D *Octavianus* D. *Bartholomæi de Capeis*, D. *Franciscus* D. *Petri de Grifolis*, D. *Petrus* D. *Consalvii Stephani*, ac D. *Joannes Cosimus* D. Capitanei *Alexandri de Battellis*, ex numero Regularium in humanis degentium, P. *Emilius Ristorius* Philosophus, ac Theologus Societatis Jesu Eminentissimus, Serenissimorum *Sabaudiæ* Principum Orator facundus, & mi-
137 ra elocutione pollens, P Magister *Draconus* Servorum Provincialis, Orator legum, ac Theologiæ studiosissimus, P. Magister *Franceschinus* Sancti Augustini, Orator; Provincialis, ac Serenissimi D. *Francisci Mariæ Medicei* munificentia, prudentia, animique magnitudine amplissimi Cardin. Theologus apud infideles *Tunisis* diù captivus, ibidemque Vicarius Apostolicus à Sancta Sede destinatus, P. Magister *Victorius de Bartolis*, P. Magister *de Picconibus*, P, Magister *de Stephanis*, P. Magister *de Pampanis*, P. Magister *de Mannellis*, ac P. Magister *Laurentius Barlozzius* Ordinis Servorum Concionatores laudatissimi cum Patribus Ordinis Cappuccinorum P. *Augustino Baccato*, ac P *Jacobo Grifolo*, pluresque brevitatis studio omissi, qui ferè cum iis coætanei sibi famam, Patriæ decus egregiis virtutibus compararunt, ac æquè de perhonestis familiis DD. *de Rectoribus*, de *Cantellis*, *Acciaiolis*, extinctis vetustioribus *de Menghinis*, *Landinis*, *Vannis*, *Cennis*, *Chelinis*, *Binis*, *de Gondis*, *Mutiis*.

Oppidum opulentum, ac nobile habitum loci
138 humanitate, comitate, ac festivitate incolarum, attollitque *Albertus* supra cætera quæcumque Oppida, ac Civitates veteris *Senensis* ditionis, subdens potioris consequentiæ censitum *Senensibus* validiori militum manu, Ducumque supremorum præsentia, aliis posthabitis, ad quoscumque casus defensum, paratumque; rerumque copia, vini, oleique excellentia exteris jucundissimum; non æquè finitimis *Lucinianensium* ære gravatis pro gabellarum, censuum, publicorumque subsidiorum solutione tractis in longum litibus, animisque obduratis; onera tamen Communis annuarum pensionum ægrè tolerabantur assuetis immunitati diuturnæ, queis incuria Seniorum, quo jure ignoratum, exigunt Episcopi *Aretini* annuum frumenti tributum, quod iisdem Dominis cum equis,

P. Albert. Lazzarus de Bellor. origine par. 2. fol. 352. & 354.

A ac cereis metum, incursionesque passis erogabatur in pacis pretium, ac libertatis; valuitque ingruente frugum inopia Civitates ipsas periculo famis eximere copiosa *Lucinianensis* annona; Gens, Oppidumque Magnatibus gratissima, Reipublicæ *Aretinæ*, *Senensi*, ac *Florentinæ*, *Orbevetanæ*, ac *Perusinæ*, *Galeazzo Vicecomiti* primo *Mediolanensium* Duci, quo munita fortilitia, ut muris fixa profitentur insignia, *Sixto* Papæ *Quarto* ad pacem cùm *Fluvianensibus* componendam *Papiensi* delegato, *Gallorum* Regi *Moretto Calabresio*, Termes Præfecto cum auxiliariis, *Strozza* denique ad conficienda munimenta præmissis, *Julio III.* qui 139
B B. Virginis de Quercu in flore ætatis obsequio deditissimus Pontifex renunciatus pedibus morbo exemptis pro gratiis exsolvendis munera propè aram signata aureis crucibus usque dum pendentia supplex elargitus est magis piè, quàm liberalitèr, locique consequentiam superextulit vehementèr Cardinalium Consistorio; etenim *Strozza* cum copiis in finibus *Luciniani* profligato epistolis *Mariniani* victoriæ nunciis *Julio* lætissime intellectis purpureis *Gallorum* Principibus anxiis, & inopinata clade perculsis, ut abditos Principum sensus, & si quid occultius mente inest, contegeret verborum magnificentia: *Imperii*, inquit, *sum-* 140
C *mam nondum hærere in ambiguo spem*, *roburque superesse Gallorum rebus Luciniani ad Mediterranea Portus Herculis ad Maritima sustentatione adhuc prævalidis.* Cosimus verò primus cives bello, dissidiisque attritos privilegiis honestissimè decoravit; *Nobilibusque Viris* juxta vetustissimum Reipublicæ morem inscribi mandavit supremis *Florentiæ* Magistratibus, quod nec in leve habitum, longum quippè esset recensere, quot Natæ, Maresque contraxerint sponsalia cum Nobilibus, egregiisque, pluresque ad Equitis prærogativam perducti, recentia exempla objiciam inter Oppidanos *Clanarum* hoc sæculo præcipua, ac singula-
D ria, cum clarissimus Dominus *Joannes* generis *Albergottorum* de *Aretio* Urbe generosæ Nobilitatis, Equitumque *Melitensium* fœcundissima, D. *Veniliam* Lucinianensem de honestissima Familia *Bonastra* sibi in Conjugem adamasset. Descendentes *Melitensi* Ordini jure ex hoc quoque latere ascripti, docto in actis. Oppidum vetus, gestis præclarum, rerum copia affluens, egregiis Viris 141 insigne, perspicuum libertate, ac mero, mixtoque Imperio spatio centum, & ultra annorum, ut *Castrensis*, Cardinalis *Tuschus*, *Malevoltus*, *Papiensis*, *Pius Tertius*, capitula, ac statuta antè ul-
E timam deditionem evulgata abundè comprobarunt, publicisque prædictorum, actorumque habitis testimoniis, ac documentis annis XX. circiter lapsis, Nobilis Vir *Sfortia de Ristoris* Lucinianensis Natas suas D. *Lucretiam* cum generosissimo D. Comite *Joanne Baptista Maculano* patritio *Placentino* ex Nepotibus amplissimæ memoriæ Cardinalis *Maculani de Florentiola*, in uxorem collocavit, ac D. *Ursulam* cum nobilissimo D. *Bartholomæo* Marchione *Petræ Gravinæ* Excellentissimæ Domus *Malespinæ*, quibus clarissimi, ac lectissimi Equites, in dies effulgent. Idemque *Cosimus* Prætore, ac Militum Magistro Loco missis pluribus aliis Terris, Castrisque *Florentinæ*,
F *Senensisque* circum ditionis *Lucinianum* præfecit, ut Auctor est *Adrianus*, & sedato etiam belli turbine *Cosmianum* munimentum propinquo Colle 142 *Sorbellono* confectum centum *Corsis* sub *Bencio*, aliisque Militum Ducibus custodiendum curavit, suspectis *Lucinianensium* in carcerem detrusis libertati, muneribusque restitutis, rebus compositis per *Cosimum* res, & nomine Magnum, qui cuncta bellis civilibus fessa nomine Principis sub imperium accepit, rebellionum morbis consultissimo Medico *Mariniano* expurgatis, res frumentaria resti-

Missalia vita Joannis Medicei fol. 176.

P. Bassius de Felic. Florentiæ.

Capit. in Cancel. Luciniani ann. 1390.

Hist. Flor. Lib. 13.

Benc. Hist. Pol. lit. Lib. fin.

reſtituta, donataque pax aurea ſub magnanimis Nepotibus, maximè *Coſimo* hujus nominis *Tertio*, piiſſimo, ac beneficentiſſimo Magno Duce VI., ac *Ferdinando* Etruriæ Magno Principe clemen- A tiſſimo, litteratorum Mœcenate, regia munificentia, liberalitate, prudentia toto Orbe famigeratis.

Cætera deſiderantur.

143

D. FRANCISCI BALDERESCHI,

J. C. Palaienſis Judicis Clariſſimi, &c.

ANNOTATIONES
IN
D. FRANCISCI DYNI
ANTIQUITATES ETRURIÆ.

Numeri paginarum in Annotationibus his citati, referunt paginas Editionis prioris, in nova hac Editione ad marginem notatas.



Agabantur per manus Litteratorum quædam exemplaria hiſtorica manuſcripta Antiquitatem Etruriæ *Domini J. C. Franciſci Dyni Licinianenſis* ab eodem anno MDCXCIII. miſſa Generoſiſſimo D. Comiti HIERONYMO DANDINO, quæ revera plurima leguntur eruditione, gravibuſque ſententiis conflata, pluribuſque in locis *Taciti* ſtylus imi-
144 tatus feliciter. Cenſui quædam annotare nixus Scriptoris authoritate, cum de D. *Dyno* alia plura extent monumenta ingenio, ac labore compacta, nempè plures Orationes, Poëmata, Carminumque volumen typis edendum, Conſilia Legalia, ac Deciſiones editæ, quæ manibus Juriſperitorum obſervantur, ac binæ ejuſdem D. *Dyni* Deciſiones, quæ in ordine 96. & 97. referuntur per ſummum legum Doctorem D. *Jacobum Balduccium*, ipſius apud Sereniſſimum Principem *Monaci* in Auditoratu Prædeceſſorem, poſt *Obſervationes ad Conſilia* Ramonii *Tom.* 4., & in Indice generali de eodem meminit in verbo *Indicium*, in verbo *Conventicula*, & honorificentius *in Tom.* 3. *Obſervat.* 57. *ſub. num.* 4. pag. 59., eundem D. *Dynum* laudibus tollit pluribus pariter in locis Reverend. *Marcus Antonius Guigues* Gallus Senis, Nobilibus Seminarii Tholomeorum Geographiæ Lector litteratiſſimus Linguarum, Hiſtoriarumque Enucleator in ſua *Sphæra Geographico Cæleſti*.

Curavi ignaro Authore, officiorumque curis in ex-
145 teris regionibus diſtracto typis *Senogalliæ* committerentur mendis expurgata, repertis verbis pluribus in albo relictis, perverſo etiam chartarum ordine potiſſimum pag. 23. cum agitur de *Aretinorum* tumulto per *C. Hoſtilium* ſedato, qui ante *Annibalis* adventum in ora *Clanarum* incuria Scribarum reperitur appoſitus, quod fuit Authore animadverſum, cum eodem relatus fuerit juxta ordinem *Livii* in margine recenſiti *Lib.* XXII. & *Lib.* XXVII. irruptio *Hoſtilii* ad mœnia *Aretinorum*, hiſtoriaque complemento indiget, cum geſta, ſummique *Aretinorum* Viri volumen exigerent, inter quos ſilentio minimè omittendi *Tarlatinus Petramala*, qui pro Imperatore *Ludovico Bavaro* Dux ſtrenuus hoſtes ſudit, *Piſarum* ab eodem Vicarius creatus, *Tuſcarum* rerum ſumma i-
Compag. in Regia Picena fol. 231. pſiusmet poteſtati commiſſa, Duo Generales Maritimarum expeditionum de domo *Borra*, & ex legiſtis *Roſellus Firmi* Lector commentariis notiſſimus, ſed plura magis traditione, & conjecturis, quàm Veterum
146 authoritate educenda, ob defectum Authorum, qui, ut inquit Dominus *Dynus*, egerint de rebus *Tuſcis*,

Unum tamen in ſpecie notandum, quod *Porſena* non
Liv. Lib. 2. Flor. Lib. 1. cap. 10. Guaz. in Chronic. Vill. Stor. Fior. Lib. 1. cap. 44. & 52. tantùm Lucumo Cluſinorum, ſed *Rex Cluſinus* Livio inſcribitur, Floro *Porſena Rex Etruſcorum ingentibus copiis aderat*, & tunc valida res *Cluſina* erat ob invicti Regis præſentiam, & notant *Guazzus*, *Villanus*, quamvis plures Veterum tradant Provinciam Lucuminibus moderatam, queis ad Fanum *Voltumnæ* concilia conficiebantur, & Regiam *Cluſinam* Civitatem vetuſtam eſſe *Porſenæ* ſedem palam eſt, *Cluſam*que Caſentini ſcriptoribus antiquis, ut pag. 52. ponderat D. *Dynus*
Lib. 2. ignotam, & addo *Polybium*, qui loquens de *Cluſio* prope *Clanas*, inquit à *Cluſio* à *Gallis* obſeſſo ad Urbem

B contendi brevi dierum trium itinere, cùm diſtet per LXXX. circiter milliaria, *Cluſa* verò ultrà CXXX.

Videtur etiam idem D. *Dynus* de C. *Cilnio* Mæcenate incidenter locutus, & fuiſſe *Aretinum* dicit ex *Lipſio*, qui *Cilnium* genus ſuperextulit cum Silio. 147

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris.

Villamque *Mæcenam* in eo comitatu *C. Cilnii* Mæcenatis æſtivis temporibus incolatu dictam corruptè *Mercenam* tradunt *Aretini*, eumdemque regione *Clanarum* oriundum etiam comprobat *Auguſtus* in Epiſtola per *Macrobium* relata *Laſar Aretinum*, qui Regibus ortus erat, *Porſenam*que ex atavis Mæcenatis lepide Caporalis inſcripſit, ſed *Horatius* non uno tantùm, ſed pluribus ait ipſius originem emanatam: Comment. ad Horat.

Tyrrhena Regum progenies

C Propertius:

Mæcenas Eques Etruſca de Sanguine Regum

Martialis:

Mæcenas atavis Regibus ortus eques.

Et notat poſt Macinellum Aſcenſius:

Ex antiquiſſimis Etruriæ Regibus ortus.

Lapis quoque per D. *Camurrinum* relatus, & ex eo per D. *Dynum* pag. 22. clarè patefacit hanc Regiam Familiam ſupra Decurionum Magiſtratum extitiſſe præpotentem, nec omittendum inter Veterum numiſmata 148
eodem D. *Dyno* recollecta unum argenteum ineſſe, in quo ex una parte curru quatuor equis vecto inſedit Auriga, pluribuſque corruptis litteris hæ ſuperſunt,

ÆD. . . , CVR.

Ex altera parte, Equi figura obtruncato capite ſupra
D collum haſtam acutam gerentis, & ſub ſpoliis, galeis, haſtiſque legitur

REX ARET.

D. *Dynus* in hac ſua hiſtoria M. S. denarii hujus memoriam facere non prætermiſerat, ſed in pag 30 aliiſque plurimis locis de recenti apparent lineæ litura ſignata, nec opinor ab Authore, qui denarii venuſtatem mihi *Florentiæ*, amiciſque oſtendendo ſingulariter lapſis annis celebravit, verius à Reviſoribus, meque, ac Authore abſente, ut ſe fortaſſe eruditiores oſtenderent, ſed nec ſutor ultra crepidam. Verùm pro hujus denarii memoria verſus dicti Codicis M. S., qui quamvis ſuperlineati commodè legi poſſunt, tranſcribendos cenſui. *Denarium* (inquit Dynus) *vetuſtiſſimum, ac ſin-* 149
gulare penes me cum aliis ſtudio obſervatum, in quo ſub ſpoliis, galeis, haſtis legitur.

E REX ARET.

Videbor nova proponere nullo ex priſcis Authoribus probata, hoc accidere potuit incuria ſcriptorum cum tali Rege nullum fuerit fortaſſe bellum ſaltem memorabile actum, patratumque ſentio: itaque Regem hunc non regnaſſe priuſquam Tuſci Romanis in Societatem reciperentur, quia non illis litteris Latinis, ſed Etruſcis utebantur, nec tempore incurſionis C. Hoſtilii cum tunc apud Senatores ineſſet imperii Lib. 3 cap. 18.
ſumma; at poſtmodùm, in bello ſociali teſte Floro Etruria omnis, Picenum atque Campania ſub ſuis quiſque ſignis in Romanos acies inſtruxit, quas ad ſpem dominationis Druſus erexerat, Duces ergo exercitus Aretinorum ſibi Regis nomen in ea-propera expeditione aſcripſiſſe fatendum. Hæc

C 3 ille

A ille. Nomen verò talis Regis decem & octo lapsu
seculorum oblivione contegitur.
Ex præmissis non insulsè credendum Regem hunc
de genere *Cilnio* Originem eduxisse, cum etiam fami-
150 liæ dignitas liqueat satis ex notata inscriptione sub Ar-
chitravi Cathedralis *Aretinæ*, in qua etiam Pater *Ciat-
tus* asserit *Cilnia* desumi, quamvis litteris *Etruscis* confe-
ctam legisse authumet, cum tales litteras nostris hisce
seculis ignotas non didicerit; verius itaque *latinis*, sed
Antiquissimi illius Characteris, ut difficulter legi, per-
cipique valeant, hinc plures *Aretini* legisse testantur.

Ciatt. Hist. Perus. Lib. 2.

GENS CILNIA FIDELIS
ARET. PROVIDENT.

Quam Familiam differre à *Licinia* satis *Dyno* nostro
comprobatur; ut etiam eruditè ostendit Abbas *Camur-
rinus*, qui in inscriptione lapidis *Lucinianensis* legit *Ly-
cinianum* (ita dictum in actis veterum) & cum Plebe
B dicti Oppidi fuisse *Lycinios* in gratiam Populi *Romani*
reductos ingeniosè deducit D. *Dynus* ex *Livio*, & in
Historia Aretina M. S. Patris Camurrini; quæ præ ma-
nibus *Aretinorum* vagatur, legi inscriptionem dicti lapi-
dis *Lucinianensis*, quam ex eodem D. *Dynus* pag. 21 fi-
151 deliter retulit, cum modo lapis adeò extet deformatus,
ut magis difficulter veritas inscriptionis carpi possit, pro
cujus elucidatione *Appiano*, *Sigonio*, *Volaterrano* patet
Sillam, in *Phesulanos*, *Aretinos*que, qui ei pertinacissi-
mè restiterunt, acrius sævitum, ac fortilitia fidis sibi
Commilitonibus concessisse ad mensuram meritorum,
quod etiam *Dynus* tradit, additque ex *Thomasio* Lycinia-
ni collem natura munitum Commilitibus occupatum,
Sillamque *ordinato Reipublicæ statu exinde Colonias dedu-
C xisse* comprobat ex Epitome Liviana, sed quas Colo-
nias ille deduxerit ob subitos, atrocesque Reipublicæ casus
non est Authoribus priscis memoratum, nec an tunc
Lucinianum fuerit ex Coloniis *Sillæ* ab eo, qui *Lucius*
dicebatur, denominatum; hoc desumitur ex lapide, quod
cum *Sillæ* Dictator bellis fessus anno ab urbe condita
DCLXXI. *Publium Servilium*, & *Appium Claudium*
sibi ab intimis in Consules delegisset, & paulò post vi-
ta migrasset tempore præfatorum Consulum inscriptio-
nem fuisse confectam, comprobat verò sufficienter De-
curionum Magistratus lapide recensitus *Lucinianum*
152 Coloniam, seu municipium extitisse, cum Senatores
Coloniarum, ac municipiorum Decuriones appellari
asserat ex *Cicerone*, *Suetonio*, ac *Pomponio*, *Sigonius*;
Tacitus verò, ut egregiè idem *Dynus* ponderat, refert
D Colonias, ac municipia *Clanarum* exundationem exti-
mescentia, propè quas vetustius *Luciniano* oppidum non
occurrit, & unum fuisse ex iis, qui Legationes *Romam*
miserunt, probabilissimè credendum ex præmissis; hinc
rectè inscriptum *Luciniani* in Ecclesia S. *Michaëlis* Arch-
angeli.

Sig. de antiq. jure Italiæ Lib. 3. cap. 1. Volat. Comment. Aretin. Lib. 1.

Lib. 77.

Sigon. Chronolog. in Hist. Livii.

Sigon. Lib. 2. cap. 4. Cic. pro Sextio. Sueton in August. D. Abbas Machionus in resp. ad objecta.

TEMPLUM HOC AEVO VETUSTIUS.

Cum antiquitus *Minerva* pro olei excellentia, ac Nu-
mina Paganorum colerentur propè *Rocham*, quæ *Silla-
na* dicebatur, ut traditione patet; & indicant plurimi la-
A pides ad puteum novum, sub *Architravi*, supra Januam
in Platea, murisque oppido affixi, Turresque ostendunt
munimenti antiquitatem. Terra opulenta inter magis
insignes *Tusciæ* semper habita, in qua duo floruere sum-
mi Viri Pater *Bartholomæus Bassius* inter insignes Pro- 153
fessores in *Ticinensi* Academia reputatus in Consilio
Tridentino disputavit acerrime, oravitque teste *Vuadingo*
in Dominica secunda Adventus, cujus verba edita
Brixiæ 1563. de ordine Patrum, at dum in Quadrage-
sima Orator *Mediolani* laudes Paupertatis, abnegatio-
nisque propriæ voluntatis justa verba Nostri *JESU
CHRISTI* Mundi Redemptoris edidisset à *S. Carolo* in
æde ex improviso splendidè vivens salutatus migravit e-
jus monitionibus intellectis ad *Cappuccinos* inter Beatos
habitus. Beatus *Matthæus* in Silva *Ilicetana* Senarum
profunda Doctrina, ac sanctimonia effulsit, ut in lon-
B go Poemate D. *Dynus* recenset, & quamvis in Manu-
scriptis cujusdam *Senarum* legatur fuisse de *Forestanis* ex
Senensibus, contra est, quod vulgò inscribitur, & pa-
tet in Tabellis Cœnobii *S. Martini* Senarum *Beatus Mat-
thæus de Luciniano*, & probat P. *Lauduccius Senensis*, quin
imò in suo liberculo Priorum *Iliceti* sub Chronicis M.
S. asserit B. *Matthæum* de *Luciniano* esse ex Filiis *Fran-* 154
cisci Dyni, & probant Epistolæ Cardinalis *Burghesii*, qui-
bus spondet separatum eumdem. B. *Matthæum Dynum*,
quia ab origine *Senarum*, quæ est nobilissima *Burghesio-
rum* Patria, Pontifici anteponere ad futuram sanctifica-
tionem, quæ certè D. *Dynus* ignoravit, cum eodem re-
lata non sint, & cognomen *B. Matthæi* reliquit in albo,
& æquivocatio est clara, quia ut in libris Leonum, re-
liquisque Signoristis *Senarum* legitur *Dynus* pronomine
C *Forestanus*. Plura alia cognomina Virorum de Fami-
lia *Dyna* D. Author reliquerat in albo, nè videretur
fortè suæ gentis gloriam quæsisse, ego verò in margine
apponi curavi, nè historia deficiens videretur.

P. Lucas Vuad. de Scriptor. Minorum.

Ann. Cappuc. ann. 1579.

Pater Landuccius in Silva Ilicet.

Chronicon breve in Bibliotheca S. Martini Senarum signo † grad. 8. Lib. 29. num. 29. fol. 15. cap. 13. in addit. ad Silvam Ilicet., Lib. 41. fol. 9. Volumen tertium Epist. eodem grad. finali.

Quod attinet ad originem. *Politiani* nobiles in loco
Comitiorum erexere statuam cum inscriptione

LAARTI PORSENAE CIVITATIS POLI-
TIANÆ FUNDATORI.

Inter quos, *Aretinos*, ac *Sabinenses* ingens viget con-
troversia de Patria *Julii III.*, Dominus *Dynus* asserit
communiter tradi antiquos *Julii* natos *Sabino*, dicitque 155
Feudum nobile, & extitisse Patriam *Petri Montii*, qui
vulgò *Guidalottus* dicebatur, Magnus Militum *Meli-
tensium* Magister.
Sarteanum conditum dicunt ab *Orbevetanis*, verius
D auctum opinor, munitumque cum in *Clanarum* ditione
adversus *Senenses* armis irrumperent, ut Incolæ vetu-
stissima traditione comprobant.
Senalungam verò credunt fuisse Arcem *Aretinorum*,
& est argumento lapis ibidem repertus per P. *Camurri-
num* indicatus, in quo legeretur inscriptum.

Famigl. Vmbre, e Toscane.

Q. FABIO CELERI
EQVITI ARETINO.

Reliqua errata agnoscendo humaniter ignoscas.
Luciniani 15. Junii 1695.

F I N I S.

I N D E X
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

A.

Are-

B.

C.

Lu-

F I N I S.

FRANCISCI DYNI,

Lucinianensis, Advocati Senensis, &c.

De

ANTIQUITATIBUS UMBRORUM, THUSCORUMQUE SEDE, AC IMPERIO,

Deque

CAMERIO, ac CAMERTIBUS

a Sylla excisis

DISSERTATIO HISTORICA,

Adversus Opiniones

BLONDI, ALDI, SIGONII, CLUVERII, P. PAPEBROCHII SOC. JESU, AC RECENTIORUM,

In qua plures inscriptiones *Gruterianæ* solidissimis fundamentis ad crisim revocantur,

LILII fundamenta de sui *Camerini* Antiquitate exploduntur.

Agitur incidenter de Liciniani *in Etruria* Antiquitate: *esse à* Lucii Syllæ *Militibus* Lucinianum *dictum, Coloniam ductum ex vetusta Inscriptione eruitur: Patriam esse* C. Mæcenatis *adversus Recentiores ostenditur.*

ACCESSERUNT NOTÆ REV. FRANCISCI REGAZETTI, FALCONENSIS, DITIONIS VENETÆ.

Editio Novissima, nitidior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

LECTORI SALUTEM.

TANTUM ineſſe Antiquitatibus momenti, ut ad ipſa explicanda, vel ſaltem inveſtiganda, non detur accedere, niſi Viris eruditionis ſummæ ac profundæ, vel præſens *Franciſci Dyni*, Lucinianenſis, &c. evincit Diſſertatio. *Umbrorum* etenim, *Thuſcorum* & *Camertium* Antiquitates, Origines, Sedes, ac Imperia a variis ita varie accipi videbat, ut de iisdem ne inter graviſſimos quidem orbis literarii conveniret principes. Veritatis ergo gratiâ quod ſibi argumentum ſumſerit, indicat Titulus; quantum vero præſtiterit, ipſius confirmat rei pertractatio, & aſſerunt varia Eruditorum Operi præmiſſa Teſtimonia. Diſſertatio præſens prodiit *Superiorum permiſſu*, *& Privilegio*, Anno MDCCI. *Venetiis*, ex Typographia *Petri Pinelli*, in *Quarto*, cum adjunctis in eandem *Franciſci Regazetti* Notis. Quoniam vero accipiebamus, opus hoc ſumma refertum eſſe eruditione, reſque continere vel hactenus non diſcuſſas, vel nondum ſatis exploratas, monentibus Viris Eruditis & Graviſſimis, hos *Dyni* labores prælo iterum tradidimus, & eam adhibuimus induſtriam, ut ipſi prodirent nitidiſſimi, & uſui Lectoris ubique accommodati. Inde & Notas *Regazetti*, quæ in calce habebantur, Capitibus, quæ reſpiciebant, ſubjecimus. Nomina propria, citationes, ac aliunde transſcripta, diverſis a contextu conſignata ſunt literis, & ita patebunt eo facilius. Numeri paginarum Editionis prioris margini ſunt appoſiti, ut, ubi quædam ex illa ab aliis ſcriptoribus citantur, eadem & hic reperiri queant abſque moleſtia. Indices, Capitum & Rerum notabiliorum, addidimus, qui omnia hic contenta uno exhibebunt intuitu. his, *Benevole Lector*, felix utere & vale.

EPISTOLA DEDICATORIA.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI,

CÆSARI S. R. E. CARDINALI DESTREO,

Epiſcopo Albanenſi, Duci, ac Pari Franciæ, Ordinum Regis Chriſtianiſſimi Commendatori.

T*AM Magnam*, Eminentiſſime Princeps, *apud omnes homines* Chriſtianiſſimi *Galliarum Regis magnanimitas, ac fortitudo peperit admirationem, ut quamplures Scriptores ejusdem celebratiſſimum Nomen nedum magni, felicis, ac invictiſſimi elogiis honeſtarint, verum omnibus quibuscumque omnium ſæculorum maximis Principibus parem omnino fecerint; non tamen unius etſi magni hominis felicitas poſſet adeo ingens videri, ac diuturna, niſi magnorum Virorum (quorum* Gallia *ferax eſt) qui ab intimis, ac ſecretis ſunt, miniſterium opitularetur, ac in dubiis conſilium; compertum ubique eſt*, Eminentiſſ. Domine, *Regem* Galliarum *Regum maximum ubique ſemper opera tua fuiſſe jucunde, ac utiliter uſum, teque arduis rebus tum in* Gallia, *tum in Urbe, tum in aliis* Italiæ *locis aſſumptum ſingularem exhibuiſſe in rebus bene gerendis vigilantiam, fidem, ac felicitatem;* Romaque *ipſa nedum ſæpiſſime ſapientiam, ac animi tui in negotiis definiendis robur admirata eſt, quinimo plures Pontifices te Regia genitum Proſapia ad Cardinalatus apicem virtutis tramite ductum ornarunt laudibus, tituliſque decorarunt; quid enim glorioſius quam pietate, ac munificentia regios Avorum faſtos ampliores reddere, illuſtrare? quid Reipublicæ magis optabile quam infinitas illas (quibus fulges) animi dotes in litteratorum commodum impendere? En tibi ſe vovit hæc diſſertatio Antiquitatem* Umbrorum, Thuſcorum, Camertum*que origines novis fundamentis ſolo impulſu veritatis definiens, opus aſſiduo labore compactum ab Advocato* Dyno *Senenſi in Curia notiſſimo, tot editis voluminibus ornatiſſimo, concinnatum, meis ſumptibus excuſum, quod graviſſimorum judicio Virorum contineat res non adhuc à* Recentioribus *diſcuſſas, & non niſi auſpice veritate abſolvat; merito igitur Librum hunc purgatiſſimo judicio tuo*, Litteratiſſime Princeps, *ſubmitto, ut eumdem à Criticis immunem facias, mihique ſemper præſto ſis, & faveas liberalis.*

EMINENT. TUÆ

Deditiſſ. & addictiſſ. Servus
Salvator de Nigris.

ELOGIA AUCTORIS,

ſeu

INSIGNES SCRIPTORES, *qui de Advocato* FRANCISCO PIETRO DYNO *memoriam retinuerunt.*

JACOBUS BALDUCCIUS in ſuis Obſervationibus ad Conſilia *Ramonii* Tom. III. pag. 59. num. 4. hæc habet: *quæ ordinatio confirmata fuit ſententia Domini mei in Auditoratu Monaci Succeſſoris* Franciſci Dyni *de Liciniano ſapientia, & morum honeſtate nemini ſecundi.*

ANT-

ANT. VINC. FRANC. DE BALDERESCHIS in Notis, quas edidit ad librum ejusdem *Francisci Dyni* Antiquitatum Etruriæ, & de Situ Clanarum. *Antiquitates Etruriæ* D. Francisci Dyni, *Advocati Senensis*, *plurima leguntur eruditione*, *gravibusque sententiis conflatæ*, *pluribusque in locis* Taciti *stylus imitatur feliciter. Censui quædam adnotare nixus Scriptoris auctoritate*, *cum de* D. Dyno *alia plura extent monumenta*, *ingenio*, *ac labore compacta*, *nempe plures Orationes*, *Poëmata*, *Carminumque volumen Typis edendum*, *Consilia legalia*, *ac Decisiones*, *quæ manibus Jurisperitorum observantur*, *ac binæ ejusdem* D. Dyni *Decisiones in ordine 96. & 97. referuntur per summum legum Doctorem* D. Jacobum Balduccium *ipsius in Auditoratu* Monaci *Prædecessorem post observat. ad* Consilia *Ramonii* Tom. IV. *meminitque honorificentius* Tom. IV. pag. 59. & in Indice V. Indicium, *&* V. Conventic. *in quibus modus fabricandi Processus Criminales fusissimè præscribitur juxtà praxim*, *de qua utimur.*

MARCUS ANTONIUS GUIGUES, Gallicus Ecclesiasticus in sua Sphæra Geographico-Cœlesti hoc Anno MDCC. Romæ cusa pag. 4. Cap. XXXIII. n. 2. hæc habet. *Mà gli altri versi sono del celebre Dottore* Francesco Dini *di* Lucignano in *Valdichiana nella* Toscana, *il quale doppo haver esercitato con somma sua lode le Preture del Ducato di* Camerino, *del Governo di* Jesi, *la V. Prefettura di* Norcia, *gli Auditorati Generali di* Benevento, *di* Rieti, *della Legatione di* Romagna, *e del Principato di* Monaco, *è stato qualche tempo ProGovernatore di* Ravenna, *esercita ora l' Avocatione nella Curia Romana*, &c. Par. IV. Cap. XXXIII. pag. 277. *e però il già sopramentovato Dottor* Francesco Dini *di* Lucignano, *uno de più begl'ingegni della* Toscana, *non che solo la gloria della sua Patria*, *e perciò degnissimo dell' Elogio fattogli* (*trà gl'altri*) *così da* Balderefchi, *come dall'erudita*, *& ingegnosa penna del* Balducci *stato suo Antecessore nell' Auditorato di Monaco*, Tom. III. pag. 59. n. 4. *in vedendo l'Epigramma del Beza hà quindi pigliata occasione di comporre un bello*, *e spiritoso Poema*, &c.

ÆMILIUS NOBILIUS, Prior Æsinas, in sua Poësi *Senogalliæ* ante opus ejusdem *Dyni* cusa, meminit de poëtica descriptione per eundem *Dynum* facta Civitatis, & Comitatus *Æsini*, quæ cum aliis Auctoris Carminibus Latino, & Etrusco sermone elegantissime consertis habes in Libro, cui titulus *Le Nozze Dandine* impresso *Senogalliæ* Anno MDCXCIII. par. 1. & 2.

Recollectis ejusdem *Franc. Dyni* variis Carminibus in *Bibliotheca Angelica* Urbis Cœnobii *S. Augustini* ad commoditatem publicam, alibique asservatis plura aggerantur elogia.

Edidit *Dissertationem*, seu *Responsionem de Translatione*, *& Collocatione Corporis S. Bartholomæi* Romæ in Insula Lycaonia Venetiis MDCC. de qua Rev. Aloysius Ant. Monticellus in Indice. *Franciscus Dynus*, *olim Provinciæ Romandiolæ*, *Monaci*, *Reatis*, *& Principatus Beneventi Generalis Auditor eruditissimus*, *Gravissimis editis Libris insignis*, *respondit huic dissertationi Eminentiss. D. Card. Ursini Archiep. Beneventani*, *mandato supremorum Ecclesiæ Principum.*

Edidit *Librum Antiquitatum Etruriæ*, *& de Situ Clanarum* Senogalliæ MDCXCIII. Sumptibus Mutii Dandani Episcopi Senogallien.

Edidit idem Franciscus Dynus *Observationes Historicas in Actis S. Venantii*, *ac* MDXXV. *Martyrum Camerinensium.*

Edidit *Vindicationes Actorum S. Venantii*, &c. adversus *P. Danielem Papebrochium* Societatis Jesu, in duobus Libris excusas Venetiis MDCCI.

Edidit *Dissertationem seu Vindicias Martyrologii Rom.* adversus *P. Papebrochium* Soc. Jesu, pro defensione *Actorum S. Meletii*, *ac Sociorum*, Venetiis MDCC. per Dominicum Aluisam.

Edidit *Dissertationem de Antiquitatibus Umbrorum*, *Thuscorum*, *Camertumque origine*, *gestisque*, &c. Venetiis MDCCI. Sumptibus Petri Pinelli.

Hoc Anno MDCC. Typis demandati sunt ejusdem Francisci Dyni *Libri septem Carminum*, nimirum *Fastorum*, ac variarum materiarum, & Poëses Lyricæ adjunctæ post *Fulvium Testium*, Venetiis per Dominicum Louisam. Item & alia volumina.

De eodem honorificentissimè meminit insignis Scriptor Reverendiss. Pater Mag. VINCENTIUS CORONELLUS Ord. Min. Minister Generalis vigilantissimus *in* suo Magno *Dictionario M. S. Verbo Dyni.*

Ac D. FRANCISCUS SEQUANICUS in Collect. Scriptorum illustrium.

Et ACADEMIA MINERVÆ in Libro, qui inscribitur (LA GALLERIA DI MINERVA) Venetiis per Hieronymum Albritium Tom. IV. P. V. pag. 109. 110. 111. 112. ejusdem *Dyni* Libros gravissimo judicio recensuit, & elogiis pluribus illustravit.

AD LIBRUM DE ANTIQUITATE UMBRORUM, &c. ORNATISSIMI AUCTORIS FRANCISCI DYNI, *Lucinianensis*,

ELEGIA.

Luciniana novam reserat sibi Patria lucem,
Cum veteri quamvis Lux nova luce nitet.
A Lyciis tibi nomen erat, cum pristina Grajis
Assurrexerunt nomina nominibus.
Lucius inde suo de nomine Sylla vocavit,
Unica mutatum littera nomen habet.
Lucia de Lyciis tantum sibi nomina finxit,
Nomine quàm fausto nomina lucis eunt.
A Lucis etiam, quorum terrore vetustas
Templa coronabat nobile nomen erat.
Hinc (1) *Lucina, Nurus quam fœtibus inde sacrarunt,*
In lucis templum credidit illa tuis.
Nominis hanc etiam prisca sub Voce Dianæ
Audierat sylvis Ara Licina suis.
Te quoque Mæcenas, nomen proh Vatibus ingens
Incoluit: tanto sydere clara tumes.
Cilinus Urbe fuit, Licinus quem Patria dixit:
Inversa est tantum syllaba, nomen idem.
Tu cunas tanto Vatum dare lecta Parenti,
Quam lectos Vates Lucia terra paris.
Quæ Mæcenatem dederas, nunc ipsa Poëtas
Præbes: ô Natis ingeniosa tuis.
Mæcenate tuo Vatum qui carmina fovit
Nunc opus est; Vatem stringeret ipse Dynum.
Sic Mæcenatem jactares Una, Dynumque
Ille Poëtarum Cultor, at iste Decus.
Quanta suis sua Musa daret nova Carmina Fastis
Et raperet faciles ex Helicone Deas.
Dulcia quam vario reboarent plectra tumultu,
Atque Dynum acciperes optime Naso parem.
Sive Dynum Cilini fovissent tempora; sive
Nunc Mæcenatem cerneret ipse Dynus:
Mæcenas Vati, Mæcenatique placeret
Vates, ex uno carus uterque solo.
Nec tu quem laudas jactasses Mantua Vatem:
Mæcenas Civem tolleret ipse suum.

Lucia sic felix quam belle Patria ferret
Et Mæcenatem, Virgiliumque simul.
Sed Vatem laudo, & non unica cura lacessit
Est pariter veteri Clarus in Historiâ.
Dicite Vos Umbri, Vos Thusci, Vosque Camertes
An non antiquos suscitat iste lares?
Errores sua charta notat, titulumque Locorum
Atque ignota prius quæ latuere patent.
Expandit Thuscæ quæ sint confinia terræ
Et loca quæ movit funere Sylla ferox.
Omnia novit amans veri, ne fabula crescat,
Nec scribit vana traditione favor.
Et tu dicta probas, titulis, & nomine pollens
Notus Aremoricis, ô Lagoguee typis.
Gloria Tyrrhenæ vivet per sæcula Gentis
Scribente hoc: doctum nonne loquetur opus?
Acta tui vivent, Cameri Gens Inclita, Divi,
Quæ Dynus arguta cum ratione probat.
Incassum scriptis te Papebrochius urget.
Te Dynus in Libro vindicat ecce suo.
Scriptoris, Vatisque simul clarissima tellus
Quis celebret laudes Luciniana tuas?
Felix Sylla tuis, ô Lucia terra Colonis,
Felix, qui tantos te dat habere Viros.
Et Mæcenatem jactabis clara, Dynumque,
Hæc & erunt laudis nomina prima tuæ.

Auctoris Ingenium, ac eruditionem admiratus hanc amoris tesseram dedit D. LEOPOLDUS EMANUEL MARIA ANTONINI, Clericus Regul. Congreg. è Somascha.

(1) *Cic. de nat. Deor. Dianam, & Lucinam eamdem esse putat, & apud Græcos Dianam, eamdemque Luciferam.*

In eruditiss. ac æque curiosiss. Librum viam Flaminiam, *ac originem* Umbrorum Camertum, Thuscorum*que, ac* Mæcenatis *describentem.*

EPIGRAMMA.

Hic liber Hetruscos memorans simul atque Camertes,
Sit vetus amborum qualis origo docet.
Dumque viam veterem Romæ superindicat almæ,
Conspicuum gaudet semper habere Ducem.
Licinio quoque Mæcenas jam sanguine clarus,
Hic habet ut proprios noscere possit Avos.
Et Patria Auctoris Syllana Colonia ducta,
Clarius ejusdem nomine, nomen habet.
Carpitur hîc tandem carpi qui debet, & ipso
Condita credideris singula verba sale.
Ast operis magis Auctorem quod laudibus effert,
Illius est probitas, ingeniumque, fides;
Romanum, ac Thuscum sic novit & ipse Camertem,
Ut facilè ipsorum dixeris esse Patrem.

MARCUS ANTONIUS GUIGUES,
Gallicus Ecclesiasticus.

In Antiq. Franc. Dyni *Advocati, ac Notas* F. Regazetti *Diœcesis Aquilejensis, ac Rev.* Renati Lagoguei Aremorici *Incolæ Veneti. In Fastis.*

EPIGRAMMA.

Rev. FRANCISCI GARIZI, Veneti.

Laudibus in Fastis florescit origo Camertum
Quas Dynus exquirit, quas Lagoguee probas.
Tuque typis Gallis, Thuscis ille, haud minor ausis
Nunc Regazette micas Aquilejense tuis.
Lucia Syllanis deducta Colonia priscis,
Ut Lapis antiquus, Famaque prisca canit.
Tyrrhenus Lydis, Lyciis simul ingruit armis.
Nomen Tyrrheni, & Castra Licina gerunt,
Hocque Liciniorum Mæcenas sanguine clarus
Ortus, ubi dives Luciniane tumes.
Corrupta, aut variata novis cognomina fastis,
Etruscis Licinus, Cilinus Urbe fuit.

APPROBATIO PRO IMPRESSIONE,
quæ in veteri Editione habebatur.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

Havendo veduto per la Fede di revisione, & approvatione del P. Fra Raimondo Asperti Inquisitore nel Libro intitolato Liber Apologeticus Francisci Dini de Antiquitatibus Umbrorum non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à D. Pietro Pinelli Stampator, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa. Dat. li 8. Giugno 1701.

[*Gio: Lando Cav. Proc. Reformator.*
[*Girolamo Venier Cav. Proc. Reformator.*
[*Francesco Cornaro Proc. Reformator.*

Agostino Gadaldini
Segr.

INDEX CAPITUM.

FRAN-

FRANCISCI DYNI, 1

Lucinianensis, Advocati Senensis, &c.

DE

ANTIQUITATE

UMBRORUM, THUSCORUM, AC CAMERTIUM ORIGINE

DISSERTATIO APOLOGETICA.

POSTQUAM *de* Antiquitatibus Etruriæ *quædam a me nuper annotata eruditissimi* Mutii Dandini, *Episcopi* Senogalliensis *consilio, & ære excusa sunt, proposueram aliqua* de Origine, Imperioque Umbrorum *degustare. Præturam agebam* Ducatus Camerini *Civilibus, arduisque illius muneris enodandis litibus implicatus, cum propositum adjuvarunt nobilissimi* Camerinenses, *habitis quippe comitiis me tantæ eorum fiduciæ, reique gerendæ penitus ignarum deputarunt ad satisfaciendum objectis, quæ ad diem* 18. *Maji adversus acta* S. Venantii, *sociorumque Martyrum, & quædam antiqua monumenta ad dignitatem Loci plurimum facientia in continuatione operis ad* Bollandum *CL. P.* Daniel Papebrochius *Soc: Jesu excitaverat; Et mihi communicatis tam* Papebrochianis *elucubrationibus, quam scripturis, rebusque aliis, quæ ad tanti negotii molem quodammodo conferre reperta sunt, cum permagna animi jucunditate annotationes criticas Patris* Papebrochii *Hagiographorum hujus sæculi facile Princips, vidi, legique eruditionibus, gravibusque sententiis consertas, ILL. Viri* Othonis Menkenii *Lipsiensis elogiis concelebratas, miratusque, qua gravitate, dictionisque elegantia antiquissimam rem, tam ipsemet P.* Papebrochius *absolvat, quam P. P. ejusdem Societatis in Appendice; aliisque interim majorum Magistratuum curis involutus, provide quidem distuleram cum tot magnis Viris palam congredi, cum etiam omnis qualis mihi est in his exscribendis facilitas a litteratissimis ejusdem Societatis P. P. Præceptoribus omnino derivaverit, quod non semel in meo opere* de Situ Clanarum *protestatus sum in debitas ejusdem Societatis laudationes effusus; sed quidam* Camerinenses *in Curia Advocationis munus agentem, cunctantem, & quodammodo repugnantem impulerunt, proponentes dissertationem undequaque videri laudabilem, & disceptandum esse de veritate, non de propria gloria. Igitur secutus ordinem, quem mihi proponit* Papebrochius; *Primo expendam, quæ de* Vmbrorum *origine,* Camertiumque Vmbrorum *Imperio, ipsemet cum* Grutero, Cluverio, *ac* Ughellio *annotavit Adversarius, obiter degustando unde* Umbri *dicti, natique sint, quinam* Umbri Camertes *censendi,* Camerinensium *inscriptiones, & magnificas quascumque ostentationes ad crisim revocando, omnia denique animadvertendo, quæ ad reprobandas* Blondi, Sigonii, Cluverii, Papebrochii, *reliquorumque plurium sententias obiter latas conferre visa sunt, & singulis objectis, & argumentis, verbisque ipsis* Papebrochii, *ac Sociorum in immenso eodem opere* de Gestis Sanctorum *responsiones adjiciam, ut ex hinc inde replicatis eventilata rei veritas delibetur jucundius, elucescat uberius.*

Acta Erud. Lipsiæ.

2

CL. Papebrochius *in suo prævio* Commentario *ad diem 18 Maji hæc habet de Umbrorum antiquitate, ac Camertium Origine:* „Camerinum antiquissima Civitas inter *Umbriæ*, „*Picæni*que confinia in Montis *Appennini* jugis sita, condita, & nomen nacta creditur ab „antiquis *Camertibus*, dum hi ex *Etruria*, ubi ad *Clanem* fluvium, & *Clusium* Urbem habitarunt, a *Pelasgis* pulsi has sedes elegissent. Quanta ea olim fuerit, inde colligi potest, „quod trecentis ante *Christum* natum Annis sub Consulatu *Q. Fabii Maximi Rutilii* Romanis tunc quam maximè florentibus, tanto in pretio fuit, ut *Camerinorum* fœdus firmioris „auxilii gratia ambitiose propemodum expetierint, quod summa dein religione coluerunt, „etiam cum Imperatores postea regnarent, imo Posteri, tum se sub propriis Regibus vixisse gloriati sunt, uti infra videbimus, de horum Antiquitate legi possunt Cluverius „*Lib. II. Italiæ Antiquæ Cap. III. & VI.*, & Ughellius *Tom. I. Italiæ Sacræ in Episcopis* „*Camerinensibus*, ubi in præfatione adfert inscriptionem *Tiburtino* Lapidi incisam, etiamnum ibidem extantem, in qua cum *L. Septimo Severo*, qui ab Anno 93, usque ad 211. „imperavit in æternum securitatem, atque gloriam jure æquo fœdus confirmarunt *Camertes.*„

3

CAPUT I.

Ab Umbris initium operis. Cluverius de antiquitate Umbriæ Circumpadanæ rejectus. Herodotus, Livius, Diodorus, Dionysius, Strabo expenduntur. Papebrochius oppugnatur. Cluverius Lydos cum Pelasgis confundens, & Evandrum cum Romulo, negans adventum Æneæ neglectus. Gronovii locus laudatus.

PRO dicendorum resolutione ab *Umbris* erit initium operis, quasi ab his orti, qui inundatione Terrarum Imbribus superfuerant, ut auctor est *Plinius*, (Lib. III.) hos in ea parte *Italiæ*, quam *Thusciam* appellamus, incoluisse patet expresso Plinii loco: *Etruria est ab amne Macra, Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi;* astipulatur Dionysius cum Solino, *Thuscia quondam Umbria dicta est*, & Plinius in eodem textu CCC. *Oppida Umbrorum Thusci debellasse reperiuntur*, Lydique *Thusci à thure* dicti censentur, quo in Sacris utebantur, & quamvis *Umbros* primo devicerint *Pelasgi*, horum tamen non admodum longam dominationem describit *Dionysius*, inscribitque (Herod. Lib. I.) Herodotus *Lydos ad Umbros pervenisse, ubi Urbibus constructis usque ad hunc diem habitarunt, & de Lydiæ Regis filio vocatos Tyrrhenos.* A Lydia *Tuschos* profectos esse annos circiter CCC. ante *Trojanum* excidium numerant Chronistæ, quo tempore *Umbri* depulsi, *Camertes*que trans *Tiberim* sibi sedem statuerunt.

Cluverius, cui plurimum defert *Papebrochius*, priusquam *Umbrorum* depulsionem, & *Camertium* loca designet cum *Pelasgis Lydos* confundens sola nixus ratiocinatione, non in ea parte, quam *Thusciam* dicimus, Sedem primo fundasse ostendere conatus est, sed primo in Regione *Circumpadana* incoluisse argumentis probare aggreditur.

Putavi, *Thuscis*, à quibus mihi origo est, pergratum futurum, & ad historiam originis, ac
4 expulsionem *Umbrorum Camertium* explorandam, & ad faciliorem *Papebrochianæ* opinionis dejectionem maxime conferre hanc rerum antiquissimarum quæstionem expendere, sedes eorumdem Populorum prænotare, & quibus *Umbriæ* locis perfugium nacti sint, &, quæ cognitu utilia sunt, investigare, ne tamquam de parta victoria plaudere sibi possit exterus *Cluverius*, opinionum improbabilium, novarumque auctor.

Verum, inquit Cluverius, *sive XII. sive pauciores numero, sive tandem nullæ per ea tempora in* Circumpadana Etruria *fuerint Urbes, hæc certe* Etruscorum *antiquissima, & prima sedes fuit, ex qua postea in eam migrarunt regionem, quæ inter* Appenninum, *& Mare inferum*, Macram*que amnem, &* Tiberim *dicta est* Etruria, *postea in nova inter* Appenninum, *& Mare Inferum* Etruria *totidem Colonias deduxisse.*

Hanc opinionem prosternunt, quotquot superius retulimus, obstatque apertus Livii locus: (Liv. Lib. V.) *Thuscorum ante Romanum Imperium opes Mari, Terraque longe patuere. Supero Mari, & Infero, quibus* Italia *Insulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum* Thuscum *communi vocabulo gentis, alterum* Adriaticum *ab* Adria *Thuscorum Colonia vocavere* Italicæ *gentes.* Græci *eadem* Tyrrhenum, *atque* Adriaticum *vocaverunt. hi in utrumque Mare vergentes incoluere* Urbibus *duodenis Terras, prius cis* Appenninum *ad Inferum Mare, postea trans* Appenninum *totidem, quot capita regionis erant Coloniis missis, quæ trans* Padum *omnia loca, excepto* Venetorum *angulo,*

A *qui sinum circum colunt Maris, usque ad Alpes tenuere.* Opitulatur Diodorus, *quo tempore Dionysius* Rhegium *obsidebat*, Galli Transalpini *validis copiis angustias transgressi Terras inter* Appenninum, Alpes*que sitas occupaverunt*, Tyrrhenis *ejectis, hos quidem de XII.* Tyrrheniæ *Urbibus eo deductos tradunt.* (Diod. Lib. XIV.) Phœnices *investigando ultra columnas, oramque* Africæ *littora legerunt.* Tyrrheni *quoque cum Maris imperio potirentur, Colonias eo detinuerunt* Mantuam, Mutinam, Parmam, Cremonam, Brixiam, Patavium, Vicentiam, aliasque prope *Padum* Urbes *Thuscorum* fuisse Colonias probant *Plinius*, *Servius*, Locorumque Chronistæ, (Lib. III. C. XIII. XIX.)
B nec Coloniæ nominabantur, nisi in locis subactis à Senatu, vel Populo Principe deductæ; De qua latissima XII. *Etruriæ* Populorum 5
ditione præter *Diodorum* testes sunt *Dionysius*, *Plinius*, & Livius: *non universa*, inquit, *Etruria, tantum terra, marique pollens, atque inter duo maria (Inferum, Superumque) latitudinem obtinens;* Servius: *Thusci universam pene Italiam subegere, Sardiniam, Corsicam, Æthaliam*, & tamen prælaudati Scriptores nullam de hac antiquiori *Etruria Circumpadana* aliquo Maris Portu ad eam ætatem concelebrata memoriam retinuerunt. Nec aperit *Cluverius*, quas Colonias
C *Circumpadani* in nova *Etruria* deduxerint, quando certo apparet *Thuscos* Maris Dominos ad utrumque Mare vergentes in Principibus Civitatibus Crotona, Cære, *Luna Portu nobili*, Populonio, Tarquinio, Clusio insidisse. (Plin. Lib. III.)

De *Crotona* à *Romanis* deinde Colonia ducta, & *Cortona* denominata, est apertus *Dionysii* locus, probatque *Stephanus*, fuisse arcem *Pelasgorum*, & hanc *Thuscos* occupasse, & *Tyrrheniam* dixisse. De *Cære*, quæ *Agilla* dicebatur, in ipso *Lydorum* adventu expugnata, testis est Virgilius: (Dion. L. pr. X. Steph. de Urb. Ridolph. Prax. recent. Cap. XIII.)

Urbis Agillinæ sedes, ubi Lydia quondam,
Gens bello præclara jugis insedit Etruscis.

D Et est singularis Strabonis textus. *Cære quondam nominabatur* Agilla, *eaque à* Pelasgis *Thessalia profectis condita fertur. Cæterum* Lydis, *quos mutato vocabulo*, Tyrrhenos *nominabant, adversus* Agilleos *bellum gerentibus*, narrans qualiter *Agilla* urbs *Pelasgorum* à *Lydis* obsessa *Cære* denominata est, & usque ad tempora *Trojanorum* de *Cære* est Livii locus. *Ad opes Mesentii, qui Cære regnabat, confugisse*, & refert *Virgilius*, plures Civitates *Thuscorum* Æneæ suppetias tulisse, ut *Clusium, Cossam, Populonium, Pisas, Pirgenses, Graviscenses*, & *Coritoniates*. (Strab. Lib. V.) (Lib. X.)

E Insuper *Strabo* eo loci probat *Tarconti* Tyrrhenum demandasse, ut XII. illas Urbes conderet in locis munitis, & prosequitur scribens: *Verum quia illi Urbium Conditores Maritimas effugiebant oras, solam Populoniam ex Thuscis primam ad Mare fundasse;* Tarquiniam ab eodem *Tarconte* nomen sortitam tradit idem *Strabo;* Patetque ex 6
Livii loco *Clusium* eorumdem *Camertium Umbrorum* antiquissimam sedem fuisse. De reliquis *Etruriæ* Urbibus *Aretio*, *Perusio*, *Vetulonia*, *Volaterra*, *Vulsinio*, *Fesula*, *Rusellæ* testantur *Dionysius*, *Livius*. (Livius Lib. X.)

F Probat suam opinionem Cluverius, hoc argumento, quod *plurima pars posterioris* Etruriæ, *antequam* Pelasgi *immigrarent, ab* Umbris *habitata fuit, testibus* Herodoto, *&* Dionysio, *quibus adde* Plinii *auctoritatem*, Etruria *est ab amne* Macra *ipsa mutatis sæpe nominibus*, Umbros *inde exegere antiquitus* Pelasgi, *hos* Lydi, *à quorum Rege* Tyrrheno, *mox à Sacrifico Ritu* Thusci *sunt cognominati; hinc amnis* Prille, *mox* Umbro *navigiorum capax, & ab eo tractus* Umbriæ *Umbro vocabulo*, Umbrone *mediam secat* Etruriam. *Cum itaque antiquitus hi fuerint* Umbri, *Thuscos, quos non* Lydos (Cluver. Ital. Antiq. pag. 433.)

dos *origine*, *sed antiquissimam*, *indigenamque* Italiæ *fuisse gentem*, *satis*, *superque ostensum*, *aliam tunc habuisse sedem certum est*, *ea vero nulla demonstrari potest*, *nisi quam inter* Appenninum, *&* Alpes *circa* Padum *incoluerunt*. *Adde quod* Umbris *ad Inferum Mare incolentibus* Ligures *fuere contermini ex Dionysio*.

Herodotus, ac *Dionysius* clare fundant *Umbros* præ cæteris antiquissimam *Italiæ* gentem, non partem *Etruriæ*, sed omnem *Etruriam* inhabitasse, in quam deinde immigrarunt *Pelasgi*, deinde CCC. eorum oppidis à *Lydis* debellatis, ut *Plinius*, eodem *Cluverio* relatus, in eo textu significat, quod advertere neglexit *Cluverius*, & ab iisdem *Umbris* Regionem primùm nomen nactam
Lib. v. fuisse; addit Strabo: *Tyrrhenus*, *cum in has oras venisset*, *Regionem de suo nomine nuncupavit Tyrrhe-*
Cap. VIII. *niam*, *& XII. Urbes condidit*; Solinus, *Tyrrhenos*, inquit, *à Tyrrheno Lydiæ Rege*, *conditos fe-*
Æneid. L. XI. *runt*, notantque Servius, & Festus Pompeus. *Tyrrhenus occupavit eam partem Italiæ*, *quæ vocatur*
In Quæst. Roman. *Tyrrhenia*, & postea *Tyrrhenos Etruscos appellari solitos*, ait Verrius *à Tyrrheno Duce Lydorum*,
Herod. Lib. I. conveniunt *Plutarchus*, *Herodotus*, cæterique superius laudati, & Tullius. *Lydius ediderat*
Cic. de Divinat. Lib. I. *Tyrrhenæ gentis auspicia*; his adde *Virgilium*, & quæ ex *Strabone* annotavimus; & Horatius:

Horat. Lib. I. Sat. 6.
Lydorum quicquid Etruscos
Incoluit fines.

7 Quibus patet *Thuscos* non fuisse gentem *Italiæ* indigenam, sed præclaram à *Lydis* duxisse originem, quæ Sententiæ Abbati *Bianchino* in suis Monumentis vetustatis magis arrident. Duo alii mihi in Curia Viri eruditi amicitia conjunctissimi, quorum consortio non sine magno fœnore in dies abscedebam: Canonicus *Raphaël Fabrettus* Urbinas, latis inscriptionibus clarissimus hoc anno cum gravi litteratæ Reipublicæ jactura octuagenarius, edito egregio Posteris ad laudem exemplo, è vivis sublatus; *Philipus à Turre*, Patritius Forojuliensis, edita, illustrataque *Aquiliana Inscriptione* famigeratus, in *Ferrariæ* Legatione, ac in Urbe prudentissimi, ac Sapientissimi Principis *Renati Imperialis*, Cardinalium maximi, Auditor arduis rebus assumptus. Pariter Abbatis *Bianchini* in Bibliotheca Eminentissimi, ac Litteratissimi *Petri* Cardinalis *Ottoboni* à Secretis M. S. ac Historias cum animi jucunditate perlegeram; hic vero non relatis, vel neglectis, vel non satis perpensis eodem *Herodoto*, *Strabone*, *Verrio*, *Solino*, *Festo*, *Tullio*, videtur opinari *Tyrrhenos* à *Tyrshenis* ab *Herodoto* memoratis cognominatos, deinde cum nec id statuat idem *Herodotus* cum aliis antiquissimis (quorum codices desiderantur) in diversam sententiam rapitur; postremo est sibi singularis *Plinii* locus rem nostram definiens: *Etruria est ab amne Macra*, *Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi*; *hos Lydi*, *à quorum Rege Tyrrheno*, *mox à Sacrifico ritu Thusci sunt cognominati*, *&c.* & quamvis ex eo advertat *Tyrrhenos* à *Tyrsenis* denominatos, in hoc, nec *Plinio* tuto deferre visus, adeo ut explicitam hujus litterari Viri sententiam desideremus, cui anteponimus pro nobis militare auctoritates Antiquissimorum affirmantes, & nomina *Tyrrheni* Maris, locorumque esse argumento, additis sequiorum sæculorum probi nominis Scriptoribus id ipsum asserentibus.

Sique *Thuscis* à *Lydis* non fuit origo, hos *Umbris*, ac *Pelasgis* regnantibus in sua *Circumpadana Etruria* sedem habuisse, antiquissimis Auctoribus probare tenetur modernus *Cluverius*; satisque ex *Diodoro*, ac *Livio* sibi constare poterat,
8 *Thuscos* pluribus sæculis ante *Trojanorum* incursum, intra *Appenninum*, & *Tiberim*, quam maxime florentes in *Circumpadana* Regione Colonos misisse, *Umbris* ejectis.

Subdit Cluverius: *Pelasgis Thessalia pulsis omnem sive plurimam eorum partem a* Lydia *in* Italiam *profectos*, *ejectis ibi è parte agrorum*, *qui erant inter* Appenninum, *& Mare inferum*, *dextramque* Tiberis *ripam* Umbris, *Regionem hanc de suo nomine* Tyrrheniam *appellasse*, *ut testatur apud* Dionysium *Hellanicus*, *& alii apud* Putarchum *in* Romulo. Cluv. Pag. 429.

Superius retulit Cluverius *Plinium* distinguentem à devictis Pelasgis *Lydos*, qui exactis quinquaginta circiter annis ab adventu *Pelasgorum*, teste *Dionysio* in eam partem, quam *Thusciam* dicimus, irruperunt, hunc inconstans reprobat modo, confunditque cum *Lydis Pelasgos*, dicens à *Lydia* profectos, & de suo nomine *Tyrrheniam* nuncupasse. Verum satis vidimus ex prænotatis *Tyrrhenum* Regis *Lydorum* filium intra *Tiberim*, & *Appenninum* decurrisse, & *Pelasgis* dejectis nomen indidisse, patetque ex prænotatis, & expresso *Strabonis* textu pariter ostendentis *Lydos* non esse *Pelasgos*, quorum oppidum *Agillam* asserit expugnasse, & nomen *Cœrè* indixisse, & Dionysius: *Mihi videntur*, inquit, *errare*, *qui credunt unam*, *eamdemque gentem esse Tyrrhenicam*, *ac Pelasgicam*. *Tyrrhenos esse diversos à Pelasgis hoc argumentum est*, probatque latius. Traditis vero per *Hellanicum*, Auctoresque à *Cluverio* relatos, quorum codices deperditi sunt, nec satisfacere rite valemus, nec ipse his innixus, qui à *Dionysio*, ac *Plutarcho* improbati sunt, has novas opiniones confirmari jure gloriari potest. Nec adversantur relati apud *Plutarchum*, qui nullam retinent memoriam, ut legenti apparet de *Thuscorum* origine, gestisque. (B: Lib. I.)

Prosequitur Cluverius: *Postea vero* Etrusci *à vicina* Etruria *Circumpadana* Pelasgis *sese immiscentes*, *sive vi*, *sive per dolum Imperio suo eos subegerunt*, *nomenque hac ratione suum à supero ad inferum Mare usque extenderunt*; Et ait Plutarchus: *Galli primo adventu*, *tum protinus totam occupant Regionem*, *quam Thusci ab Alpibus ad utrumque Mare pertinentem antiquitus incoluerunt*; *non omnem igitur*, inquit Cluverius, *quæ tum ad* Tiberim *usque*, *& Mare inferum protendebatur*, *occupaverunt Galli* Etruriam, *sed antiquam illam trans* Appenninum *tantum*, *nimioque brevitatis studio* Plutarchus *hæc confundit*, *quo igitur loco* Dionysius *derelictas à* Pelasgis *Urbes occupasse tum alios*, *ut quoque erant finitimi*, *tum maxime* Etruscos *plurimas*, *atque optimas*, *de his locis intelligendum*, *quæ* Appennino *Monti*, *& E*truriæ Circumpadanæ *erant proxima*, *in qua excedentibus inde* Pelasgis *successerunt* Etrusci *à* Gallis Circumpadana *regione pulsi*, *cæterum avita circum* Padum *sede pelli à Gallis* Thusci *cœperunt*, Prisco Tarquinio *Romæ regnante*, *id est circa Annum ante natum Jesum* IᴐC.

Cluv. pag. 433. & seq. — Plut. in Cam. — Cluv. fol. 438. Ital. Antiq.

9 *Lydos* exegisse *Pelasgos* à regione, quam à Duce *Tyrrheniam* dixerunt, tribus ferme sæculis ante *Trojanum* excidium, vidimus ex præmissis; *Thuscos* vero à *Circumpadana* erumpentes nomina dedisse improbabiliter asserit *Cluverius*, nemine in auctorem habito, nec ostenditur, quare *Tyrrheniam* vocassent, nisi à *Lydio* Duce nomen provenisse dicamus, & ab illis Viris militaribus Imperii latitudinem, & dignitatem; à *Gallis* Colonos ab *Etruscis* missos à *Circumpadana* regione dejectos ait *Diodorus* superius relatus, cui nec adversatur *Livius*. Diod. Lib. I. IV.

Quinimo à pluribus sæculis ante *Trojanorum*, & deinde *Gallorum* adventum *Pelasgos* ex *Etruria* depulsos probatum est, & *Dionysius* scribit: *Pelasgi dominaverunt tamen ultra belli Trojani tempo-*

ra, *non tamen in Etruria*, *ac in Umbria pauci manſerunt Aboriginum beneficio*, idemque *Dionyſius* derelictas à *Pelasgis* Urbes occupaſſe, tum alii finitimi, tum maxime *Tyrrheni* plurimas, atque optimas, & *Troja* exciſa, teſte Livio, *Æneas*, *Rutuli*que, non ad *Pelasgos*, nec ad Circumpadanos, *ſed ad florentes Thuſcorum opes confugiunt*, Meſentiumque eorum Lucumonem, probantque Virgilius, & Venuſinus.

Æneid. Lib x.

Iliæque,
Littus Etruſcum tenuere Turmæ.

Quod ſi ad *Padum* fuiſſet *Etruria*, non erat cur in pactis inter *Latinos*, Hoſtesque latis apponeretur: *Ut Etruſcis*, *Latinisque Fluvius Albula*, *quem nunc Tiberim vocant*, *finis eſſet*, & in propoſito Polybius: *Galli poſtquam in Etruriam perveniſſent*: *Galli jam circa Cluſium erant*: Plutar-
10 chus: *Galli primo adventu occupant Regionem*, *quam Thuſci ab Alpibus ad utrumque Mare pertinentem antiquitus incoluere.* Quo textu opinio *Cluverii* corruit penitus: de quo *Æneæ* adventu latius in ſua ſede agemus. Nec ſedulo advertit *Cluverius* in ipſa ora *Circumpadana* Populos *Inſubres* appellatos inſidiſſe. Strabo: *Inſubrum caput fuit Mediolanum*, *Vicus quidem olim*; & Livius enarrans cum primo Galli irruperant: *Galli*, inquit, *cum in quo conſederunt agrum Inſubrum appellare audiviſſent*, *cognomen Inſubrum Pago Eduorum ibi omen ſequentes loci condidere Urbem Mediolanum*; & ex antiquis Auctoribus deſumitur. *Inſubrum Ciſalpinæ Galliæ Civitates fuiſſe Mediolanum*, *Ticinum*, *Laudam*, *Novariam*, *Vercellum*, *Comum*, *Regio dicta Inſubria inter Seſem*, *Adduam*, *& Alpes*, & cum Inſubribus *Thuſcos*, Colonos, ac *Umbros* inhabitaſſe colligitur ex *Livio*, ſcribente *Gallos* depuliſſe *Thuſcos*, & *Umbros*, qui per Vicos cum *Inſubribus* admiſti inhabitabant; & advertit *Polybius* ab his *Thuſcis* Colonis, *Etruriæ Principatus magnas opes collegiſſe*; Ex quibus manifeſtum eſt *Padi* circum Regionem advenientibus *Gallis* non *Etruriam* vocitatam, ſed *Inſubriam*, in qua ſimul *Thuſci Umbri*que per divitem illam planitiem diffuſi incolebant.

Livius Lib. I. — In Camillo. — Strabo Lib. v. — Polyb. Lib. II.

Cluverius novo uſus argumento reprehendit *Strabonem*, tradentem Urbes *Etruriæ* à *Tarconte*, quos cum *Lydis* primo adveniſſe diximus, conditas fuiſſe, quas putat ab Rege *Evandro* extructas, immo addit ſatis improvide *Antiquos i los*, *primosque Romanos Regem ſuum Evandrum Romulum appellaſſe.* Incuſatque merito *Ill. Gronovius* de Origine *Romuli* dubium ſtylo elegantiori, an graviori judicio conſerta, quod *Labore irrito prorſus*, *& illaudata licentia pleno detrectando omnia vulgo tradita Cluverius evertat.*

Gron. de Orig. Rom. diſſert. pag. 21.

Ipſum pariter *Æneæ* adventum in *Italiam* inter fabulas non ſine temeritatis nota proſcribit *Cluverius*, quem ex auctoritatibus inconcuſſis Antiquiores, & ſequiorum ſæculorum Scriptores palam profitentur, nimirum *Dionyſius*, *Livius*, *Strabo*, *Suetonius*, *Trogus*, *Juſtinus*, *Florus*, *Rufus*, *Maro*, *Venuſinus*, & paſſim reliqui, &
11 præ cæteris Dionyſius, *adventum in Italiam Æneæ Scriptoribus partim ignoratum*, *partim diſſimulatum invidia.* Venia tamen videtur dignus *Cluverius*, quod curis ſui operis involutus hæc confundat, patet ſiquidem Scriptorum conſenſu quibusdam annis ante res *Trojanas*, *Arcades* Palantio exeuntes, ſedemque Duce *Evandro* quærentes prope *Tiberim* delatos, à *Faunoque*, Aboriginum Rege, agri portionem accepiſſe, illosque colle haud procul à Flumine *Pallantium* ſtruxiſſe, ut probant *Livius*, *Virgilius*, & Seneca, *Quid intereſt enumerare Antenorem Patavii Conditorem*, *& Evandrum in ripa Tiberis Regna Arcadum collocantem*; & ad ea quoque tempora *Thuſcos* intra *Ap-*

Dionyſ. Antiq. Rom. — Livius Lib. I. — Sueton. in Claudio. — Livius Lib. I. — Conſolat. ad Liviam.

A *penninum*, & *Tiberim* opibus, armorumque gloria, ac latiſſimo dominatu claruiſſe probavimus, ex quo novum proflueret pro noſtra ſententia fundamentum; nam *Evander*, quicumque is fuerit, regnavit ante *Gallorum* adventum, & ubi verum videretur condidiſſe XII. Urbes, quæ omnes tractum intra *Tiberim*, & *Macram* occupabant, ut vidimus, igitur fateri tenetur *Cluverius*, prius quam *Galli* erumperent, noſtram *Etruriam*, habuiſſe XII. Populos *Romanis* terribiles, teſtibus *Dionyſio*, *Livio*, *Diodoro*, nec à profugis *Circumpadanis* potentiæ, ac dignitatis materiam derivare potuiſſe.

B Denique *Cluverius* novarum opinionum ſtudio illectus oſtendere, ac probare tenebatur veterum teſtimonio, quo maris ſinu, quove portu, (qui ad ea tempora per ea *Padi* loca fuerit navigiorum capax) *Lydi* ſeu *Pelasgi* (ut ipſe appellat) primo advenerint, *Thuſci*que *Circumpadani* maria excurſuri irruperint. *Strabone* indicente *Lydos* per mare, quod *Tyrrhenum* dicimus, ratibus trajectis *Agillam* obſediſſe, & deinde *Populonium* ad Mare fundaſſe, Urbesque XII. condidiſſe in locis munitis, quidquid in oppoſitum detorqueat *Thuſcis* infenſiſſimus *Cluverius*, cujus opus in hoc ſæculo cuſum plurimum contulit ad Oppidorum exqui-
C renda nomina, ſitusque: in his vero, quæ ad rerum, Urbiumque originem pertinent, is nimis credulus à Chroniſtis Locorum allucinatus, & ſui ſenſus abundantia deceptus facile rejicitur, eundemque in pluribus incuſant *Holſtenius* in notis, *Theodorus Ricquius*, & paſſim alii Scriptores. 12

De Cluver. opere Judicium.

REV. FRANCISCI REGAZETTI,
Falconenſis, *ditionis Venetæ*,

NOTÆ
IN DISSERTATIONEM FRANCISCI DYNI.

In Caput I.

D*Ynus*, graviſſimorum operum Scriptor, edidit hanc diſſertationem non adverſus *Papebrochium*, nec *Camerinenſes*, dum horum laudes non raro aggerat, hos vocans nobiliſſimos, & a *Camertibus* Syllana vaſtatione exciſis originem nactos primus fundare adoritur; ut opinor hanc Provinciam aggreſſus in laudem ſuæ *Etruriæ* adeo effuſus plura congerens, tum reſpicientia antiquitatem, vetusque Imperium a cœpto quandoque tramite recedens: verum cum elucubratio undequaque eruditionibus ſcateat, deque rebus hactenus à Recentioribus non diſcuſſis, vel non adhuc exploratis indagandis materiam præbeat, cenſui quædam annotare ob rerum veritatem, vel explorandam, vel pleniori fundamento obfirmandam.

In hoc primo Capite ait Dynus *Thuſcos* à *Lydis* traxiſſe originem, habetque in Autorem *Strabonem*, ac *Plinium*, & quamvis Cluverius *in Geographia* contrarium argumentis probare innitatur, *in Italia antiqua* rem tamen obnubilat, fuſiſſime quidem pro contraria ſententia adducens Scriptores plurimos, quibus nec reſponſionem adjicit; nec inepte dictum puto quosdam *Etruſchorum* à *Circumpadana* pulſos à *Gallis* ſub *Tarquinio Priſco* intra *Appenninum*, & *Tiberim* irrupiſſe, alios vero, teſte *Trogo* (quod non ſatis advertit *Cluverius*) in montibus *Rhetiis* inſidiſſe à *Rheto* Duce denominatos. Planum tamen eſt in antiquiſſimis temporibus *Thuſcos* cum *Umbris* has *Padi* regiones incoluiſſe, an autem hæc Regio unquam *Etruria* fuerit appellata, Autorem non habet *Cluverius*, nec ego dicere auſim, nec quo maris portu in ea provincia (ut inquit *Dynus*) undique *Thuſci* maris Domini, rebusque adeo pollentes erumpere potuerint. Cæterum *Etruſchos* adveniente *Ænea* intra *Appenninum*, & *Tiberim* opibus floruiſſe tum *Græcis*, tum *Latinis* Scriptoribus innotuit, quidquid in oppoſitum feratur *Cluverius* novarum opinionum ſtudio illectus.

Caput II.

Umbrorum Camertium depulſio. Lilius de origine Camerini fabuloſus. Livii locus examinatus. Blondus, Cluverius, Papebrochius reprobati.

Ca-

Camertinum fœdus explicatum. Livius verbosus, & negligens deprehensus.

HActenus vidimus *Umbros* a *Lydis* depulsos annis CCC ante *Trojanum* excidium: *Umbros* vero *Camertes*, non ad oram *Circumpadanam*, sed *Clusium*, Urbem inhabitasse, quod & Polyb. Lib. II. *Polybius* fundat juxta probatiorem Casauboni versionem: *Clusini, qui & Camertes dicti: Romani* Liv. Lib. X. *in agro Camertino pugnant*, & Livius: *Clusium quod olim Camars appellabant.* Prosequitur Cluverius a Papebrochio relatus: *nihil igitur credibilius, quam incolas Oppidi Transtiberini, Umbros, Camertes cum à Pelasgis pellerentur, in istas Umbriæ Transtiberinæ partes sese recepisse, Oppidumque in ipso Appennini septemtrionali latere, qua fines sunt Picentium, novum condidisse, cui prischæ Sedis nomen inditum:* & P. Papebrochius: *Camerini Civitas nomen nacta creditur ab antiquis Camertibus, dum hi ex Etruria, ubi ad Clanem fluvium, & Clusium Urbem habitarunt, a Pelasgis pulsi suas Sedes elegissent.* Quod tamen tuto asseri nequit, cum non liqueat ex auctorum veterum testimonio, an *Camertes Umbri* a *Pelasgis*, seu verius a *Lydis*, qui CCC. oppida *Umbrorum* debellaverunt, in fugam disjecti, vel excisi sint; quamvis Moderni nihil certo statuant de rebus tam antiquis, & oculatissimus idem Papebrochius *credi* inquit (quod probari nequeat alicujus antiqui Auctoris testimonio) a *Camertibus* Pelasgorum incursu pulsis nomen derivasse.

Lilius Lib. I. Stat. Camer. in Princ. In contrariam tamen sententiam impingunt *Camerini* Annalistæ, tradentes hanc fuisse antiquam *Camesenam*, ut relato *Macrobio*, scribente *Camesem* in *Italia* regnasse, opinatus pariter est *Annius*
13 Historicorum levissimus; Alii vero hanc Urbem putent appellatam a *Camerto*, Duce *Turni* per *Maronem* relato, levi nominis argumento evulgatissimis fabulis *Annianis* deferentes, vel poeticis *Virgilii* exornationibus; De his autem, & Etymo *Camerini* fusius suo loco dicemus.

Pro Camerino proferunt Cluverius, Papebrochius, Livii locum: *Anno Urbis conditæ 444. iere M. Fabius, Famulusque, Etruschæ linguæ periti pastorali habitu; usque ad Camertes Umbros penetrasse dicuntur, introductumque in Senatu Fabium Consulis verbis egisse de Societate, amicitiaque, atque inde comi hospitio acceptum nunciare Romanis jussum commeatum exercitui triginta dierum præsto fore, si ea loca intrasset, juventutemque Camertium Umbrorum in armis paratam imperio futuram.*

Hunc textum parum quidem consulto pro *Camerino* pariter allegant *Blondus, Lilius*; Hi tamen Moderni nequaquam probare possunt *Camerinum* tunc conditum, vel esse Civitatem antiquissimam (ut nullo auctore relato enunciat *Papebrochius*) in eoque Montium *Picenorum* confinium Cel. Secund. Comm. in Orat. Cicer. pro Balbo. excessu *Camertium* Senatum præfuisse, & cum *Camerinum* longe CX. Milliaria distet ab Urbe, fere C. a *Ciminiis* (ut plures situm designent in *Piceno*) *Cæson* trans *Vulsinios*, & *Salpinates*, fines Anonym Dictionar. Hist. Geograph. v Camerinum. *Perusinos*, & *Assisinates* tam longe usque ad limites *Piceni* per invios Montes transgressus fuisset firmata societate. *Si ea loca Consul intrasset*, sed ad ea loca, *Umbria* intacta, progredi nequivisset *Fabius*, nisi Populis circum accolis profligatis, qui Pamphilus descript. Piceni. Consuli ad Montes progredienti, asperaque loca sustentandis Militibus, equorumque impendio imparia adeunti facile ex insidiis occurrissent, *Pi-* Merula Par. II. Lib. VI. Cap XXIII *ceni*que novi adventu exercitus exciti æque in arma proruissent, ut improvide in illa expeditione Consul tam longe digressus validissimam *Italiæ* Wadingh. Tom. IX. in vita B. Bapt. Varanæ. partem in odium *Romanorum* concitasset, Senatuque admonitus, ne ultra *Ciminios* excurreret, temere ad steriles Montes, & impervia *Appennino-*

A *rum* juga per medios hostes in ignotis regionibus, nec umquam ab *Romanis* exploratis, recentis amicitiæ fide, nec satis tutæ illectus commigrare 14
voluisset; sed is provide incursu potius, quam bello, Urbiumque direptione, *recentem tantum* Livius Lib. IX.
Ciminii Montis radicibus oram vastavit.

Sique Livii verba: *Si ea loca intrasset*, percipienda rectius sint de regionibus *Etruscis* (ad quas Senatu admonitus, vique hostium territus properare Consul distulerat) certe *Camerinensibus* tam longe sitis eas suppetias ferentibus *Umbri* circum Populi finibus *Perusinis* propiores, & uberrima planitie ditissimi valide occurrentes ad patrios B Montes remeare coëgissent, iisdem ea recenti societate cum *Romanis* hostibus invisa, ut plane parum profuturam cum populis tam longe sitis *Umbria* intacta, tot florentibus Populis pollenti per eum relicta *Fabius* amicitiam quæsisset.

Addit Livius *commeatum XXX. dierum præsto fore*, qui pariter locus nullo pacto congruere potest *Camerinensibus*, Montibus sterilibus undique obclusis, quorum res omnes exiguæ, quique commeatum æque cum Militibus opem laturi nec sibi adeo facile paravissent.

De hac Civitate nihil antiquis temporibus habeo magnificum, nisi quod a *Camertibus* usurpa- C tum est. ante *Syllæ* tempora obscurissima, ut dicemus, exinde *Gothis*, ac *Longobardis* furentibus facile in ditionem accessit, *Diacono, Luitprando*, nulla de aliquo *Camerinensium* oppido memoria recolitur; Quædam modo appellantur Castra, ut *Ploracum, Seravalle*, Plinio, nec Ptolemæo memorata, nobilissimorum Ducum *Varanorum* cura aucta sunt; sub quorum Imperio exactis proxime quibusdam sæculis Civitas ad apicem potentiæ supra omnes *Piceni* Civitates evecta est, numero Incolarum, opibusque nobilitata, Civitatibus finitimus a S. Sede in patrocinium *Varanorum* collatis. Cæterum Regio rerum omnium admodum D sterilis, vitio potius naturæ, quam Accolarum negligentia, bladis, hordeis, paleaque pro victu equino indigent ipsi, & tamen quamvis improvisa *Cæsonis* Legationem deprehensi, victualia spondent liberaliter, quasi copiosa Rei frumentariæ ibidem inesset annona, vinearum inexhausta luxuries, immensi pecudum greges pro libidine mi- 15
litum XL. Millium (ut ex *Cluverio* numerare ait idem *Lilius*) explenda. Agmen fuisse Lil. Lib. I.
equitatu, & Legionibus instructissimum hoc mihi argumentum est, quod *Fabius supplementum ab Roma adduxit, ipse substitit cum equitatu*, & quod *omnes Etruriæ populi præter Aretinos ad ar-* Liv. Lib.
E *ma ierant, & cæsa, aut capta eo die hostium Mil-* IX. Cap.
lia ad LX. XXXVII.

Verum Polybius, inquiens: *Umbrorum regionem in omni frugum genere fœcundam*, percipitur de ea parte intra *Tiberim, Clitumnum, Narniamque* flumina, & ubi interjacent urbes *Æsium, Fanum*, usque ad *Ravennæ* sinus, juxta veterem *Umbriæ* descriptionem; reliquum infelix est, ac sterile, valde montosum, Incolis infrequens.

Circum Populi *Plinio, Ptolemæo* memorati antiquitate æque pollentes: *Septempeda* VII. millia passuum insidet prope Camerinum, *Sentinum* XV. *Pysthia* VIII. *Tolentinates* XII., & V. *Ma-* F *thelicates* uberiori plaga incolentes, *Picenique* limites prope assurgunt, & eorumdem oppidorum agri, finesque non admodum longe a *Camerino* decurrissent.

Astipulatur conjectura, siquidem *Senonibus* late excurrentibus, *Camerinenses*, quorum agrum, *Limitibus maritimis, & Gallicis* contentum gloriatur *Lilius*, contermini fuissent, & cum juventu- Lib. prim.
te in armis parata, & tamen ait *Polybius*, Senones, *plerosque finitimos audacia eorum deterritos sibi ascivisse*,

viſſe, quid ergo tunc agebant ſtrenui *Camerinenſes?* qui *Polybio* ea circum loca, motusque populorum deſcribenti obſcuriſſimi ſunt.

Augetur vis argumenti, quod Anno CCCC. LVII. in agro *Sentinati* finitimo cum *Gallis*, *Thuſcis*que *Romanis* decertantibus, *Decio* Diis Manibus ſe patrio more vovente, nec tamen *Livium*, nec reliquos tradere *Camerinenſes* ad arma decurriſſe, commeatuque *Romanis* opem tuliſſe; Ipſique *Galli*, *Umbri*, *Samnites*que, qui ſimul in aciem convenerant, ante Conſulis adventum populos hoſtibus *Romanis* flagitioſo, finitimisque gravi dudum fœdere conjunctos protinus ſubegiſſent, *Cum eſ-*
16 *ſet terror ingens, tot ſimul, tantorumque populorum*, teſte Floro, vel ea loca prope fines *Mathelicatum* patentia intraſſent, ſi ingentem illum *commeatum XXX. dierum præſto* adfuturum cognoviſſent,

Florus Lib. I. Cap. XVII.

nec Auctores magnam *Lilianam Cameſenam* incurioſo ſilentio prætermiſiſſent, quod eſt prævalidum argumentum, cum populis Montanis prope *Sentinarum* agrum ſitis (quatenus ad eam ætatem floruiſſent) nullum fœdus compactum; ferme tunc *Camerinum* conditum, nullo Auctore excipere potui: Ea autem loca modo de juribus *Camerinenſium*, aliquando *Senonibus* excurrentibus exturbata fuiſſe, indicant nomina Locorum, ut *Caſtrum Gallicum*, *Galleanum* in agro *Camerini* ſita, & Polybius: *Senones juxta Adriaticum incoluerunt, poſtea pleroſque ex vicinis audacia eorum deterritos ſibi aſcivere*, etſi primos eorum fines a Vitæ *Flumine*, *usque ad Æſim*, [haud procul *Camerini* Montes fluentem] *Livius* deſcribat. *Livii* tamen incuriæ tribuenda ſunt omnia, quem *verboſum*, *negligentemque* arguebat *Caligula*, quandoquidem hic non aperit, per quæ loca ad *Camertes* commigraverit *Cæſon*, ut inde eorum ſedem exploraremus, & quibus pactis æquum aſſertum fœdus ad ea tempora, vel ſubacta *Italia*, [ut cum aliis Civitatibus] pariter initum ſit, ſcribens tantum vulgo ferri *penetraſſe dicuntur*, a quo excepit *Frontinus*, quæ de fœdere *Camertium* protulit. Fœdusque cum minus valida *Sutrina* Civitate quibus pactis ictum ſit pariter ignoratur, & quamvis *Camerinenſes* illud *Camertium* ſuperattollant, equidem non dedignabantur *Romani* cum parvis Oppidis ſocietatem contrahere rebus tunc agendis utilem, privilegiis liberaliter oblatis, miſſisque, & *Fulginatium*, & *Camertium* fœdus non iniquo jure cenſitum poſſumus ſuſpicari ex Tullii loco in Balbiana: *Nec Fulginatium, nec Camertium fœdere eſſe exceptum, quo minus eorum Civibus præmia virtutis tribuerentur.*

Polyb. Lib. II.
Liv. Lib. v.
Suet. in Calig.
Stragem. Lib. prim.
Pro Balb.

NOTÆ IN CAPUT II.

Non ſemel *Livium* Hiſtorici licentia excedere compertum eſt, tum in amplificandis *Romanorum* Faſtis, tum in pervertenda ratione temporum; ferme non aperit in textu hic relato, num adeo magnificatum *Camertum* fœdus ictum ſit cum *Fabio*, num ſubacta Italia ibi *penetraſſe dicuntur*; ſique ex hoc loco credendum tunc æquum fœdus *Camertinum* ex poſt *Plutarchi*, *Tullii*que elogiis celebre fuiſſe compactum, nunquam credendum eſt *Camertes* inſidiſſe in loco inopi, ac undique Montano, ubi *Camerinum* effulget, ſed omnino prope *Clitumnum*, & *Tiberim* ipſorum comitatum fuiſſe opinor, ſiquidem commeatu XXX. dierum ſuppetias *Romanis* totidem Legionibus ad bellum inſtructis ferre vix valent omnia circum loca, quæ modo complectitur *Umbria* a Mare, *Æſi*que ad *Tiberim* usque *Peruſiam* protracta; ferme *Camerinum* ante *Syllana* tempora conditum fuiſſe, ac *Camertium* extitiſſe ſedem nullibi patet, niſi levi nominis argumento, in quo agens de ſuo *Camerino* fortaſſe innititur *Lilius*, hoc autem probabilius admitteretur, ſi in ea regione, *Camertum* non verificarentur nomina, ac veſtigia, de quibus inferius.

17
CAPUT III.

Camertium ſedes disquiritur. Appiani, Pliniique textus laudati. Aldi locus de Camertibus discuſſus. Veſtigia oppidi Camerii, ſitusque Urbis Co- A *mitatusque deſcripta. Campellus rejectus. Jacobillus notatus. Ciceronis locus explicatur.*

CAmertes ante *Lydorum* incurſus *Clanarum* ora, qua *Cluſium* immunito monte inſidet, ditiſſimi [cujus agri beatitudinem agnovit *Strabo*] ferme non ſe Montanis illis *Camerinenſium*, ubi ventorum, imbriumque frequens diſſidium, rerumque inopia intercluſiſſent, locumque divitem, ſtratumque propius *Tiberim*, ac *Clitumnum* conſultius pervadiſſent; & *Sigonius* advertit *Camertes* tunc prævalidos, liberosque fuiſſe, quod inaudito aliorum populorum conſilio ſponte in B amicitiam *Romanorum* convenerint, Copiis commeatum triginta dierum præſto fore, juventutemque in armis paratam oſtentantes, ſed hæc *Camerinenſium* inacceſſis undique Montibus, tam longe à *Ciminiis* ſitis, inconvenientia prorſus ſunt omnia, niſi Adverſarii per meram divinationem ſine antiquo aliquo Auctore, confuſis, exturbatisque *Piceni* finibus ad ea tempora intactis contendant ſuæ *Camaſenæ* limites latius protractos.

Strabo Lib. v.
Lelius Manc. disquiſit. Gen. Cap. CCC.
De Antiq. Jur. Ital. L. I. Cap. XVII.

Pyrrhus Ligorius in ſua indigeſta rerum mole confundit cum *Camerino Camerium*; æque loquens de *Camerino* Cluverius inquit: *Sed hæc gentilitia ſane rectius fuerint ab Oppidi primitivo nomi-* C *ne Cameria*, quo loci videtur credere *Camerinum* ab Oppido *Camerio* originem nactum; hujus nominis fuit oppidum, manetque modo exciſum inter *Fulgineum*, & *Spoletium*, & veteri denominatione *Camerum* appellant, de quo videtur agere *Appianus* in propoſito per *Cluverium* laudatus, deſcribens armorum aggregationem prope *Peruſiam* agro *Fulginei* non longe ſitam: *Ex his*, inquiens, *duas Planci legiones*, *quæ in Cameriis relictæ fuerant ſibi tradere ſuaſit*: de his agens *Camerinos* vocat *Plutarchus*, & *Cato* apud *Feſtum*. *Camerino* non congruit hic locus, quod longe ſitum extet XL. millia paſſuum à *Peruſia*, & quidem à D via *Romana*, per quam equitatus decurrens improbabile prorſus eſt per milliaria XL. procul a *Peruſia* ſtativam habuiſſe in locis undique imperviis, in quibus pro equis aqua ipſa defeciſſet, cum longe per agrum aliarum Civitatum fluat *Potentia*, quæ in æſtivis caloribus deficit. Trans *Camerum* latiſſima, & uberrima circumſpicitur illa planities, modo juribus *Fulginatium* recentiorum [ut dicimus] usque ad *Peruſinos*, *Ameriæ*que fines; inde *Silius*, flagrante bello *Punico*, finitima circum loca deſcribens probabilius percipiendus de his vicinioribus *Cameri* Accolis, armorum gloria, & opulentia ſtrati circum agri E Bovum, raſtrorumque exercitiis idonei memoratis, inquit:

Ligor. Verb. Camertes.
18
Vit. Marii.
De Verb. ſignif. v. Prorſus pag. 44.

Amerinus, *& Armis.*
Vel raſtris laudande Camers.

Sed *Camerinum* diſtat ab *Ameria* milliaribus ſupra XL. *Pyſthinis*, ac *Mevaniatibus* intermediis, & habet Anonymus in ſuo vulgatiſſimo Dictionario Hiſtorico Geographico: *Camerinum Piceni Urbs præclara, a curvitate ſitus appellata. Camertes in Piceni finibus*, & inferius: *Camertes Italiæ populi in regione VI. juxta Amerinos.*

Plinius laudat *Poma Amerina*, *& Cameria*, F quæ quidem prædulcia enutriuntur trans *Cameri* montes prope ripas *Clitumni*, modo *Spoletinorum*, ac æque in collibus *Oppelli Fulginatium*, ubi ampliſſima aſſurgit villa Nobilium *de Sebaſtianis*, à quibus comi hoſpitio ibidem per quam plures dies exceptus fui, abſceſſique invito præclaro Viro D. Capitaneo *Conſtantino Sebaſtiano* rebus in bello adverſus *Turcas* pro *Venetis* egregie geſtis memorando; pariter amabiliſſima promunt *Syllani* vineta prope *Cameri* confines, quæ immaturitate acerba deguſtavi in vineis *Camerinenſium* ob nivium

Diction. Hiſt. Poet impreſſum per Cornelium Sutorium Urſellis v. Camer.
Diction. Cic. v. Camers.

vium lapsum, quandoque etiam post mensem Aprilis exactum, ac Cœli inclementiam; describitque
19 idem Plinius *Assisinates*, *Camertes*, de his percipiendus, quorum poma singulariter profert in historia, & confert etymon eorumdem Locorum, cum à *Camero Camertes*, & *Camerini*; à *Camerino*, ut scribit *Luitprandus*, *Diaconus*, & habent vetustissima Acta *S. Venantii*, Camerinenses appellandi, legimusque in antiquis monumentis *Lilio* exploratis, quamvis *Strabo*, & *Ptolemæus* inscribant, *Camarinum*, & quidam *Camarinenses*, ut minus recte ex Modernis *Aldus*, nemine in auctorem habito, statuat Camerinenses dicendos *Camertes*; Cameriæ Incolas *Camerinos*, & Camerinæ apud Siculos *Camerinenses*, quandoquidem Lexicon Geographicum inscribat *Camerina* Siculorum; quasi *Luitprandus*, ac reliqui omnes illius temporis ignoraverint hos populos *Camertes* antiquos fuisse, & tali nomine decorandos; Sed *Aldo* venia danda est, quod *in Orthographia* adducat inscriptionem *Camerinensem* marmori incisam, quam *Camertes* in *æternam securitatem* Severo Imperatori substitulisse gloriantur, hanc tamen spuriam dicemus suo loco, ut innotescat, *Aldi* opinionem nullo solido auctore, aut fundamento niti, & *Camertes* exciso *Camero* non amplius à probatis Scriptoribus, qui recentiores non sint, uno excepto *Plinio* de nominibus Populorum superstitibus agente, relatos fuisse.

[Lil. Lib. III. fol. 89 126. 250.]

[Aldus Comment. in Orat. Cicer. pro Balbo.]

Et novum affluit fundamentum ex *Livio*, dicente *Fabium* usque *Perusiam* in eo bello decurrisse, nec admodum longe opinandum est extitisse *Camertium* loca, nimirum ubi ager *Fulginatium* opulentissimus, ibidemque Consul ratus sibi tutum perfugium adfuturum, vel stativam, si ab hostibus circumveniretur, *Cæsonem* ablegavit, fœdusque percussit.

Utque res propius attingatur, quæ vidi, proferam primus.

In elatissimo comitatus *Spoletini* monte fere *Umbriæ* medio XI. milliaria à *Spoletio*, & VII. à *Fulgineo*, XXIV. à *Camerino* manent vestigia murorum, turrisque eversæ. Locum ab immemorabili Incolæ *Castrum vetus* appellant, hinc prope tertia fere milliarii parte, alia in monte supereminet Turris certe antiquissima muris circumdata, sed modo propemodum excisa, manent caveæ subterraneæ à pluribus sæculis effossæ ad perfugium paratæ, inest prope Pagus saxis, ruinisque undique circumseptus, *Oppidum Camerum appellatur*, pervetustis ædificiorum ævo detectis cæmentis, absumptisque, abruptas habens vias, latasque, arcemque à *Longobardis* (ut tradunt) exstructam, sub qua ampla, præmunitaque inest saxea porta incurva, cum atrio obrotundo in longum protenso; ad lævam in via cernitur pars januæ antiquæ rudi saxo compactæ ad perennitatem, quam subsequitur murus oblongus dirutus, altitudinis, ut videtur, modo quatuor circiter cubitorum. Passim obvia saxa ingentia, quæ Civitatis amplitudinem, molesque munimentorum, passaque probant excidia: ad ima Loci in planum desinentis in via, quæ *Romana* dicitur, patens est vallis *Cameria*, fere per tria passuum millia trans flumen *Orsanum*, & longo tractu per viam ad *Spinam* tendens: in finibus Castri manent signa Templi eversi, murique terra contecti, ibidemque conditum Thesaurum credunt Agrestes: euntibus per castrum viæ medio occurrit fragmentum orbiculatum marmoris antiquissimi, quod in constructione Ecclesiæ tradunt effossum, in quo prænotavi formam Serpentis affabre insculpti marmoris gyrum ambientis, duxique probabile *Æsculapium* olim à *Camertibus* veneratum: non admodum procul in via, quæ patet ad *Orseanum*, vidi vetustam *S. Antonii* Ecclesiam, in cujus superliminarii servatur inscriptio antiquo Lapidi incisa litteris partim Græcis, quibusdam Latinis ævo deformatis, nonnullisque ignotis compacta.

20 (margin number beside "circumdata")

Horum *Camertium* agrum optimum, atque pulcherrimum, pomorum varietate, & excellentia, describit *Cato*, qui ad *Clitumnum* usque fluvium, & campos, quos *Tinea* præterfluit, rerum omnium luxuria affluentes probaliter protrahebatur per omnem montium excessum usque fines *Nucerinos*, & colles Plebis *Thaurinæ* recentius dictæ.

Utque horum comitatum invenire possim, quædam de finitimis attingam.

De *Mevania* sæpe *Livius*, nullam de *Spoletinis* memoriam retinens, nisi post finem primi belli *Punici*, cum Colonia ducta est, & perhibet Paterculus: *Torquato*, *Sempronioque Coss. Brundusium Colonis occupatum*, *& post triennium Spoletium*, sed hi Consules adlecti sunt anno Urbis DIX. anno igitur DXII. Colonia Latina ducta est. Cicero: *Spoletinus*, ait, *ex Colonia Latina in primis firma*, *& illustri*, *fundum Populum non esse factum*, *nec exceptum quod Civitate donari non possit*, hæc autem statutos fines habebat non admodum latos, quamvis contrarium nullo certo Auctore, aut ratione innixus scripserit *Campellus*, præsumens suum *Spoletium*, antequam res *Romana* polleret latius, *Umbrorum* caput censitum, & allegat modernum *Pancirolum*, putatque *Camertes* fuisse ejusdem Provinciæ *Spoletinæ*, non docto, præterquam ex *Annii Viterbiensis* commentis (cum quibus improvide plerumqne transit *Leander Albertus*) Spoletium ad ea tempora floruisse; cum pateat insuper, *Umbria* in Tribus distincta, *Camertes* liberos fuisse populos, nec auditis finitimis in amicitiam cum hostibus totius Provinciæ convenisse, *Ocriculanos* sponsione acceptos, *Nequinos* ab *Umbris* destitutos, quamvis pugnarint acerrime, expugnatos, reliquos magis fusos, quam cæsos, quod nullo prævalido tuerentur imperio; an ne sopore graves stetissent *Spoletini* asserti rerum *Umbriæ* moderatores? Cum pateat angustis quibus una Colonia constare finibus poterat *Spoletium* tunc contineri, quo *Annibale* depulso ad apicem gloriæ primo evecti sunt, proditque Livius: *Pœnus conjectans ex unius Coloniæ minus prospere tentatæ viribus.* In eadem regione trans *Tineam* (*Topinum* vocant) apparent vestigia fori *Flaminii* duobus passuum millibus prope *Fulgineum*, quod nec fuisse Oppidum vetus ipsius Auctoris nomine innotescit, cecinitque Silius, Lib. VIII. vers. 454.

21 (margin number beside "De Mevania")

[Vell. de Col.] [Pro Balbo.] [Hist. Spolet. Lib. I. II.] [Lib. XXII.]

Tineæque inglorius humor.

ignobilitatem ad ea tempora populorum, quos *Tinea* abluit, eo loci significans.

Modernus Jacobillus, ut patriæ suæ antiquitatem concelebraret, profert inscriptiones Loco 22
visas, quas ego *Fulginei* reperire non potui, Virisque litteratis compertum puto, vel esse suppositítias, vel ex alio loco advectas. Fatemur *Fulgineum* Urbem esse *Spoletio*, *Æsio*, *Fabriano*, quæ modo ditiora, & frequentiora sunt Loca numero Incolarum, nobiliumque Virorum, hoc ævo comparandam, recentiorem tamen esse Civitatem putamus, ut *Fabrianum*, *Camerinum*, *Natoliates*, *Vissum*, quæ Civibus aliorum Oppidorum incursu hostium disjectis, vel condita, vel nobilitata sunt; Et ex monumentis vetustatis excipi, testes sunt *Blondus*, reliquique Moderni, *Fulginates* ex agro *Tudertino* profugos, Oppido *Fulginia* (de quo idem Silius, Lib. VIII. vers. 461.

Patuloque jacens sine Mœnibus arvo.

Fulginia)

depulsos Barbarorum excursione in partes recen-

[Blond. Descript. Umbriæ, &c.] [Guaz. Chron. Verbo Fulgin.] [Bergom. in Chron.] [Franc. Floren. Lib. XIII.]

ribus rectius visum sit, a situs *Camerini* curvitate in arcum protensi hoc *Camerini* nomen recentius effluxisse, quod *Camera* teste *Nonio* tectum indicet incurvum, Civitate diverso nomine censita, ut antiquus Vates credidit in hymno S. Venantii.

In Vrbe regia,
Olim dicta Valeria
Nunc Camerinum appellatur
Regisque Camera vocatur,

Et traditum est ab antiquis *Camerinensibus* tribus Cameris incurvis patrio stemmate expressis.

Utraque ex his opinionibus ab etymo Loci deducitur, in quo tamen non potest certa regula præfiniri, quod nomina corrupta extent, vel a Duce, insignique facinore nobis non explorato
30 derivata, nec *Camerinum* esse adeo antiquum patesit, quod in Veterum historiis obscurissimum est a *Cæsare*, & *Tullio* primo memoratum: *Cohortes, quæ ex Piceno, & Camerino venerunt*, qui verius de ditione *Camerina* percipiendi sunt, superstitibus nominibus, & vocabulis. Hæc autem oppida *Camars*, *Vejûm*, *Perusium*, *Clusium*, *Vulsinium* antiquissima esse, prodiit pariter ex impercepta significatione, alia vero, ut *Camerinum*, *Macerata*, *Spoletium*, *Hispellum* his recentiora sunt, quod primum a situs curvitate, secundum a macerie novarum ædium, reliqua a Spoliis, & depulsione hostium provenire facile potuerint *Romana* prolatione.

Cæterum plura longa exhausit antiquitas, nam pariter de *Trejo*, *Tolentino*, *Mathelico*, *Pysthia*, *Sentino*, quæ *Camerino* propiora sunt loca, quænam apud Veteres memoria recolitur de origine, gestisque? quamvis videantur antiquioris, ignotæque significationis; & perpetua erit quæstio de origine ipsius Urbis *Romæ*, quam alii ad *Romulum*, alii verius ad *Trojanos*, quidam ad neutrum ex his deferant, ut mirandum non sit, de Oppidis his ignobilioribus Veteres originem non explicasse, unde Recentiores ad fabulas conversi, vel nominis etymo, seu levioribus argumentis Urbium exordia augustiora faciunt.

NOTÆ IN CAPUT IV.

Cato agens de Fœneratione Legis *Juniæ* apud Festum inquit: *Camerini Cives nostri Oppidum pulchrum habuere, cum Romam veniebant*, igitur ad ejus tempora amplius nulla vigebat dignitas, & amicitia cum *Romanis*; & *Camerini* censendi sunt Cameri Accolæ, congruuntque nomina, quandoquidem de *Camerinensibus* primi memoriam recolant *Strabo*, ac *Ptolemæus* (ut *Dynus* ait) hique *Camarinum* appellant; *Syllam* vero reliquis omnibus subversis *Mario* opem ferentibus, *Camertes* eidem conjunctissimos immunes reliquisse numquam probabile esse potest, satisque indicunt turres, murique prope *Camarum* eversi *Syllanam* crudelitatem, cecinitque idem *Dynus* Lib. IV Fast.

Non procul à Tiberi evertit cum Sylla Camertes,
Umbrorum extremis hi latucre jugis.
Hic parvi fundant Camerini exordia. Castri
Quod foret exigui nomen, & Imperium.

CAPUT V.

Sigonii locus animadversus. Appiani, Salustii, Livii concordes textus proferuntur. Syllanum in agro Camertino in Umbria: Licinianum in Etruria Coloniæ Syllanæ. Singularis Licinianensis inscriptionis explicatio. De Licinio genere, ac Cilnio Lipsii, ac P. Ciatti judicium discutitur. Liciniani Syllanæ Coloniæ laudes proferuntur.

Camertes Mario conjunctissimos *Syllam* excidisse, satis superque vidimus; hunc vero in locis dirutis, suspectisque præsidiis impositis Co-
31 lonias deduxisse fundavimus cum *Appiano*; In antiquis ubi aliqua argumenta concurrant, non inanem esse nominis conjecturam præmittimus; & cum admodum conferat ad deducendum *Camertum* excidium, *Syllam*, ubi modo *Syllanum* assurgit, præsidia imposuisse, in loco nimirum satis ubere, ac immunito, [etiam Incolarum fama hanc militaris Coloniæ deductionem comprobante] operæ pretium erit cum *Sigonio* iterum in arenam venire, ejusque novas hæsitationes aperire, & explodere.

Sigonius, agens de Coloniis, ac Municipiis, asserere non dubitavit, *quas tamen Colonias, aut quam multas Sylla deduxerit, non esse memoriæ proditum*; verum cum nec *Syllæ*, *nec Cinnæ longa fuerit Dominatio*, teste Tacito, & ob Reipublicæ, temporumque vices memoria rerum, Coloniarum, gestorumque intercidit, & *Appianus* quædam attingens obiter plurima historici licentia omittit; *Syllæque* monumenta ipsius manu conscripta invisa atrocitate factorum interierunt, ac statuæ eversæ sunt: Colonias deduxisse est testis Appianus: *Cunctos populos Sylla puniit, Mœnia diruit, Colonos deduxit: præsidia imposuit*, & Salustius: *Milites de Coloniis Syllanis ex Etruria deductos*; & ex Epitome Liviana: *Sylla ordinato Reipublicæ statu Colonias deduxisse.* Nomina autem Regionum, locorumque ab insigni, vel egregio aliquo facinore, Ducisque nomine derivasse compertum est, ut *Tarquinia* à *Tarconte* dicta, *Roma*, *Alexandria*, *Julia* Auctoris nomen ostentant.

De Ant. Jure Rom. pag. 274. — Tac. in princ. — Lib. I. — De Bello Cat. pag. 19. — Lib. LXXVII.

In *Etruria* Sullam Colonias deduxisse *Arretium*, ac *Cortonam*, suspicari se ait *Sigonius*.

De *Cortona* patet nullibi, quamvis ex *Dionysio* ab *Romanis* Coloniam deductam esse asseratur; *Aretinos*, ut idem agnovit Sigonius, qui *pertinacissime Syllæ restiterunt*, cum civitate excisos, agro adempto, Colonos exinde deductos fuisse non satis patet, imo contrarium ex hoc suspicari possumus, hisque tamquam suspectissimis proscriptis, in finibus, immunitoque *Liciniani* situ præsidia imposita, ne dum magis verisimile arridet, imo liquide patet antiquissimi Lapidis testimonio.

Volat. Lib. V. — Sig. pag. 205.

32 L. CORN. L. F.
SVLLÆ DICTATORI FEELICI
COMMILITONIBVS
OB LICINIANVM MVRO DVCTO
TVRRIBVS MVNITVM
DECVR. INDICTO NOMINE
LVCIANENSES
PVB. SERVIL. ET. AP. CLAVD. COS.

Sylla in eodem Lapide inscribitur FEELIX: *& in duobus nummis Syllæ FEELIX, longum sic videntur ostentare*, ait Dausquius, *felix in cognomen venit*, & post Imperatoris vocabulum in Statua equestri in rostris scriptum asserit *Appianus*. Claud. Dausqu. Orth. pag. 132. — App. Lib. I.

CORN. SVLLÆ IMP. FELICI.

Ita cognominatus, *quod tot millia Civium, ac inimicorum proscribere, & trucidare valuisset: quod nemo eo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset*, & quia primus perpetuus Dictator fuit (quod nomen in Successoribus in cognomentum venit) & quod ad mensuram meritorum, Castra hostiumque Oppida elargitus est Commilitonibus viginti millibus, qua denominatione pariter usus est Livius: *adeste Commilitones.* Cic. pro Sex. Rosc. in Verr. — Lib. II. in fine.

Hoc Oppidum antiquitus *Licinianum* fuisse denominatum, ex omnibus Loci monumentis, aliaque quamvis non adeo antiqua inscriptione ibidem in Palatio pro magno *Etruriæ* Duce Vicarii Vallis *Clanarum* existente verificatur, & magis celebres Scriptores, qui res *Thuscorum* memoriæ commendarunt, ut *Villanus*, *Augustinus Dathus*, *Pius III. Sanleolinus* habent *Licinianum*, ut satis demonstravimus in meo opere *de Situ Clanarum*, pluribus abhinc annis *Senogalliæ* cuso, & inferius dicemus, cum agemus de *Liciniis*.

Pariter à *Syllanis* hanc Coloniam præsidiis tutam, & Turribus immunitam, nedum nomina sunt argumento, sed etiam, ut fatetur *Baldereschus*, incorrupta Incolarum traditione compertum In Notis ad opus de Sit. Clan. pag. 130.

tum est: *Famæ autem funditus standum*, inquit 33 Livius, *ubi vetustas derogat certam fidem*; & ad annum MDLVIII. eversa est incendio Turris *Syllana*; hujus angulus marmore rudi circumseptus adhuc manet in apice collis prope locum, quem *Sanctus Angelus vetus* appellant; apparentque cæmenta fundamentorum molis ingentis ævo detecta, ac fere absumpta; est etiam alia Turris in platea, quam *Porcheaream* vocant, antiquissimæ pariter structuræ, rudi marmore compactæ, in qua nullus patebat aditus, præterquam ex janua perangusta quinquaginta ferme cubitis à solo distante, ibidemque peracta præda confugientes saxis, armisque hastatis se defendebant à frequenti hostium incursu, quam à *L. Porcio Licinio*, Legionum adversus *Asdrubalem* Imperatore, [ut *Livio* liquet] ita denominatam ait in indice *Sanleolinus*, & sæpius *in Elogiis Cosimi I.* repetit à *Licinio*, & *Liciniis* hoc oppidum cognominatum.

Sanl. Florent. Cosm. action. Epigr. L. II. III. Sigon. Lib. II. pag. 232.

Decuriones fuisse Senatores Coloniarum, ac Municipiorum, ex *Cicerone*, aliisque probant *Sigonius*, ac *Panvinus*, & expresse Cicero *in Sextiana*, & in veterum monumentis DEC. COL. nimirum Decurio Coloniæ; hos vero, ut *Syllæ* adularentur, è *Liciniano* a nomine Dictatoris (qui *Lucius* dicebatur,) *Lucianum*, seque *Lucianenses* inscripsisse, Lapis indicat; & legimus in alia basi, quamvis non adeo antiqua, ante portam militarem *Luciniani*:

LVCIANENSES.

Publium Servilium, & *Appium Claudium* sibi addictissimos Consules *Syllam* renunciasse, est mihi testis idem Sigonius: *A.U. DCLXX. IV. Consules Publius Servilius, & Ap. Claudius, Auctor Cassiodorus, horum cognomina Vatia, & Pulcher, de quibus ita Appianus: Pop. Rom. ut Sullæ Dictatori obsequeretur, ab eo, ut Consulatum continuaret, petiit, cui adversatus Sylla Servilium Isauricum, & Claudium Pulchrum Consules renunciandos curavit: P. Servilii, & Ap. Claudii Consulum meminit etiam Orosius.*

Comm. in Fast. pag. 268. Petavius Lib. XIII. Tom. II. pag. 648. A. U. D. C.LXXV. Epig. de Translat. Corp. S. Barthol.

Hunc Lapidem vetustissimum pariter *cum aliis oculatis Auctoribus* appellat *Monticellus*, addens 34 *Lucinianum Coloniam Syllæ militarem*; Balderechus vidisse asserit, & inscriptionem legisse, quamvis ævo plurimum deformatam; de eodem lapide meminit Abbas *Gamurrinus* Aretinus, agens de familia *Licinia*, & *in Historia Aretina* (quam Jacobillus *in descriptione Umbriæ*, ac *Balderechus* commendant) pariter in responsione Apologetica ad Gamurrinum *Marchionus Clusinus*, inquiens, *lapidem antiquum, majusculis Litteris, quibus antiqui utebantur incisum.* Sed Modernus *in Notis*, quas adjunxit ad meum Librum de fastis, allegat locum *Calderini Mirani*, ex Venetis in archetypo ad annum MDXC. exscripto, inquiens in Bibliotheca *D. Marci* asservari (quod Anno MDXCIX. excusum tradit *Konigius*) legique ait, *Lycinianum Coloniam Syllæ militarem, elicique ex Lapide antiquissimo per Dathum* (qui tribus abhinc sæculis floruit) indicato, ac *Maccabrunum* in Libro *de Laudibus Etruriæ* Senarum in fastis percelebres.

In Not. pag. 147. seq. De Famil. Umbr. & Thuscis in Cilniam, & Licin. Abbas Machi. in Gamurr. pag. 7. Notæ ad Dynum de Fast. Eleg. Lib. I. Georg. Kon. Biblioth. Vet. & nova V. Cald. Veron. Dath. Epig. Maccabrun. Senens. Cald. V. Lycinianum.

Dathi volumina in Epistolis, ac relationibus digesta, elegantias, & quædam epigrammata habemus, ut alia tanti Viri opuscula M. S. quæ manibus *Senensium* Litteratorum, alibique teruntur. Addit idem Modernus, *Venetiis* prodiisse *Miranum* uberiori materiarum copia, & in quibusdam ob originali Revisorum, scribarumque Incuria vel additis, vel detractis restitutum ex Typographia *Aluisa*, & in verbo *Lycinianum* ex prædictorum Sententia, quæ superius diximus apprime fundari, & sane huic diligentissimo Viro me maxime debere profiteor, qui hæc, nobis non adhuc explorata, tam utiliter potulerit.

Nec censui prætermittendum pro uberiori dictorum comprobatione Taciti locum: *Sub Tiberio exauditæ sunt Legationes Coloniarum, ac Municipiorum orantibus Florentinis, ne Clanis Fluvius solito alveo demotus in Arnum transferretur.* In regione *Clanarum*, & toto tractu, usque *Florentiam* protenso, inter Colonias numeratur *Cortona*, *Aretium* Municipium eruit ex Lapide *Panvinus*; igitur non improbabiliter ex hoc quoque textu arguit *Balderechus* hujus *Lucinianæ* Coloniæ deductionem, quandoquidem *Tacitus* plurium Coloniarum legationes significat, & de *Coloniis* pa- 35 riter *Syllanis* in *Etruria* ad tempora *Catilinæ* meminit *Salustius*, & cum tot alia concurrant ex nomine *Luciniani* à *Lucio Sylla* defluxo, hujus rei majus prodit argumentum, ut egimus superius.

Tac. Lib. II. Lib. III.

Et quamvis rei ordinem videar excedere, tamen quædam pro lapidis elucidatione addenda videntur.

Licinianum perantiquum fuisse Oppidum, à *Liciniis* dictum, censent Scriptores, de quibus Livius: *nuntiabatur Etruriam rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto, ubi Licinium genus præpotens divitiarum invidia pelli armis cœptum est.* Putat Abbas Gamurrinus, *Licinios* residisse in Senatu *Aretinorum*, & exilio multatos fuisse, allegans inscriptionem, hanc ego [etsi corruptam] protuli in Libro præcitato *de Situ Clanarum*; ob quod suspectissimam ex pluribus incusat *Clusinus*, quod à *Livio* dissentiat. Siquidem *Licinios* nec subditos, nec Cives extitisse, satis ex eo liquere potest, quod *Aretina* plebs [quam pro universa Civitate accipiunt *Latini*] cum his pacem firmare indignata non est, & prosequitur Livius: *habeo Auctores sine ullo memorabili prælio pacatam à Dictatore Etruriam esse seditionibus tantum Aretinorum compositis, & Licinio genere cum plebe in gratiam reducto*, & ita habent codices antiqui, & expurgatiores impressi *Basileæ*, *Parisiis*, *Venetiis*, in Bibliotheca *Angelica* Urbis, *Augustiniana* Senarum, *D. Marci*, *Ambrosiana*, *Laurentiana*, omnibusque aliis clarissimis Bibliothecis.

Sanl. Calder. Gamurr. Mac. Liv. Lib. X. Cil. & Licin. pag. 232. In Gamurr.

Credunt quidam, nomine plebis percipi turbam, quæ partes *Liciniorum* prosequebatur in eorum oppido degens, à quo *Licinios* Aretini armis pellere adorti sint, vel plebem *Aretinam* cum *Liciniis* ad arma versam in gratiam *Romanorum* iterum reductam à *M. Valerio* Dictatore cum Legionibus ob id ablegato; etenim reducere in gratiam munus Principis est; & Cicero: *Qui me cum Cæsare in gratiam reducat*; & Flavius: *Antiochi Filii in gratiam Cæsaris reducti sunt.*

Lib. VII.

Ceterum in *Etruria* ultra XII. Principes Civitates quosdam Principes præfuisse, ait Dionysius: *Erant in Etruria quidam Principes: Potentissimus quisque cum suis servis convenerat*; ad ea 36 tempora quosdam in Oppidis regnasse, reperio apud *Livium*, ut *Tarquinium* apud Gabios, *Aristodemum* apud Cumanos: *Porsena sibi proprium paraturus Imperium* apud Dionysium, *Vejentum* Principem *Regem* pariter appellat *Livius*, & ultra XII. Urbes erant aliæ Civitates, ac Oppida, & ignoramus modo, quo jure regerentur nimirum *Salpinates*, *Longulani*, *Cossani*, *Graviscenses*, *Nepetini*.

Dion. Lib. XXXIX. Suet. in Otho. in princ. Plut. in Rom.

Verum cum non sine longo temporum cursu familiæ fiant adeo præpotentes, ut armis paratis opus sit ipsas submovere, facile ex hoc Loci *Liciniani* prodit antiquitas, & idem *Clusinus*, Liciniis florentibus, hoc *Oppidum in finibus situm* credit summæ consequentiæ censitum.

Apolog. ad Gamurr. Romæ Anno 1700.

Lipsius, in quodam codice sibi apud *Sequanos* per amicum communicato, ait, loco *Licinii* legisse: *ubi Cilnium genus*; hic plane codex ante XV. sæcula obscurissimus fuit, ab aliis ubique cusis, &

Antiq. Lect. Cap. XXII.

& superius indicatis dissentiens; allegat Silium:

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris.

In meo vetustioris impressionis legitur *Cilinus*, & ita legit Clusinus *in* docta sua *Apologia* ad *Gamurrinum*, iterum hoc Anno *Romæ* impressa. *Cilniam esse gentem Mæcenatis omnium Litteratorum amantissimi*, eruit è schedis *Barberinis* Fabrettus.

Cap. x, pag. 750. in hortis Justinian.

C. CILNIO P. F. POM.
PAETINO
LEGAT. TI. CÆSARIS
AVG.
PRÆTORI. TRIB. PLEBIS
QVESTORI. TRIBVNO MILITVM
PROCONSVLI.

P. Ciattus Hist. apud Gamurr. & Mach.

Recentiores æque putant, unum idemque genus esse *Cilinum*, ac *Licinum*, nomen iisdem ferme verbis compactum, secunda inversa Syllabâ, & magna sane est disceptatio, numquid Mæcenas *Aretinus* sit, an *Clusinus*, an potius ex *Liciniis*:
37 in alio opere *de Situ Clanarum* hanc quæstionem discutiendam omisimus, & quædam tantum hic attingemus obiter, non enim in brevi hac dissertatione volumus veriti Criticorum invidiam novum certamen instaurare; non tamen prætermittenda est *Calderini Mirani* explicatio ab eodem Moderno relata ad carmen Silii: *Cilnius*, *Thuscus nimirum ex oris Arretinis*, *ubi Licinianum Oppidum est*: Allegant quidam jocosam Epistolam apud *Macrobium*, quam *Augusto* adscribunt, in qua Mæcenas *mel gentium vocatur*, *Lasar Arretinum*, *Cilniorum Smeragde*, *Tiberinum*, *Margaritum*, *Berille Porsenæ*, *Ebur ex Etruria*, & Horatius:

V. Mæcenas In Not. ad Lib. I. de Fast.

Tyrrhena Regum progenies,

Vita Mæcen.

Hinc *Caporalis* credidit *Mæcenatem* ex *Porsenæ* genere, qui *Clusinorum* Rex fuerit; sique fides ulla danda est epistolæ, sive Recentissimo non repugnaret aliquem ex Avis *Mæcenatis*, cujus decus ignoremus, *Porsenam* vocatum: nec *Laars* (non *Cilnius*, nec *Licinus*) *Porsena cognomine* Rex fuit, sed Lucumo, ut probat Dionysius, *Etruria* libertate pollente, & Lucumones in aliqua tantum expeditione nomine Regis dignati sunt, ut apud *Plutarchum*, & *Florum*, & ex Nummo hanc Regiam denominationem in Lucumone *Aretino*, flagrante *Syllano* dissidio, sibi arridere ait Baldereschus *in iisdem Notis*, quod apud me non satis tutum est, nec Nummus in pretio fuit: quamvis Præsides, & qui militarem gerebant Magistratum, quandoque vocentur Reges, ut apud *Orosium*, & Methaphrastem *in Actis Martyrum* græca elocutione. Nec apud *Plinium*, ac *Strabonem* alios in *Etruria* præesse Reges reperio, nisi *Tyrrhenum*, Atys Regis Lydorum Filium, de quo superius egimus, à quo, ac *Tarconte*, ipsius Fratre, in *Thuscos* militaris gloria, nomen, ac dignitas omnis defluxit.

Et confert pro loci *Luciniani* antiquitate Plinii locus: *Et vulgo principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe*, *maxime in agro Venafrano*, *ejusque parte*, *qua Licinianum fundit Oleum*: *Liciniæ gloria præcipua olivæ*. Legunt alii: *quæ Licinianum fundit oleum*, hoc quoque nobis opitulatur, quandoquidem etiam modo oliva *Hispanica*, in collibus *Italicis* inserta, *Hispana* vocatur, & suo nomine ubique notatur uva lacrimam *Nea-*
38 *politanam* effundens: Hæc autem oliva *Licinia* an ab Inventore, an à Loco talem denominationem sortita sit, apud me satis exploratum non est, quicquid ex *Catone* desumi autumet Modernus.

Lib. xv. Cap. III.

Putabit infensissimus Criticus, genio contradicendi illectus, in agro *Venafrano Licinianum* oleum fluxisse; non tamen probat, hic in eo angusto comitatu hoc oleum fuisse supra illud concelebratum, nec adeo obscurum fuisse *Licinianum*, in

A quo famigerata oliva floruisset; nec dolet iterum hic proferre locum, de quo in meo opere de Situ Clanarum: *Nec oleum Licinianum aliunde quam ad Clanas Invidorum divinatione exquirendum*, *nec alibi inesse comprobatum*, *& pateat nomine*, *& re olearum excellentia*, de qua ibidem est testis *Balderreschus*; nec *Plinius* solius *Venafrani* agri oleum describere protestatus est, sed totius *Italiæ*, hoc bono plurimis in locis scatentis, ut æquius ille locus forte corruptus legendus sit: *& in ea parte* (nimirum Italiæ) *qua Licinianum fundit oleum*, & congruit explicatio Moderni Florentini: *& in ea parte*, *in qua est Licinianum*.

Landinus Plin. vulg.

B Utque ad propositam quæstionem redeamus, *Syllanæ* Turris in Oppido *Luciniano* manent nomina, & *Tomasius*, qui florente *Senarum* celeberrima Republica Historiam inscripsit, ob id Oppidum à *Syllæ* militibus occupatum censet, & *Licinianum à nomine Ducis Syllani hujus nominis denominatum*, in quo tamen non habet contestem, quamvis conferat ad Loci vetustatem.

Hist. Senens. Lib. I.

Locum esse natura munitissimum, fatetur *Roscus* agens de bello *Senarum* ad Annum MDLV., & ante ipsum *Guazzus* in historia describens *Senam* à manu *Lucinianensium* magna obsidione exemptam fuisse, per hæc verba: *Licinianum opere*, *&*
C *natura munitissimum est*, *& ferocium copia Virorum*, & Cinus vocat *Clavim Vallis Clanarum*, quæ est tot Civitatibus Oppidisque percelebris, & alludit Cicero: *Majores nostri Colonias idoneis in locis imposuerunt*, *ut propugnacula Imperii esse viderentur*. agrumque Castri *Syllani* esse idoneum pro Coloniæ deductione patet accedenti, *Luciniani* etiam Scriptorum testimonio, & Podius: *Lucinianum*, ait, *etiam ad ea tempora dives*, *potens judicatum*, & Eques *Ninus* cum aliis in præcita-
39 to meo opere laudatis: *habet comitatum divitem*, *latum*, *cuique Civitati decentem*, & valuit armis libertatem adversus invictas Civitates servare, ut
D ex *Pio III. Malevolto*, *Castrensi*, *Thusco* notavimus; *Lucinianenses* pro veris, & originalibus Civibus, & secundi ordinis Nobilibus perpetuo haberi sancitum est in Consistorio *Senarum*; idemque Magnus Dux attenta Loci dignitate, & opulentia *Nobilibus Viris* à supremis Magistratibus ipsius vices gerentibus inscribi mandat, ut profecto congruant omnia, ut *Lucinianum*, invito *Sigonio*, inter Colonias *Syllanas* reputandum omnino sit.

Append. ad Tarc. Lib. v. vi. Hist. pag. 33. Vita Cosmi I. Lib. v. vi.

Hist. Flor. Lib. III.

De Bell. Ital. Lib. vi. Mal. Hist. Senens. Lib. VIII. Card. Thusc. Concl. Litt. L.

NOTÆ IN CAPUT V.

E Planum est *Syllam* Colonias deduxisse, *Syllanum* vero tunc conditum, vel à *Sylla* Coloniam ductam, nec *Dynus* probat, nec ego pro certo assero, non tamen ob rei probabilitatem temere hunc locutum dixerim. Sigonius *Syllanas* Colonias in *Umbria* nullas reperit, in *Etruria* se ait suspicari deductum fuisse *Aretium*, ac *Cortonam*, hanc fuisse à *Romanis* ductam ait *Dionysius* Lib. I. *Aretium* omnino disjectum, muris exutum, ademptumque agrum probat Cicero *apud Volater.* se indulgente restitutum, non Coloniam deductam, ut credendum sit ea circum loca ubertate, agri beatitudine apud Strabonem *Lib. V.* magnifica à *Syllæ* militibus occupata fuisse, hos autem in immunito pervetusti *Liciniani* colle insidisse in finibus *Aretinorum* apud me exploratissimum est ex allata singulari inscriptione, ignoravitque *Sigonius* de his agens, quod ob breve *Syllæ* Imperium, rerumque vices æque de aliis *Syllanarum* Coloniarum deductionibus nulla certa ad nos devenerit notitia: duo tamen me de tam insignis rei veritate ancipitem reddebant,
F primo an constaret de *Liciniani* antiquitate, secundo an satis patens esset inscriptionis vetustas. Quoad primum putat *Dynus* liquere ex *Livii* loco agentis de Aretinis: *ubi Licinium genus præpotens*, quidam vero inepte putant, hos esse ex Civibus *Aretii*; verum rei hujus solutionem ignoravit *Dynus* ipse, patetque *Licinios* in Oris *Aretinis*, non *Aretio* effloruisse ex *Festi Pompei* loco in vocabulario, ibi *Licinii in Oris Aretinis*; Fragmentum Festi ex *Illyrico* advectum protulit *Antonius Augustinus*, editque *Romæ* Anno MDLXXXI. *Georgius Ferrarius*, in quo Codice, ne dum verba, & dictiones plurimæ, sed plerumque rei ordo desideratur; hujus codicem tribus fere abhinc seculis per *Paulum* eruditum Virum transcriptum, ac *Carolo* Neapolitanorum Regi dicatum, videat

deat quisquis indagandarum antiquitatum studiosus in Bibliotheca eruditissimi *Bernardi Trivisani*, Nobilis *Veneti*, inter alia celeberrima M. S. in quo præcitatus habetur *Liciniorum* locus litt. L.; nec ullam parit repugnantiam *Lipsiana* castigatio *Licinii* ex M. S. apud Sequanos *Cilnium* in *Livii* textu subrogans, quia omnes antiqui Codices *Licinium* præ se ferunt, ac recentiores hic cusi; nec desunt Moderni firmiter opinantes, familiam *Cilinam* ac *Licinam* idem esse genus inversa syllaba, quod Dynus in *Lib. I. Fast.*, & *P. Antoninus* hic ingeniose expresserunt

Cajus Cilinus veteri de stirpe Licinus.
Inversis eadem nomina scripta notis.
Syncopa si desit mutilato nomine Cilnus.
Et decus, & causas tempora longa tegunt.
,, Cilinus Urbe fuit, Licinus quem Patria dixit:
,, Inversa est tantum syllaba, nomen idem.

A Et ex his non inepte authumantes *Mæcenatem* ex *Liciniis*, quandoquidem hæc opinio gravibus Viris arridet, subscripsitque etiam *Academia Minervæ* Litteratissimorum judicio in Libro impresso per *Hieronym: Albritium* Venetiis Tom. IV. p. V. p. CXI, & in Autographo *Calderini* nostri, quod hic habemus in Bibliotheca *D. Marci*. V. *Mæcenas*, noviter cuso *Venetiis* ad mentem M. S. per *Dominicum Louisam*; conferunt pariter carmina *Dathi*, cujus liberculum in eadem Bibliotheca *D. Marci* M. S. servatur, relatum in eadem Galleria *Minervæ*, ac in eodem Autographo Calderini V. Velinus:

. . . . . . Abluis Essis.
Syllanam arcem, qua Cilnius ortus Eques.

Et eruditus Guigues:

Licinio quoque Mæcenas jam sanguine clarus.
Hic habet, ut proprios noscere possit Avos.

B Ex quibus attento etiam *P. Ciatti*, *Lipsii*que testimonio clare asserit Academia Minervæ *Mæcenatem* ex *Liciniis*, & *Liciniano* Clanarum originem duxisse, cui opinioni ego quoque subscribo; nec ab hac sententia me submovet Modernus Poëta Perusinus *in Vita Cilnii*, authumans *Mæcenatem* ex *Porsena Clusino* originem traxisse, quia, ut ait Dynus, *Porsena*, nec *Cilnius*, nec *Licinus* fuit, sed *Laars nomine*, *Persona cognomine* ex Dionysio, & quamvis ex Regibus *Thuscorum* provenisse *Cilnium* asserat *Propertius*, *Porsena* non Rex, sed Lucumo, Præsesque fuit ex eodem *Dionysio*, invisum quippe Regis nomen, *Thuscis* libertate florentibus, nec alios in *Etruria* Reges fuisse, ex *Strabone*, *Plinioque* reperit *Dynus*, præter *Tyrrhenum* cum *Lydis*, *Lyciis*, reliquisque finitimis ad ea loca advectum, hinc non inerudite Dynus in eodem Lib. Fastorum:

A Lyciis natos Vates dixere Licinos.

Quibus addo Horatium de Mæcenate scribente:

Tyrrhena Regum Progenies.

C Quo loco probabiliter de *Tyrrheno*, ac *Lydiæ* Regibus percipiendus, quod *Dynus* non advertit; his additur *Festi* testimonium *V. Mæcenas*, in eodem Vocabulario ex Bibliotheca Trivisana: ibi *Mæcenas Lycinus*.

Nec his obstare visum *Silii* carmen:

Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in Oris.

Quandoque ita explicat *Calderinus* in præfato Authographo (quod nostri ad litteram non typis mandarunt, ne moles supra *Calepinum* excresceret) *Cilnio Toscano del Territorio d'Arezzo, ou' è Liciniano*, quæ explicatio, ac locus laudatur in eadem Galleria *Minervæ*, & bene meo judicio, quia aliter, τὸ *Tyrrhenis* otiosum esset, quando *Aretium* fuisse in *Etruria* clare pateret *Silio* ibidem ea loca in bello *Punico* describenti, nisi denotet illum esse ortum in oris, quas *Tyrrhenus* incoluit.

D Quod attinet ad secundum, pro veritate inscriptionis est testimonium ejusdem *August. Dathi*, qui fere tribus ab hinc sæculis floruit, de cujus carminibus sic ad ea tempora cecinit *Benedictus Cingulus* in eodem M. S. laudatus.

Vidimus eloquii decus Augustine Libellum.
Inque tuo regnat Atticus ore lepor.

E Hic autem non semel *Lucinianum* Coloniam *Syllanam* nuncupat, & in Autographo *Calderini* hæc duo pariter *Dathi* carmina referuntur V. Vulsinium.

Vulsinis Lycinis, his Sulla in marmore prisco est.
Quod Luci nomen tunc Luciane geris.

Nimirum *Sulla*, qui *Lucius* dicebatur, à quo è *Liciniano Lucinianum* vocatum communiter traditur; de eadem *Lucinianensi* inscriptione habeo etiam auctorem oculatum Renatum Lagogueum *de Britannia Minori*, Sacerdotem hic *Venetiis* agentem, aliis *Gallico* idiomate editis libris memoratum; qui in suis M. S. ferme XXX. abhinc annis exscriptis, dum per *Italiam* immigraret, hujus lapidis meminit luculentissime, mihique non semel eruditus ille rei veritatem, ac antiquitatem aperuit, & *in Notis ad Libros Fastorum* ejusdem Dyni profitetur, ut merito inter Colonias Syllanas *Lucinianum* sit recensendum.

F

CAPUT VI.

Cluverius ac Papebrochius notati. Inscriptio Severiana Camerinensis expenditur, & spuria exploditur. Sigonii, ac Brixonii opinio examinatur. Inscriptio Ligoriana de Colonia Camerin. illustratur. Inscriptiones Lilianæ commentitiæ proscribuntur. De Lilii opere judicium. Panvinus defensus. Lilius de Cohorte ultrice Camerinensi reprobatur. Fabrettus laudatus. R. N. Camerinensis rejicitur. Papebrochii judicium profertur, & exploditur.

Papebrochius Ughellium sequutus pro fundanda antiquitate *Camerini* adfert inscriptionem *Tiburtino Lapidi* incisam, ex qua æquum illud foedus cum *Romanis* antiquitus percussum sibi attribuunt *Camerinenses*, a *Severo* confirmatum indicentes, & ad *Severi* usque Principatum protractum, idem ex *Ughellio* præsumit *Papebrochius*.

IMP. CÆSARI
L. SEPT. SEVERO
PIO PERTINACI AVG.
ARAB. ADIAB. PART.
MAX. BRIT. MAX. TR. POT.
XVIII. IMP. XII. COS. III. P. P.
CELESTI EIVS INDVLGENTIA
IN ÆTERNAM SECVRITATEM
ADQVE GLORIAM
IVRE ÆQVO FOEDERIS SIBI CONFIRMATO
CAMERTES.

40 Grut. in Severum.

Vanitas hujus inscriptionis prodit oculari inspectione, quod characteres inæquali, & ineleganti forma conglutinati sunt, & ad *Severi* ætatem *Romani* majusculis Litteris, distinctisque utebantur, in hac vox sola *Camertes* amplissimis litteris incisa est, quod gloriæ eorum summe cederet videri illas antiquos *Camertes*, cum quibus *Romanos* percussisse foedus inscriptum est, sibi ab Imperatore confirmatum: in eodem foro inest Basis LYCORIS MATRIS, Characteribus *Romanis* affabre efformatis, hisque cum iis *Severianæ* inscriptionis comparatis, accedens quisque judicat, hanc recentis fabricæ esse, sique *Gruterus* vidisset, profecto, ut quasdam *Camertum* infra referendas, potiori jure inter spurias proscripsisset.

Insuper in *Severiana* deficiunt hæc vocabula: *Procos. Pont. Max.*; Dempsterius: *Imperatores*, inquit, *Pontifices Maximi creabantur, & Patriæ Patres appellabantur, & omnia, quæ in Populari forma Reipublicæ multum valuerant, Senatu, Populoque volentibus, & cum ipsis nominibus in se recipiunt, excepta Dictatura, ut Consulatus, Proconsulatus: post Augustum omnes Romani Principes Pontificatum maximum, vel susceperunt, vel se Pontifices maximi appellari passi sunt*, ut *Constantinus*, *Constantius*, *Valentinianus*, *Valens*, & *Gratianus*, qui *Christianæ* Religioni addicti, quamquam a Pontificis Maximi munere abhorrerent, id tamen elogiis suis ascriptum aspernati non sunt, nec rejecerunt; primus omnium *Gratianus* (ut *Zosimus* docet) se Pontificem maximum appellari vetuit, atque ita ea Sacerdotii dignitas, quæ supremam humanarum, & Divinarum rerum auctoritatem comprehendebat, in Imperatoribus defecit. Astipulatur Lazius: *Titulum Pontificis maximi Augusti sibi usurpabant, ut quod amplissima in Urbe ea foret dignitas Consulatui, Imperatorique prælata, id quod subinde in inscriptionibus Augusti, Vespasiani, Trajani, & Septimii Severi videre est*, hujus munus erat de ceremoniis judicare, peregrinationi præsidere, in nuptiis sententiam ferre, in adoptionibus jus dicere, distribuere Sacerdotium, & Virginem maximam capere, quorum facultatem hodie Pontifex *Romanus* obtinet, excepto postremo, quod ut Gentile exolevit. *Severus* æque *Armeniacus* cognominatus est; & mos fuit inscriptionibus ad promerendam fidem consultius expressis, in iis maxime, quæ incipiunt a titulis

Dio. Lib. LIII. Thom. Dempster. Antiq. Rom. Lib. III. Cap. XXII. Lib. VII. Cap. XII.

Zonaras Annal. Lib. II.

41

Lazius de Rep. Rom.

Augustalibus, nullos prætermittere titulos, vel vocabula, quibus Imperatores decorabantur; quamvis hoc non admodum videretur conferre, si reliqua ad fidem historiæ congruerent.

Ceterum *Camerinenses* inservientes usque ad *Severi* Principatum servasse jus æquum fœderis, quod *Sanctissimum, & æquissimum* vocat Tullius, improbabile prorsus est, nec aliunde quam ex Lapidis testimonio in silentio antiquorum eruere possunt; etenim, postquam Augustus *cuncta bellis civilibus fessa sub Imperium accepit*, ablata est Fœderatis, & *Italicis* Civitatibus de rebus summis decernendis libera potestas, sed jus æquum fœderis adeo sanctissimum fuit, ut nec jura, nec ipsam Populi *Romani* Majestatem tenerentur cominus servare, & verba *Tullii* explicat Fanc. Silvius, *Sanctissimum*, id est *Sacrosanctum; æquissimum*, id est, in quo *additum non erat*, *ut majestatem Populi Romani tenerentur cominus servare*, *quod si tenerentur*, *fuissent inferiores*.

Tacitus Lib. I.

Camertibus adulatur *Sigonius*, quod nec tenerentur cum *Romanis* signa conferre, relato Livii loco in bello Punico: *Camertes, cum æquo fœdere cum Romanis essent*, *cohortem armatam D. C. Hominum miserunt*, addit Sigonius: *Nimirum hoc significans ceteris Populis exiguam*, *Camertibus*, *qui propter æquitatem fœderis nihil deberent*, *magnam laudem*, *quod enixe Populum Romanum adjuverint*, *esse tribuendam*. Obstat Sigonio Brissonius: *Camers Romanum*, *Romanus Camertem bello*, *& pace juvet*, *hostes*, *& amici*, *iidem sunto*, *Camertes Majestatem Populi Romani comiter conservent*. Opinor tamen, cum florerent Fœderatorum jura, non teneri *Camertes* servare majestatem Populi *Romani* ob æquissimi fœderis præstantiam, ut patet ex *Tullii* loco loquentis de statu *Camertium*, flagrante bello Cimbrico: *Si tenerentur majestatem Populi Romani servare*, *fuissent inferiores*. Nec advertit Sigonius, *Camertes* toties cum *Romanis* signa contulisse, *Fabio*que ab his expromissam Juventutem *Camertium* in armis paratam, quod in hac rei obscuritate argumentum est, *Romanum*, & *Camertem* teneri sibi vicissim suppetias ferre, quod nihil detrahit æquitati fœderis. Et non semel distinguit *Livius* æquum ab inæquali fœdere, nam qui æquo fœdere juvabantur, eodem tamquam inter pares inito reputabantur pro Amicis: *Fabius verbis Consulis egit de Societate*, *amicitiaque*, e converso, qui fœdere non æquo detinebantur, ex *Livii* loco de Appulis: *impetrarunt*, *ut fœdus daretur*, *neque ut æquo fœdere*, *sed ut in ditionem Populi Romani essent*. Cum igitur æquum fœdus abdicationem a ditione Populi *Romani*, & æquissimam Imperii majestatem significet, post constitutum Imperium, jus æquum fœderis in marmoreis monumentis proferre apertam redolet defectionem a debito Cæsaribus servitio, probatbatque *Panvinus*, post legem *Juliam* oblitterata, & confusa fuisse jura, ac nomina Fœderatorum, Coloniarum, ac Municipiorum, cum omnia Oppida *Italica*, veteri majestate dimissa, parere, & in legionibus pugnare, non amplius in auxiliis tenerentur, & *Sigonius* hanc titulorum, ac rerum confusionem satis designat, ut quamvis addat, *Camerinum* fuisse semper fœderatum, nedum probare tenetur, ante *Syllæ* ætatem *Camerinum* conditum, sed percipiendus omnino est de *Camertibus* ante *Syllam*, cum, his ad tempora excisis, nullus Scriptorum aperiatur locus de fœdere, imperioque *Camertium*; post legem *Juliam*, & constitutum Imperium, *Severo*que Principe, minus videtur tolerabilis illius *Camerinensis* Senatus majestas, & æqui fœderis figura, quandoquidem sub hoc Cæsare, Imperialis potestatis studiosissimo, *Romanorum* etiam Magistratuum

Liv. Lib. XXVIII. cum not. Sig.

42

De Formulis Lib. IV.

Pro Balbo.

Pavin. Lib. III.

Sigon. de Colon & Urb. Fœder.

43

A auctoritas, & Imperium diminuta sunt, & omnia metu, & mœrore complebantur, quod ille in Senatu palam, *quod turpiter viverent*, increpasset, quod potestate Senatus male usi fuissent, quodve exinde *immerito Commodum ignominia notassent*, *Populusque teneri non potuit*, *quin malum palam deploraret*.

Eadem spuria inscriptione *Severus* Britannicus *Maximus* appellatus est, hoc autem *Severo* ultimum opus mortalium fuit, teste *Xephilino* ex *Dione Cassio*; ferme *Nigro*, & deinde *Albino* Ducibus in *Severianos* summa vi irruentibus, *commotus est Orbis*, in qua rerum vicissitudine, in ipso B Principatus exordio probabilius videbatur, *Severum* liberaliter *Italis* aliqua privilegia indulsisse, ut in amicitia contineret, sed apud *Britannicos* degens, æmulis pridem profligatis, Orbis Imperator, dempto Augusto, inter Cæsares ferme maximus, bellis, longo Imperio, morbisque fessus, ad fœdus *Camerinensium* confirmandum, & unum Oppidum *Umbriæ* montanum a *Romanorum* servitio eximendum, vel illustrandum, & æqui fœderis nomina obsoleta, & invita Principibus Dominis in indultis renovanda, animum intendisse, improbabilitatem, & ineptitudinem sapit.

Xephil. ex Dione in Severum.

Cluverius, cujus auctoritati adeo in præmissis C defert *Lilius*, quædam attingens de *Camertino* fœdere ejus tamen durationem vulgata lege *Julia*, & confictam *Severi* confirmationem neglexit penitus, quin advertens *Frontinum*, agentem de Coloniis, ejus limites designare, dicit *Camerinum* Coloniam, cui nec jus, nec figura convenit Fœderatorum; & Municipes, Colonique inservientes in suis finibus (ut pariter *Septem pedani*, ac *Mathelicates* finitimi) ab Augustis Dominis fuerunt conclusi, auctore *Frontino*.

Front. de Colon.

Pyrrhus Ligorius, tamquam Novator a *Fabretto* notatur pluribus hujus inscriptionibus, quæ ad suum negocium conferebant subreptis, quibus-D dam aliis ut spuriis relictis, addens, a coævis excepisse hunc non integri judicii Transcriptorem, 44 quomodocumque accepta, in Codicem retulisse. Verum *Ligorii* fidem integrat *Spanhemius*, vocans eximiæ expectationis Virum, ab *Ant. Augustino*, *Caro*, *Ursino*, *Panvino*, *Pignorio*, laudibus celebratum; is itaque hanc inscriptionem non visam, sed sibi missam, ab omnibus tamen Loci Scriptoribus, in explicandis *Camerini* fastis oculatissimis, ignoratam, primus edidit.

Spanh. pag. 148.

MARTI GRADIVO
AVGVSTO
M. CVRIVS M. F.
E QVIR. ANCVS VI. VIR. AVGVST.
PATR. MVNI. COL. CAM.
ET Q. ATTILIVS Q. F.
PALMVS. PRISCVS.
ET Q. CORTILIVS Q. F.
QVIR. DIGNVS II. VIR MVNIC.
QVINQVE N. CVRAT P. P.
D. D. D.

Multa etenim ad historiæ veritatem conferentia in his postremis, ac criticis sæculis, exploramus; vel apud Veteres dubia novis argumentis obfirmamus, nisi quis suspicari velit, in ingenti F *Octaviana* proscriptione, sive sub eodem *Augusto* ductam hanc Coloniam fuisse inter eas *Octavii* numerandam, quarum nomina ignoramus, & noviter ab eodem *Fabretto* Colonia *Vejum* fundatur ex Lapide *Vejentano*, in quo C. Senatores numerantur; nec leve est argumentum fragmentum Lapidis in via suburbana prope muros Camerini *Augusto* incisum. Apparet ex hoc, basi confusa (ut diximus) fuisse nomina Coloniarum, & Municipiorum, & simul accipi, & promiscue confun-

De Colon. & Munic. Sig. Lib. II. pag. 221. Panv. Lib. III.

fundi, ut ex pluribus *Ciceronis*, ac Veterum locis probat *Sertorius*, & *Panvinus*, agens de lege *Julia* a Sylla, & Cæsare lata inquit: *æquatis omnibus suffragiis, Civitas Italiæ omni data est; Coloniarum, Municipiorum, Præfecturarum jura oblitterata sunt, nominaque hæc confundi cœpta.*

Duum Viri erant Municipiorum Senatores, ut
45 planum est apud *Panvinum*. Cognomen *Augusti* Gradivo tribuitur, quod pariter legimus in hortis Insulæ *Tiberinæ*, Epidaurio numini datum.

Panv. Lib. III. de Col. de Antiq. Veronæ.

AISCVLAPIO
AVGVSTO SACRVM

Jo. Petr. Bellor. de Nummis Antonin. Pii. dissert. in fin.

Quæ vocabula addita sunt nominibus Deorum, Dearumque in adulationem Augustorum, quos Diis æquare volebant, ut *Jupiter* Augustus, *Apollo* Augustus, *Diana* Augusta, *Isis* Augusta.

Lib. VIII. XII.

Universam *Græciam* liberam pronunciasse *Neronem*, Pausanias, & Philostratus tradidere, *Lacones* liberos appellat *Strabo*, & ex aliis monumentis eruitur; hæc Barbaris longe agentibus exempla speciosa sunt, sed jus fœderis confirmati, æquo jure, omnimodam a ditione abdicationem significaret, quam nec *Græci*, nec *Lacones* sub *Nerone*, nec ulla Civitas *Italica*, ostentare jure potest.

Reliqua titulos Augustales respicientia ab aliis *Severi* veris inscriptionibus desumpta fuisse opinor, quæque subsequuntur, CELESTI EIVS INDVLGENTIA, IN ÆTERNAM SECVRITATEM, ADQVE GLORIAM, attexta sunt ad insignem ostentationem; cum non sapiant puram illam Latinitatem, qua antiqui ad ea *Severi* tempora utebantur in elogiis Cæsarum, ut de per se quisque antiquitatum peritus judicare valet, veluti indulgentia *Augusti* fœdus, ac gloriosa fœderis ostentatio in æternum duratura, marmori incisa, Oppidum *Camerini* supra omnia *Umbriæ*, *Italiæ*que loca singulariter attolleret.

Lib. I.

Nova *Lilius* inscriptione ex basis fragmento (ut idem ait) *Camerini* Anno MDCVIII. effosso, elicit, *Antoninum*, Severi filium, *Camerinenses* III. Civitate donasse, nullo nixus argumento, quare toties *Antoninus* Cives pronunciaverit Incolas *Camerinenses*, solum addit ex superius traditis, excitatam fuisse *Antonini* liberalitatem, quod X. Cohors Prætoria ex suis *Camerinensibus* deligeretur, quam deinde inconstans credit ex *Umbriæ*
46 militibus aggregatam. In eadem *Bassiana* inscriptione deficiunt *Antonini* Consulatus, ac Proconsulatus, ac Patris Patriæ invocatio, quam pluresque alii tituli, *Antonino* in inscriptionibus delati.

Hanc autem inscriptionem, nec ego, nec alius videre potuit, auctoribus *Camerinensibus* penitus ignotam, & mirandum est, curiosissimos *Camerinenses* illam adeo recenter effossam, loco publico non servasse, & mihi, antiquarum rerum vestigia satis diligenter publicis votis perquirenti, indicare neglexisse, sique ex omni *Umbriæ* Regione, Cohors delecta est, quare *Camerinensibus* Provinciæ angulo sitis, non validioribus *Spoletinis*, seu *Nucerinis*, *Mevaniatibus*, *Sentinatibus*, *Nursinis*que antiquioribus, aliisque oppidis æque Nobilibus, elargita non asseruntur privilegia adeo perspicua, memoratuque digna? de quibus unum *Camerinum*, non meliori jure (si in expeditionibus *Anglis* prospere usus fuisset *Severus*, vel in aliis *Antoninus* eadem *Umbrorum* Cohorte) gloriari posset, indicitque satis horum omnium silentium insignes simulationes, *Liliique Camerinensis* commenta.

Confert ad præmissa, nullo ex antiquis Scriptoribus, sive *Camerinensium* Chronistis colligi, hanc æqui fœderis præstantiam in *Severi* Principatu confirmatam, nec ex aliis loci inscriptioni-

A bus ante, & post *Severum* latis. Basisque falsitas ex eo maxime prodit, quod nullus possit proferri auctor antiquus, imo nec recta, evidensque conjectura pro rei certitudine, elogiique firmitate, ignoramusque, quonam servitio Imperatori præstito excitata fuerit Augustalis Indulgentia, ut jus æquum fœderis cum subditis Gentibus impracticabile iterum impartiretur.

Lilius XXX. ab hinc Annis Patriæ suæ *Camerini* Italico sermone concinnavit *Historiam*, haud integram, nec satis disgestam, paginis pluribus in fine operis in albo relictis, Revisorum sententia, quod suæ Patriæ laudationes finitimis,
B *Spoletinis*que graves passim proferat, nec publica auctoritate excusa apparet, omissa nominis Typographi, Locique expressione, cujus quædam tantum exemplaria manibus *Camerinensium* teruntur, Libris reliquis cura Civis cujusdam asservatis. Credunt, *Lilium* (Lutetiæ Parisiorum Cardinalis *de Richelieu* eruditorum amantissimi a Secretis assumptum) libros absolvere, vulgareque distulisse, ut plurima ipsius arbitrio noviter excogitata, vel inanibus conjecturis subnixa temporum beneficio, veluti rerum oblivione, pro veris exinde haberentur, sive, ut in Urbe audivimus 47
C a *Bartholomæo Machiono* superius laudato, cum eodem *Parisiis* familiaritate conjunctissimo, idem *Lilius* operæ pretium duxerat quædam consultius castigare, plura addere, opusque propere editum in historicam veritatem traducere. Auctor *Historiæ Picenæ* Lilio amico suo adulatus est, & ea, quæ idem pro *Camerinensibus* suis magnificentius aggerat, expendere neglexit.

Campagnonus Hist. Pic.

Itaque *Lilius*, ut magis verisimilia crederentur præmissa, probare contendit, Cohortem II. Vigilum, & X. Prætoriam *Camerinensibus* compactam inscriptionem *Severo*, & *Caracallæ* substulisse, & cum iisdem fideliter dimicasse, unde motus Imperator ad fœdus confirmandum, ac *Caracalla* ad III. donandam Civitatem, & cum tam
D speciosi commenti nec se, nec alium producat Loci oculatum Scriptorem, refert *Panvinum*, profitentem *Camerini* inesse basim.

IMP. CÆSARI L. SEPTIMIO SEVERO PIO
PERTINAC. AVG. ARAB. ABIAD. PARTICO
BRIT. MAX. PONT. MAX. TR. POT. XVIII.
IMP. XII. COS. III. PROCOS. P.P. ET IMP. CÆ.
M. AVRELIO ANTONINO PONT. TRIB. POT. XIII.
IMP. II. PROCOS. P.P. DEVOTA. NVMINI ET MAIEST.
EORVM COH. II. VIG.

E Titulos Augustales præ se fert inscriptio, quam tamen *Camerini* vidisse, vel eodem allatam non asserit *Panvinus*, hic enim, ut Consulum tempora definiret, plures habet inscriptiones, dicitque eadem pagina, Consulatum Severi *sequenti inscriptione* satis deduci, sique Lilius *Panvinum* vidisset, utique judicasset, inscriptionem ab eo relatam esse *Severianam*, quam superius protulimus, & confictitiam ostendimus, in qua *Camertes Fabii* illud fœdus ostentant sub III. *Severi* 48 Consulatu confirmatum, & quamvis eadem pagina *Panvinus* producat hanc Vigilum basim, non dicit, hanc fuisse a *Camerinensibus* erectam, nec
F reperiri *Camerini*, hanc verisimilius vidit in Urbe, locumque (ut plurium aliarum) in quo inscriptio sita erat, annotare neglexit, ut adsimilem Cohortis II. Vigilum servari *Romæ* in hortis Cardinalis *Carpensis*, ne dum Scriptores, sed *Lilius* ipse profitetur, credens æque improbabiliter hanc *Camerinenses* suos substulisse, sed respectu primæ (ab omnibus Loci Scriptoribus ignoratæ) ne novus videretur Auctor, maluit se referre ad *Panvinum*, cui a Civibus suis inquit agendas esse gratias, quod basim extare *Camerini* testa-

Panvin. Comment. in fastis. pag. 246.

testatus fuerit, quod a veritate penitus abhorret, A ut legenti *Panvinum* patebit.

Lilius Lib. I. fol. 32. & seq.

Addit ex indubitatis elici conjecturis X. Cohortem Prætoriam de *Camerinensibus* aggregatam fuisse, quæ basim substulerit M. *Aurelio Antonino* in Urbe repertam Anno MDXCIX. in Vinea prope portam *Latinam*, nullas tamen (eadem ad litteram transcripta) expendit conjecturas, in qua pariter *Camerini*, vel *Camertum* memoria apparet penitus nulla.

Aliam supponit erexisse in Urbe eamdem Cohortem Prætoriam ultricem.

Lib. Epigram. Antiq. Urbis pag. 64. Lilius loco cit.

HERCVLI. INVICTO
PRO SALVTE DD. NN.
IMP. CÆS.
M. AVREL. P. ANTONIN.
P. F. AVG. F. M.
AVR. ALEXANDRI
NOBILISSIMI CÆSARIS.
TOTIVS DOMVS DIVINÆ EORVM
COH. X. P. V. ANT. ET MARCIANI
MASCVLINIVS VALENS VOTVM
PERSOLVERVNT.

49 Hanc X. Cohortem Prætoriam Ultricem *Camerinensem* obtruncasse *Martianum*, Caracallæ interfectorem, inquit *Lilius*, Anno Imperii ejus VI. ætatis XLII.

Marc. Lib. XXVII.

Hæc autem configmenta ferme sunt omnia, quia Cohors Vigilum, Cohors Ultrix erant Prætoriæ: de his Marcellinus: *Cohors Prætoria ex adverso Augustum cautius stipans resistentium pectora, moxque terga fugientium incidebat*, de iisdem Lazius inquit, *quandoque millenario cum quingentis hominibus confici*, quæ vel corpus Augusti tuebantur, vel in præsidiis, vel procul a Castris ad observanda Hostium consilia, sive ad costodiendum Senatum, vel Urbem a Latronibus, ac Incendiariis tuendam collocabantur; his primus *Scipio* integrum stipendium instituit, cum ex omnibus fortissimum quemquam selegisset; has Prætorias Cohortes ferme intercisas in bellis Civilibus renovaverunt *Julius* Dictator, & *Augustus*.

Adrianus Politus observ. in Tacitum.

Quod soli *Camerinenses* binas habuissent Cohortes armatas Vigilum, & Prætoriam, quæ propius Imperatorem stiparent, & quibus ipsius salus credita esset, nullo Auctore, vel conjectura probari potest. Et certe tam magnifica ostentatio exigebat testem coævum, utpote rei claritate insignis, ut supra reliquas Civitates unum *Camerinum* gloriari posset, tot milites strenuos, fidosque habuisse paratos.

Verum ex Scriptoribus priscis elicitur, non una Civitate Cohortes Prætorianas desumptas fuisse, sed ex omni numero, & delectu, Viris proceris, & optimis quibuscumque, & de Legionibus emeritis, & de illis quibus ætas, & longa servitia honorifice præstita opitulabantur, ut *Tacitus*, & *Herodianus* testantur, notatque *Lazius* proferens nostris temporibus exemplum de *Janizzeris*, quod *Turcas*, ex quocumque fortium Virorum numero aggregatis.

Lazius Lib. VI. Tacitus Lib. XX. Herod. Lib. V.

Hæc quoque Cohortes Prætoriæ, ac Vigilum erant plures, profertque tredecim inscriptiones ab singulis incisas idem *Lazius*, tum *Romæ*, tum *Auximi*, *Pisis*, *Neapoli*, *Veronæ*, *Mathelici*, *Urbini*, *Lugduni*, *Reate*, *Patavii*, tum aliis longinquis Imperii locis, nec tamen ullum ex his Oppidis tam magnifice gloriatur, integras Cohortes

50 ex suis Militibus delectas; Militesque ubique etiam in Barbaris regionibus bases direxere Augustis, vel Prætoribus, in quibus nulla Incolis laus quærebatur, cum nulla dignitatis loci memoria recoletur, ut etiam admisso liberaliter, hanc *Camerini* quandoque fuisse, (quam nec *Lilius*, nec alius ex *Camerinensibus*, vidisse asserere valuit) non potest tuto decerni a *Camerinensibus* excitatam, tum ex supradictis, tum quia nulla in ea *Camerinensium* memoria legebatur.

Et est inane *Lilii* somnium, Cohortem illam Prætoriam Ultricem *Camerinensem* Herculi, & pro salute *Antonini* inscripsisse, & ex ea colligi, a Camerinensibus *Martialem* fuisse interemptum, & refert Messias, *Caracallam* interfectum a *Pannonicis*; Verum *Dion* testis coævus, Vir Consularis, in pluribus *Lilium* mendacem arguit, scribens: *Quod cum* Antoninus *equo descendisset ventris purgandi causa*, Martialem *unum ex Tribunis*, B *qui missi fuerunt a* Macrino, *ad eum accessisse*, *simulata colloquendi causa*, *& cum parvo pugione percussisse*, *quod cum is agnitus fuisset ab uno ex Scythis*, *quos secum habebat* Antoninus, *jaculo transfixus est*, *vixitque Annos XXIX. regnavit Annos VI. menses duos*, potius Barbaris, quam *Italicis* credens sui securitatem, Senatoribus invisus, *quos pluribus incusasset postremis missis litteris*. Sique credendum, *Lazium* magis fideliter hanc inscriptionem interpretasse, ex eo non deduceretur, hanc Prætoriam denominandam esse Cohortem Ultricem, sed *Herculi*, & pro salute Principum votum vie persolvisse, & habet in suis monumentis Reip. *Romanæ*. C

Eques Messias in Caracall. Dion. in Caracall.

Lazius l. c.

COH. X. P. R. P. V.
ANT. ET. MARCIANI.

Dubietatem exsolvit eruditissimus Fabrettus, *notas*, inquiens, *hujus inscriptionis P. R. P. V. intellexit* Scaliger, *in indice Gruteriano*, Prætoria Pia Victrix, *& cum eadem interpretatione transeunt* Orsatus, Rainesius, *&* Prideaux, *sed male meo judicio*, *quippe nulla similia honoraria cognomina hisce personis*, *aliisque Cohortibus tributa usquam legimus*; *Unde crediderim legi debere Cohortes Prætorii Urbis*, *tum ad differentiam Prætorianorum in Legionibus*, *tum etiam ad distinctionem alterius Prætorii extra Italiam*, *nempe Orientis*, *Illyrici*, *Galliarum*: 51 D

Fabrett. Cap. III. pag. 140.

Hæc mihi nuper agitanti replicavit quidam R. *Camerinensis*, Romanis rerum Dominis, pro æquo *Severianæ* inscriptionis fœdere percipi fœdus justum, & quamdam figuram, & jus æqui fœderis, nimirum Magistratuum condendorum jura.

Agnovit hic inscriptionis adulteræ impudentiam, sed in hac sua replicatione nihil veri inesse comperio, nisi quod cogantur Adversarii Patrum commenta in humiliorem sensum traducere, hujus inscriptionis explicatio ex versatissimo E Papebrochio ita desumitur: *Ughellius adfert inscriptionem Tiburtino Lapide incisam*, *in qua cum* Septimio Severo, *qui ab Anno* CXCIII. *usque ad annum* CCXI. *imperavit*, *in æternam securitatem*, *atque gloriam*, *jure æquo fœdus confirmarunt Camertes*; Itaque clarissimo Viro, Patri *Papebrochio*, usque ad *Septimii Severi* Principatum hoc æquum fœdus appellatum visa est indicare illius asserta confirmatio, Lilio: *Severum in primævis juribus initæ cum Romanis Societatis Camerinenses reduxisse in æternam securitatem*, *atque gloriam*; Igitur renovatio fœderis æquo jure ad antiquum refertur, quod satis conjicitur ex asserta confirmatione. De quo justo alio fœdere *Severiana* percipi potest inscriptio? Quibus pactis, F quove jure, novum fœdus justum, quod asseris, non æquissimum, ut olim viguit cum *Severo* obfirmatum fuit? Quo loco, num *Romæ*, num in exteris Provinciis? Qui Nuncii adlecti? nec ignoras R. jus proprios condendi Magistratus abrogatum, & solum relicta eadem Magistratuum vocabula, quæ post legem *Juliam*, & manente Imperio vigebant, notatque Modestinus: *Ad curam*

Lib. I. pag. 51.

Lazius Lib. III. de Rep. Rom.

Modest. ad legem Juliam de amb.

ram Principis pertinuisse creationes Magistratuum, vel, ut ait Dempsterius, *Prætor*, *qui summus erat Magistratus*, *ab Urbe mittebatur*, ut suo loco dicemus; ut minus æque ostentare potuerint *Camerinenses*, sibi Jus, & facultatem proprios condendi Magistratus à *Severo* permissam nomine æqui fœderis, quod repugnat cum Subditis sub ditione existentibus.

Pro ulteriori falsitatis convictione confert Lapis superius laudatus ex Ligorio *Marti* à *Cameri-*
52 *nensibus* incisus, in quo *Quirinus Ancus* VI. Vir Augustalis cum aliis Viris inscribitur, II. Viros, ac IV. Viros in Municipiis ex Decurionibus delectos præfuisse probat. *Panvinus* agens de IV. Viris *Veronæ*, & habent *Acta S. Venantii* incorruptæ fidei apud *Camerinenses*, probosque, *Viri Civitatis*, satisque aperit nomen Augustalis Lapide recensitum, ad Principem pertinuisse curam creandi Magistratum *Camerinensem*, coincidunt *Acta S. Venantii*, in quibus *Antiochus* missus est ab Urbe cum Imperio.

Sique *Severus* nil aliud supra jus creandi Magistratus *Camerinensibus* indulsisset, non erat cur adeo superbirent, inscriptionesque inciderent in æternam securitatem, quod omnis Civitas minus valida suis uteretur Magistratibus, vel Prætor mittebatur cum Imperio, non igitur figuram, sed jus, quod ad Imperium refertur, videretur indicare impudentissima inscriptio. Sed hoc esse Adversariorum diffugium, satis patet, quià *Severus* non jus illius æqui fœderis, vel figuram, sed jure æquo fœdus confirmasse asseritur.

JURE AEQUO FOEDERIS SIBI CONFIRMATO.

CAMERTES.

De Verb. sign. p. 132. p. 161. Plut. in Rom. Tac. Ann. Lib. IV. Vell. Lib. I. Val. Maxim. Lib. II. Cap. IV. Flor. Lib. I. Rutil. Itiner. Lib. I. Sat. VI.

Hæc igitur inscriptio vel nihil proficit ad fundandam *Camerini* dignitatem, & antiquitatem, vel tamquam spuria exploditur.

Itaque ex præmissis colligo, *Thuscos* tribus circiter sæculis ante *Trojanum* excidium à *Lydis* conditos intra *Appenninum*, & *Tyberim* sedem, & imperium, transtulisse, quod ipsum testantur tum Græci, tum Latini Scriptores, ut antiquissimi *Herodotus*, *Verrius* apud *Festum*, *Diodorus*, *Cicero*, *Livius*, *Dionysius*, *Plinius*, *Strabo*, *Plutarchus*, *Trogus* apud *Justinum*, *Tacitus*, *Paterculus*, ubi in notis, *communem* esse sententiam, asseritur, *Servius*, *Solinus*: & illam fuisse antiquissimam *Thuscorum* regionem deduci ex incorrupta *Polybii* auctoritate, ex *Virgilio*, *Horatio*,
53 *Nasone*, antiquisque Poëtarum Principibus; & *Silius* post *Virgilium* agens de *Tarconte*, qui cum *Tyrrheno* è *Lydia* in eas regiones migraverit, inquit:

Sil. Lib. V. VI. Virg. Lib. VII. Marcianus Heracleensis.

Cortona superbi
Tarcontis Domus, *&c.*
Hunc illum Corithi Tyrrhena à sede profectum.
Ergo agitur raptis præceps exercitus armis
Lydorum in populos, *sedemque ab origine prisci*
Sacratam Corithi, *junctosque à sanguine Avorum*
Mæonios Italis commixta stirpe Colonos.

Silvar. Lib. I.

Statius:

Lydius inde meos iterasset Tybris Iulos.

Et iterum *Virgilius*, postquam egit de hac *Lydia* gente à *Sardis* Civitate profecta, describens *Æneæ* adventum ad oras Etruscas:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.

Geograph. Cap. XXVI. Ital. Ant. L. II. pag. 433.

A quorum traditis, plane temerarium esse recedere; ut minus recte *Cluverius* quibusdam sibi visis conjecturis subnixus prius *in Geographia*, deinde *in Italia antiqua*, hos usque ad *Gallorum* adventum putet *habuisse sedem* in ora Padi, *unde à Gallis sub Tarquinio prisco pulsi inter Appenninum*, *Mare Inferum*, *Tiberim Macramque condiderint XII. Urbes*; tradente Polybio cum relatis *Thuscorum* Colonos ibi *Per Vicos* diffusos, à Gallis pulsos *in Alpibus Rhætiis* (non in *Etruria*) confugisse.

Polyb. Lib. II. Trogus. Justin. Lib. XX.

Colligo, *Camertes* à *Lydis* pulsos, sedem nactos in Montibus *Spoletinis*, & uberrimam prope *Clitumnum* planiciem incoluisse, hos autem *Mario* conjunctissimos penitus excisos in *Syllana* vastatione; in iis vero inaccessis Locis *Umbriæ*que extremis finibus (ubi modo *Camarinum* recentius dictum assurgit inopi, ac Montano situ, ab *Umbriæ* planicie remotissimo) vel *Senones* excurrisse, vel ante limitum designationes à *Frontino* indicatas, ibidem fuisse comitatum antiquissimorum Populorum (de quibus agemus) *Sentini*, *Pysthiæ*, *Septempedæ*, *Mathelici*, quarum agri Urbium propinquitate prope *Camarinum* decurrunt.

Insuper colligo à priscis Auctoribus non esse traditum, à quo hoc *Camarinum* [primo à *Strabone* memoratum sub *Augustis*] ut reliqua circum Loca denominata sint, credi tamen probabiliter
posse cum Recentioribus à situs exiguitate, ac 54
curvitate *Camarinum* dictum, vel non inepte (ut ego primus opinatus sum) à *Camertibus* Sylla profugis, confusis in horribili illa proscriptione rerum Dominiis primo excitatum fuisse, inde ut *Fulginates* Fulginatium veterum ex agro *Tudertino*, quadam nominis similitudine, titulos, æqui fœderis dignitatem, ac antiquitatem sibi *Camerinenses* attribuisse, & spuriis inscriptionibus indixisse.

NOTÆ IN CAPUT VI.

Hæc inscriptio *Severiana* quatenus ex allatis fundamentis inter spurias proscribenda non esset, plane nimis glorianter sub Augustis fœderis Majestatem usurpat, patetque ex *Ligoriana* inscriptione, *Camerinum* Municipium vocatum, quod nomen confusis nominibus constituto imperio, pluribus, exiguisque Locis datum video apud veteres Scriptores; cæterum quæ allegat *Lilius* pro fundanda æqui fœderis veritate, ac dignitate, facile per se concidunt.

CAPUT VII.

Sulpitiæ gentis origo, ac diversa cognomina. Dionysii, ac Dionis loci laudati. Ursini judicium, & Sulpitiorum Patria discutitur. Camerinum non esse Civitatem perantiquam ostenditur. Statutorum Camerini præfatio exploditur. Blondus, Aldus, Ligorius, Sigonius, Bracciesc̄hus, Cluverius, Ughellius, Papebrochius, Lilius rejecti. S. Venantium non esse ex Sulpitiis, & an Camerinensis, vel potius Romanus, disceptatur. Vocabula Regis, & Imperatoris Prætoribus etiam post constitutum Imperium non fuisse inconvenientia aperitur.

Statut. Camer. in præf. Lil. L. I. Pascut. Hist. S. Ven. pag. 3.

ADversarii pro fundanda *Camerini* antiquitate, ac dignitate objiciunt, *Sulpitium Camerinum cum Sp. Posthumio, & A. Manilio ad leges Solonis accipiendas Athenis missum.*

De hac Sulpitia gente meminit Dionysius, referens *Sergium Sulpitium Camerinum anno CCLIV. cum Tullio Longo Consulem creatum.*

Sulpitia gens triplex est, Equestris, Patritia &
Plebeja, sicut & distincta habentur cognomina, 55
& in indice Dionis *Sulpitius Q. Rufus*, *Servius*, *Sergius*, explicatque latius *Ursinus* in antiquis denariis Equestrium *Rufi*, Patritiorum *Galbæ* referuntur, traditque Suetonius, *gentem Sulpitiam illustravit Ser. Galba Consularis temporum suorum eloquentissimus*, quamvis hic eodem teste *Suetonio* originem ad *Jovem* retulerit, qui in *Creta* regnavit, Deorum Pater denominatus: de *Camerino* Viro percelebri meminisse Poëtam ait Lilius:

Index Dion. V. Sulpitia. Ursinus in Sulpitiam.

Ne sis Creticus, *aut Camerinus.*

Cujusdam insignis Poëtriæ *Sulpitiæ* (non tamen explorata origine) meminit *Morerius*, & inducit sic canentem :

Primaque Romanas docui contendere Grajis.

De qua Martialis:

Martialis Lib. x.

Omnes Sulpitiam legunt Puellæ,
Uni quæ cupiunt placere Viro.
Omnes Sulpitiam legunt Mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.

In Neronem.

Hoc patet Familiam usque ad Neronis tempora effloruisse, & Dion, *per id tempus*, inquit, *Helvius multas, & graves res fecit, nam Sulpitium Camerinum unum ex primariis Civitatis, ac filium interfecit accusatos, quod cum jam inde à majoribus Pythici cognominarentur, non desinerent eo nomine appellari ; sed in Picthicas victorias Neroni ex similitudine nominis impii fuere.*

Omnes *Camerini* cognomen præ se ferentes cum *Sulpitia* gente sibi attribuunt *Camerinenses*, ex ea levi dumtaxat nominis similitudine ; hos autem dictos antiquitus *Camerinos*, Auctorem non habeo, quando, ut innuimus, primi *Strabo*, ac *Ptolemæus* habent *Camarinum*, & de Oppido *Camerio* in *Umbria* sito ne dum patent vestigia, sed meminisse veteres, & recentiores notavimus, & in actis antiquis Præsulum *Spoletinorum* modo *Camerum*, *Camerium*, ac corrupte *Camarum* recentius appellatur.

Sulpitios de *Camerio* Latii oriundos, non inepte deducere possumus ex *Dionysio* scribente, *Romulum*, Civitate excisa, *quatuor mille Camerinorum in Curiis distribuisse*, Regibusque exactis, hoc genus sensim ad apicem gloriæ evectum, inter Consulares adscriptum, rationabiliter quidem credi potest ; sed *Ursinus* non satis explicite asserit, num ex Camerio *Latii*, num *Umbriæ* prodeat gens *Sulpitia*, inquiens *Sulpitiam gentem ex Camerio Oppido conjicere possumus ex Sergii Sulpitii cognomine, qui primus ex ea gente Romam venisse creditur*, narrans qualiter hic Consularis renuntiatus fuerit ; sed cum, *Cameriam* Latii funditus eversam fuisse, pateret historiarum studiosis, æquiusque *Ursino* antiquitatum peritissimo, videbitur hic sentire ex *Camerio* Umbriæ, cujus vestigia pag. 19. indicavimus, *Sulpitium* primum ex hac gente *Romam* commigrasse ; quamvis hoc ipsum meo judicio non videatur rationabiliter asseri posse cum *Ursino*, quod *Romani* ad ea tempora in suis angustiis finibus continerentur, nec deficiente auctoritate veteris testimonii est omnino probabile, *Umbram* Familiam in Urbe receptam, & ad Consulatum statim provectam fuisse. Quin tale cognomentum à Patria effluxisse (ut credit *Ursinus*) an aliis de causis nobis non exploratis, nec quidem perspicue compertum est.

56

Lilius Lib. I. Cæsar. Lib. I. De Gest. Long. Lib. IV.

Adversarii, opinantes *Camerinenses* vocatos *Camerinos*, allegant Cæsarem, & Tullium, *ex his fugientem in Camerino Ulcillem Hirum : Cohortes, quæ ex Piceno, & Camerino venerunt* ; & Diaconus : *bellum in Camerino gestum.* Verum quia non est quæstio nominis vel corrupte, vel aliis de causis profluxi, sed antiquitatis, ubi certo non liqueat, vigente Republica *Romana*, hoc *Camarinum* fuisse conditum, clare patet has appellationes ab alia Civitate derivatas superstites immansisse, & consonat Appianus, *legiones in Cameriis relictas*, & Ursinus, *in Camerio Oppido* ; Ipsique Auctores præcitati loquuntur de comitatu, qui hæc nomina servat, non autem de Civitate Camerina : *ex Piceno*, *e Camerino* ; non enim fugere in *Perusia*, in *Roma*, vel bellum gerere in *Perusia* probe sonat apud *Latinos*, sed rectius in *Latio*, in *Piceno*, in *Sabinis*, in *Camerino* ; remanent siquidem dirutis Civitatibus vel nomina, vel vestigia, & finitimi sive agro accrescen-

A te, sive inscriptionibus loco advectis, vel à profugis quomodolibet aucti decus, ac dignitatem surripiunt, vel talis *Camerino* denominatio sub Cæsaribus, finibus Oppidorum confusis, recentius *Camero* everso defluxit, inde sequiorum sæculorum Scriptores, ea circum Loca *Camerina* vetusta appellatione vocare non dubitarunt. 57

Et improbabilis esset replicatio, prisco Auctore non deducta [ut sæpe alibi diximus] in eodem *Camertum* dominatu in antiquissimis illis temporibus florere, ac præesse potuisse *Camerum* simul, ac *Camarinum* ; hoc palam est, quæ de *Camertini* Imperii sede [ubi fœdus initum fuit]
B *Livius* aggerat, convenire nequaquam *Camerinensibus* posse, ut vidimus in præmissis.

Modernus, in notis ad meum librum *de Fastis*, pro uberiori comprobatione, *Camerum* fuisse antiquissimam *Camertum*, & *Camerinorum* sedem, inquit : *ex vetustissimo exemplari Bibliothecæ Farnesianæ in Sex. Pompei fragmento de Verborum significatione legimus : Camerni Cives nostri Oppidum pulchrum habuere, &c.* & ita pariter lego in Sex. Pompei codice, Romæ cuso apud *Georgium Ferrarium* MDLXXXI., & in notis ejusdem Codicis : *Quod fragmentum majorum memoria ex Illirico advectum, in Bibliotheca Farne-*
C *siana servatum multo quam alii diligentius, Antonius Augustinus Archiep. Tarraconensis cum vulgatis contulit, commentariisque à se illustratum edidit Venetiis, opera Caroli Sigonii, &c.* & in iisdem notis, Romæ excusis per *Vincentium Accoltium* MDLXXXII : de Catone ibidem ex Festo : *Cato M. F. M. N. vehemens orator fuit, multasque orationes ad exemplum Avi scriptas reliquit, &* *Paterculus* : *M. Cato cujus Proavus M. Cato Princeps familiæ Porciæ, temporibus Ciceronis, Sulpitii floruit* ; qui Cato antiquo, ac obsoleto dicendi stylo utebatur, ut apud Festum habens : *maledictores* pro *maledicis* : *meritavere* pro *meruere* :
D *mansues* pro *mansuetis* Pag. 1., & Pag. 4. *Rudibundum Magistratum gerere parvulos homines, Mediocriculum exercitum*, & Pag. 15. *multu Macedoniæ, Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natiari, atque factiones esse*, & Pag. 17. *quoties vidi truilos nassiternas perfusos aqualis matellas sine ansis* ; Pag. 22. *Camerni Cives nostri Oppidum pulchrum habuere, agrum optimum, atque pulcherrimum, rem fortunatissimam, cum Romam veniebant prorsus pro hospitibus divertebantur ad amicos suos*, 58
hæc quoque postrema verba rudem præ se ferunt elocutionem, & inferius : *Domi cum auspicamus honorem, me Dium immortalium velim habuisse*,
E & passim apud eumdem *Festum*, ne dum Cato *in Orationibus*, ac *Libro Originum* ibi citatis, sed *Verrius*, *Ennius*, *Plautus* (à quorum Codicibus verborum significationes excerptæ sunt) inelegantem antiquioris ævi dicendi formam ostendunt ; utque denotarentur *Camerii* Oppidi Incolæ cum *Romanis* amicitia conjunctissimi, *Cives Camerni* nuncupantur, ut in agro Romano *Velliterni* antiqua prolatione. Recentiores, nimis sibi sapientes visi, vetustam lectionem emendantes, *Cameri*, & *Camerini* deinceps exscripserunt, sed hæ pariter castigationes, appellationesque minus proprie *Camarino* convenire possent, quando *Ca-*
F *meri* Oppidum in *Umbria* fuisse patet ex præmissis, manentque nomina, & vestigia, & adversus hujusmodi correctores, seu Codicum devastatores confert Lipsii sententia : *antiquorum quædam verba, & pene obsoleta in vetustioribus invenire est ab usu sane nostro, & sermone remota, sed & in Veterum tamen scriptis antiquitatis reverentia diligenter retinenda, & religiose conservanda.*

Not. in Fest. pag. I.

Var. Lect. Lib. I. cap. 14.

Hic nequaquam silentio valeo præterire *Annii* impostoris commenta, qui, ut *Umbrorum*, *Camer-*

mertum, *Thuſcorum*, *Italicorum*que, exordia reperiiſſe auguſtiora, notisque explicaſſe videretur, ſuique *Viterbii* titulos ſuperattolleret, fragmentum *Originum Catonis* conſarcinavit, quod nedum à ſtylo *Catonis* diſſidet, ſed veterum monumentis omnino adverſatur, & hiſtoricorum leviſſimum, mendacemque incuſant paſſim ſcriptores, *Voſſius*, *Genebrardus*, *Auguſtinus*, *Melchior Canus*, *Poſſevinus*.

Voſſ. de Script. Latin. Chron. Lib. I.

Idem Modernus *in Notis*, quas edidit *ad* meum *Librum Faſtorum* hoc anno typis edendum, pariter nominis argumento ductus, ad probandam *Liciniani* antiquitatem, cenſet *Cajum Licinium* à *Liciniano* oriundum, & allegat inſcriptiones, quas ait excepiſſe ex veterum ſcriptorum *Senenſium* monumentis ſibi bene viſis in Bibliotheca *Martiniana Senarum*, in qua illius Civitatis Litteratorum fœcundiſſimæ Scriptores *Dathus*, *Bisdominus*, *Thomaſius*, *Bonſignorius*, *Patritius*, *Landuccius*, Monumenta antiquitatis tam *Senæ* antiquiſſimæ Coloniæ, quam Comitatus, circumque Locorum congeſſerunt:

Grad. Final. Signo ✠ 59

C. LICINIVS C. F. EVPHIMS.
LICINIANENsis DOM. ATRIENSIS.
PRAEPOSITVS SVA PECVNIA.
AR. ET LOC. SAC. FECIT GENI. S.

Baſis Genio Numini dicata eſt.
Pariter profert aliam inſcriptionem in Villa *Liciniani*:

DIANAE LICINIANNAE SERVATRICI.
SACRVM L. AICTIVS L. F. LICINNIANVS.
TABVLARIVS POMPT.
DD. NN. GRATIAN. AVG.

Erant ſiquidem cognomina Deorum, vel Dearum, quæ Præſides Locorum erant, ut *Diana* Epheſina, *Juno* Lanviana.

Nomina, vel cognomenta adjecta, vel detracta ſyncopa plerumque immutata nobis caſtiganda reliquit antiquitas, ſic de *Valerio Liciniano* Licinio Imp. Aug. ex Græco Codice Laurentiano *Licinnium* legi, ait Eminentiſſ. *Noriſius*, ſed in nummis Græcis *Licinium* appellari aſſerit, & apud *Euſebium*, ac reliquos. Æque non eſt ſatis tutum apud Scriptores, num *Sergius*, nomen *Sulpitiorum*, deſciverit veluti in nomen familiæ, quæ exinde *Servia* corrupta voce denominata ſit, & gens *Mæcenatis* (ut credunt Recentiores) *Licina* prius, exinde *Cilina*, & tractu temporis *Cilnia* dicta reperitur, & in deſcriptione originis *Mæcenatis* in *primo Libro Faſtorum* hoc idem ideo cecini, ne viderer huic opinioni Eruditorum parum detuliſſe.

Nor. de Num. Licin. Diſſert. Pag. 37. 38. Euſeb. Lib. x.

Cajus Cilinus veteri de ſtirpe Licinus.
Inverſis eadem nomina ſcripta notis.
Syncopa ſi deſit mutilato nomina Cilnus,
Et decus, & cauſas tempora longa tegunt.

60 Et eruditiſſimus *Marc. Ant. Guiques* editis Libris vulgatiſſimus ſæpe in M. S., & hic in Epigrammate ante hanc diſſertationem cuſo, in *Etruria*, *Senis*que, ubi publice docuit, verſatiſſimus, poſt quam meminit de *Luciniano* Colonia *Syllana*, agens de *Cajo Mæcenate* inſcribit:

Licinio quoque Mæcenas jam ſanguine clarus.
Hic habet ut patrios noſcere poſſit Avos.

Modernus ibidem cum Recentioribus credens *Tyrrhenum* cum *Lydis*, ac *Lyciis* finitimis in *Etruriam* irrupiſſe, elegantiſſime profitetur:

Lucia Syllanis deducta Colonia priſcis.
Ut Lapis antiquus, Famaque priſca canit.
Tyrrhenus Lydis, Lyciis ſimul ingruit armis.
Nomen Tyrrheni, & Caſtra Licina gerunt.
Hocque Licinorum Mæcenas ſanguine clarus.
Ortus ubi dives Luciniane tumes.

A *Corrupta, aut variata novis cognomina faſtis.*
Etruſcis Licinus, Cilinus Urbe fuit.

Et cum his ſubſcribit *Dathus* apud *Calderinum* ex Typographia *Aluiſa*, ac ex *Albritiana*, *Academia Minervæ* Venetiis hoc eodem Anno.

V. Mæcen. V. Velinus. Galleria Minervæ Tom. IV. pag. 109.

Tabularii, vel Præpoſiti rationum dicti, qui rationes de redditibus Principum ſcribebant, de his *Ulp. in l. ult. in fin. D. ſi menſor falſus*, & l. 1. Cod. de Uſur. *Procurator Hæredit.* de his fortaſſe intelligenda eſt. Eruditiſſimus *Philippus à Turre* affert inſcriptionem.

B FLAVIO. AVG. LIB. CHRYSOGONO ADIVTORI
TABVLARIORVM RATIONVM HEREDITATIVM
CAESARIS.

De Inſcript. Aquil. pag. 86.

Capitolinus *in Maximinis* vocat *Procuratores*, & *Rationales*, horum alii in Urbe, alii in Provinciis conſtituti, ut apud *Gruterum*.

Pag. 411. 1. 575. 5. 754. 4.

Præfatas inſcriptiones *C. Licinii*, ac *L. Liciniani* pariter profert *Pyrrhus Ligorius*, ut pro earum veritate omnis prudens faveat præſumptio, & admodum veritati conſonum viſum hujus *Moderni* judicium, hos *in Ligorianis* inſcriptionibus memoratos *Licinianenſes* eſſe, *quod nullibi patere poſſit*, *ad ea tempora alibi quam ad Clanas floruiſſe Oppidum hujus nominis*, ut latius in meo opere *Senogalliæ* C cuſo; Verum *Lilii* judicium dubium ſit, ne dum ex præmiſſis, ſed quia *Camerinorum* nomina rectius aliis *Umbriæ* Locis congruere poſſe vidimus; non tamen inepte præſumpſiſſet *Lilius*, ſi exciſo *Camero* profugos in illis montanis undique inacceſſis inſidiſſe opinatus eſſet, conditoque Caſtro huic priſcæ ſedis nomen inditum extitiſſe.

Ligor. V. Licinii Lit. L. 61

DynusAntiq. Etrur. & de Sit. Clan.

Quæ ſi Litteratis *Camerinenſibus* arriſerint, non adeo in poſterum gloriabuntur, Civitatem fuiſſe antiquiſſimam, Imperii apicem, & in qua fœdus cum *Romanis* ictum ſit, in quo omnis diſſertationis hæſitatio verſatur; Has autem opiniones nolui ipſe primus ſaltem tuto obfirmare, veritus D hujus critici ſæculi ſeveritatem, & Recentiorum diffidia, affirmantium (ut diximus) talem appellationem a curvitate, & exiguitate ſitus omnino derivaſſe, & quidem recentius *Latina* elocutione; quod idem profeſſi ſunt antiqui *Camerinenſes*, tribus Cameris incurvis patrio ſtemmate inciſis; mos enim vetuſtiſſimus fuit rerum, ac familiarum denominationes ſic denotare; hinc *Sena* Etruſca, prius quam *Adriaca*, non adhuc victis *Picenis*, *Thuſcis* (ut prodit *Livius*) egregie debellatis, Colonia ſub *Curio* ducta, exinde *Senenſes*, ut ſibi dignitatis materiam a *Romanis* effluxiſſe pateret, Lupam expreſſerunt; In Nummis pa-E riter *Philippi* habemus inciſam Lupam cum duobus parvulis, ad denotandam rerum affluentiam, lactem exſugentibus; ſive (ut opinantur plerique ad ſignificandum Lupam lacte *Romulum* enutriviſſe, & *Florentini* florem, nempe Lilium eadem forte de cauſa in nummis oſtentarunt, &, *Feſto* auctore, Picum Avem *Picus*, *Picenique*; & ſatis ex his, quæ fundat ILL. *Philippus a Turre*, conſtare poteſt, fuiſſe antiquorum ritum denominationes rerum, ac cognomenta ſimilibus ſignis indicare, producens Plebeæ gentis *Aquiliæ* ſtemmata, in quibus *flos* inciſus apparet, & ex Num-F mis Aquilios *Gallos*, & *Floros* dictos eruit *Urſinus*, & in *Pomponii Muſæ* denariis ad nomen deſignandum ſimulacra omnium Muſarum exculta ſunt, profertque *Urſinus* ex nummo, quem commendat *Jacobus Perizonius*: & *L. Lucretius*, cognomen *Trionis* gerens, ſeptem ſtellas expreſſit duobus nummis, & *Q. Voconius Vitulus*, incidit *Vitulum*, quod cognomentum indicaret; & *Aretini* ad indicendam armigenæ gentis ſtrenuitatem Equum a pluribus ſæculis in inſignibus habent, ut ex aliis apud *Urſinum* relatis planum ſit, ritum ho-

Epit. Liviana Lib. XI.

Thomaſius Malevolt. Hiſt. Sen. Lib. I. II.

De verb. ſign. Philipp. à Turr. Inſcript. Aquil. Cap. II. pag. 19.

62 Urſinus de Fam. Rom. pag. 229. De var. antiq. Num. pag. 553.

horum signorum antiquissimum esse, quidquid aliqui minus recte, meo judicio, contrarium decernant.

Ex quibus liqueret, non æque *Camerinenses* gloriari, se fuisse *Camertes* antiquos, ubi fœdus ictum est; eodem jure *Fulginates* recentiores a profugis ex agro *Tudertino* sævientibus Barbaris dicti, ac nobilitati decus, titulosque, ac *Ciceronis* locum de Præfectura *Fulginate* in annalibus usurpant, ut *Maceratenses Recinensium* (Macerie eversæ Civitatis noviter appellati) nec procul dissiti *Recanatenses*; nec inane est dissidium, numquid æquo jure *Clusium* ad Clanas, *Camertium* nomen, ac vetustatem surripiat, quod *Aretini* Scriptores sunt in sententia, *Clusium*, *quod olim Camers*, Livio auctore, appellabant, esse Oppidum pervetustum in Montanis *Clusentinorum*, in lata nimirum regione (quam corrupte *Casentinum* vocant) ubi *Clusii* vestigia indicant, manentque nomina, inde *Porsena*, ut propius *Romanis* inesset incursionibus paratus, in ora *Clanarum* Clusinos novos transtulerit, usque *Salpinates*, ac *Vulsinenses* cum imperio decurrens, ut Locorum, arciumque no-
Cluver. Ital. ant. in Etrur. minibus innotuit. *Cluverius* opinatus est, *Clusinos novos*, a Plinio *Lib. III.* memoratos, esse *Clusentinenses*, quinam gentem per inaccessos montes transtulerit ignorans; cum non nisi post *Syllanas* proscriptiones, *Octavii*que incursus hæc veterum, novorumque differentia Scriptoribus innotuerit, ut potius novi Incolæ antiquis *Clusii* excisis censendi, & a *Plinio* memorati. Idemque *Plinius Aretini veteres*, *Aretini Fidentiores*, *Aretini Julienses*, ad differentiam Proscriptorum a *Sylla*, & cum *Aretini* auctores fuerint *Italicæ* defectionis,
63 novi, qui confluxerunt, Cives *Fidentiores*, quod *Octavii* partes prosecuti sunt, denominantur. Urbs
Plin. Cluver. vero Colonia *Julia* (ut noviter *Sena Etrusca* deducta est) cum prius Colonia Lege III Virali censita esset, ut ait *Paterculus*; inde insignia cognomenta patet defluxisse; de his autem in eodem opere *de Situ Clanarum* satis egimus.

Verum iidem Adversarii numquam acquiescent auctoritatibus superius adductis, proferentes *Blondum*, *Aldum*, *Sigonium*, *Ligorium*, *Cluverium*, *Ughellium*, *Papebrochium*, ac reliquos recentissimos; hi vero moderni inhærent *Blondo*, qui primus ex probi nominis historicis, nullam de *Camerinis* excisis memoriam recolens, obiter scribens, maluit Camerinenses *Camertes* appellare, habens in testimonium hujus rei antiquissimæ *Livii* locum de *Camertum* fœdere, & jam satis vidimus ex prænotatis, quæ de *Camertibus* protulit Livius, *Camerinensibus* tam longe sitis, inopique Loco natis, convenire non potuisse, & corruente fundamento, sententiam pariter corruere necesse est, vel procederet, ubi de *Camertini* Oppidi in uberiori *Umbriæ* loco siti non apparerent vestigia. Verum jam firmavimus prope stratam *Fulginatensem* oram floruisse *Camerium* Oppidum XXIV. millia passuum longe a *Camarino* (Piceni finibus sito,) & Oppidum a *Syllanis* eversum fuisse, & de hoc *Camarino* primum meminisse *Strabonem*, & nulla penitus in loco inesse antiquitatis vestigia, præter fragmentum inscriptionis *Augusto* incisæ, & *Cluverius* vocat Coloniam, quod *Frontinus* (qui sub *Adriano* vixit) Camerino *Limites designet*, ut æque aliis Civitatibus prope sitis dignitate omnino paribus, ut in sequentibus aperiam; Et quidam ex præcitatis Auctoribus nituntur in *Severiana* inscriptione, ut *Aldus*, *Ughellius*, *Papebrochius*, quam spuriam *Cap. VI.* ostendimus, ut profecto nullum, quod validum sit, fundamentum in medium afferatur, ut credamus *Camarinum* fuisse antiquissimam *Camertini* Imperii sedem, & huic, quæ de *Camer-*

A *tibus*, & *Camerinis* asseruntur, legitime convenire posse.

De *Sulpitiis* pariter *Tacitus* meminit, ut de familia *Corunciana* est ejusdem Taciti locus, *Julios* 64
ex Alba, *Coruncianos ex Camerio*, *Porcios ex Thusculo in Senatum accitos.* Ann. Lib. XI. Hunc, & alium *Dionysii* textum pro *Camerio* Umbriæ (quod tamen inepte quidem cum *Camarino* confundit) accipit *Merula*, quidam in notis ad *Tacitum* pro *Camerio* Latii, Geogr. Lib. IV. minus quidem probabiliter, meo judicio, originem sæculorum fluxu tam procul dissitam perscrutantes, quandoquidem Veteres *Cameriam* vocent in ipso Imperii exordio a *Romulo*, ac *Vir-*
B *ginio* Consule dirutam, Civibus exilio sublatis, quando *Camertes* Umbros fuisse Cives *Romanos* pronunciatos, omnique honore dignatos in Senatu ex *Plutarcho*, ac *Tullio* innuimus.

Scriptores Camerinenses *Suprinum*, D. Venantii Patrem, ajunt ex *Sulpitiis* a *Camerino* oriundum, ad Acta *S. Venantii* convolantes, quæ veritati consona, & perantiqua ostendimus *in Vindicationibus Criticis* adversus *Papebrochium*, & nihil profecto omisimus pro fundandis his, quæ *Camerinensium* legitimos titulos, quomodocumque fundare potuerunt, quamvis potius, quam gratiam, odium subivimus, quod quidam Loci sub *Trajano Ve-*
C *nantianam* passionem attrahentes, proprio abundantes in sensu me *Decianæ* sententiæ cum gravioribus Auctoribus subscribentem odio malo persecuti sunt, quorum audaciam in aliis lucubrationibus (si res ita exigat) exprobrandam censui detectis nominibus, parcens nemini, ut veritati subscribam, cum aliis quidem optimis nobilibus *Camerinensibus* dolendum mihi maxime est, Chronistas pro augendis *Camerinensium* fastis ad fabulas plurimum conversos in silentio actorum, Veterumque, ex hoc *D. Venantium* (num *Romanus* sit, num *Camerinensis*) in dubium revocare, & post alios Paschutius in historia Venantiana inquit: Lib. I. pag. 3.
D *Suprinum Christiano nomini addictum (ut creditur) ex Sulpitiis Senatorem Romanum Camerino oriundum, sub Maximino è Pannonia Romam venire appoperante excita adversus Christianos persecutione, profugum in Patria Camerini se recepisse, & secundo Maximini Imperii anno ibidem natum fuisse Venantium, hunc adhùc impuberem propè flumen Piscariam in Aprutio pœnitentia clarum cum B. Porphirio effloruisse, deinde Camerini coronatum.* Hic (ut ajunt 65 infra referendi) supponitur, si tempora numeres cum Scriptoribus, *D. Venantium* Romæ genitum ex Patre *Romano*, ac Senatore, quem non animo
E permanendi, sed profugum, & coactum, cum *Maximinus* adversus *Romanos* nova moliretur, *Camerinum* perrexisse; *Venantium* vero anno ætatis XV. Martyrio sublatum, in aliis regionibus vixisse, ut tanquam casu quodam *Camerini* exortum *Romanum* credant, libereque vocent Recentiores; ex his Rev. *Monticellus* in indice meæ *Criticæ Responsionis* Dissertationi Eminentissimi, ac Sapientiss. D. Cardinalis Ursini *de Translatione Corporis S. Bartholomæi*, & in epigrammate ante meam *Replicationem Criticam* adversus *Papebrochium* canere non dubitavit:

Historias veri studio describis, & urnam,
F *Qua modo Venantus, Nathanaëlque cubant.*
Ille est Romanus Camerini culmine passus,
Hic sit Romanus membraque Roma fovet.

Et *Modernus Falconensis* in Epigrammate ante dictam Responsionem ad *Papebrochium*, & in indice hoc idem statuit disertissime.

Videtur erui ex Testimonio Actorum (ut fundavimus in dicto Apologetico) *Venantium* fuisse nobilem *Romanum*, ut habent Acta (*de nobili genere natus sum*) Acta S. Venantii. cui Antiochus Rex, *timeo te, Venanti, quia nobili genere es ortus*, neque enim ti-

timuisset Rex ille, Imperator in iisdem Actis assertus, Impuberem *Camerinensem*, sed ideo timebat, quia Prætores in Cives *Romanos* non habebant gladii potestatem, qua usus temere dicitur *Antiochus*, cum aliis decem Nobilibus *Romanis* S. Pugilem occidi mandans, ob id a Prætorio munere ejectus, & ad necem insecutus, & est singularis Tullii locus: *Facinus vinciri Civem, scelus verberari, prope parricidium necari: de capite, opibus, ac libertate Civium non poterat statui, nisi in Comitiis centuriatis.*

Vellej. Lib. II. Cic. in Verr. Orat. v.

Speciosum insuper est commentum, *Suprinum* fuisse ex *Sulpitiis*, & *Sulpitios* fuisse ex *Camerinensibus*, & post septem sæcula a Consulatu *Sergii* ad tempora *Suprini* hunc cogitasse *Camarinum*, tanquam in patriam migrare; *Sulpitios* Romanos ait Dion: *Sulpitium, ac Filium unum ex primariis Civitatis*; peto enim ad tempora *Suprini* num, & qui viverent *Romæ* ex *Sulpitiis*? quinam auctores proferuntur rerum adeo illustrium? hæc tamen *Pascutius*, & ante ipsum *Lilius* non *ex Actis Venantianis* sincero stylo, studioque veritatis congestis accepisse, potuit asserere, sed ex sibi visis conjecturis, Locique Chronistis allucinatus huic sententiæ, veluti ex quadam recenti, nec bene digesta traditione subscripsit.

66 — In Neron.

De Rege *Antiocho* plurima disseruimus *in asserto Apologetico* adversus *Papebrochium* arguentem, *tum se Camerinenses sub propriis Regibus vixisse gloriati sunt*; quandoquidem ipsa *Sancti Venantii Acta* hunc Regem *Camerinensium* fuisse penitus excludant, ut diximus *in dicta Responsione pag.* 36. & aliis locis, & objecto satisfacit Cl. *Otho* Lipsiensis in Actis Eruditorum Pascutianam historiam exornans, *Regium* Antiochi *nomen, non quod absolutum gereret Imperium, sed sævum tantum, ac violentum ejus regimen denotare: nomen* Antiochi *haud inusitatum* Romanis *fuisse, postquam Imperatores multos* Græcorum *Civitate* Romana *donaverunt, cognomen quoque* Antiochi *a* Romanis *cœptum est desumi, ut pluribus* Gruterus *adducens inter alias notissimam inscriptionem.*

Otho Menkenius Anno MDCXCIII.

C. IVLIVS C. F. FAB.
ANTIOCVS PHILOPAPPVS.
COS. FRATER ARVALIS
ALLECTVS INTER PRAETORIOS
AB IMP. CAES. NERVA
TRAIANO OPT. AVG.
GERM. DAC.

Familiæ Fabiæ, *& Tribui* Fabiæ, *nec non Prætoriis, & Consularibus hic fuerat ascriptus; sub Decio vixisse mirandum non est quemdam, cui cognomen* Antiochi *fuit, ignorato gentilitio*, Romanisque usus invaluit captivos, Barbarosque præficere imperiis, ut de *Agrippa* ait Dion. *is Prætoriis honoribus auctus est. Seniori* Agrippæ *Claudius honores, Fratrique* Herodi *Prætoriam dignitatem, & Principatum quendam concessit; in Senatuque ingredi, & gratias græce agi mandavit;* Agrippam a *C. Augusto* Regem ordinatum, & in *Judæam* missum; quod & *C. Mæcenas* Augusto edixit. *In locum indignissimorum, rejectorumque nobilissimos, optimos sufficies, non ex Italia tantum, sed a fœderatis, & subditis desumptos.* Opitulatur Lazius: *inceperunt Cæsares suos Proconsules de Equitum genere vel externos, Græcos, Barbarosque præficere.* Suetonius: *Vespasianum amplissimos Ordin s suppleviſſe honestissimo quoque (submotis indignissimis) Italicorum, & Provincialium adlecto;* & *Sejanus*, prius quam legibus permitteretur, in Senatu jura dixit, *Plautianus* primus ex *Ægyptiis* adscriptus in Ordinem Senatorium factus est Consul, nullo ante gesto Magistratu, & quidam, quod esset *Macedo*, ab *Antonino* (qui sibi res *Alexandri* imitandas proposuerat) statim Senator, & in Prætorio Ordine

67 — Dion. Lib. LII. LVI. LX. — Vita Vesp. Vita Titi. — De Rep. Rom. Lib. II. — In Vespas. — Zeph. in Sev. — Capit. in Anton. Philosoph.

cooptatus est. Antoninus *Eutychium Proculum Afrum* usque ad Proconsulatum provexit, quem quidem Consulem fecit, ut in notis reperit *Casaubonus*, & *Dion* incusat Caracallam, quod *Rufum Hispanum Eunuchum Virum veneficum, supra ipsum Senatum præposuerit.* Antiochum Urbis Præfectum *S. Sophiam* martyrio multasse, reperio sub *Adriano*, aliosque hujus nominis anteferre *Papebrochium*, diximus *in Vindiciis Breviarii Romani* adversus eundem *Papebrochium*, Regiasque pariter has denominationes insertas passim reperiri *in Actis Martyrum*, & Prætores Reges appellatos cum *Orosio*, ac *Metaphraste*, & adduximus ipsius *Papebrochii* testimonium *in Actis S. Eudoxiæ*; siquidem hæc erant honorifica vocabula, & quandoque Prætores Imperatores dicebantur etiam sub Cæsaribus, vel ob res præclare gestas, vel acclamatione, vel Cæsarum, aut Senatus permissione, & Tacitus: *erant plures*, inquit, *simul Imperatores, nec supra ceterorum æqualitatem, concessit quibusdam Augustus id vocabulum, ut & Tiberius Bleso*; & Spartianus de Adriano: *Præturam in Etruria Imperator egit, per Latina Oppida Dictator, Arcon Athenis, Quinquennalis in Adria:* erant quippe nomina veterum Magistratuum, vel militaris imperii ornamenta, ut ex *Gruterianis* monumentis eruitur, quæ deinde constituto imperio in vocabulum desierant, hinc Boëtius inquit: *Prætura magna potestas, nunc inane nomen.*

In Caracall. — Metaph. in Actis S. Sophiæ pag. 15. — I. Martii n. 14. — 68 De Consol Philos.

Quidquid additur in exiguo *libro Laudationum Nursiæ*, Ægidio Mocavino ascripto, de Rege *Tarone* in *Rocha Florida*, & *Argentea* ibidem residente, qui Regi *Camerini* Natam desponsaverit, *Preciarum* Castro nomine dotis dato, nullam habet probabilitatem, quod hoc Castrum recentius dictum sit a precibus Pontifici porrectis, ut Incolæ profitentur, & de nomine hujus *Camerinensium* Regis nullibi pateat, nec quando hæc gesta sint, vel geri potuerint.

NOTÆ IN CAPUT VII.

Aquilios, Floros, Gallos, Rufos, Sulpitios, Sergios, Servios dictos eruit ex nummis *Ursinus*, sic *Plotos, Plautos* ex Festo, & *Licinios, Cilinios*, exinde *Cilnios*; hoc autem evenisse puto, cum, *Syllana* vastatione confusis rebus, deperditaque *Etrusca* elocutione, plura nomina corrupta reperiuntur; ex defectu auctorum *Sulpitiorum* patriam ignoramus; & an *Camerinus* a Patria derivaverit, quo etiam admisso liberaliter cum *Ursino*, num *Camero*, num *Cameria* originem habeat, non planum est; *Licinos* a *Clanarum* regione provenisse, patet ex Livio *Lib. X.* ac ex inscriptionibus *Ligorianis* de *Liciniis Licinianensibus* memoriam agentibus, nec aliunde *Licinianum*, ac olivam *Liciniam* liquore prædulcem, quam ad *Clanas* invenitur. Ceterum Serg. Sulp. Rufum *primo Romam advenisse* non satis ostendit *Ursinus*, quando gentem inter Patritias effloruisse patet ex Liv. L. VI. *creatique Tribuni ex Patribus M. Furius, Serg. Sulpitius Rufus*, fundatque Orsatus *in erud. Marmor. Monum. Epist. X. p.* 221.

CAPUT VIII.

Cluverius, ac Camerinensium Chronistæ rejecti. Strabonis locus examinatur, & illustratur. Strabo de Oppido Camerte castigatus.

CLuverius, ac *Camerinensium* Chronistæ, ut, quæ dicta sunt de *Camertibus*, Camerino congruere videantur, proferunt ad deducendam antiquitatem Strabonis locum: *Ab Ravenna Umbri inchoantes propiora deinceps tenent Sarsinam, Ariminum, Senam, Camarinum, ibi & Esis fluvius.*

Lib. V.

Sarsina Civitas, Principatu Illustris, feudum generosissimæ *Pamphiliorum* familiæ, quæ Eruditorum Mæcenatem Emin. *Benedictum Pamphilium* ostentat Cardinalium Maximum, Litteratorum hujus seculi facile Principem, arduo *Bononien.* Legationis munere honorificentissime functo, prudentia, integritate famigeratum; deinde

de *Strabo* describit *Ariminum*, *Senam*, *Camarinum*, *Æsim*que amnem, a quo ultra septem millia passuum distat *Camerina* Civitas, fluitque in finibus *Piceni* juxta veterem *Polybii* descriptionem.

Prosequitur Strabo: *ab altero latere Flaminiæ*
69 *viæ ab Ocricolis, Ariminum euntibus Interamna, Spoletium, Esium, & in ipsis Montium Picenorum confinibus ad Montana Camerte, altera ex parte Ameria, Tuder, Hispellum, Iturum, prope hoc montium excessus est.*

Ameria, *Tuder* prænobiles Civitates sunt, *Hispellum* elato colle situm, angusto agro continetur, sique hic *Camerte* pro *Camerino* intelligitur, *Strabo* post Urbem *Spoletii* illud indicasset euntibus *Ariminum*, non *Æsium* primo, siquidem hoc longe est à *Spoletio* millia passuum circiter LXXX. *Camerinum* XXX. per Montana, V. & XXX. si per latiorem *Fulginei* viam contendas.

Hunc igitur *Strabonis* textum legendum proponerem: *Spoletium, Esium in ipsis Montium Picenorum confinibus; Montana Cameria altera ex parte, Ameria, Tuder.* Consonat *Plinius* laudans poma *Amerina*, & *Cameria* sub eodem læto sidere vegetantia. *Silius* finitima ea circum Loca, flagrante bello *Punico*, describens, quamvis quandoque poëtæ licentia pro disponenda metri, carminumque consonantia Locorum tractus videatur excedere.

Amerinus, & Armis.
Vel rastris laudande Camers,

Æsium in Montibus *Picentium* finibus, sive ad radices montium situm est, & loca circum *Æsina* in jugis elatissimis condita, ut *Massaurum*, *Podium*, *Mons Carus*, æris hilaritate jucundissima; Idemque *Strabo* viam *Flaminiam* describere assumit: *ab Ocriculis Ariminum euntibus.*

A *Spoletio* ad recentem *Fulginei* Civitatem millia passuum XIV. deinde *ad Seravalle* XV. ad *Camerinum* per Montana VII. inde *Fabrianum* XIV. *Æsium* XXV. viaque oblongior, si per *Flaminiam* recta contendas; si igitur *Strabo* describens Camerte, *Camarinum* indicaret post *Æsii* designationem, tractus, situsque pluribus milliaribus excederent.

Hæc autem *Camerina* Civitas ante *Strabonis* tempora obscurissima fuit, primi *Strabo*, & *Ptolemæus* habent *Camarinum*. Igitur idem *Strabo* eo
70 loco mendosus est, quod *Camarinum* differat nomine, situque à *Camerte*, quod ex alio latere prius descripserat.

Et confert, priscos Auctores, talia loca describentes, hoc Oppidum *Camarinum* nunquam *Camerte* denominasse; Et repugnare visum Civitatem eadem pagina modo *Camarinum* dici, modo *Camerte*, & præcipua Geographorum cura est id cavere, ne loca confundantur nomine, & situs diversitate ibi: *ex alio latere viæ Flaminiæ.*

Lex Geogr. Verb. Camer. Insuper inquit Ferrarius: *Camertes Populi ad Montana, non Urbis nomen*, & in notis ad Silium

Petrus Marsias in Silium Lib. IV. his excisis: *Camertes erant populi Umbri habitantes in Montibus*, quorum Oppidum *Camerium* dicebatur.

Sique Adversarii objicient, *Æsium* non esse in his Montibus, sed ad radices, finesque Montium: Respondere possum, *Strabonem* in eo textu loqui de confinibus Piceni: *in ipsis Montium Picenorum confinibus*, à quibus diximus sex, & ultra passuum millia distare hoc *Camarinum*, *Æsium* vero inest ad radices Montium in antiquis *Senonum*, *Umbriæ*, *Picenique* finibus, ut *Polybius*, ac *Livius* sunt Auctores, & radices sunt montium partes, & Ptolemæus: *Nursia antiqua Civitas inter montes in Jugo Appennini*, Suidas, Papias,

In Vocab.

A *Nursia Civitas in Montibus.* situs perantiquæ *Nursinæ* Civitatis in planiciem protrahitur, quamvis prope immineant montes elatissimi, teste eodem Strabone, *ad Montana extat Aretium*, quod jacet pariter ad Montium radices; traduntque Incolæ antiquitus *Æsium* elatiori situ conditum, & usque ad ima prope flumen decurrisse, Civitatibus invidia temporis, vel Barbarorum incursione excisis, vel imminutis; sique *Strabonem* de eodem Oppido modo *Camarinum*, modo *Camerte* dicto, loquutum fuisse, *Camerinensibus* concedamus, non tamen evincitur ex eo textu, hoc ante *Syllæ* tempora asseri conditum, & antiquos il-
B los *Camertes*, cum quibus ictum fuit fœdus Romanorum, *Camerini* sedem habuisse, cum inter *Fulgineum*, & *Spoletium* ad Montana insint nomina, & vestigia perantiqua *Camertinæ* Civitatis in superioribus descripta, à *Catone*, & *Appiano* indicata.

NOTÆ IN CAPUT VIII.

Strabonis locus quatenus *Camerinensibus* congruat, non ex eo argueretur antiquitas hujus Oppidi *Camerte* ante *Syllana* tempora; ceterum *Strabonem* esse corruptum, patet, quia eadem pagina idem Oppidum non modo *Camarinum*, nec diverso è latere *Camerte* appellasset, ideoque optime
C congruit *Dyniana* castigatio, & montana *Cameria* eadem nomina servant, Vallisque nunc de juribus *Spoletinorum* etiam modo *Cameria* appellatur, *Camerique* sedes, ac vestigia trans Spinam calcantur.

CAPUT IX.

Lilius de latitudine Comitatus Camerinensis rejicitur. Frontini textus explicatus, & illustratus. Plinius agens de Pollentinis à Cluverio notatus defenditur. Cluverius in designando Trejæ situm reprehensus. N. N. Camerinensis reprobatus. 71

D SUperius dictis de Montano, ac perangusto *Camerini* Comitatu objiciunt Adversarii (ut se *Camertes* illos ditissimos ostendant *Livianis* elogiis auctos) *Camerinensium* præpotentum fines per stratos, uberesque campos usque ad *Adriacum*, & *Gallorum Senonum* limitem latius protractos, in latitudinem vero per agrum *Vissanum* usque ad Montana *Veteris Sibyllæ* dicta, ut præsumit *Lilius*, quæ *Nursa* vocat *Virgilius*, agens de *Ufente* Duce *Turni*, & nomina Locorum perantiqua sunt argumento, *Vissanos*que [quorum oppidum satis antiquum appellat *Blondus*, inscriptumque legi in Aula Comitiorum] sub *Camerinensium* Imperio fuisse ante tempora *Vara-*
E *norum*, improbabiliter asseritur: Allegat inscriptionem in Aula, in qua VICANI memorantur; quo autem loco, & num *Camerini*, & quando eadem lata sit inscriptio, nec *Lilio*, nec aliis usquam Auctoribus innotuit, nec *Vicani* Incolæ *Vissi* censendi sunt, & ex monumentis à *Josepho Malatesta* ex Via *Flaminia* recentius congestis clare patet, *Vicanos* esse accolas degentes in Vicis, ut *Paganos* in Pagis, profertque consimiles inscriptiones, & difficultatem exsolvit luculentissime.

Hist. Cam. parte I.

Lucerna Lapidar. pag. 17. 30.

Proferunt Frontini locum: *Camerinum iter Populo non debetur, limitibus maritimis, & Gallicis continetur.*

F Sed idem Frontinus quæstionem definit, dicens: *ab Augusto, & Successoribus, limites Oppidorum sæpe immutatos, & in alium statum jus agrorum traductum.* Igitur latior hic Comitatus 72
non fuit de juribus *Camerinensium* ad *Syllana* tempora, tunc enim *Camerinum* ignotum vidimus apud Scriptores, sique tunc *Camerinensium* fuisset (quod non dicunt præcitati Auctores) pateret utique eos non fuisse *Umbros Camertes*, quorum Do-

Dominatus non *Adriaco* sinu finiebatur per latissimum agrum *Picenorum*, sed in Montibus *Umbriæ*, inde Marsias: *Camertes erant Populi Umbriæ habitantes in Montibus*; & Livius: *ad Camertes Umbros*; inter *Picenum*, & *Umbriam* Montes ipsi, fluvius, *Gallorum*que ager fines erant, donec per Augustos confusa sunt Locorum dominia, ut idem *Frontinus* testatur. A

In Silium l. c.

Quæ si Adversarii æquo animo non admittant, limites *Gallicos* invenire non valeo, neque enim ad loca *Gallica* ultra *Æsim* flumen *Camerini* limites potuissent pervenire ex alio latere, nisi submotis finibus *Sentinatum* nunc *Fabrianensium*, vel *Matelicatum*, *Picenorum*que, de his ex eodem Frontini fonte: *Sentinum oppidum, ager ejus limitibus maritimis, & Montanis lege III. Virali est assignatus: Septempeda Oppidum iter Populo non debetur: Matelica oppidum, iter Populo debetur pedum LXXX.*, confusis per Augustos Oppidorum limitibus, ac nominibus, in quorum tamen, ac *Camerinensium* finibus quatuor millia passuum prope *Camerinum* inest Castrum *Gallicum*, & nomen quandoque non est inane in antiquis argumentum. Nec admodum procul sita est *Æsina* Civitas his nobilior, ac opulentior, & antiqua Colonia *Romanorum*, ut ex Lapide *Auximano* evincunt *Panvinus*, *Gritius*, & erudit. Amicus meus *P. Thomas Baldassinus*. B

De Coloniis Lib. III. Histor. Æsina. Ferrar. Verb. Æsium.

Ex alia parte in *Piceno* à Barbaris diruta, teste *Procopio*, floruit *Salvia*, de qua Balbus: *Ager Urbis Salviensis limitibus maritimis, & montanis lege III. Virali*; & Plinius: *cum Urbe Salvia Pollentini.* Urbisaliam Incolæ appellant; Vestigia *Pollentiæ* habet Mons *Milonus*, latæque, & vetustæ ibi patent viæ ad flumen *Potentiam*, & Plinius: *cum Urbe Salvia Pollentini*, Urbium nomina, & propinquitatem significans, quem male increpat Cluverius: *Mirum quod reliqua certo Alphabeti ordine Plinius exposuerit post V. subjicit P. in Pollentinis, sed negligentiæ hoc tribuendum Plinii, quando fuisse in Piceno Pollentiam, ex Frontino constat: situs hujus Pollentiæ nullus monstrari potest.* C

De Coloniis Lib. III.

73

Haud procul Urbs *Treja*, habet itinerarium. D

Septempeda VI.

Treja VIII.

E *Septempeda* ad Montem veterem, vulgo *Montechium*, fere novem sunt milliaria, sub eodem Castro prope Ecclesiam calcantur subversi Oppidi vestigia, & tamen *Cluverius* profecto negligentiæ nota inurendus prosequitur: *Situm Trejæ nullo pacto dispicere possum, quando nec Oppidi, nec nominis vestigium aliquod inter Septempedam, & Auximum apparet, & numeri millium apud Antoninum id intervallum excedunt.* Trejæ, ac Potentiæ Comitatus usque ad Mare *Adriacum* probabiliter protrahebatur, ut antiquum *Camerinensium* agrum ante assignationem limitum ad Mare usque pervenisse, non possit ab Adversariis certo statui, nisi aliorum Oppidorum antiquissimis finibus submotis. E

Cæterum in illis circum locis hæc Oppida pervetusta extitisse, antiquis monumentis patet, de *Sentino* est *Livii*, ac *Polybii* locus, *Septempedam* memorant *Plinius*, *Strabo*, *Ptolemæus*, hujus in Foro: F

MAGNO PRINCIPI
FLAVIO VALERIO COSTANTINO
NOBILISSIMO CAES.
ORDO SEPTEMPED.
D. N. M. E.
P V B.

Lib. III.

Tolentinates memorat *Plinius*: Ad parietes Prætorii:

E X S. C.
SCHOLA AVG. COLLEG. FABROR.

De *Humana* apud *Melam*, *Numana* Plinio. *Treja* locatur ab Antonino inter *Septempedam*, & *Auximum*, & confert in proposito inscriptio, 74
quam profert Merula *in Geographia* plura finitima *Camerino*, & antiqua loca complectens. Par. II. pag. 854.

M. OPPIO. CAPITONI.
Q. TAMVDIO. Q. F. T. N.
T. PRON. VEL. ANINIO. SEVERO.
EQVO. PVBL. IVDICI. SELECT.
EX. V. DECVR. TIRIB. LEG. VIII.
AVG. PRAE. FABR. PATRONO.
COL. AVXIM., ET COL. AESIS
ET MVNIC. HVMANAT
ORDO. ET PLEBS. TREIENS.
PATRONO MVNICIPI.
CVRATORI. DATO AB.
IMP. ANTONINO AVG.
L. D. D. D.

Igitur ne horum dominatus tam protenso (ut prætenditur) *Camerinensium* comitatu exturbaretur, probabilius pro limitibus maritimis, & *Gallicis* intelligitur omnis ille tractus maritimus, qui late excurrit usque ad mare, Montesque ipsos ad mare vergentes *Maritimos* appellat Plinius, quippe *Maritimum est*, secundum Vallam, *omne id, quod mare accolit, vel quod ad mare fit, ut ora maritima, gens maritima, bellum maritimum*, & explicant Auctores post Frontinum: *Limites, qui ad Montana Montani appellati sunt: alii ob positionem, & naturam appellarunt limites Maritimos, & Montanos.* Finesque, ac Montana *Camerini* viginti, & ultra passuum millia procul ad Mare spectantia attingunt latam illam oram maritimam *Adriacam*, & *Gallicam*, & secundum hanc locorum positionem *Camerinensium* limites maritimi, & *Gallici* cognominati sunt, quod confirmatur ex Frontino: *Colonia Aretina lege Augusta limitibus Grachianis, qui recturas maritimas, & montanas spectabant*; Aretium procul est à mare, quod *Ariminum* alluit milliaribus L. ex quibus satis aperitur, hæc *Liliana* commenta nihil penitus conferre ad significandam antiquam sui *Camerini* opulentiam, agrique latitudinem, vigente Republica *Romana*, quod *Romanis* rerum Dominis, disjectis compluribus circum Oppidis, locorum jura, finesque immutata sunt. 75

Lib. VIII. Cap. XXXIX. Lib. XV. Cap. XIX. Hyginus de Limit. Flaccus de Condit. Agror.

Eodemque fundamento satisfactum puto objecto N. *Camerinensis*, quod Præsules deputarentur Provinciis jam divisis, magnæque ditionis esset argumentum latissimus Episcopatus, continens *Natoliates*, *Fabrianum*, & olim *Septempedam* usque *Ginesiates.* Nec advertit ille in gloriam sui *Camerini* effusissimus finitima prope oppida, teste *Frontino*, suum habuisse Comitatum, in quo nulla inessent jura *Camerinensium.* Quinimo patet, quandoque in locis ignobilibus missos Episcopos magnam adeptos fuisse Provinciam, quod Gentilium grassante vesania validiores Civitates Præsulem neglexerint, vel disjecerint, & *Septempeda* antiquos ostentat Episcopos, & Diœcesis *Nucerina* usque *Seravallem* quibusdam tantum millibus passuum prope *Camerinum* decurrit.

NOTÆ IN CAPUT IX.

Umbrorum *Camertum* dominationem in *Umbria* non intra *Piceni* fines tam longe ante *Syllana* tempora decurrisse, per se patet; nec idem *Frontini* locus (ut erudite more suo ponderat *Dynus*) sub Augustis agrum usque ad mare *Adriacum* protractum videtur indicare, quandoquidem trans Montes *Camerini* plaga maritima appellatur; *Senonum*que non longe fines à flumine *Æsi* sub ipsis *Montibus* decurren-

te

te, teste *Polybio* ac *Livio* fuisse accepimus, vel saltem antiquas appellationes servatas, ut profecto omnes hæ *Dynianæ* opiniones rationi, veritati, rebusque ipsis congruere undique repertæ sint.

CAPUT X.

Bracciefchus fabulosus, & adulator de bello Camerinensium cum Longobardis convincitur. Lilius de latitudine Marchiæ Camerinæ reprobatus. Liliana diplomata explicata, & notata. Marchionatus Camerini honorificum vocabulum.

MOdernus Florentinus *in* exigua *Chronica* Anno MDCX. Typis vulgata, inopi *D. Dominici Camerini* convivens Cœnobio, exquirens comitiorum suffragia, adulatus est *Camerinensibus*, vocans *Umbros Camertones*, in quibus ait militarem veterum Patrum *Camertium* virtutem defluxam. Oh plumbeum pugionem, unde probas, quæ certo astruis? quo prisco auctore exploras
76 tam speciosa, quæ deinde narras, *Camerinensium* facinora? adeone *Thusci* nominis decus dehonestas aggregatione fabularum? Verum non inanis arridet conjectura opus cujusdam Camerinensis *Bracciefcho* tributum, quod *Chronica* non semel relata à *Lilio* nulla auctoris, non quidem adeo vulgaris memoria recolitur. Sed pro uberiori confutatione quædam eidem ascripta expendenda sunt.

Narratur in eadem *Chronica*, Regem *Aistulphum* viginti millibus armatorum in *Piceno* missis ad annum DCCLIV. *Crenardum* præfecisse, hunc vero aliis peditum duodecim millibus aggregatis, primo *Camerinensibus* [ut ibidem asseritur] numquam alias subactis indixisse bellum, ut totius Regni vires propemodum convenissent ad unum Oppidum oppugnandum; quod Camerinenses *Solonem*, Episcopum, bello parem, in Capitaneum delegerint, & hunc à *Cerretanis*, *Spoletinis*que suppetiis acceptis, misso exploratore *Tondino*, qui vulgaret, se absque ope Pontificia congredi non ausurum, nocte tenebras circumfundente *Longobardos*, somno, vinoque sepultos, delectis quinque millibus militum, cum telis, ac sclopettis devicisse, profligasse. *Crenardum* ad Annum DCCLV. iterum in aciem prodiisse asseritur, & *Camerinum* ope *Spoletinorum* commeatu, armisque instructum improspere obsedisse, tribus interim utrinque lectis, qui singulari certamine congrederentur, vulneratisque *Longobardis* Camerinenses superstites à pugna evasisse, deinde, vulgata *Pipini* in *Aistulphum* expeditione, *Crenardum* abscessisse, & *Solonem* triumphasse.

His obstat, *Camerinum* ad Annum DXCII. in potestatem Ducum *Longobardorum* accessisse, bellumque in *Camerino* gestum cum *Romanis*, Oppidumque expugnatum narrant *Diaconus*, *Sigonius*, nec hostium dimisso monumento elatissimus *Aistulphus* abscessisset, nec à *Longobardis*, late dominantibus, rebellasse, demonstrari potest veterum testimonio, nec Ducem *Crenardum* fuisse in humanis, & tam insigne facinus omnino exigebat testem antiquum, viditque nemo antiqua monumenta ad ostentationem memorata, ipsumque *Solonem* Camerini præfuisse hactenus,
77 non innotuit, nec hunc virtute militari floruisse. Quin Spoletinis, *Aistulpho* conjunctissimis, *Lupus* Dux præerat, quem adversus suorum *Longobardorum* acies opem misisse improbabile prorsus est, ut æque ad Annum DCCLIV. DCCLV. in *Umbria* ingentem Barbarorum numerum *Italiæ* terribilium in unius Oppidi oppugnatione tamdiu immorari, quandoquidem ad Annum DCCLIV. *Aistulpho* ad majora facinora intento, à *Pipino* in acie devicto, *Papiæ*que obsesso, *Crenardus* ad Regem eximendum ad *Alpes* cum copiis approperasset, probatque Anastasius: *Aistulphum fecisse generalem totius Longobardicæ gentis commotionem*, & Anno DCCLV. ad *Romam* oppugnandam per Ducatum *Spoletinorum* contendisse à Duce amicabiliter susceptum, qui certe in *Spoletinos*, *Cerretanos*, *Camerinenses*, ac reliquos, qui adversus *Crenardum* manus contulissent, impetum fecisset, teste *Blondo*, hunc immanissimum minatum, Pontificem, *Romam*que ipsam deperditurum.

Lib. IV. Cap. XIX. Sig. ad Ann. DXCII. Campel. Hist. Spol. Lib. II. Pascutius vita B. Baptist. Varan. pag. 18. Lilius Lib. IV. pag. 118.

Campel. Lib. XIV. litt. BB. Leonci. II. de Episc. Spolet. in Felicem. Greg. Chron. pag. 93.

Sigon. Lib. III. Anastas. in Steph. II.

Denique apertam redolet ineptitudinem, exiguum *Camerinensium* numerum magnam stravisse aciem vigilum *Longobardorum*, quos minus verisimile visum sine Apparitoribus somno se reliquisse, illosque illudere videretur *Bracciefchus*, dicens, cereis *tedis accensis Solonem palam in hostes numero, & robore formidandos incessisse*, superius innuens, Exploratoribus deceptos clam ex insidiis eos sibi adoriendos statuisse; Addit his illudens *Sclopettis* hostes à *Camerinensibus* interemptos, tum vero feralis Scloporum usus non innotuit, nisi rectius percipiendus is sit de sclopettis, quæ assolent pueri sibi joco occurrentes ad crepitus ciendos ex chartarum involucris explodere.

Hisque *Lilio* denique animadversis hic sibi improbabilia annectere visus est, quamvis addat, rivum, quo cladem *Modernus* ille accidisse asserit, vocari *Sanguinarium*, quod gratis dicit, nomenque aliis de causis, frequentibusque incursibus *Ghibellinorum* potuit derivare.

Falsitatem prædictorum uberius aperiunt, quæ notat *Lilius* de Marchia *Camerini*, supponens, *Camerinum* sub *Longobardorum* ditione jam in Marchionatum descivisse, Principemque *Longobardorum*, Ducem simul *Spoletinum*, ac latissimæ oræ 78
Camerinæ Marchionem renunciatum.

Præmittit *Lilius*, à Carolo *Italiam* Ducibus, & Marchionibus distributam fuisse, horum validiores præfuisse in *Etruria*, *Liguria*, & *Marchia*, quæ *Adriaco* alluitur, nimirum per planiciem plane infinitam, irriguam, & opimam fructibus, animalibus, plantis opulentissimam; Hosque viribus Marchiæ *Camerinæ* validiores ait ad Imperii *Romani* apicem evectos, suique *Camerini* statum, dominatumque per bis centum passuum millia protendi per tractum Marchiæ inferioris, & superioris, & non exiguam *Umbriæ* partem, & finitimæ Provinciæ. Idem tamen *Lilius* demonstrare non valuit aliquem ex Marchionibus, *Carolo*, *Pipino*, *Balbo*, sive Successoribus regnantibus, Imperii Sedem semel *Camerini* transtulisse; nec *Camerinenses* mihi curiose instanti valuerunt indicare vestigium aulæ, qua potentissimus Princeps jura diceret, leges, edicta *Camerini* lata proferre; quandoquidem nomen Marchionis in Duce *Spoletio* residente cum lata ditione ad dignitatem, & vocabulum potius referebatur, quod & hodie obtinet in Regibus, Ducibusque alicujus inferioris Civitatis Marchionatus seu Baroniæ titulo insignitis.

Habet *Lilius* diplomata *Henrici*, & *Othonis IV.* per Ughellium recitata: *Hæc omnia confirmamus, & ipsi Ecclesiæ omnia, vel antiquitus, vel noviter tenuit, vel tenet, sive pertinet in tota Marchia* Camerini *per diversos Comitatus, & terras, videlicet* Auximanum, Anconitanum, Senogalliensem, & Fani, *aliosque Comitatus.*

Ughell. de Episc. Camer.

Loquuntur hic Imperatores de omni eo dominatu, quo potita olim fuit Ecclesia in Comitatibus præfatarum Civitatum, *Camerini*, *Auximi*, *Anconæ*, in quibus certe nulla irrogatur jurisdictio, nec *Camerinum* caput reliquarum inscribitur.

Dum *Longobardorum* maneret Imperium, *Spoletium* in *Umbria*, aliisque circum locis juxta fortunæ, bellique casus, *Anconam* in Marchia, Du-

Bergamen. in Chron. Lib. XII. Joan. Magn. Hist. Goth. L. IX.

Ducum, Marchionumque sedes, Regnique capita extitisse, Historiarum Testimoniis compertum est. De *Spoletio* hæc tradunt: *Spoletinam Ci-*
79 *vitatem cum* Longobardi *comprehendissent ob Urbis dignitatem, & nobilitatem, eam suorum Ducum, ac Principum sedem constituerunt: Hic* Theodosius *nobile Prætorium extruxit: Hic etiam Ducem* Longobardi *constituere, unde Regioni toti nomen permansit: Regio ipsa Ducatus* Spoletinus *dicitur ab Urbe id nominis, quæ Ducum* Longobardorum *Sedes erat, qui præfecturam Regionis hujus sortiebantur*, quandoque latissimam, quæ est inter *Tiberim, & Appeninum usque ad Asculum protracta;* plura aggerat Comes *Campellus* ex *Anastasio*, *Ostiensi*, *Blondo*, *Sigonio*, *Sabellico*, is addit: *Tum longe lateque media Italia unius Principatus fines sunt evagati*, patetque documentis antiquis eodem *Campello* evulgatis.

De *Ancona* hæc inscribunt: *A Longobardis Marchia Anconæ* nomen *accepit ab Ancona Emporio celeberrimo*, quod sedem dabat Marchionibus universæ Provinciæ Dominis: *Certam Italiæ regionem hodie dictam Picenum, nunc Marchia* Anconitana, *quo nomine cepit vocari*, Longobardis *in* Italia *vigentibus*,

In Historia *Picena* ex vetustis Instrumentis: *Anno* MLXIII. *Guarnerius Marchio Imperium totius Provinciæ Anconitanæ accepit*, Otho, ac Innocentius *Azonem* Estensem in Marchia *Anconitana* Marchionem ablegaverunt.

Henrici privilegium a *Lilio* celebratum Anno MLXIII. editum est, *Othonis* MCCIX., & quod tunc *Camerinum* haberet solummodo suum Comitatum elicitur ex eadem historia Picena: *Regnante Corrado Rege Ego* Guarnerius *Marchio, & Dux Spoletinorum offero Monasterium, quod exposui in Comitatu* Camerini. *Anno* MXCIV. Varnerius *Dux, & Marchio dominabatur in Ducatu* Spoletano, & *partibus* Aprutii *conterminis*, *comitatibus* Firmi, *&* Camerini.


Antiquitus Provinciam non fuisse vocitatam Marchiam *Camerini*, apparet incorruptis documentis, habent quædam *Provincia Pentapolis*, & in VI. Concilio Constantinopolitano: *Beatus Episcopus Pentapolis Dominus Ecclesiæ Fanensis; Joannes Episcopus Auximatis Provinciæ Pentapolis*, mutatisque quandoque oppidorum dominationibus. *Otho* ita Anno MII. *Silvestro* rescripsit, *Ugonem Tuschum Camerinis Præfectum vestrum ob patrocinium tulimus*. Anno MVII. testatur Damianus *S. Romualdum misisse nuncios ad Camerinæ Provinciæ Co-*
80 *mites;* juxta barbarum illorum temporum stylum comitatus Civitatum Provincia dicebatur; *Gregorius* meminit de Provincia *Nursina*, & habent diplomata Provincia *Beneventana*, *Aretina*, ac *Spoletina* pro Diœcesi. Plerumque etiam Marchiæ nomen percipitur de eo tractu, qui est de comitatu alicujus Civitatis, qui mari finitur, & explicat Gregorius: *In Marchia Firmana, Camerina & in Pentapoli Episcopis, & Abbatibus, &c. Anno* MLXIII. & in historia Æsinorum *Marchia Æsina*, ex diplomate anni MLVI. *Ducatus Spoletinus, Marchia Firmana.*

Baronius aliud *Othonis* privilegium, in *Vaticano* Archivio asservatum, ad Litteram transscribit editum apud *Spiram*, priusquam Otho *Lilianum* diploma proferret, & in *Italiam* trajiceret, in quo solemniter Juramento suscepto promittit, se jura, ac ditiones Ecclesiæ defensurum, simulque *Marchiam Anconitanam, & Ducatum Spoletanum* de juribus Ecclesiæ pronunciavit, nulla habita ratione suppositæ Marchiæ *Camerinæ*. Certe sub nomine Marchiæ *Anconitanæ*, vel Ducatus *Spoletini* continebatur *Camerinum*, & clare ostenditur *Camerinum*, & *Asculum* in Marchia

Sabellus Enneid. Lib. II. VIII. Camp. Lib. XII. litt. M. Lib. XIII. litt. V. in An. Jacob. Sping. de reb. Feder. I. Lib. IV. Leander in 3. Reg. Anastas. in Zachar. Ostiensis Lib. I. Cap. XXXIV. Diaconus Lib. IV. Cap. V. Lib. VI. Cap. X. XVII. Blondus descript. Umbr. Jod. Hondius descript. Ital. Azorius Inst. Moral. par. II. Cap. XXXVI. Blaeu Theat. Orbis de March. Anconæ P. 3. Epist. Innoc. 158. 164. Bzovius ad Baron. Ann. 1200. n. 16. Campag. Hist. Picen. Lib. II. fol. 613. 70. 99. Baron. Anno 680. 1108. Julian. Sarac. Hist. Anc. p. 2. Bzov. vita Silvestri II. Silvest. Epist. Vita S. Rom. Gregor. in Breviar. ac lectionib. S. Bened. Greg. Episc. Lib. X. Baron. l. c. & Anno 1079. Compag. l. c. Baron. Anno 1079. n. XI.

A *Anconæ* contineri ex Instrumentis a *Bzovio*, reliquisque recitatis; Ceterum Marchionatus *Camerini* erat honorificum vocabulum, quo Dux *Spoletii* residens honestatus fuit; hunc æque titulum expendens *in Berengario* Luitprandus inquit: *Nomine Marchionem, potestate Regem*, vel quia *Camerinum* erat pars quædam Marchionatus, quod plerumque iidem Duces *Spoletini* Marchiones appellarentur: *Ubaldus* (scribit Luitprandus) *qui post, nostro tempore, Camerinorum, & Spoletinorum extitit Marchio*, quod idem repetit Sigonius, idem Luitprandus: *Bonifacium Comitem potentissimum, qui nostro tempore Camerinorum, & Spoletinorum extitit Marchio: Theobaldus Marchionem* B *Spoletinum eum, ac Camerinorum constituit Marchionem*, in quo *Sigonius*, *Lilius*, & *Jacobus de Arena* convenire videntur. Cum Rege *Ugone* imperante, *Theobaldus* Dux, & Marchio constitutus est, quo sub Anno DCCCCXXXIII. e vivis sublato, *Spoletini Ascarium* Marchionem summo studio
prosecuti sunt, quod ægre ferens Rex *Ugo*, ut pro- 81
sequitur Luitprandus, *Sarlionem advocatus, cui & ait*, Camerinorum, & Spoletinorum *hominum non est mihi fides incognita, est enim calamo similis, cui si innixus fuerit homo, perforabit manum suam, vade itaque, & accepta a me pecunia mentes eorum* C *corrumpe, ab Ascarii dilectione eos amove, nec secus ac Rex prædixerat* Camerinorum, & Spoletinorum *populus egit.* Quibus omnibus clare patet, *Camerinum* sub potestatem, & jugum *Longobardorum* fuisse, reliqua vero facinora, de quibus *Bracciefchus*, ac *Lilius*, dantur in Auctores decora fabulis explodenda.

Compag. Hist. Pic. fol. 10. Luitp. Lib. V. Cap. XIV. Sigon. Lib. VI. Luitp. Lib. II. Cap. VI. Lib. IV. Cap. IV. XIV. XVIII. Lib. V. Cap. II. Jacob de Arena Serie Ducum Etrur. Luitp. Lib. I. Cap. II.



Notæ in Caput X.

Braccieschum Florentinum defendit *Dynus*, & profecto eumdem desipuisse crederem, ut merito ingens *Camerini* laudatio alicujus Concivis indicanda sit, ferme Anno 110. cusa apparet exigua illa enarratio, & an *Braccieschus* tunc in D humanis degeret non probatur, quandoquidem *in Annalibus* de eo meminisse *Baronium*, inquit P. Pascutius *in Hist. Venantiana*, quos usque ad Annum MDLXXXIV. exscriptos fuisse innotuit; nec *Baronius* Virum non magni nominis, ac vitam agentem in auctorem ita facile habuisset.

Dignitati Fastorum *Camerini* non detrahit *Dynus* in his, quæ veritati congruere possunt; imperii Sedem sub *Varanis* admittit, & tunc ad apicem potentiæ in illis *Piceni* Locis evectum; sed, florentibus Ducibus *Spoletinis*, *Camerinenses* inter inservientes fuerunt, nec Marchiæ *Camerinæ* nomen adeo late protractum probari potest, quin ad ea tempora Marchiam *Anconitanam* Picenum vocitatum fuisse, vide Modernum *Hist. Anconæ* latius transscribentem.

Caput XI.

E *Lilius fabulosus de Victoria Camerinensium convincitur. Othonis diploma explicatum, & commentitium deprehensum. Rodulphus Dux Camerinensis ab imputatione Lilii defenditur. Reliqua Liliana Privilegia a Papebrochio provide prætermissa suppositiitia pronunciantur.*

Severianis allatis monumentis recentiora addit Lilius *Othonis* Privilegia, quibus avita suorum militaris virtus, & magnificata superius innotesceret cum *Romanis* amicitia, & fidelitas *Camerinensium*.

Otho IV. *Rom.* Imp. semper Aug. &c. *Attendentes fidem, & devotionem, quam erga nos, &* F *Imperium habueruut hactenus fideles nostri* Camerinenses, *pariter, & fidelia obsequia, quæ nobis exhibuerunt, & in posterum ipsos exhibituros non dubitamus. Notum facimus Universis, &c. Quod de innata nobis benignitate eorum justas possessiones, & tenutas, quas juste, & rationabiliter possident eisdem nostra Imperiali confirmamus auctoritate, salvo tamen in prædictis omni jure nostro, & Imperii. Statuimus igitur, & Imperiali præcipimus auctoritate, ut nullus Dux, Marchio, Comes, & nul-*

Fr. Dynus. D lus,

lus, nec non Civis, nullaque omnino persona Ecclesiastica, vel Secularis, humilis, vel alta prædictam 82 *Civitatem* Camerini *molestare præsumat, quod quicumque facere attentaverit in ultionem temeritatis suæ sciat se* 30. *Libras auri puri pro pœna compositurum dimidium Cameræ nostræ, & dimidium injuriam passis; damnum quoque, & Injurias, & maleficia, quæ prædicti Camerinenses nobis, & Imperio intulerunt, de Castro & Arce* Ploraci *eis de Imperiali benignitate remittimus.*

Signum Domini Othonis IV. *Romanorum Imperatoris gloriosi.*

Ego Corradus *Spirensis Episcopus Imperialis Aulæ Cancellarius Vice Domini* Theodorici *Coloniensis Archiepiscopi, & totius Italiæ Archicancellarii recognovi.*

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1210. *Indictione* 13. *regnante Domino* Othone IV. *Dei gratia Romanorum Imperatore glorioso Anno Regni ejus Decimo tertio, Imperii vero primo. Datum apud Abbatiam* S. Salvatoris de Monte Amiato *per manum* Gualterii *Prothonotarii quarto Kalendas Septembris.*

Camerinensibus sibi, & Imperio, (ut narratis apparet) infestissimis, quod hactenus fideles extitissent, illusisse videretur *Otho*, nec *Lilius* valuit exhibere, quæ sive bello, sive pace affluente fidelitatis signa Imperatoribus præstita sint, hoc palam est, *Camerinenses* Longobardorum jugum passos sub Ducibus *Spoletinis* Imperii *Romani* sævissimis hostibus signa contulisse; Quod additur, (Lilius par. 11.) *Villas, & Tenutas quas rationabiliter possident Camerinenses*, libere has concedendas, videtur indicare, ne dum *Camerinum* latissimam non habuisse Provinciam, ut præsumit *Lilius*, sed quod rara per eas regiones Castella haberentur, & omnia *Ecclesiis*, *Villisque plena esse*, ut ex Chronicis *S. Vincentii* tandem se edoctum profitetur *Lilius*.

Tradunt *Othonem*, in Urbe commorantem levibus causis provocatum, cum *Romanis* congressum, deinde Patrimonium, & Ducatum *Spoletinum* in potestatem adegisse, addit *Lilius*, & cum *Otho in Marchiam cum exercitu commigraret per viam* Ploraci *a* Camerinensibus *jugum renuentibus depulsus, expeditione in Marchia prætermissa hyeme ingruente* Clusium *perrexerit, ibidem quibusdam* Camerinensibus Ghibellinis *confluentibus admonitus* Camerinensium *ingenia potius quam vi beneficiis expugnari, ediderit recitatum diploma, exinde a Civibus suis neglectum.*

83 Tam ingentis beneficii nullum profert coævum testimonium, vel probabilem sequioris seculi Scriptorem, quod oblivione deperditum non fuisset, Locorumque *Umbriæ*, *Piceni*que Chronistæ triumphi gloriam prædicassent, nec *Spoletini* haberent, unde, pulso *Annibale*, Urbe ab excidio exempta supra *Camerinenses* gloriarentur, quod hi Ecclesiæ deditissimi *Othonem* Augustum a Marchiæ populatione avertissent.

Verum hæc verba: *Damnum quoque, & injurias, ac maleficia, quæ Camerinenses nobis, & Imperio nostro intulerunt*, non arguere videntur, *Othonem* fuisse depulsum, & adsimile *Federici* diploma recitat Lilius: *remittentes* Camerinensibus *omnes offensas quas commiserunt contra nos, & Legatos nostros;* nec tamen hunc a *Camerinensibus* profligatum *Lilius*, vel alius usquam asseruit, quin potius verba *de arce, & Castro Ploraci* sub eadem dictione, *de Imperiali benignitate remittimus*, juxta barbarum eorum temporum stylum viderentur denotare, eosdem de Castro *Ploraci* Guelphos exturbasse, cum quædam sub *Othone*, alia sub Pontifice *Umbrorum* Castra detinerentur; patetque documentis a *Lilio* allatis, *Camerinenses* Belfortis Castrum *Othonis* patrocinio tutum Anno 1207. subegisse, cum se asseruissent in arbitrariam, non tamen diuturnam libertatem frequenter coeuntes in comitiis, bellis magis consiliis, quam ære, vique armorum gestis, modo Ecclesiæ, modo aliis Principibus addicti, vel in patrocinium recepti, pacto tributo, ut *Sfortia* vigente, *Corius*, & *Simonetta* (quos nulla auctoritate tutus increpat *Lilius*) sunt auctores, & cum nec totam libertatem, nec totam servitutem pati possent, in partes de more discissi nova moliebantur.

Planum siquidem est apud Chronistas, Anno MCCIX. Mense Octobris *Othonem* coronatum fuisse, exortoque deinde cum *Romanis* dissidio suspectum habuisse Pontificem, & ad partes *Thusciæ* approperasse, Annoque ineunte MCCX. degisse apud *Mediolanenses*, dimisso Imperatorio diademate insignibus militaribus ornatum, & peragratis agro *Ravennate*, aliisque Ecclesiæ locis, postmodum irrupisse in *Apuliam*, & Anno MCCXI. excommunicatum, & depositum extra *Italiam* perrexisse. (Otho de S. Blasio: Chron. Fossæ Novæ. Baron. Anno 1209. 1210. Pign. Hist. Estens. Lib. 11.)

84 Igitur nec tempora congruerent, & facile dicendum est, quod exiguum *Ploraci* Castrum in prædam ingentis exercitus cessisset, quod ad ea circum tempora a levi *Spoletinorum* cohorte, Duce *Roberto* Regiensi, primo incursu subactum idem profitetur *Lilius*. (Compag. Hist. Picen. Lib. 11. Pater Pascut. vit. B. Baptistæ Varanæ pag. 18.)

Insuper *Pigna* recitat privilegium *Othonis*, latum Mense Januario Anno MCCX. in quo Marchio *Anconitanus* enunciatur *Azo Estensis*, expressis nominibus *Camerini*, *Firmi*, *Auximi*, *Æxii*, quæ Oppida in eadem Jurisdictione ante *Lilianum* diploma subdita *Othoni* asseruntur, quod idem tum historiæ *Picenæ*, tum Chronistæ *Camerinensis* fide roboramus. Latumque asseritur *Lilii* privilegium Anno MCCX. Regni *Othonis XIII.* Imperii primo, quod falsitatem aperit reliquorum; siquidem *Otho* adversus *Philippum* Anno MCXCI. Rex, exorto Principum dissidio, renunciatus est, & tandem *Philippo* sub Anno MCCVIII. Kal. Julii. in Aula trucidato, Imperator statim consalutatus est, prolatoque diplomate Ecclesiæ fidelitatem, seque ipsius Jura defensurum pollicitus fuit, quod ante suppositium *Lilii* datum est apud *Spiram* Anno MCCIX. XI. Kal. Aprilis, Anno Regni II. per *Baronium* ad litteram relatum. Igitur Annus MCCX. Kalend. Septembris (de quo in *Liliano* diplomate) esset Annus *Othonis* II. non autem I. (Ptolem. Ann. pag. 12. Lilius part. 2. pag. 21. Pigna Hist. Estens. Pascut. L. E. Compag. Lib. 11. Trithem. Anno 1208. Naucl. Chron.)

Rubeus profert Litteras a *Chunrado* subscriptas Anno MCCIX. III. Kal. Novembris indictione XIII. Anno Imp. *Othonis I.* quibus colligere quisque potest, cujus farinæ sint hæc *Liliana* privilegia ab antiquioribus, nec relata, nec hactenus visa. (Rub. Hist. Ravenn.)

Adsimile diploma recitat *Lilius* a *Federico* latum apud *S. Geminianum* Anno MCCXLII. in quo pariter Imperator amicitiam *Camerinensium* ambitiose requirit: *Remittentes eisdem omnes offensas quas olim contra nos, & filium nostrum* Henricum *Illustrem Regem* Turrium, *ac* Galliarum, *& totius* Italiæ *legatum, & alios Nuncios, & fideles nostros Regni, & Imperii verbo, & opere commiserunt.* Pariter *Lilius* præfatum Regem asserit pluribus præliis, ut æque alios Nuncios, Legatosque *Federici* a *Camerinensibus* suis victos, profligatosque; Quamvis, nec ipse, nec quisquam alius aperuerit, quo loco, tempore perpetrati sint *Camerinenses* tam ingentia facinora, nec pedites, equitesque utriusque partis describit, cæsorum numerum, quave arce Rex ille profugus se receperit, quive alii Legati in ejus Locum suffecti, vel ceciderint, vel victi abscesserint, ut potius hic somnia ab ipsis Litteratis, & quidem optimis 85 (Lib. VIII. pag. 240. 246.)

Ca-

Camerinensibus, qui de his mecum disceptarunt improbata, quam congruas historicæ veritatis narrationes e probabilibus Chronicis eruendas concinnare videatur.

Reliquæ vulgares *Lilii* exornationes ab oculatissimo *Papebrochio* prætermissæ, vel penitus neglectæ, ingenti quamvis studio conglutinatæ, hæc inter reliqua sunt proditione *Rayneri* Prætoris, non Princivallis, *de Auria*, copiarumque militari virtute devictos *Camerinenses* cum Urbis excidio; tum additur immunitissimæ *Spoletinæ* Urbis recens expugnatio a manu *Camerinensium*, Hostiumque peracta, levibusque argumentis comprobata, ut pariter obsidio *Mathelicanæ* Civitatis (olim ut *Frontino* patet inter Colonias ascitæ) cum militibus Plebis *Bovilianæ* vino temulentis ex *Francisco Sacchetto* in suis fabulis, *Lilio* non semel agnitis, relatisque deducta, ut alia plurima ex patriis Diariis, nescimus quo scrinio asservatis, Archiviis *Camerinensium* hostium populatione penitus exutis.

Lilio par. 2. pag. 82. 113.

Fatemur, *Camerinum* sub *Varanorum* imperio prævalidam fuisse Civitatem, agrum latius protractum, & complures *Piceni* Civitates, ut

A *Maceratam*, *Senogalliam* in Patrocinium Ducum translatas, hos Principes nobilissimos privilegiis, & dignitatibus auctos; plures Patritios *Camerinenses* ad munera, ac gloriæ apicem evectos; Verum nimis graves reliquæ visæ sunt finitimis *Lilii* enarrationes, imo *Thuscis* ipsis hoc mihi onus Apologiæ avidius injungentibus: etenim post quam is *Camerinenses*, ac Pontificis Copias a *Thuscis*, Sociisque attritas, expugnatamque *Maceratæ* Urbem professus est, genti nostræ quodammodo detrahere aggreditur, narrans, Nunciis 86 *Florentinis* Camerini receptis, bellum indicentibus *Rodulphum* illusisse, siquidem depictis in pariete VIII. Virorum, qui *Florentiæ* militarem gerebant Magistratum, figuris superinstans Dux ipse exprimebatur cum inhonesta inscriptione, posterioribus partibus nudatis ventrem expurgans, nemine penitus in authorem prolato, sapientissimo Principi impudentiæ nota impingitur. His autem, ac reliquis passim commentitiis, inanibusque enarrationibus ad rem nostram nihil conferentibus, acriori stylo satisfacere modo omittimus ad digniora animum intendentes Taciti monitu: *aliquid excelsius ab historico postulari.*

NOTÆ IN CAPUT XI.

Othonem, Virum militarem, per angustissimos Montes exercitum circumduxisse ineptitudinem sapit, nec *Lilianus* hic triumphus probatur spurio diplomate, cum nec tempora congruant, ut disertissime *Dynus* aperit, sed omnia esse commenta *Lilii* planum fit, qui nec apud graves *Camerinenses* Viros in pretio est, & similibus configmentis veros, aliosque *Camerinensium* Titulos denigrat. Hoc singulariter notandum eruditis, *Papebrochium* 18. Maji irridere tanquam recens editam *Camerinensem* inscriptionem in dedecus *Raynerii* muro Cathedralis incisam, de qua apud Ughellium *in Episc. Camerin.* non enim sine exercitu ad defensam parato voluissent se *Camerinenses* defendere ab ingentibus copiis, ideoque absque ulla proditione facile in ditionem accessissent. Concludit itaque *Dynus* dissertationem, addens, se ut *Thuscis* quibusdam morem gereret, hæc festinanter edidisse, gravioribus Magistratuum curis intentum. Hæc itaque per me solo veritatis ductu conserta aliis Canonicis studiis vexatum, & errata, quæ ob Auctoris absentiam irrepserunt, æquo animo feras.

F I N I S.



INDEX
NOMINUM ET RERUM
NOTABILIORUM.

Ca-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Se-

T.

V.

FINIS.



BARTHOLOMÆI SCALÆ,

Equitis Florentini,

HISTORIÆ FLORENTINORUM LIBRI QUINQUE;

nec non et

EJUSDEM

VITA VITALIANI BORRHOMÆI:

Quæ primùm e Cod. Bibliothecæ Mediceæ edita fuerunt;

Novissima verò Editione correcta.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa;

Bibliopolæ, & Academiæ Typographi atque Urbis.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

VIRO

D. JOANNI BAPTISTÆ RECANATO

PATRICIO VENETO

SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS

ACADEMIÆ FLORENTINÆ

ARCAD. ROMÆ ALIORUMQUE

MEMBRO INCLYTO

PERQUE ERUDITORUM TOTIUS EUROPÆ VIRORUM ORA VOLANTI

RARISSIMORUM SELECTISSIMORUMQUE

MANUSCRIPTORUM POSSESSORI

HOSCE

BARTHOLOMÆI SCALÆ

EQUITIS FLORENTINI

HISTORIÆ FLORENTINORUM

LIBROS QUINQUE

NEC NON

EJUSDEM

VITAM

VITALIANI BORRHOMÆI

E COD. BIBLIOTHECÆ MEDICEÆ

IN GRATI ANIMI SPECIMEN

D. D. D.

PETRUS VANDER Aa.

PRÆFATIO HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Benevolo Lectori Salutem.

Historiæ FLORENTINORUM *libros quinque*, Vitam*que* VITALIANI BORRHOMÆI, Romæ *anno* 1677. *Typis & sumtibus* Nicolai Angeli Tinassii *in* 4°. *edita*, *quæ* Bartholomæus Scala *conscripsit*, *repetendo proposueram*, *errata Typographêi maxima quæque expungere*, *& quæ respuerent medelam*, *sarta relinquere ac tecta*, *quoad melior Codex priori & nitidior emendare tandem poterit & corrigere. Differenti verò scriptura*, *quæ æstimavi insignia*, *assidue expressa curavi*, *marginique numeros foliorum Editionis primæ illitos. Quæ si tibi*, *B. Lector*, *arrisisse expertus fuero*, *non minus voluntatem procurandi hoc genus Auctores*, *quàm solicitudinem augebis. Vale & his utere.*

DEDICATIO EDITIONIS PRIMÆ.

Clarissimo & Celeberrimo Viro
ANTONIO MAGLIABECHIO
Magni Etruriæ *Ducis Bibliothecario.*

PLures sunt caussæ &, meo quidem judicio, prægnantes, Vir celeberrime, cur fœtum hunc, ex ipso ovo partusque vinculis extractum, Nominis Tui splendori, oculisque, nil indoctum aut triviale aspicientibus, obtulerim. Consideranti enim Tua in defunctum *Scalam* populumque *Florentinum* merita, Tuum in me, licet immerentem, collata beneficia, Tuum in literatos omnes favorem, inexhausti ingenii vim, judicii acumen, doctrinæ splendorem, famam denique alveis Oceani egressam, dignior Te, qui de his lineis judicaret, nemo occurrit. Multum pietati Tuæ debet defunctus Auctor, quod scripta illius erudito Orbi hactenus subtracta, pluteisque *Medicæis* immersa, meis animari laboribus primus volueris, ne ad blattarum muriumque pastum, more malo, damnatis, cum sepulto Auctore memoria quoque illorum sepeliretur. Dignum hoc Tuâ pietate, dignum isto Eruditionis fastigio, dignum Humanitate. Taceo tot a Te in librorum lacunis investigata mihique transmissa hominum doctissimorum suffragia, quæ in opere hoc famam Tuam studiumque indefessum passim loquuntur, & posthumum Auctoris fœtum, ne abortum quis credat, verum ac legitimum sanctè pronunciant. A Te ipso ergo oblata rursus Tibi offero, data reddo, & velut in fontem ipsum opera refundo. Nemo jam miretur quod partus hic masculum robur capiat, pennaque ac plumâ feliciore per manus eruditorum volitet. Ridet se a turba allatrari, tanto tectus præsidio, censorumque spongias ne flocci pendit. Ea quippe est favoris Tui vis, ut atratos, si qui adsint, obtrectatores, omnemque judicii sinistri aleam facile prævertat. Ea auctoritatis Tuæ acies, ut acuta *Politiani* lima, qui innocentem *Scalam* tantum non ad scalas *Gemonias Tartarum*que damnat, facile ad eam hebescat. Ea ingenii famæque magnitudo: ut operi, vel invitis aliis, pretium addat, & optatam seræ posteritatis gratiam tecum conciliet. Multum debet populus *Florentinus*,

cujus Tu flos illibatus, quod res variâ fortunâ ab eo gestas tam benignè exceperis, ut effusus pro Patria cruor, urbium cineres, vulnera & cicatrices, pretiosa illa militum ornamenta, aliis innotescerent. Multum *Florentia* ipsa, Orbis *Europæi* ocellus. Tanto hospite meritò superbit, qui famâ & ingentibus meritis exteros e nidore patrio in *Hesperiam* suam per *Alpes* & *Apenninos* evocat, ut rarum, terrisque aliis negatum, *Phœnicem* cum stupore videant, laudent, admirentur. Quid de tota literatorum Republica dicam? tantum Tibi debet, ut solvendo non sit unquam. Te colunt qui literas colunt, famæque ab occasu *Hesperio* ad ortum porrectæ assurgunt. Convolant ad Te, velut apes, ut mella stipent, velut *Argonautæ*, ut vellus aureum reportent. Cujus unquam vestibulum tantâ quotidie frequentiâ doctorumque splendore celebratum? Cujus in Musêo tot coagmentata librorum plaustra, tot loquuntur Auctores, quorum Tu omnium maximus, tot muti rerum Magistri? Miramur tantam unius Musêi angustiis inclusam supellectilem; miramur in nuce magnum olim *Homerum* delituisse; sed in uno pectore tot thesauros, in uno cerebro tot gentium ingenia, tot *Pallades* prodigiosas hospitari, quis non miraculo affine dixerit? Famosa in Magni *Etruriæ* Ducis Bibliotheca atriisque *Medicæis* volumina non attingo, quorum Te animam vivumque ac spirans Lexicon appellare quis dubitaverit? Omnia quippe ad unguem calles, fidemque excedente memoriâ ita singula exhauris, ut majorem Te librorum helluonem ætas ulla vix tulerit. Facit illa ingenii Tui capacitas, ut tot ubique terrarum amatores habeas, nequaquam imitatores. Facit excellens illa memoria; Musarum mater a Comico vocata, ut cæteri, quibus nimis interdum noverca, paria tecum facere cogitantes, frustra omnino sint. Norunt hoc quotquot Te norunt, & tota sanè *Europa*, si unâ voce loqueretur, hoc diceret. Verè de Te testari poteris, quod de seipso *Seneca*, suam nempe memoriam adeo excelluisse, ut non ad usum modo, sed ad miraculum usque procederet, cum duo millia nominum, quo ordine dicta erant, ducentos quoque versus, ab ultimo incipiens, recitaret. Nullis in ædibus tot unquam consulentibus data oracula quot singulis diebus in illo Tuo sapientiæ Musêo, quibus vota omnium antevertis; nec ærarium alibi notum, ubi tot ingenii opes tam recondi quàm ab exteris reportari cernimus. Sermo Tuus qua humanitate temperatus? quos nervos, quos aculeos habet? quam venustatem, & latens quoddam jucunditatis aucupium, quod in aures, in corda, in intimos sensus, & medullas labitur, ut ex ore Tuo non tam verba quàm mella fluere videantur. Si animo, ut inter amicos decet, puro ac defœcato loquendum, ita Te amant hospites omnes *Florentiam* tuam advecti, ut a tanto Viro divelli vel serò vel nunquam cupiant, generisque humani delicias, æquè ac olim *Vespasianum*, Te appellari debere uno ore consentiant. De Tuis in meipsum meritis nihil addam, cum tanta sint ut de illis, velut olim *Crispus* de *Carthagine*, tacere potius præstet quàm pauca dicere, cæterasque Tuas virtutes, quas pagina angusta non capit, tacitâ religione venerabor. Satius quippe res viribus impares aliis relinqui, &, pictoris ingeniosi exemplo, ea, quæ penicillo effingi nequeunt, velo inumbrari. Patere ergo, Vir Clarissime, ut spiritu validiore a *Scala* scripta, remissiore Tibi inscribam, munusque levidense, cum vires ac voluntas pari passu non ambulent, fronte serenâ excipe. Possent quidem alii magnificentius, me nemo amantius. Patere ut meam, pro viribus, conferam symbolam, Tuisque obæratus favoribus, cum integrum æs alienum dissolvere nequeam, per partes id efficiam. Vale, seculi decus, & gliscentem assiduis incrementis literarumque commerciis amicitiam constanter fove. Vale iterum, & me, ut soles, ama.

Scripsi *Romæ* die 8. *Februarii*
M. DC. LXXVII.

Tuus ex asse
OLIGERUS JACOBÆUS DANUS.

OLI-

OLIGERUS JACOBÆUS LECTORI S.

Foedam cruore Etruriam *magnisque animorum armorumque motibus concussam Auctor hic repræsentat, ut ortus* Imperiorum *ac progressus dignoscere, damnoque alieno sapere aliquando discas. Rem sanè magni animi ac corporis aggressus, ut de* Trogo Justinus *dixit, plurima, quæ siccis oculis vix aspicientur, literis mandavit. Auctorem prorsus de meliore luto scripta testantur, quæ rei veritatate stabilita, stylique elegantiis passim efflorescunt, ut nesciam quis impetus judicium* Politiani *antevertat, nobilem Scriptorem ne* Latinum *quidem agnoscentis. Genii illustris scripta stylo gladiatorio confodit, gratiamque, a bonis meritam, invidia lacerat miréque exulcerat. Grata tamen, vel illo ringente, seculi palato futura auguror, cum* Scalæ *ipsius dignitas, Equitis* Florentini *magnæque in Patria sua quondam dignitatis, fidem Historiis majorem addat. Rectius enim liquidiusque, ea pro veris affirmat, quæ vel ipsius præsentia, vel longior in Republica ac Principum aulis consuetudo experientia firmavit.* Græcos *ac* Romanos *Scriptores intuenti res in aperto est. Versatum in Republica* Thucydidem *accepimus, cui primas* Græci *deferunt, versatum in ea* Herodotum, *qui civium se subtrahens invidiæ, excessit* Thuriis*que in* Italia *annales condidit.* Livium *magnis in Republica distentum negotiis,* Tacitum *rerum experientia in Cæsarum aula firmatum,* Crispum *Quæsturam ac Tribunatum gessisse, &* Africam *interiorem Prætorem obtinuisse legimus. Adeò ut illis præeuntibus, non uno nomine æquam æstimationem etiam* Scala *noster mereatur. Plures Auctoris laudes, omni titulo majores, præsens pagina omittit, cum plura encomia sequentes accumulent, doctorum suffragiis, in laudem Viri consentientibus stipatæ. Vale, amice Lector, & si quæ humano more peccata, ut homo ignosce. Vale & his mecum fruere.*

TESTIMONIA AUCTORUM DE BARTHOLOMÆO SCALA.

BARTHOLOMÆUS SCALA LAURENTIO MEDICI *Salutem.*

Scio te in eos, qui digni sunt, conferre quàm in indignos multò libentius beneficium, illius, quod dici lepidè ab antiquis solet, haud immemor: Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Utrumne tandem mei hi canes, Molossusque, & leporarius, quos ad te mitto digni visi erunt, qui a te ornentur?

LAURENTIUS MEDICES BARTHOLOMÆO SCALÆ Salutem.

Etsi liberalem animum, ut tu probe nôsti, qui Philosophos lectitas, nihil curare magis decet, quàm virtutem ut colant, ejusque solius gratia beneficiosus sit: tamen nescio, quo pacto splendere illa magis videntur, quæ locantur melius, ut audeam cum proverbio Enniano *dicere: Benefacta male locata malefacta arbitror. Canes ergo tui quos ad me misisti, ob eorum egregiam virtutem, pro meritis ornare non potuisse permolestum fuit. Sed ipsa certè sibi per se Virtus ornamenti satis ac decoris affert. Vale.*

Hæ Epistolæ *Scalæ*, & Laurentii de *Medicis* inveniuntur MS. cum Apologis ejusdem *Scalæ* in Bibliothecis *Florentinis.*

BARTHOLOMÆUS SCALA,

coactus acerbissimè pungentibus æmuli Politiani *literis, ita de seipso scribit in Epistola quadam quæ extat inter alias dicti* Politiani *literas Libro* 12. *pag.* 176. & 177.

Sed quid tu mihi antiquitatem narras? An ego non sum semper eam admiratus. Profer scripta mea, profer dicta. Non legisti, ut video, Apologum meum de antiquitate, qui facile arguat hac in parte tuam de me antiquitatis opinionem. Nostrorum piget temporum, pudetque. Hoc ego scripsi, hoc asserui, hoc potes pro meo lacerare, si ita ferat impetus. Volunt tamen laudari quidam & collocari inter divina monumenta antiquitatis: Non possum. Date quæso veniam. An ego sum tanti, ut istam beatissimam fortunam vestram violem? Neque ego avidior gloriæ sum, gratius fecerit, qui me præterierit, ut ego præteritum me esse a Vobis diu putaveram. Quid tu mihi fortunam, quid tu honores vitæ objicis? Sed teneo in fortuna quid agas. Confingis tibi tuo more monstrum, quem devincas. Cum honore meo difficilior tibi colluctatio erit. Veni nudus omnium rerum bonarum, egenus ad Rempublicam, vilissimis ortus parentibus, multa cum fide, nullis omnino divi-

nis aut titulis, nullis clientelis, nullis cognationibus. *Cosmus* tamen Pater Patriæ nostræ me complexus est, recepitque in familiæ obsequia. Interea *Florentinus* Populus ad Prioratum me evexit, deinde ad Vexilliferatum, tandemque & in Senatorium me Ordinem Equestremque collocavit, tanto profecto suffragiorum consensu, ut nihil esse factum unquam popularius multi putarent. Extat & in illa de me *Laurentii Medicis* præclarissima vox, qua nusquam collocatum melius fuisse honorem homini novo testificatus est. Cum illo nunc tibi de honore meo agenti, cum *Florentino* omni Populo res habenda est. Hoc ego affirmaverim, me multum fuisse consecutum plura quàm aut putaverim, aut optaverim. Neque habui, quod referrem nisi fidei integritatem. Ea in me (volo esse vanus) semper fuit excellentissima. Atque hoc quoque asseruerim in calce Epistolæ, nullum me honorem sine honore gessisse. Respublica ipsa, resque a me gestæ in Magistratibus, citentur Testes velim, &c.

Idem SCALA in alia sua Epistola inter POLITIANI litteras Libro 5. pag. 61.

Nunc venio ad eum locum, qui est in tuis litteris de scriptis meis, ut hac quoque de re, quod est, non differar. Quæ scripsi ego quidem, parum multa sunt; edita verò nulla, nisi quæ aut imprudentiore in ætate puериliter pene exciderunt, aut extorsit necessitas. Non enim digna mihi visa sunt, quæ in manus eruditorum mitterentur, ut autem legerentur ab indoctis, non fuit desiderium. Quid enim nisi vanum inde atque infructuosum expectandum fuit? Contra illorum opinionem, qui prius etiam quàm atramentum (quod ajunt) exaruerit, Informatores habent librorum paratos, & multa millia ejusdem scripti exempla per Italiam *Orbemque terrarum legenda disseminant, &c.*

POLITIANUS licet tam atrox SCALÆ inimicus, & qui eum, licet injustè, tantopere culpat, in aliqua tamen epistola Libro 5. pag. 54. ita ipsi scribit.

Multa tu quidem (credo) scripsisti, non multa adeo tamen edidisti, quæ vulgo ferantur. Sed Historiam componis certè longum, opinor, opus & arduum, &c.

Et paulo inferius in eadem Epistola.

Sed te censorem Scala *facilè ferimus, hominem tot annos in literis non sine gloria versantem malè doctos quosdam ferre, ita non possumus, qui tamen ipsi quoque omnia exigunt ad* Ciceronis *gustum.*

Et in fine dictæ Epistolæ:

Hæc ego ad te libere quidem, sed & amicè scripsi, mi Scala, *non tam me ipsum videlicet asserens a risu tuo, equidem non offendor, quàm* Hermolaum *ipsum* Barbarum *leviter defendens, hominem sæculi nostri eruditissimum, deque literis & Philosophia, dum vixit, optime meritum. Liceat autem mihi per te (ut opinor) quæ tua est, in rebus omnibus æquanimitas, sentire aliud omnino in literis, quam tu sentias, dummodo nulla inter nos amoris hoc nomine benevolentiæque mutuæ jactura fiat.*

Idem POLITIANUS in alia sua Epistola ad eundem SCALAM p. 62.

Ita respondebo ad Epistolam tuam Scala *doctissime, qua mihi multa, sed levicula objicis, ut jocer interdum tecum liberius, & caviller. Quod quoniam, & liberale est, & ad imitationem tui susceptum a nobis, credo, non succensebis.*

Idem POLITIANUS similiter in quadam Epistola pag. 65.

Postremo si quem tibi honorem habui, mi Scala, *merito tuo me fateor habuisse. Si quid rursus te pupugi per jocum, jam nunc equidem muto factum.*

MARSILIUS FICINUS Epistolarum libro primo pag. 650. Tom. 1. Operum edit. *Paris.* apud DIONYSIUM BECHET an. 1641.

Marsilius Ficinus Bartholomæo Scalæ *Oratori S. D. Legi Quæstiones* Christophori Landini Camaldulenses. *In iis libris* Maronis *adyta penetrat,* Ciceronis *Dialogos imitatur ad unguem, felicem Virum fabricat felicissimè. Lege illos & tu, scio, mecum senties. Vale, sed quare in laudando* Christophoro *tam brevis es* Marsili? *Quia habet nescio quid quod exprimere nequeam, iterum Vale.*

Idem FICINUS Libro octavo Epistolarum pag. 893. & 894. ejusdem Editionis.

Marsilius Ficinus Georgio Cyprio *Compatri charissimo, ac optimo Medico S. D. Cum apud te Literati nonnulli in ipsa cœna de* Scalæ *Nostri Scriptoris elegantissimi Apologis verba facerent, atque a me inprimis, quia nuper legeram, judicium de his exigerent. Ego, omnis, inquam,* Scalæ *nostri Apologus, & elegans mihi videtur, & masculus. At illi arriserunt pariter atque deriserunt. Arriserunt quidem eleganti, quasi eleganter expresso, sed masculum quasi dictum impropriè derisere. Ego igitur (judice te) affirmo, me non solùm propriè, sed etiam verissimè Apologos* Scalæ *masculos appellasse. Quis enim jure neget eos esse masculos, qui me ad hæc antea sterilem, uno afflatu adeo fœcundum reddiderint, ut eodem ferme partu multos filios Apologos parerem? Quod quidem hinc etiam confirmatur, quod postquam illi e nostris laribus discesserunt, nulli deinde apud nos nascuntur Apologi. Eos autem qui tunc nobis nati sunt, quasi ob priorem sterilitatem meam imbe-*

imbecilliores, tibi & tanquam Compatri nutriendos, & tanquam Medico fovendos confirmandosque commendo. Vale & charissime Compater, & Optime Medice, atque lege feliciter.

Cardinalis JACOBUS AMANATUS *Lucensis,* communiter appellatus Cardinalis *Papiensis*, in suis Epistolis p. 227. Edit. *Milan.* apud ALEXANDRUM MINUTIANUM 1506. in fol.

BARTHOLOMÆO SCALÆ.

Nulli mea commendatione ad te veniunt, ut non statim pro tuo in eos patrocinio mihi gratias agant: testentur etiam quod me ames, & quanta meritis nostris tribuas. Merita quidem nulla sunt, vel admodum pauca. Sed animus tuus magnus est, quo illa plus justo expendis. Quod ergo amicis meis inservis, debeo tuæ diligentiæ plurimum. Quod verò me amas, permultum mihi congratulor. Bonorum enim & Doctorum Virorum studia, ante omnia expetii semper, & inter prima dignitatis ornamenta reposui. Amaris quoque a me, quod fieri merito debet; sed amorem hunc nostrum multa non tam nunc primum conciliant, quàm ex vetusto confirmant. Adolescentes olim eandem servitutem servivimus. Vicini habitavimus. Iisdem literis ac prope Præceptoribus operam dedimus. Paupertatem etiam gravem pertulimus, denique aspirante Deo nostræ industriæ, ambo ad honores & vitæ commoda emersimus. Recordatio primæ consuetudinis hujus & fortunæ inde consimilis me usque in amore continuit. Idem tibi evenisse cum videam, superest modo, ut literis atque Officiis Veterem conjunctionem servemus atque augeamus. Id præstabo ego; Id ipsum præstiturum te puto. Ex iis autem, qui mea gratia affectos se tuo beneficio dicant, Gentilis Perusinus *est, homo plus adhuc virtute, quam genere nobilis, cujus ideo ad me literas inclusas hic mitto, ut videas, & quod tibi debeam ego, & quod debere ille tibi se putet. Vale.* Romæ 5. Martii *MCCCC LXXII.*

Idem Cardinalis *Papiensis*, pag. 243.

BARTHOLOMÆO SCALÆ.

Martiolos Lucardenses accepi, numero & suavitate munus insigne. Dignum quidem quod ab uxore viro, a viro autem homini amico mittatur. Tam fuit acceptum, quàm hic est, ubi sum, rarum. Pro iis, & Officio expediendæ possessionis Cœnobii Collensis, *ago tibi meritas gratias. Continuatione beneficiorum in diem magis me obligas, quorum non ero immemor, si quando ad tua commoda incidet casus. Amemus nos inter nos; huncque animum feramus usque ad exitum. Vera charitate nil in vita prius, aut potius. Bene Vale.* Senæ x. Septembris *MCCCCLXXII.*

Christophorus Landinus inter alia sua Carmina *Latina* MS. in Bibliothecis *Florentinis.*
Ad
BARTHOLOMÆUM SCALAM.

Quæris cur nostros macies contraxerit artus
Inque dies crescat pallor in ore mihi?
Cur placidus miseros relevet non somnus ocellos,
Cur lachrymæ a facie fluminis instar eant?
Ah nescis quantæ vexent mea pectora flammæ
Nec mi Scala *vides quid sit amare malum.*

Idem LANDINUS ad

BARTHOLOMÆUM SCALAM.

Desine jam leges nostro præscribere amori,
Desine; solus amor nescit habere modum.
Et mox:
Ergo Scala *meo leges imponere amori*
Desine: solus amor nescit habere modum.

Idem LANDINUS ad

BARTHOLOMÆUM SCALAM.

Inquiris, veteres ubi quondam? Scala, *Penates*
Majores norim composuisse meos?

Ex libro Epigrammatum Michaelis Tarchaniotæ Marulli *Constantinopolitani*

Ad BARTHOLOMÆUM SCALAM.

Cum musæ tibi debeant Latinæ
Tot juncto pede scripta tot soluto,
Tot sales Latio *lepore tinctos,*
Tot cultis documenta sub figuris.
Tot volumina Patriæ dicata,
Quæ nulli taceant diu minores;
Tot prætoria jura, tot curules,
Tot fasces proprio labore partos.
Plus multo tamen, o beate amice, est
Quod Scalam Latio *Pater dedisti*
Aucturam numerum novem Sororum
Casto carmine Castiore vita.

Marullus de Alexandra Bartholomæi Scalæ filia,

(quam postea uxorem duxit)

Auxerat Aonias Sappho *Dea facta Sorores*
Et poteras numero cedere Roma *novo.*
Dulcia cum Scalæ *miratus Carmina* Apollo
Dixit, habes numerum tu quoque Roma *tuum.*

Idem ad eandem.

Quod tam tota decens, formosaque tota venusta,
Rara quidem, sed non unica Scala *mea es.*
At quæ casta decens, at quæ formosa pudica,
Dispeream si non unica Scala *mea es.*
Nam cum Pieridum *repeto commercia sacra,*
Jam non ulterius unica Scala *Dea es.*

Ad

Ad eandem ALEXANDRAM.

Cum versu referas novem sorores
Vix lustris bene adhuc tribus peractis
Cum dulci sale seriisque blandis
Ipsum jam superes puella Patrem
Quo nihil gravius facetiusque est.
Cum nec sit tibi forma, nec modestæ
Frontis gratia, nec decor, nec ipse
Suggestus nimii decens capilli
Qui possit nisi cælitus videri,
Quid mirum mea Scala *si* Decembri
Reddis debita messibus futuris?
Si mittis mediis rosas pruinis,
Natura bene quo voles sequente?

BARTHOLOMÆUS FONTIUS *Florentinus*, pag. 385. Operum suorum *Francoforti* editorum anno 1621.

Ad
BARTHOLOMÆUM SCALAM.

Berlingheriadum *quotiens* Tejanus *habebit*
Absenti veniam Bartholomæe *dabis.*
Namque pedes postquam magnus sanavit Apollo
Ut longum valeam talibus emonuit:
Pallada *si semper recolas, studiumque severum*
Nullo exercitio, debile corpus erit.
Hunc ego purpureum semper si tendere coner,
Intentus semper mollior arcus erit.
Surge age frondosas laqueis præcingere valles
Et canibus timidas exagitare feras.
Interdum tenera modulatus arundine carmen
Asserva errantem (quis vetet ista) gregem.
Ipse ego sic quondam jacui per prata, per arva;
Nec puduit tantum pascere Numen oves.
Nec te pœniteat valido insudare bidenti,
Aut curva arboreas tondere falce comas.
Sic ait. O certis liceat consistere campis
Vertere vel gemino jugera pauca bove.
Non ego Montugium, *non jam* Chonfentia *posco*
Divite non auro, non pretio afficior.
Delector musis totas impendere noctes
Noctibus & totos continuare dies.
Hujus te studii similis quoque detinet ardor
Sed nequis hoc animo liberiore frui.
Publica nam Patriæ vexant tua pectora curæ,
Cum tamen oblata est quantulacunque quies,
Vel fingis causas, vel condis amabile carmen,
Vel Florentinæ *consulis Historiæ.*
Qua melius posses in re consumere tempus?
Ireque magnorum docta per ora virum?
Una dies tandem mortalia corpora solvet,
Qua, bene qui vixit, ille beatus erit.
Ambitione procul tristique cupidinis æstu,
Et quicquid scelerum pectora cæca trahit.
Hæc Tejaneis *vitat dum vivit in arvis*
Fontius *hac causa rura beata colit.*

UGOLINUS VERINUS Libro Secundo de Illustratione Urbis *Florentiæ* pag. 13. Edit. *Paris.* 1583.

Scala *quoque Historias, &* Lydia *gesta leonis*
Explicat Hetrusci; *Naturæque abdita versu*
Aggreditur vates docti de more Lucreti.
Judicio nostro tua cedit Epistola nulli
Eloquio complexa brevi quodcunque volebas.

Idem VERINUS Lib. 3. pag. 34. loquens de Familia SCALÆ.

Scala *recens nuper* Collensi *venit ab agro,*
Suscepitque gradum summum, tunc carmine docti
Vatis & Historici, veteres æquavit honore.
At nihil in terris durat, vix orta, recessit.

NALDUS NALDI in Libro primo Elegiarum adeo a POLITIANO, FICINO, aliisque diversis laudatarum, quæ *Florentiæ* in variis Bibliothecis exstant MS.

Ad BARTHOLOMÆUM SCALAM.

Si quis Scala *velit superum spectare Penates*
Si quis & æthereas in Jovis *ire domos.*
Fallitur ille quidem, nisi tu mediator amicus
Protinus huic homini Scala *futurus ades.*
Nam modo cum summo jam sydera vertice tangas,
Cum tuus en humilem pes quoque tangat humum.
Scandere non cœlum potis est, non alta Tonantis
Atria; ni gradibus nititur ille tuis.

Ex Manuscripto quodam Bibliothecæ instructissimæ Cl. ANTONII MAGLIABECHI cui Titulus: Vulnera diligentis, ubi vita, doctrina, mors HIEROLAMI SAVONAROLÆ extat, Cap. 12. lib. 11. pag. 66.

Ora non è necessario che io riassuma li due prenominati dell' Ordine di San Francesco, *ma sappi che oltre à quelli uno è stato quel dotto Teologo, e di Santi costumi, di M.* Domenico Beniveni, *e* Girolamo *suo fratello, de quali l'uno in prosa così* Latina *come volgare, e l'altro in ottimo verso* Italiano, *anno scritte opere degne. Item messer* Bartolomeo Fontio, *messer* Bartolomeo Scala, *e messer* Bartolomeo Redditi *in diverse Scienze, e Legge Professori in sua laude, e difensione anno composto, &c.*

Hujus M. S. varii meminerunt, inter alios *Antonius Libanori*; *Ferrara d'Oro* Part. 3. pag. 259.

SANNAZARUS Elogiarum Libro primo pag. 106. suæ Poësis Edit. *Leodien.* apud *Anton. Gryphium* 1569. in 16. Elegia cui Titulus: *In Maledicos Detractores.*

Nec te jam pudeat venturo ostendere sæclo
Eloquii vires Scala *diserte tui.*

PIERIUS VALERIANUS in Dedicatoria sui Libri, cui Titulus: Castigationes & varietates *Virgilianæ* Lectionis ad *Julium Medicem* S. R. E. Vicecancellarium.

Hujus vero quod vestro generi præcipuum fuisse studium asseveramus, Testes illæ omni

omni doctrinarum genere politissimæ Academiæ Florentinæ, *in quibus abolitus olim bonarum literarum splendor nitorem pristinum cœperit reparare, bonaque disciplinarum pars, quæ temporum incuriâ perierat, visa sit reviviscere. Testes* Alberti, Aretini, Landini, Pici, Scalæ, Ficini, Politiani, Beroaldi, Ambrosii, Zenobii, Candidi, Argyropyli, Chalcondili, Laschares, Musuri. *Et qui hos inter locum non indecenter habeat,* Urbanus *mihi Patruus, totque alii Musarum Proceres literarum gloriâ florentissimi, ut innumeros alios transeam, qui nunc vivunt, fulgore satis illustres suo, &c.*

ERASMUS in CICERONIANO pag. 71. Edit. TOLOSANÆ 1621.

Scala *sibi videbatur* Tullianus, Politiano *ne* Latinus *quidem videtur, adeo ut ne sensum quidem communem illi tribuerit.*

LEANDRO ALBERTI nella descrittione di tutta l'*Italia* pag. 43. Edit. *Venet.* 1553.

Bartolomeo Scala *huomo Eloquente, che parea più tosto esser nodrito fra le Muse, che fra le ruote del* Molino.

In Bibliotheca GESNERI pag. 106.

Bartholomæi Scalæ *Epistolæ tres* Florentiæ *scriptæ ad* Angelum Politianum *leguntur in Libro quinto ejusdem, & quinque in duodecimo. Sic autem alibi de suis scriptis: Quæ scripsi ego quidem* (inquit) *parum multa sunt, edita verò nulla; nisi quæ aut imprudentiore in ætate pueriliter pene exciderunt, aut extorsit necessitas, &c. Apparet autem ex quadam* Politiani *Epistola, eum Historiam quandam scripsisse, & Epigrammata nonnulla.*

PAULUS JOVIUS in Elogio MARULLI TARCANIOTÆ, pag. 19. Elogior. De Viris Illustribus, Edit. *Venetiis.* 1546. apud MICHAELEM TRAMEZINUM in folio.

Propterea Florentiæ Alexandram *Eruditi ingenii puellam uxorem duxit* Bartholomæi Scalæ *Vexilliferatus honore conspicui filiam. Hic est qui paulo ante* Græcorum *nomini favens cum* Politiano *ejus gentis ingenii infesto maledicentissimis Epistolis lites extenderat.*

VINCENTIUS BORGHINI, in quodam MS. de Prioribus ac Vexilliferis Civitatis *Florentinæ.*

S C A L A.

M. Bartolomeo *di* Giovanni Scala *Prior.* Marzo 1472.
M. Bartolomeo *detto* Gonfalon. Maggio 1486.
Giuliano *di* M. Bartolomeo *Prior.* Luglio 1521.
Giuliano *suddetto di* M. Bartolomeo *Prior.* Marzo 1531.
Fù M. Bartolomeo *Segretario e Gran Cancelliere della Signoria, e persona di Lettere. Scrisse latinamente l'Istoria nostra, la quale non sò perche non sia data fuora.*

SCIPIONE AMMIRATO nelle sue Istorie *Fiorentine* parte seconda Lib. 25. à cart. 164. dell'Editione di *Fiorenze* del 1641.

E *la Republica non volendo più sofferire la Elettione de gli Ambasciadori, i quali dovevano andare secondo l'uso della Città a render l'ubbidienza al Pontefice* (Innocentio VIII.) *nominò finalmente per questo conto sei Cittadini.* Francesco Soderini *Vescovo di* Volterra, Antonio Canigiani, Bartolomeo Scala, Guido Antonio Vespucci, Agnolo Niccolini, *e* Giovanni Tornabuoni.

MONALDUS in sua Historia MS. cujus unum exemplar reperitur in instructissima Bibliotheca *Antonii Magliabechi*, hoc Titulo:

Historia Familiarum Urbis *Florentiæ* ac Nobilitatis *Florentinæ* scripta a PIETRO JOANNE MONALDI Cive *Florentino* ad Serenissimum *Ferdinandum III.* de *Medicis* Magnum Ducem *Hetruriæ.*

La famiglia Scala *di quei de la* Scala *discese dalla Città di* Colle *di* Toscana, *e di loro fù* Bartolomeo *di* Giovanni, *che nel* 1486. *fù* Gonfaloniere *di Giustitia. Questo fu gran Cittadino, Dottore di Leggi, Segretario della Republica* Fiorentina, *Storico e Poeta, il quale sendo Ambasciadore per la sua Patria à Papa* Innocentio VIII. *fu fatto dal prefato Pontefice Cavaliere Spron d'Oro, e Senatore di* Roma, *con autorità di tenere l'Imperio della Santa Chiesa nella sua propria Insegna, e di lui nacque* Giuliano, *il quale fu due volte de Signori di Libertà, e questi anno magnifici Palagi, e delizziosi giardini. L'arme de quali si trova una scala azzurra dritta in traverzo sghembo nel dorato campo.*

Idem MONALDUS in principio prædictæ Historiæ scribit, quo tempore creatus fuit *Innocentius Octavus,* qui creavit Cardinalem *Joannem* Filium *Laurentii* de *Medicis, Florentinos* ei, ut mos est, misisse Oratores, qui fuerunt *Joannes Soderinus* Episcopus, *Bartholomæus Scala, Angelus Niccolini,* An-

Antonius Canigianus, *Guidus Antonius Vespuccius*, *Joannes Tornabonus.*

Idem MONALDUS *Bartholomæum Scalam* quoque numerat inter Poëtas Illustres hujus Civitatis.

VOSSIUS *Libro III. de Historicis* Latinis pag. 616.

Bartholomæus Scala natus est *Florentiæ* anno 1424. atque anno 1497. ibidem obiit ætatis annorum 73. *Philelphi* ad eum Epistolam habemus anni 1455, ut fuerit tum annorum 31. Vexilliferatus honore insignis fuit, ut de eo *Paulus Jovius* ait. Vir erat doctus, ut potius Musarum Alumnus quàm inter rotas molarum natus videretur; quemadmodum de eo scribit *Albertus Leander* in *Italia* sua quo loco de *Florentia* tractat. de Certamine, quod ei cum longe majori viro *Angelo Politiano* erat, res satis nota est ex utriusque epistolis; Unde *Erasmus* in *Ciceronianis*: *Scala* sibi videbatur *Tullianus*, *Politiano* ne *Latinus* quidem videtur, adeo ut ne sensum quidem illi communem tribuerit. *Condidit libris* 20. *Historiam* Florentinam *ab Origine Vrbis usque ad Annum* Christi 1450, sed morte præventus, quinque tantum Libris extremam manum imposuit. Incipit: *Fama est*, & *quidem pervulgata*, *a* Fesulanis Florentiam *primum habuisse Originem.* Signat hoc opus Ugolinus Verinus lib. 22. illustratæ *Florentiæ.*

Scala *quoque Historias*, & Lydia *gesta Leonis*
Explicat Hetrusci.

Etiam literis commisit vitam *Vitaliani Borromei*, quam *Petro Medici* inscripsit. Ad hæc Orationem reliquit ad Papam *Innocentium VIII.* Habuit filiam *Latinis Græcis*que literis excultam nomine *Alexandram*; quæ nupsit celebri Poëtæ *Michaëli Marullo Tarchaniotæ* Natione *Græco*, sed carmine *Latino* non minus pollenti: Viro sanè docto, sed de Religione *Christiana* (ut *Leander* in *Italia* sua inquit) haud sanè sentiente; qui in *Cæcina* flumine per agrum *Volaterranum* in mare defluente submersus fuit. Extant *Politiani* versus *Græci* in laudem *Alexandræ*. Item *Alexandræ* similes versus, quibus *Politiano* respondit. Obiit *Alexandra* anno 1506.

JACOBUS GADDI in suo Tomo secundo de Scriptoribus, loquens de *Marcello Tarcaniota*, pag. 23.

Addam nunc fuisse *Marullum* felicem (arbitror enim ego, qui nec habeo, nec unquam habui uxorem, ac proinde vitam alteri conjunctam non sum expertus, beatum Scriptorem, qui conjugem habeat literatam, & pudicam & elegantem:) qui fuit illustratus a luce Conjugis *Alexandræ* clarissimæ Poëtriæ, quæ *Latina Græca*que lingua exculta, edidit Epigrammata quædam ad *Politianum Græca*, a *Zenobio Acciajolo* collecta, & conjuncta Opusculis *Politiani*, nec immeritò, cum hic *Alexandram* laudaverit & amaverit impensè. E *Græco* illa vertit Opuscula nonnulla *Avicennæ*, quæ cum aliis multis *Alexandri* lucubrationibus perière (ut scribitur in Catalogo Script. *Florentin.* ex *Arni* inundatione anno 1557. Ediderat Apologos, quorum initium est: Cum paterni Apologi a me sæpius legerentur. Siquidem *Alexand.* Pater. *Bartholomæus Scala* vir eloquentia insignis scripserat Apologos centum summè celebratos Epistolis *Ficini* & *Landini.*

Idem GADDIUS.

Conscripsit Latinè Bartholomæus *plurima carmina*, *quibus invehitur in æmulum* Politianum, & *Eclogas tres*; *Historias* Florentinas *ab Vrbe condita in Libros* 20. *partitas*, *sed quinque tantum Libros absolvit morte præventus. Has miro candore descriptas tradit* Michaël Verinus *in Epistola Patri*, *additque præter Apologos*, *in quibus* Scalam *graviorem* Æsopo *indicat*, *vidisse carmen de Rebus moralibus instar* Lucretii: *Orationes*; *unam ad Populum* Florentinum *pro Imperatoriis Insignibus* Constantio Sforziæ *Exercitus Duci tribuendis*; *alteram ad* Innocentium VIII. *recens Pontificem*, *cujus*, *uti Ducis* Mediolani, Mediceor. *Procerum amicitia floruit*, *qui*, *vel ignobilis*, *una commendatione literaturæ merito evectus fuit ad Vexilliferatum*, & *ad Equestrem ordinem. Exaravit Epistolas elegantissimas ad Principes viros*, & *ad filiam* Alexandram. *Ego vero legi olim in volumine Tabularii*, *vulgo Cancellariæ Reformationum nonnullas* Bartholomæi *Epistolas disertas*, & *elegantes*, *ad* Turcarum *Imperatorem*, *aliosque Principes nomine Reipubl.* Florentinæ, *cujus a Secretis diu fuit.*

JACOBUS GADDI pag. 138. Tom. 2. de Scriptoribus, loquens de POLITIANO.

Verum Bartholomæus Scala (*is Vexilliferatum*, *aliosque honores* Florentiæ *primarios gessit*, *vel ignobilis*, *unica litteraturæ commendatione Principibus* Italiæ *notus*:) Politianum *tetigit Epistolis*, *vel potius carpsit gravi libertate*, *immutabilem professus amicitiam.* Scalam Politianus *pluribus Epistolis acriter* & *acerbe compunxit*, *contempsit*, *atque damnavit amarulentus*

Judex

Judex vel potius accusator. Ego utriusque verba contumeliosa prætereo utriusque parcens existimationi, licet ea fuerit hæc, ut facilè oppresserit, vel texerit magnitudine sua verborum aliquot notas indecoras quæ ab iratis, & infensis prolata minimum habent ponderis, ideoque ut levia sunt despicienda viris magnanimis, qui se non sentire percussos magnitudinis veræ opus arbitrantur.

Idem JACOBUS GADDI pag. 202. Eliographi in Elogio FRANCISCI GADDI.

Nec minor huic gratia, & existimatio apud *Platonem. M. Ficinum*, *Hermolaum Barbarum*, *Christophorum Landinum*, *Politianum*, *Bartholomæum Scalam* Equitem, *Ugolinum Verinum*, aliosque litterarum fama claros.

Pag. 248. *dicto Eliograph.* Gaddi *dicit se habere quædam manuscripta* Bartholomæi Scalæ.

MICHAEL POCCIANTUS in Catalogo Scriptorum *Florentinorum* edit. *Florent.* 1589. in 4. pag. 23. 24. & 25.

Bartholomæus Scala vir singulari ingenii bonitate præditus in omni Artium genere, scientiarum & linguarum, & inter elegantissimos Scriptores sua tempestate præcipuus, quem sui ipsius virtutes inter familiarissimos Magni *Cosmi*, *Francisci Mariæ Sforzæ* Ducis *Mediolani*, & *Innocentii VIII.* collocarunt. Et Primates Civitatis *Florentinæ* universo suffragiorum consensu, adscripserunt, & ad Prioratum atque Vexilliferatum evexerunt. Ad Senatorium Ordinem simulve Equestrem sustulerunt (beneficio Summi Pontificis *Innocentii VIII*) & tandem Reipublicæ *Florentinæ* secreta summa fide 20. ann. administrasse tradiderunt. Propter quam rem in omnium ore extabat *Laurentii Medices* vox illa præclarissima, qua testificatus est, nunquam fuisse honorem homini meliùs collocatum. Hæc sui divini ingenii nondum impressa testata reliquit, videlicet: Apologos centum ad *Laurentium Medicem*, quos miris encomiis exornat *Ficinus* in octavo Libro Epistolarum, eos tamen ad sydera usque extollit *Landinus* his brevissimis, sed gravissimis literis, scilicet:

Salve. Perlegi Apologos tuos, in quibus nulla opus est Apologia, omnia probo, plurima vehementer laudo, multa etiam admiror, invenisti argumentum, in quo ingenium tuum regnare videatur. Vale.

Horum autem Archetypon asservabatur apud *Julium* ejus Nepotem. Initium est:

Vos ego commonefacio.

Conscripsit etiam post *Leonardum Florentinas Historias* eloquentia suavissima, ab origine ejusdem Urbis usque ad annum *Christianæ* salutis 1450. Lib. 20. a morte interceptus extremam manum eis imponere nequivit. Quinque igitur libros tantùm absolvit. Quorum primus ita initium sumit:

Fama est igitur, & quidem pervulgata, a *Fesulanis Florentiam* primùm habuisse originem. *Edidit adhuc* Vitam *Vitaliani Borromæi* ad *Petrum Medicem*, cujus principium est: *Nulli sunt quacunque tandem.* Orationem de Excellentia militaris Disciplinæ, deque Imperatoriis laudibus *Federici Urb.* ad Populum *Florentinum*, maximis exceptam plausibus.

Orationem ad *Innocentium* Octavum, in cujus creatione Orator designatus. Orationem ad Populum *Florentinum* pro Imperatoriis militaribus signis dandis *Constantio Sfortiæ*, & incipit: *Non debetur videri opinio.* Cujus exemplar est in Bibliotheca S. *Marci.* Plurima Carmina quibus invehitur in æmulum *Politianum.* Eclogæ nonnullæ, quarum præcipuè sunt tres. Prima intitulatur de arboribus, arte & Natura, interlocutoribus Arboreos populare cultus.

Secunda Alceus:

Num pecus cujus est.

Tertia Elpilla

Sederat in sola lachrymosus rude Thalenus.

His omnibus additur fragmentum Psalmorum quos doctè & admodum Catholicè decantavit, cæteri verò temporum injuriâ periêre.

Et horum principium:

Quid reddam Domine Deus.

Extant adhuc ejusdem Epistolæ elegantissimæ ad *Politianum*, & ad *Galeatium Mariam*, gratias referens eò quod ipsum in eorum numerum aggregavit, qui secretioribus Consiliis interesse, & liberè sententiam dicere solent.

Ad Innocentium *Octavum.*

Ad Alexandram *filiam Vatem*; *& denique* Ad *Petrum Conni*, a quo requisitus, an Sapienti uxorem ducere? & incipit:

Ducenda ne sit sapienti uxor.

Item addidit Opusculum typis excusum intitulatum: Apologia contra vituperatores Communitatis *Florentiæ*; qua in re vehementer laudatur a *Petro Christo* (forsan *Crinito*) & incipit.

Rem fecisti tu quidem mi Trebati.

Sed ut commodius nomen suum immortalitati consecraret, magnificam Domum amœnissimo viridario excultam prope portam a *Pinti* vulgò dictam a fundamentis ædificandam studuit, & percelebre Templum apud *Cistercienses* construendum curavit, a morte præventus cum tantum egregium opus absolvere non valuisset a Domino *Julio Scala* ejus Nepote elargitum est Academiæ (*del disegno*) nuncupatæ. Quæ singula etsi ad celebrem ipsius famam plurimùm faciunt, id tamen est permaximum, ingenti gloria dignum, cum filiam progenuerit, & ita *Latinis*, & *Græcis* literis instruxerit, ut miraculum potius quàm fæminam

nam mundo edidisse videretur de qua supra suo loco dictum est.

Natus est anno 1424, annum septuagesimum tertium agens vitam cum morte commutavit. Ipsius corpus primo apud *Cistertienses*, deinde apud *Servitas* reconditum est. In ejus vero laudem *Geraldinus* Protonotarius Apostolicus, Regiusque Legatus, dum adhuc hac aura frueretur hoc tetrasticon conscripsit:

Naturam & mores, seriem, res, tempora, casus,
Et demum Artifice schemate cuncta notas.
Felix qui prisco quem sit sermone locutus,
Scala *tamen cultu secla, vetusta novas.*

Ita enim hi versus ex MS. Cl. *Magliabechii* corrigendi veniunt, cum aliter & vitiosè in libro edito legantur.

Hic animadvertendum est, *Pocciantum* inter Opera *Scalæ* nostri præteriisse Librum, qui conservatur in Bibliotheca *Medicæa* D. *Laurentii*, hoc Titulo: *Collectiones Cosmianæ.* Fasciculus est variarum Epistolarum, in laudem *Cosmi Medices*, Patris Patriæ, a diversis auctoribus scriptarum, quas *Scala* in unum corpus redegit, & *Laurentio* de *Medicis* misit, cum hac Epistola, quæ in fronte Libri legitur:

BARTHOLOMÆUS SCALA
LAURENTIO MEDICI
Urbis Spei S. D.

Collegi, Laurenti *carissime, scripta complura, & omnia ferè, in quæ manus inciderunt, ubi nomen* Cosmi *Avi tui, Patris hujus urbis, legeretur. Ea redegi in volumen, quod mitto nunc ad Te. Velim ut tantum otii subtrahas maximis tuis occupationibus, ut mira & legendi & intelligendi divini ingenii Tui solertia omnia percurras: Et si tibi videbuntur digna, quæ legantur ab hominibus, alicui ex Bibliothecis* Cosmi *ut inserantur, curabis. Vale.*

Ibidem etiam Carmina nonnulla *Scalæ* nostri reperiuntur, uti & prolixus, sed elegans, ejus Dialogus, hoc titulo: *Bartholomæi Scalæ* Dialogus de Consolatione, qui dicitur *Cosmus.*

GIULIANO DE RICCI;

Nella quarta parte del suo Priorista, à carte 140, nel Quartiere San *Giovanni*:

Scala. *Venne da* Colle *Città di* Valdelsa *allora Terra grossa, Messer* Bartolomeo di Giouanni Scala, *e si messe al seruizzio della Cancellaria de Signori, e si portò talmente, che non solo fu amato dà* Cosmo, *dà* Piero, *e dà* Lorenzo *de* Medici *ne' tempi, che reggevano la Città, mà anco da tutto l'universale, ed innalzato all' Offizzio del Priorato, e del Gonfaloniere di Giustitia; mà meglio s'intenderà dà lui l'esser suo, che dà me, descrivendosi così Egli stesso in una Epistola, che scrive ad* Angelo Politiano *con le infrascritte parole:* Veni nudus omnium rerum bonarum egenus ad Rempublicam, vilissimis ortus parentibus, multâ cum fide, nullis omnino divitiis; aut titulis, nullis clientelis, nullis cognationibus, *Cosmus* tamen Pater Patriæ nostræ me complexus est, recepitque in familiæ obsequia. Interea *Florentinus* Populus ad Prioratum me evexit, deinde ad Vexilliferatum; tandemque & in Senatorium me ordinem Equestremque collocavit, tanto profecto Suffragiorum consensu, ut nihil esse factum unquam popularius, multi putarent. Extat & illa de me *Laurentii Medicis* præclarissima Vox, quà nusquam collocatum melius, fuisse honorem homini novo testificatus est. Cum illo nunc tibi de honore meo agenti, cum *Florentino* omni Populo res habenda est. Hoc ego affirmaverim, me multum fuisse consecutum plura, quàm aut putaverim, aut optaverim. Neque habui quod referrem, nisi fidei integritatem; Ea in me (volo esse vanus) semper fuit quàm excellentissima. *E lacerato quest' uomo dal* Polizziano *in alcune sue Epistole, &c. e sciorinandogli addosso una gran maledicenza, per oppinion mia lo loda, quando dice, che* Lorenzo *de'* Medici *usavà dire, che nel favorire & ingrandire lo* Scala, *aveva più seguitato il giudizzio d'altri che il suo; dico che lo loda, poiche può più facilmente errare un solo, che molti. Dove lo biasima di poco modesto, e insolente, mi pare che abbia poca ragione, e se niuno tratta scortesemente, e senza modestia, è il* Polizziano, *come si può vedere nelle sue epistole.*

M. Bartolomeo *di* Gio. Scala *fù de' Signori del mese di* Marzo 1472.

M. Bartolomeo *detto Gonfaloniere di Giustizzia.*

Nel medesimo Tomo del detto Priorista di *Giuliano* de *Ricci* à car. 142.

M. Bartolomeo Scala, *Cancelliere, fù delli* Arroti *nella* Balia 1484.

Andò fra li sei Imbasciadori che furono mandati dalla Città à rendere la solita obbedienza al nuovo Pontefice Innocenzo *Ottavo* 1484.

In Elogiis
BARTHOLOMÆI SCALÆ,
principem sibi locum vendicabat duplex Reip. *Florentinæ* testimonium;
Desumptum id est ex libris Archivii publ. Reformationum Florentinæ *Urbis, quod ita se habet.*

Die 13. *Septembris* 1471.

Intellecto Magnifici, & Excelsi Domini Domini Priores libertatis, & Vexillifer Justitiæ Populi *Florentini*; Quemadmodum prudentissimus, & eloquentissimus Vir, Dominus *Bartholomæus Joannis Scala* ad præsens dignissimus primus Secretarius, ac Cancellarius, Dominorum Priorum, ac Vexil-

Vexilliferi Justitiæ Populi *Florentini* nondum triginta annos subivit onera in Civitate *Florentiæ* ex quo ad officia Communis non est habilis; & cognoscentes in quibuscunque dignissimis, ac bene institutis Civitatibus recta ratione observatum fuisse, ut ii qui virtutibus pollerent, quamvis novi essent, non solum Civitate donarentur, & ad publica munera subeunda habiles redderentur, sed eis ultrò etiam honores, ac publicæ dignitates gerendæ demandarentur ob eorum veram nobilitatem, est enim nobilitas sola, atque unica virtus, & cupientes supradictum D. *Bartholomæum Scala* quoniam is & de Repub. benemeritus est, cum illam sua virtute, & eloquentia ubique literis mirificè ornet, & quia sua opera, & ejus nobilitas ita fieri suadent, habilem facere ad Officia prout sunt alii Cives. Idcirco habita primò inter se ipsos deliberatione solenni & præmisso & facto inter eos solenni & secreto scrutinio ad fabas nigras & albas, & obtento partito secundum ordinamenta dicti Communis die XIII. præsentis Mensis *Septembris*, & demum postea ipsam eadem die inter ipsos Dominos, & Vexilliferum Justitiæ & Consiliarios Consilii Majoris pro consiliis opportunis Civitatis *Florentiæ* instituendis & ordinandis de mense *Julii* proximè præteriti videlicet die quinta mensis ejusdem in Consilio Communis pro finali conclusione, quod novum Consilium vocatur IL CONSIGLIO MAGGIORE in sufficientibus numeris in Palatio Populi *Florentini* invicem congregatos. Omnibus tamen de dicto Consilio præsentibus solenniter, & ut moris est convocatis, præmisso, facto, & celebrato solenni, & secreto Scrutinio, & misso partito ad fabas nigras, & albas, & obtento secundum ordinamenta dicti Communis vigore auctoritatis & potestatis per dicta Consilia opportuna eisdem concessæ & omni modo, via, jure, & forma quibus magis ac melius potuerunt, providerunt, ordinaverunt, & deliberaverunt. Quod ex nunc vigore præsentis Provisionis absque aliqua præcedente solutione aliquibus in contrarium non obstantibus supradictus D. *Bartholomæus Joannis Scala* intelligatur esse, & sit verus, antiquus, & orginarius Civis Civitatis *Florentiæ*, in omnibus, & per omnia, & possit licitè, ac liberè gaudere & potiri omnibus, & singulis Officiis tam Communis, quam pro Communi, & quibuscunque beneficiis, gratiis, privilegiis, ac favoribus quibus, & prout gaudere, ac potiri possunt, aut deinceps poterunt quicunque veri, & originarii, & antiqui Cives Civitatis *Florentiæ* in dicta Civitate onera ordinaria supportantes, & qui verè in ea onera subiissent, ac realiter solvissent per tempus, & terminum triginta annorum completorum, aut per aliquod aliud tempus requisitum secundum ordinamenta Communis *Florentiæ* tam edita, quam deinceps edenda, & pro tali deinceps ab omnibus tractetur, habeatur, ac reputetur in omnibus, & per omnia, & quoad omnes, & omnia; Et possit deinceps dictus D. *Bartholomæus* de tempore in tempus ad officium primi Cancellarii quod ad præsens exercet re firmari, seu de novo eligi per consilium *del Cento* secundum ordinamenta, cum Officio præeminentiis honoribus, & oneribus, & aliis ordinatis, & cum Salario prout habet ad præsens. Et possit fieri talis refirma, seu nova electio, ut dictum est facta deliberatione, & obtento partito prius solum inter DD. Priores, & Vexilliferum Justitiæ pro tempore existentes, aut ipsorum duas partes absque aliqua deliberatione præcedente. Et intelligatur ex nunc deinceps habere, & habeat pro dicto suo Officio Cancellarii solum illud devetum ab aliis quibuscumque Officiis, & eo modo, & prout per DD. Priores, & Vexilliferum Justitiæ pro tempore existentes, aut ipsorum duas partes provisum, aut deliberatum fuerit in una vice, vel pluribus; sanè & rectè prædicta intelligendo, aliquibus in contrarium non obstantibus.

Die 11. Januarii 1484.

Cum intellexerint Magnifici, & Excelsi Domini DD. Priores Libertatis, & Vexillifer Justitiæ Populi *Florentini* quemadmodum eloquentissimus Vir, & Doctor D. *Bartholomæus Joannis Scala* Civis *Florentinus*, qui nuper in Urbe *Roma*, ubi una cum nonnullis aliis vestris Civibus apud Pontificem in ejus assumptione pro Populo *Florentino* Legati munus obibat: Die xxv. *Decembris* proxime præteriti in Divi *Petri* Ecclesia sacris solennibus Natalis Domini prius ritè peractis ab *Innocentio* Octavo Pontifice maximo summa celebritate, ac pompa Equestri fuerit cingulo insignitus, & cupientes hanc ipsam dignitatem, & ipsius Summi Pontificis, qui non majori erga ipsum D. *Bartholomæum*, quam erga Rempublicam nostram benevolentia studioque sibi gratificandi impulsus est, & ejusdem D. *Bartholomæi* benè de Populo vestro semper meriti causa exornare, & amplificare, nec non prosequi, & observare volentes consuetudinem jamdudum in aliis observatam; habita primo super infrascriptis omnibus, & singulis die decima mensis *Januarii* Anni 1484. indictione tertia inter se ipsos DD. Priores, & Vexilliferum in sufficienti numero congregatos in Palatio Populi *Florentini* deliberatione solenni, & inter eosdem facto solenni, & secreto Scrutinio, & misso partito ad fabas nigras, & albas, & obtento secundum ordinamenta dicti Communis, & postea successivè ipso eodem die sequente, & facta deliberatione inter eosdem Dominos DD. Priores & Vexilliferum Justitiæ,

& Gonfalonerios Societatum Populi, & duodecim Bonos Viros dicti Communis solenniter in sufficientibus numeris, & in Palatio antedicto congregatos facta prius proposita super prædictis, & infrascriptis omnibus, & celebrato inter ipsos omnes solenni, & secreto Scrutinio missoque partito ad fabas nigras, & albas, & obtento secundum ordinamenta Communis prædicti ipsis tamen omnibus, & singulis infrascriptis diligenter prius examinatis, deliberatis, ac firmis per spectabiles Viros *Loysium Francisci Venturæ, Pierum Jacobi Guicciardini, Christophorum Joannis Antonii Spini, Miniatum Bernardi Dini* de numero Collegiorum prædictorum, & *Joannem Thomasii* de *Borghinis, Nerotium Pieri* del *Nero, Bindaccium Francisci Boninsegna* de Officio Conservatorum Legum dicti Communis ad hæc examinandum deputatos secundum ordinamenta Communis prædicti eorum proprio motu pro utilitate Communis ejusdem, & omni modo, via, jure, & forma quibus magis, ac melius potuerunt, providerunt, ordinaverunt, & deliberaverunt.

Quod DD. Priores Libertatis, & Vexillifer Justitiæ Populi *Florentini*, & duæ partes eorum aliis etiam absentibus, aut refragantibus possint honorare præfatum D. *Bartholomæum Scalam* equestri nuper ordine decoratum signo Populi *Florentini* in pennone, targia, & supraveste hominis, & Equi; Quem pennonem, targiam, & supravestem faciant fieri de novo: Et quod Capserius Cameræ Communis *Florentiæ* pro tempore existens possit teneatur, & debeat de pecunia Capsæ generalis dictæ Cameræ tam deputata, quam deputanda, pro expensis illius dare, & solvere occasione prædictorum tantum quantum, & illi, vel illis cui seu quibus, & prout una vice vel pluribus stantiatum, vel deliberatum fuerit per dictos DD. Priores, & Vexilliferum Justitiæ Populi *Florentini*, vel duas partes eorum ut supra, sine alia deliberatione stantiamento, solennitate, vel actu, non excedendo tamen summam, & quantitatem florenorum sexaginta in totum, & sine aliqua retentione, detractione, vel diminutione alicujus dirictura, oneris, vel gabellæ; Visis dumtaxat provisione præsenti, & stantiamento prædicto qualibet exceptione remota. Item possit honorari signo Partis *Guelforum*, cum deliberatum fuerit per eos, ad quos spectabit secundum ordinamenta, &c.

Qua Provisione lecta, & recitata in Consilio Populi die undecima mensis *Januarii* anni 1484. ut supra dictum est, dictus D. Præpositus ut supra proposuit eam, & contenta in ea inter Consiliarios dicti Consilii, & super ea facto, & observato in omnibus, & per omnia secundum formam ordinamentorum dicti Communis, & prout supra in prima Provisione hujus libri continetur, & observatum fuit, & super ea facto partito ad fabas nigras, & albas inter Consiliarios dicti Consilii, & datis, recollectis, & numeratis fabis, repertum fuit CLXXIII. ex ipsis Consiliariis dedisse fabas nigras pro sic, & sic secundum formam dictæ Provisionis obtentum, provisum, & ordinatum fuit, non obstantibus reliquis XXII. ex ipsis Consiliariis repertis dedisse fabas albas in contrarium pro non.

Eloquentiam Scalianam *testatur etiam* Reccus Spinellus Florentinus, *cujus historica Ephemeris extat apud Clar. V.* Ferdinandum Leopoldum *del* Migliore.

MCCCCLXXXI.

Fu fatto Capitano delle Genti d'arme l'Illustriss. Sig. Gostanzo Sforza *Signore di* Pesero *per il Comun di* Firenze, *e a di* 4. *d'*Ottobre *la mattina di S.* Francesco *in su la ringhiera ci fu una lunga, e degna orazione fatta M.* Bartolomeo Scala *Cavaliere, e Cancelliere della Signoria, per la cui eloquenza uno che era accanto a me conciosia cosa che cominciasse a dire, viva messer* Bartolomeo, *viva M.* Bartolomeo, *tutto il Popolo seguitandolo ad alta voce disse l'istesso.*

Ea oratio publici statim juris typographicis calculis effecta est Florentiæ *cum hac inscriptione:*

Oratio pro Imperatoriis militaribus signis dandis Constantio Sfortiæ *Imperatori.*

Deficiat cum papyro dies si Scalæ *nostri cum doctissimis viris amicitiam hic expressam velimus. Satis sit cum* Francisco Philelfo *necessitudinem addere. Is in literis impressis* Venetiis 1502. *libro* XII. *pag.* 90. *sic scribit:*

FRANCISCUS PHILELFUS
BARTHOLOMÆO SCALÆ
Salutem.

Scripsi ad te brevius quam, & ipse velles, & mihi opus esset, sed non multo post, cum quod plus ocii nactus fuero tibi simul mihique faciam satis. De re *Vermia* quod scire cupis, totum est in expectatione, Amicus enim ille, qui eo loci ipse profectus est nondum rediit *Mediolanum*. Ajunt tamen ad triduum rediturum. Cum primum reverterit omnia cognosces. Tu interim vale, & nos ama. Ex *Mediolano* III. Nonas *Octobris* 1455.

Libro vero XXX. pagina 208, *sic habet:*

FRANCISCUS PHILELFUS
BARTHOLOMÆO SCALÆ
Salutem.

Quamquam te novi, sine ullis etiam adhortationibus meis, omnia mea causa quam diligentissimè curaturum, quæ mea in-

intereſſe animadverteris: tamen admonendus es viſus, ut in conficiendis rurſus iis literis: quæ ſuperiore anno, tertio ad quintum nonas *Octobres* per decemviratus magiſtratum vel tua potiſſimum opera emanarunt, in meam cauſam non minore utaris celeritate quam fide ac benevolentia. Et quoniam audio ejuſmodi nunc magiſtratum, una cum bellorum ſuſpicione ſublatum eſſe tibi videndum eſt qua via ſit utendum, ut idem roboris ſit in Literis. Qua ipſa de re ſcripſi etiam ad virum Clariſſimum atque optimum *Petrum Medicem.* Sed tuum fuerit calcaria adhibere currenti ne propter nimias occupationes inhærentemque valetudinem minus ei otii detur ad id quod petimus e veſtigio tranſigendum. Vale ex *Mediolano* quarto Kal. *Apriles* 1468.

Ne vacua ſuperſit hæc pagella Clariſſimæ Feminæ Caſſandræ Fidelis Venetæ *ad* Scalam *noſtrum addemus Epiſtolam, quæ extat in doctiſſimæ Heroinæ monumentis editis a* Jac. Philippo Tomaſino Patavii 1636. *in* 8.

BARTHOLOMÆO SCALÆ

CASSANDRA FIDELIS.

Te vir, macte virtute, ſummopere laudo, gratulorque tibi filiam tuam tamquam facem virtutis literarum ſtudio dedicaſſe, & quid? ex ejus literis fomenta arida igni præbuiſſe cognovi, ex quo ea ſunt præmia vobis propoſita, quæ omnibus facilis & perſpicacis ingenii a Diis quidem immortalibus optari ſolent, & quæ nomen æternæ virtutis vobis inſerunt tam famam celebrem. vobis me obnoxiam eſſe fateor, quantum virtutis veſtræ cumulus exigit, atque expoſtulat. Vale.

De eo præterea honorifice meminit aliis in literis ad amicos datis, ut ad Angelum Politianum.

Oro ut me omneſque meos *Marſilio Ficino* noſtro ac *Bartholomæo Scalæ* viris doctiſſimis commendatos facias.

Alia etiam in Epiſtola.

Te oro ut *Bartholomæo*, *Alexandræ* Filiæ, *Mars. Ficino*, *Ang. Politiano*, *Chriſt. Landino*, doctiſſimis viris me ac nos omnes plurimum commendatos reddas.

AD VIROS CLARISSIMOS

OLIGERUM JACOBÆUM

GASPARUM ET CHRISTOPHORUM BARTHOLINOS

THOMÆ FILIOS.

Præcipuas *Europæi* Orbis partes inviſentes.

EPIGRAMMA.


Ἄνδρες μηλέται ἰητρικὰ πάντα γινώσκειν
Οἷσιν δῶκε καλῶς παντοκράτειρα φύσις.
Ὄργανα οἷς πάσης ζωῆς ἔκδηλα πέλονται,
Εἰδέναι οὓς τέρπει ἐν μερόπεσσι μέλη.
Εὐρώπην τε γέαν τε ὅλην διοδεύετε, πολλὰ
Εἴδετε ἀνθρώπων ἄστεα, γνῶτε νόον.
Ἐς Ῥώμην δὲ μάλιστ' ἐλθόντες παμβασίλειαν,
Φαίδιμον ἑπταλόφῳ πᾶν ἐφορᾶτε πόλει.
Ὧδε γὰρ ἐμπείρους ὔμμας καλέουσιν ἅπαντες
Ὧν μικρόκοσμος ἔχει, ὧν μακρόκοσμος ἔχει.

Joſephi de *Juliis Vaticanæ* Bibliothecæ Scriptoris *Græci*, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide *Græcarum* Literarum Profeſſoris.



CORO-

Coronidis loco hic additur tota series Familiæ SCALÆ, a Cl. V. *Bernardo Benvenuti* amicè communicata.



Altera Tabula seriei Familiæ SCALÆ *a C. V.* Bernardo Benvenuti *amicè communicata.*



Imprimatur,
Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Palatii Apostolici.
J. de Angelis Archiepisc. Urbin. Vicesg.
Imprimatur,
Fr. Raimundus Capisucchius, Sacri Palatii Apostolici Mag. Ord. Præd.

BARTHO-



BARTHOLOMÆI SCALÆ
EQUITIS FLORENTINI,
HISTORIA FLORENTINORUM.

PROOEMIUM.

MUlti profecto laboris, at gloriæ non multæ videtur esse historiam scribere. Quippe ubi præter rerum meram explicationem nihil sit tuum, at si quid insit errati, facile te arguant legentes, laudem vero ab auctoribus ad res libenter transferant. Cæteris in artibus ad hoc, quantum velis, valet arbitrium, atque evagari tibi tuo modo licet, si quid novi adferas admirantur, sæpe etiam cum alii invenerint. Tu sive ea quid expoliveris sive tradideris scriptis tuis paulo elegantius, solidam ipse gloriam retuleris. Rerum modo auctores, & qui aliena duntaxat mandant literis, quique non inventas a se modo res, sed plane ab aliis etiam gestas persequuntur, dum ignobiliorem verborum consectantur partem, (nullus est enim qui non anteferenda dictis facta putet) decoris primi & commendationis ejus, quæ ex rebus est, dignitate carent. Ad laborem autem scribendi si reperiendarum quoque rerum difficilior opera accesserit, quæ vel non extent unde sumas, quæ a nostra memoria & cognitione recesserunt, vel quæ notata reperias ordinem non servent ullum, neque modum temporis, loci, re- 2
rum, personarum, aut neglecta penitus, aut certè quæ confusa quæque incerta ratione scribendi, quid excogitari potest negotiosius? quodque majore cum periculo famæ nominisque tui aggrediaris? Da Leonardo Aretino, qui primus Florentinam historiam totam propè e tenebris doctioribus hominibus, quemadmodum quidem potuit, cognoscendam dedit; Da Poggio, qui & ipse in commune pro virili laboravit, Antiatem aliquem aut pictorem, aut alios innumerabiles clarosque auctores, quos sequantur; minus, mihi crede, Livianam tu in iis diligentiam facundiamque desiderabis. Nostræ, arbitror, res magnæ sane ac memorabiles fuerunt, sed aut injuria temporum, aut hominum nostrorum negligentia, antiquiora præsertim, majori ex parte periere. Igitur nihil ab officio meo alienum me facturum putem, si & ipse pro viribus meis confirmaro atque auxero eorum qui ante me scripserunt, industriam. Id certè spero me ex hoc meo labore vel sine invidia consecuturum, dum invigilo his scriptis, dum enitor, ut minus obscura minusque incompta sua legant cives mei; studium ut saltem, & diligentiam, ubi cætera desint, non desiderent. Fit autem natura, ut amet sua magis quisque quam aliena, quæ quamvis & ipsa studiosè leguntur, præsertim scripta decenter, ut est genus humanum natura cognoscendi avidum, tamen plus esse in his momenti, quæ plus amamus, solet, sive de virtute, sive de vitiis habenda otatio sit. Atque illud in historia primum est; quidquid agas, sive id publicum, sive sit privatum, rerum omnium suppeditabit exempla, quidque melius factu sit, quod etiam supra res humanas invenirem laboriosissimum, percommodè ostendet. Tria enim deliberanti occurrunt tempora, in quibus nisi an- 3
teactarum rerum ratio subveniat, quæ tota posita in exemplis est rerum gestarum, fœlicitati rectius vertas, faba si utiliter ceciderit. Cujus quidem mihi jam numen implorandum est per invia incertaque vadenti rimantique omnia, ut iter hinc mihi quoque, si qua possim, ad juvandum genus humanum parem.

Verum quæ jam de civitatis primordiis nominisque diversitate traduntur, ea varia sunt & inanibus pleraque fabulis quam historiæ similiora. Nobis in animo est in tanta rerum inopia, nihil, quod usquam inventum sit, non apponere; pauca omnino asserere, quo minus pro se quisque legens dijudicet in rebus, si quando hi, unde haurire & nos hæc oportet, animum in diversum trahent, usque ad ea tempora, in quibus & magis certi auctores, & res jam minus minusque positæ in ambiguo erunt.

LIBER PRIMUS.

FAma est & quidem pervulgata a *Fesulanis Florentiam* primùm habuisse originem; eam vero | A | gentem antiquissimam esse, constat, ut cum luna simul, quod *Græci* de *Arcadibus* scribunt, esse se

ortos arbitrentur. Cujus etiam rei afferunt testi-
monium nascentis ferè lunæ insigne perquam ve-
tustissimum. Sed cum urbe jam mœnibusque; vix
enim parvulæ quædam reliquiæ ad hæc tempora
perdurant; memoria quoque originis rerum eva-
nuit. Qui enim *Fesulas* ædificaverint; qui primi,
qui postremi tenuerint; qualque gesserint res, præ-
ter admodum paucas; quas *Romana* Historia ab
oblivione vindicat; tam est incognitum quàm in-
4 vestigabile; vetustas enim edacissima rerum pe-
stis omnia absumpsit. Nonnullæ tamen fabulæ
feruntur, *Atlantem* quendam cum ex *Iberia* olim
profugus venisset ad hæc loca conspicatum regio-
nis opportunitatem, in monte *Fesulo*, longo ab
exilio, primum constitisse; suspensum deinde ani-
mi ubi positurus esset sedem, laborumque viæ fi-
nem habiturus, incidisse medio fere die, dum re-
gionis saltus lustraret, in advenam fortè profugum
leonem, eum vero, quod ex æstu laboreque fu-
gæ, nam diutius venatores per silvam insectati fue-
rant, vix fessum corpus traheret, supplici &
oranti similem ad pedes procubuisse hominis. Hic
ergo, cum venisset *Atlanti* in mentem Oraculi,
quod hujusmodi domi acceperat abire parans:

Ibis & inde locum statues, ubi fata jubebunt,
Sed non ante tibi dabitur, quo sistere possis,
Quam mollire queas & vincere corda ferarum

civitatem condidisse appellasséque ex vetusto mon-
tis nomine *Fesulas*. Mos certè nobis traditus, de-
inde a Patribus publicè in caveis servandi nutrien-
dique leones auctoritatem fabulæ facit; & regnas-
se *Atlantem* in *Italia* nonnulli nobiles auctores di-
cunt. Ab *Jacio* etiam *Dardani* fratre sunt, qui
ejus urbis ducant primordia annis fere mille qua-
dringentis ante *Christi* adventum atque annis pro-
pè centum priusquam *Atlas* in *Italiam* venisset,
ut historiæ *Græcorum* tradunt. A *Romanis* alii con-
ditam urbem *Florentiam* putant, & *Syllanos* mili-
tes, postquam & agris & urbe *Fesulanorum* sunt
potiti, descendisse in planitiem aspernatos montis
asperitatem atque ædificare cæpisse urbem inter
*Munionem Arnum*que fluenta, deduxisse autem mi-
litum coloniam *Fesulas Syllam* Dictatorem constat,
paulo post sociale bellum quod *Fesulani* & ipsi rem
5 *Romanam* deseruissent. Sunt qui existiment mix-
tum genus esse *Fesulanorum Romanorum*que. Mer-
catus certè fuit ad imum montis ubi nunc urbs
est. Illic commodi & negotiationis gratia *Fesula-
nos* multo etiam ante deductam a *Sylla* coloniam
domos struxisse, diversoria item & tabernas ad
mercati usum. Vicus jam erat quidam & *Syllani*
amœnitate loci allecti eum auxere, atque exorna-
vere ædificiis, posteaquam *Fesulas* tenuere. Quod
autem multi illuc mortales ad negotiandum conti-
nuo convenirent, montis incolæ paulatim cum ea
commoda sensissent communi consilio commigrantes
circumdare muro & fossa eum pagum statuerunt.
Longiora vero atque ampliora spatia sunt com-
plexi, quàm pro mercati ædificiis necesse foret.
Pratum fuit ad *Munionis* ripam, omni florum ge-
nere, sed præcipuè liliis fœcundissimum. Erat au-
tem anni tempus vernum, quo omnia florent fron-
dentque. Id verò tum includi muro placuit, quod
non est modo ad urbis novæ ornatum, verum etiam
quia augurium inde fuit florentem fore eam civi-
tatem, quæ id anni tempus inter odores, quos li-
lia multos suavissimosque efflarent, atque arriden-
te vere primordia acciperet. Vnde & nomen indi-
tum novæ urbi, & lilii ad hæc usque tempora ac-
ceptum insigne. Sunt etiam qui dicant *Romanos*,
Fesulis ob socialis belli noxam deletis, decreto Se-
natus urbem extrui curavisse, quam suis ejectæ
mœnibus reliquiæ incolerent *Fesulanorum* admixtæ

A *Romanis* coloniis: & *Romulam* eam primum no-
minavisse per *Romæ* nominis diminutionem. Vul-
gatius tamen est, quod de floribus tradunt; &
mercatum fuisse, ubi primum condita *Florentia*
est, vero simile facit per omnia tempora mercatu-
ræ *Florentinæ* studium, quo quidem inter *Italiæ*
populos facilè semper excelluit seminis sui atque
originis servata natura. Non desunt qui asserant a 6
Florino Duce *Romano* appellatam, qui *Fesulis* pu-
gnando interiit, quòd is auctor sæpe *Fesulanis* fue-
rit migrandi inde in planitiem; quò esset auctori
honos id nomen. Non prætererim hoc loco, quod
quidam doctiores putant non a *Florino*, aut a flo-
ribus appellatam fuisse initio Urbem, sed a *Flora*,
B quod nomen urbi *Romæ*. Tertium in sacris fuit,
ut unde genus esset, haberet etiam denominatio-
nem. Est tamen & alia de primordiis hujus urbis
nomineque opinio, adeo in rebus hujusmodi ali-
quid invenire certi difficile est, dum pro se quis-
que afferre quid novi contendit, ubi veritas in oc-
culto latet: Missum a Patribus *Cæsarem* eum,
qui postea perpetuus Dictator fuit, vicisse atque
evertisse quondam *Fesulas*, quod fuerint *Fesulani*
Catilinarias secuti partes. Ejectis autem sub mon-
te locum ad inhabitandum datum, factamque po-
C testatem ædificandæ novæ urbis, quam appella-
runt in sui honorem nominis *Cæsaream*; quod ca-
lumniandi *Cæsaris* occasionem *Romæ* fecit multis
qui virtuti æmularentur, & pro *Cæsarea* ex hoc
decretum, ut a profluente *Arno Fluentia* vocare-
tur. Mutatum vero inde nomen, inditumque a re
cum florere adeo Civitas cepisset. *Plinius* certe
gravis auctor profluenti *Arno Fluentinos* appositos
testatur. Utcunque autem res varia sit apud Scri-
ptores rerum, ac propter vetustatem etiam con-
versa in fabulam, constantior fama est *Florentino-
rum* gentem ducere genus a *Romanis*. Multæ id
res declarant, & inprimis forma nascentis urbis,
D quantum parvæ res imitari magnas possunt, simi-
litudinem molium *Romanarum* referentis, unde
sunt aquæ magnis continuatisque fornicibus de se-
ptimo lapide & *Amarina* flumine ductæ in urbem.
Neque enim satis salubres aut suaves potu esse il-
lic, quæ scaturirent, poterant, cum nondum fa- 7
tis purgata regione facile silvestria loca inundaren-
tur pluviis, & in paludis modum sæpe depressio-
ribus in locis stagnaret unda, atque inde limo &
cæno corrupti humoris contagium ad omnes pro-
pe convicinas partes per occultos terræ meatus dif-
flueret. Ad *Signiam* quoque, via *Pisana* id oppi-
dum est, obicem *Arno* Flumini fuisse quidam tra-
E dunt, *Golfolinam* vocant, ubi scalpellis & multa
vi quondam disfractus lapis depressiorem alveum
flumini fecit, qui antea cum fluxum impediret
aquarum, multum spatii; ut in plano loco, red-
diderat paludem. Quod & *Livius* videtur attesta-
ri, cum maturantem *Romam Hannibalem* propio-
rem viam per paludem petisse scribit, qua flu-
vius *Arnus* per eos dies solito magis inundaverat;
Et cum properantem in se *Flaminium* ferocem
Consulem per exploratores cognovisset, quò ejus
temeritatem augeret, læva relicto hoste *Fesulas* pe-
tiit medio *Etruriæ* agro prædatum profectus. Sunt
F tamen qui ornatus duntaxat causa, ut hac etiam in
re *Romæ* ædificia æmularentur, excitatos fuisse hos
aquæductus putant. Physici certè hujusmodi mul-
tò quam puteorum latices salubriores rentur. Eo-
rum post tot annos non vestigia modò, sed mi-
randæ reliquiæ extant extra portam *Fluentiam*,
quæ & quod inde influerent aquæ in civitatem,
nomen accepit, arbitror ad *Flumentanæ*, quæ *Ro-
mæ* est, portæ similitudinem; & locus, unde pri-
mum effluerent erumperentque in apertum, caput
aquæ nunc dicitur. Neque verò hinc procul Ther-
marum monimentum est, ut ad alteram quoque
urbis

urbis partem theatri clarissima apparent documenta, ubi nunc *Perusiæ* sunt & *Benvenutæ* & *Risalitæ* ædes magnitudinem ac figuram illius facile repræsentantes. Quod enim rotunda spectaculi forma fuit,
8 parietes domorum quidam præter privatum ædificandi morem surgunt in orbem, & quidem multo crassiores quàm privatis par est ædificiis. Ad vetus quoque forum ædicula est *Mariæ* genitricis, quæ a *Capitolio* nomen habet. Ut hinc etiam conjectura haud ambigua sit, inter primas urbis moles *Capitolium* quoque juxta forumque fuisse, ut *Capitolium* forumque *Romæ* fuit. In primis verò habitam Religionis curam, insigni ornatu Templum, quod *Marti* auctori generis sui dicaverunt, clarè ostendit, simul quæ jam a principio opes fuerint nobilitasque civitatis. Maximi enim ut constiterit necesse est. Structura namque omnis ad hoc quod eruditi ingenium architecti refert, quod ajunt in ædificando primum, exteriores interioresque crustas ex vario marmore totas habet. Nam duntaxat ex omnibus, quos supra diximus, ædificiis, quæ varia fortuna aut vetustate periere, id templum ad nostram usque ætatem incorruptum manet. Tantummodo cum excrevisset tellus ruinis quondam, ut arbitror, eorum, quæ circumfuerunt, ædificiorum, solumque altius esset factum, gradus qui ferebant in Templum, & basium partem deglutivit; æquavitque Areæ, quæ circum est tota deinde quadrato strata lapide, Templi fores, quæ olim supra gradus a solo procul dignitatem præ se majorem atque auctoritatem videbantur afferre. Quanquam his olim hic ornatus non fuerit, qui modo adeo insignis cernitur, ut nihil ferè universa in urbe pulchrius spectetur; ex solido constant ære ac deaurato, cælaturaque admirabili, *Laurentius* paulo ante *Bartholuccius* perfecit; cui etiam ab his foribus cognomentum populus dedit, ut cum opere simul auctoris quoque nomen posteritati commendarent. Opus multo antea *Andreas Pisanus* inceperat
9 sculptura sua ætate insignis. Quatuor portæ principio fuerunt, altera quæ occidentem spectaret solem, ubi nunc Ara est & sacrorum locus e regione ejus quæ ad auroram versa est, ab ea verò parte mutata templi forma est per *Constantini* tempora, cum primum *Christianis* coli Deus Sacris cœpit. Tertia fuit porta ad meridiem, Quarta ad Aquilonem, omnes autem modo *Bartholucii* claræ insignesque industria. Templum ipsum octo exsurgit angulis decoram in altitudinem. Columnæ sunt in Templo diverso lapide ingentes, & deambulatur super Columnas. Testudo musivo admiranda artificio, etsi id recentius populi opus est, omnem molem magnificentissimè contegit, pavimentum quoque non minorem splendorem affert omne vermiculato marmoreo opere complanatum. Postea verò quam acceptus est in urbem *Christus* Salvator, quod antea *Marti* dicatum fuit, *Joannis* deinde *Baptistæ* Templum est, & lavacri *Christiani* Sacrati fontes in eo instituti, & ipsi ornatu quodam excellenti, ne quid in Templo conspiceretur, quo reliquo ab ornamento dissentiret. In medio super Columnam Simulachrum *Martis* fuit sedentis in equo, quod deinde in veterem pontem receptis *Christianorum* sacris transtulere. Fama erat tradita a Patribus cum simulachro permansuram urbem ejusque fatum cum simulachri quoque fato contineri. Quapropter amotum templo ob religionem servari celebri loco placuit. *Joannes* autem is est, de quo scriptum est quod inter natos mulierum major non surrexit, cujusque apud omnes Gentes excellentissima est fama sanctitatis. Hunc placuit potissimum delegisse ex omnibus Cœlicolis, cui amoto *Marte* traderent Civitatis patrocinium, cum primum nova religio irrepsit in urbem ac ri-

A tu *Christiano* sacrificari ceptum est; Eum vero 10
digitum, quo solitus vivens erat commonstrare Salvatorem, omni orbe conquisitum huc detulerunt, qui & monstratur per dies solemnes populo adorante. Quanquam de sepultura & corpore hujus multiplex variaque opinio sit apud rerum auctores, ac diversis in locis, tum caput, tum aliæ ejus reliquiæ corporis ostenduntur. Ferunt enim avulsa quandoque a Sepulchro ossa, quod ea inde quoque miris multis profiterentur *Christum* dispersa fuisse a *Judæis* passim per agros, & rursum collecta & redacta in cineres, jactataque in ventos, cum sic quoque attestari miraculis Salvatorem
B non cessarent, sed dum investigarentur ex spectatoribus ejus quosdam accurrisse, ac subtraxisse furtim nonnulla incendio, inter quæ præmonstrator hic digitus servatus divino tandem ad nos munere pervenit. *Joannes* autem *Villanus* auctor est horum ædificiorum curam Civibus *Romanis* fuisse a Senatu delatam ut singuli præessent singulis, sicque ortum de celeritate perficiendi deque ornatu & magnificentia inter eos certamen brevius multò absolvit cuncta & ita urbem exornavit, ut jam a primordiis nobilitatem ædificiorum cum vetustioribus, nec vanè quidem, potuerit comparare. Initia urbis a *Roma* condita annis
C sexcentis & octoginta duobus fuisse idem affirmat, ante *Christi* verò ortum septuaginta. *Matthæus* verò *Palmerius* a *Romæ* incunabulis sexcentos & sexaginta sex annos computat. Ab urbis verò hujus principio ad *Julii Cæsaris* dictaturam unum & quadraginta, atque a dictatura ad *Iesum Christum* quadraginta septem, qui collecti numerum conficiunt octoginta octo annorum. Primæ contentiones cum *Fesulanis* fuerunt. Per civiles enim *Romanorum* discordias occasionem nacti quidam cum rediissent *Fesulas*, illic habitaverunt, multisque eo sui generis accitis brevi speciem urbis quan- 11
D dam restauravere; Ex omni item colluvione sceleratorum, quorum ingens turba per *Italiam* tunc fuit, ut illæ temporum conditiones ferebant, tanquam in asylum quoddam multi confluxere. Et quod munitus natura locus esset, tutos se fore, qui illuc refugerent, sperabant. *Cn.* autem *Pompeji* partibus favebant, *Cæsari* eversori urbis ejus adversantes. *Florentia* verò auctoris ac conditoris sui causam præferebat. Hinc ortum bellum est, & varia victoria centum ferme annos certatum a duobus ita vicinis populis & quidem studio multo majore quam viribus, atque in tenui fortuna haud tenuis tamen animorum ferocia obstinatioque
E permansit. Cessere tandem *Fesulani* victi acie victoresque rursum habitatoribus exspoliaverunt urbem, & evertere mœnia. Quæ illi conditio mansit ad *Totilæ* usque *Gothorum* Regis tempora. Is vero cum & multas præterea in *Italia* urbes afflixisset, diruit hanc quoque a fundamentis ut plerique asserunt scriptores, & hoc paulo post loco suo explicabimus. Hujus ruinæ urbis, quæ sic prostrata trecentos ferme annos jacuit, veterem *Fesulanorum* æmulationem excitavere. Quotquot inventi ubique sunt locorum, quibus antiqua esset tradita a progenitoribus patriæ aliqua memoria,
F *Fesulum* in montem convenerunt, & auxere multitudinem reliquiæ quoque si quæ *Totilæ* manus & urbis incendium effugissent *Florentinorum*. Ita *Fesulæ* per occasionem deletæ vicinæ urbis tertiùm restaurantur. Sed cum *Carolus* deinde *Pipini* Filius cognomento *Magnus Gallorum* Rex *Romanorum* Imperator instaurari quoque *Florentiam* decrevisset, de quo post dicemus, *Fesulani* primum rem turbare adorti, cum tamen frustra conatus fuissent, *Florentia* verò jam confirmasset vires, de imperio tandem & fortunis omnibus ad postremum 12
usque, ut ajunt, spiritum decertatum est. Nulla

tamen inter eos memorabilis pugna fertur, etsi in portas ob propinquitatem utrique victi invicem & victores quotidie prope insultarent; multitudine, qua anteibant, atque opibus *Florentini* sese cohortantes, munitione verò loci desuper invadendi commoditatem suppeditante *Fesulani* superbientes. Ad id tandem res redierat, ut desperata in perpetuum concordia, aut cessatio ab armis nulla unquam foret, aut alter vel quocunque modo alterum populum seu vi seu precariò ad se traduceret. Igitur vi magis acta res: Et per diem solemnem, is erat festus *Romuli* dies, adortus *Fesulanum Florentinus* oscitantem penè & saturum devicit. *Romulus* autem Pontifex *Fesulanus* fuit ingenti fama sanctitatis. Qui cum immaculata vita functus esset, & divinos assequutus honores, *Fesulani* anniversarium illi sacrum statuerunt, nominis maximè moti amore ob *Romæ* urbis conditorem, quod cum advenisset & multitudo ex agris vicinisque regionibus de more confluxisset & sacris, securiores quam belli natura ferret, darent omnes operam sine pace sine induciis, sed fessi magis defatigatique longioris certaminis tædio, quasi elanguisset belli furor, pacatorum species quædam videri poterat, quod *Fesulanos* die festo suo negligentiores fecit. Cum ergo paterent urbis portæ paucis, atque his quidem somno jam gravibus & vino, custodibus, & medius jam ferè dies esset, sacris peractis in domos quique & diversoria epulatum abierant. Cumque jam pleni essent, & inter æstivos calores distincti umbras captarent, & indulgerent somnis, ex composito *Florentinorum* Juvenum manus, qui & ipsi quasi ad sacra convenerant, ingenti ex-
13 citato tumultu ac clamore, urbem turbant. Ad eas verò exciti voces multi conscii insidiarum ex propinquo consurgunt. Ita armati portas nullo repugnante ingressi per mænia discurrunt perterritis tam subito atque improviso malo civibus; peregrinis autem, qui multi convenerant, in nullam tumultus partem venientibus, qui partim capto fugiendi consilio domos intacti abiere, partim omnis expertes periculi otiosos se spectatores præbuerunt. *Fesulanis* autem re cognita repugnare primum & tutari urbis mænia venit in mentem. Mox ubi prævalere hostem & tenere urbis jam omnes portas viasque & templa, accinctosque illos & probè instructos armis, se verò turbatos fereque exanimatos metu animadvertere, desperata pugna in arcem, ut inde saltem difficiliorem victoriam hosti facerent, confugiunt. In vertice autem summo montis arx fuit loco editissimo urbis munitissimoque, cæterum præarcto admodum atque impedito aditu. Ita cum concursus multo major fieret, quam qui tam angusta via accipi posset, eodem enim viri, mulieres, pueri, senes contendebant, tumultus & ab arce exoritur. Quod, qui postremi erant, sentientes, teneri ab hoste arcem quoque jam rati, per abrupta quoque & præcipites descensus, ut cuique oblata fortuna fuit, diffugere. Multi inter conandum, dum ad arcem properant, urgente turba obtriti, atque ex his quoque qui salutem per invios saltus quæritarant. Plerique, dum alterum urget alter, corruentes, disfractis corporibus interiere. Jam tota ubique urbe trepidari, planctusque & mulieres passim ululantes exaudiri. *Florentiæ* quoque principio nonnihil trepidatum constat, dum ob vicinitatem audiuntur horrendi illi miserandique clamores, & necdum, quæ fortuna esset suorum, per-
14 cepissent. Ab omni humano sanguine victor abstinuit. Nisi enim quis ferocius repugnasset, aut aliquis casus vitam ademisset, integri omnes inviolatique fuerunt. Pudicitia quoque ubique intacta mansit, & jam *Florentinus* omnibus in locis victor stabat. *Fesulani* quoque cum parsum san-
A guini vidissent, neque bacchatum in pudicitiam minus jam minusque feroces erant. Hic ergo dux *Florentinus* ponere arma *Fesulanos* jubet, & vocatis in *Romuli* Templum Senatoribus & primoribus Civitatis ex alto atque unde excipi ejus oratio latius posset, sic fatus dicitur: *Romulum* testamur *Martem*que *Fesulani* duos auctores nostri generis, neque nos modo ad delendam stirpem vestram advenisse, neque id unquam animi fuisse nobis ut injuriam aut vim esse illatam voluerimus. Meminimus quondam cum irati vobis *Romani*, quod *Catilinarios* exercitus suscepissetis, bellum intulis-
B sent, ejecissentque urbe, communem putavisse nos illam sortem, neque nostra rem juvisse vestram, nullamque *Florentiæ* domum, etsi pertenuis tunc fortuna, ut vos scitis, nostra fuit, non patuisse vobis, ut fama sit, atque id nonnulli auctores verum pro certo confirment a vobis ejectis olim ædificatam *Florentiam.* Plerique certè in communione accepti populum nostrum mæniaque auxerunt. Quin etiam nullo habitus discrimine est *Florentinus* & *Fesulanus.* Per varia deinde tempora, etsi multiplices ac diversi sæpe fuerunt rerum exitus, animus tamen erga vos noster incommutatus stetit. Vicinitas enim mænium deque
C Imperio certamen nutrivere inter nos discordias, non tamen delere potuerunt, quæ natura utrique nostrum est inter nos, conjunctionem. Sæpe inter se Pater cum nato, Frater cum Fratre, cum uxore vir disceptavere. Sed reditus in gratiam minimè negotiosus fuit, disceptandi causa sublata e medio. Nos quoque quantum ipse verè video, 15
non ut vos perdamus, certamus vobiscum, sed ubi Imperii sedes sit utriusque populi contendimus. Vos istæ montanæ asperitates, nos latiores campi magisque uberes delectant. Quæ quidem animorum diversitates, ut diutius ludibrio vicinis
D nostris prædæque simus, faciunt, dum ex fidissimis amicis inimicissimi efficimur, dum totiens bellum gerimus totiens pacem aut inducias componimus aut ferimus fœdus, dum etiam his neglectis & pace violata tanta rabies invasit nonnunquam; rursum capimus vesana arma, donec tædio affecti rerum nostrarum & effæti viribus haud pacatis animis aliquamdiu quiescimus, ad easdem redituri artes cum primum per resumptas vires licuisset. Istius ergo tam diuturni obstinatique dissidii quæso tandem qui finis fuit futurus facile cogitatu est, *Fesulani.* Imperium profecto, de quo tota pugna extitit, ut utrique amitteremus, aliquan-
E do fuit necesse. Quod & *Æsopi* quoque ille milvii bellus apologus admonere facile, si sana mente simus, potest. Nihil est enim tam firmum, quin labascat discordia, & contentione pereat. Alterum e duobus tam vicinis populis imperasse oportuit. Nostra fuit sors melior & quidem diis approbantibus, qui vos modo sine fœdere sine induciis sine pacto ullo nobiscum humano, quod ita securos reddidisse debuerit, adeo otiosos siverint, nobis verò portas aperuerint animosque fecerint ac subministrarint ad invadendum opem. Imprimis autem *Romulum* quoque ipsum, cui hodie agitur solemnis dies quique tutelam recepit,
F ut vos putatis, urbis hujus, haud adversatum fuisse credendum est. Potuit enim excitare vos atque admonere veterum æmulationum, ut si non armati die festo, tamen magis cauti fueritis. Potuit externam multitudinem, qua urbs agerque 16
vester completus paulo ante fuit, irritare in invasores. At illi, videte quo pacto partim fugerunt, partim tanquam ad se nihil ea res pertineret, omnis ubique exsortes certaminis quievere. Potuit tandem & nobis dare aliam mentem & retinere domi, nec injicere in animos nostros hunc tantum hodie furorem vindicandi per hanc Statorum occasio-

casionem nosmet in libertatem ; ut multos annos
retinuit, etsi eadem cupido semper fuit idemque
metus, ne ambo propter has discordias alienigenis
aliquando libertate amissa serviremus. Sed sunt
profecto, ut cæterarum quoque rerum, ita &
urbium atque Imperiorum certa tempora. Ante-
hac superis haud visum est modum facere conten-
tionibus nostris ; & auferre e discordiæ faucibus
nostram libertatem, quæ proculdubio talibus stu-
diis animisque duratura parum fuit. Ergo faciles
modo volentesque venite *Fesulani* in voluntatem
deorum, quibus certè fuit hodierno die curæ no-
stra salus. Opus est autem primum, unam ut
mentem unumque animum faciamus e duobus.
Et vos patriæ caritatem ab his montanis asperita-
tibus, ab his devictis mænibus ad fertiliores cam-
pos ad mœnia nostra transferatis, quæ non minus
vestra posthac futura sunt. Atque ubi nihilomi-
nus commode minusque honeste vivatis cum fa-
milia & penatibus, quam hic hactenus in vestra
patria vixeritis. Excepta est magno applausu a
Florentinis hæc Ducis oratio. *Fesulanis* quoque
minus multo ex eo molesta facta est de sua urbe
& patria in alienam commigratio. Triduum dein-
de datum ad res suas cuique efferendas. Inde di-
ruta a stirpe publica privataque ædificia præter
templa nobiliora. *Florentini* tandem precati Deos
patrios, ne eam sibi rem noxiè verterent, eos
17 quoque feretro impositos cum rebus cæteris pre-
tiosioribus præeunte multitudine *Fesulanorum*,
triumphantium more, *Florentiam* redierunt. Ad
medium ferè montis populus cum magistratibus,
& sacerdotes cum infulis sacrisque effusi obviam
exceperunt victores ; Sicque dicentes carmina &
canentes hymnos ingenti cum lætitia in urbem re-
duxere. Ut verò primum Senatus coivit, data Ci-
vitas omnibus *Fesulanis* insigneque unum factum
ex *Fesulano Florentino*que insigni. Arcem sunt qui
afferant non venisse tunc in potestatem ; sed ad
aliquod postea tempus restitisse, & latronum fa-
ctam tandem receptaculum, qui diu omnem re-
gionem infestam reddiderint. Hæc ferè sunt quæ
de primordiis duarum harum urbium, deque re-
bus bello paceque gestis traduntur, quæ qualia-
cunque sint juvat apposuisse, ne quid, quod au-
ctorem habeat, prætermitteremus. Qua quidem
in re si visa fuerint asperiora quædam minusque
scripta diligenter, quam & temporum annotatio-
nes, & eorum qui gerendis rebus præfuerunt,
nomina sæpe desiderarentur, puto dabunt mode-
sti lectores nec imperiti rerum, antiquitati quo-
que urbis hujus hanc veniam, ut vel quocunque
modo, quæ de Origine ferantur & ipsi consueta
licentia explicaverimus. Vix enim invenias cujus
non vetustioris cujusque confusa, & fabulosa ori-
go urbis sit ex hac potissimum, ut opinor, causa
quod pleræque omnes civitates parvis ortæ initiis
majores se gerere res principio non potuerunt,
dignasque quas boni rerum scriptores commenda-
rent literis ignari rerum futurarum, dum eas pro
se quisque prosequitur, quæ nobilitate & magni-
tudine sua illustrare magis historiam possint. Quæ
quidem cum deinde excreverint in excellentes
amplitudines, tum verò quia res maxime gerun-
18 tur, principia quoque earum exquirant diligen-
tius, addentes & his quæ olim erant neglecta ob
ignobilitatem, propter præsentem deinde claram-
que fortunam literarum & memoriæ honorem,
ut diligentissimi etiam gravesque auctores in Ci-
vitatum primordiis, aut curiosi nimis levesque
dum etiam fabulas persequuntur ; aut dum evi-
tare id student negligentes nimirum, aut ignari
sæpe antiquitatis fuisse videantur. Nos quoque
hæc modestis scripsimus potissimum imitati *Dio-
nysium Halicarnasseum* & *Plutarchum*, qui de ur-
A bis *Romæ* origine tam multiplicia scripsere. Nunc
redeo ad historiæ ordinem, *Fesulanorum* rebus ex-
plicatis, quas plus habituras voluptatis existimavi
ac luciditatis, si in unum collectæ quam si sparsim
diversis locis, ut diversis sunt gestæ temporibus,
scriberentur. Per prima igitur initia cum essent
rerum ferè omnium domini *Romani*, parerentque
illis populi ubique & nationes, *Florentia* quoque
Romanos magistratus admittebat, quasque illi da-
rent leges suscipiebat, easque servabat. Nec ulla
nostra res memorabilis præter *Fesulanas* ; atque
eas quidem pertenues, gesta traditur, & si maxi-
mè omnium quæ unquam legantur per ea tempo-
B ra acciderent usque ad *Frederici* Secundi mortem ;
unde plerique rerum *Florentinarum* scriptores ini-
tium sumpserunt, illa prætereuntes, quæ ad eam,
quam suscepissent provinciam, parum pertinere
arbitrantur. Quod & nos secuti exemplum, ne
aliena miscendo cum nostris minus dilucida redda-
mus, narrationem taciti præteribimus ; neque ta-
men ; si qua dexter aliquis casus rerum ad nos
usque priscarum pertulerit diligentissimè pervesti-
gata, his scriptis non interseremus. Quod & si qui
ante me *Florentinas* res gestas scripserunt majore
ex parte neglexere ob rerum, ut arbitror, repe-
C riendarum difficultatem. Non tamen præterea quæ 19
multo sunt a me labore conquisita meo non appo-
nentur, res enim haudquaquam indigna visa est quæ
a me impræsentia suscipiatur scripturo res nostras
terra marique a condita urbe gestas, etsi per lon-
gissima intervalla temporum manca historia clau-
daque intercedat. Igitur septuaginta, sive ut *Pal-
merio* placet octo & octoginta, qui inter condi-
tam urbem & Salvatoris ad nos adventum cessere
annis, dum pace omnes ferè gentes fruuntur,
qui urbem condiderunt, vacui curis quibusque
cæteris intentique privatis extruendis atque ornan-
D dis ædificiis, civitatem illustravere. Neque usque
ad *Decii* Imperatoris tempora dignum quid inveni,
quod quidem ad nos pertineret, quod huic puta-
rem operi esse interserendum ; hic verò cum &
Florentiam quoque, *Villano* auctore, aliquando
divertisset de *Miniate* qui extra muros *Florentiæ*
in nemore habitaret, deque *Crescio*, qui *Mucellanis*
in desertis supplicium sumpsit, ambo divinos asse-
cuti honores, *Miniatem* ferunt recisum caput suum
ferentem manibus venisse in tumulum urbi immi-
nentem, qui deinde ab eo *Minias* cum porta quo-
que vocatur illicque concidisse ubi nunc *Miniatis*
templum est marmoreum & campanaria turris mar-
E morea excellenti opere. Sacellum verò id fuit,
quanquam ignobile, privatum opusculum, dein-
de, cum fieret indies divinitatis fama celebratior,
res publica exornavit, quoque facilior assensus
esset ad templum, via strata extra *Miniatam* por-
tam in collis usque verticem, gradusque ex qua-
drato *Macinio* lapide in ordinem positi ita asperi-
tatem viæ levant, ut ad deambulandi quoque
jam voluptatem facti fuisse videantur. Per *Con-
stantini* deinde tempora anno ferè trecentesimo, &
quatuordecimo a *Christi* conceptu, nam nos in-
de annotationes sumimus temporum, quamvis a
natali ejus die nonnulli, a Baptismo alii, quidam 20
F a Cruce ejus commemorent, nostra Civitas con-
ceptum recepit, quod quidem & nos, cum signan-
da erunt tempora, observabimus. *Constantino* igi-
tur Imperatore *Christiani*, qui antea delituerant,
plerique pœnarum & mortis metu, egressi e late-
bris prodire in publicum cœperunt, *Christum*que
habere in propatulo. Tunc etiam primum *Floren-
tiæ*, more *Christiano* sacrificatum & pro *Marte*
Christus adoratus. *Zenobius* nobili familia *Hie-
ronimorum* quem postea inter divos retulerunt
anno ferè decimo septimo *Constantini*, qui
fuit *Christi* trecentesimus primus & trigesimus,

natus fertur, qui fuit urbis nostræ Episcopus,
atque in hunc usque diem colitur divinis Sacris.
Ejus cum efferretur ad sepulturam cadaver atque
in ulmum aridam incidisset, ferunt arborem subi-
tò floruisse; In ejus rei monimentum columna
extat marmorea ad baptisterii aream & in ea inci-
sæ literæ miraculum testantes. In quo quidem cum
re nomen quoque immutatum constat, & pro *Ro-
mano* hoc occidentale, illud orientis imperium ap-
pellatum est, & quidem pessimis initiis augurils-
que. Namque ita divisæ vires non jam cum hoste
& barbaris, sed ipse plerumque inter se crudelius
etiam quam cum illis hostibus, de vita quoque &
sanguine obstinatissimè concertantes ad diripiendam
perdendamque miserrimis modis *Italiam* patefece-
runt viam: quod ego vix queo sine ingenti dolo-
re meminisse, cum tot cladium, tot ruinarum tot
incensarum eversarum ac desolatarum urbium ve-
nit in mentem. Nam quis etiam lachrimas conti-
nere queat miserabilesque singultus, cui sit ante
oculos *Italia* Regina quondam & domina provin-
ciarum exterarumque omnium regionum. Lugu-
bri jam ac lacero indumento obsita squalida mise-
21 risque frustra questibus suorum acclamans auxi-
lium. Cùm etiam consternata supplex barbari su-
perbi victoris, victrix ipsa paulo ante omnium
gentium, advolutata pedibus misericordiam im-
mitissimo hosti commovere cogitur. Nam quid de
Roma dicam, in quam unam Civitatem, diis
etiam ipsis adjuvantibus cum Imperio simul cun-
cta totius orbis ornamenta & populorum variæ
victoriæ triumphique congesserant, & supremæ
fœlicitatis & gloriæ humanæ reddiderant domi-
cilium? quid de multis præterea claris urbibus,
quid de earum splendore atque ornatibus?
omnia barbari sævissimi hostes populati sustulerunt,
incenderunt, everterunt, ut ne a templis quidem
deorum sacrisque rebus temperatum sit. Atque
adeo late ruina patuit rerum cunctarum, ut ad li-
teras quoque & bonas artes pervenerit calamitas,
atque ingenia cum monimentis omnia pariter depe-
riere. Quæ mala cuncta vel hinc maximè deplo-
randa veniunt. Locus autem admonebat ut de *Go-
this* quoque & aliis barbaris, qui *Italiam* quin-
gentos prope annos per varias clades oppressere ali-
qua percurreremus. Sed eadem nos causa, ne id
aggrederemur dehortata est, ne adeo a nostro in-
cepto vagaremur longius nisi ubi necessitas rerum
nostrarum, quia erunt mixtæ cum barbaris, ali-
ter adegerit, ut in ea pugna quæ *Fesulis* est felici-
ter pugnata cum *Vandalis*, in qua plurimum *Flo-
rentinorum* opera enituit, fieri necesse est. Nam
Vandali, qui cum *Germanis* annumerantur popu-
lis cum inter se aliquando dissentirent bifariam di-
visis armis proruperunt in *Gallias Radagaso* qui ad
Fesulas male pugnavit, ut nunc scribemus, & *A-
larico*, qui urbem *Romam* cepit ac diripuit, du-
cibus. In eos autem, cum, quocunque advenissent,
tanquam procella quædam late vastarent, *Hono-*
22 *rius* est profectus & *Stilico* cum reliquis copiis oc-
currit, exauctorati enim ac destituti stipendio post
Athanasi Regis eorum interitum, novo creato sibi
Rege *Alarico*, in *Pannoniam* primùm transivere,
ubi *Gothorum* alia quoque manus, ad ducenta mil-
lia hi quoque fuisse traduntur Duce eorum *Rada-
gaso*, qui unde advenerit incertum est, *Visigothis*
junguntur. Inde moventes per *Illyricum Noricum-*
que in *Italiam*, diversa tamen fortuna descende-
runt. *Radagasus Romam* petens, sic enim fama
vulgaverat per exercitum, cum esset *Apenninum*
transgressus, in hæc loca advenit, ubi cum *Abi-
zantio* usque *Stilico* occurrisset, & *Gothi* per mon-
tes castrametarentur, præ multitudine vix, unde
alimenta quærerent, angustiæ locorum suppedita-
bant. Duplex hinc fama est. Alii confectum fa-

A me exercitum sine negotio dissipatum seipsum vi-
cisse, ac veluti pecorum gregem venisse omnem
in *Stiliconis* potestatem, alii barbaros ad extremam
redactos egestatem ut rabidos famelicosque canes
descendisse in prælium, victosque acie ad *Fesulas*
ad unum omnes vel concidisse gladiis vel captos
venisse in victorum manum, *Rhadagasum* autem Re-
gem, ut fortunam suorum animadvertit fugien-
tem, & ipsum prehensum atque interfectum esse.
Florentinorum in ea pugna insignis fuit opera. Po-
pulariter ad opem ferendam concurrunt commea-
tibus etiam abunde comportatis. *Zenobium* quoque
Hieronymum qui Senex jam tum Pontifex erat *Flo-*
B *rentinorum* in rem præsentem cum venisset, tra-
dunt & ipsum discurrisse pontificalibus insignibus
per turmas & opem pollicitum divinam animos at-
que ardorem excitavisse usque ad extremum vi-
ctoriæ præliantibus; *Christum* etiam visum per
exercitus nostros stricto, quem dextra manu tene- 23
ret, gladio, ipsum purpura indutum bonique
Imperatoris fungentem munere. Neque verò tam
ea victoria magna fuit, quam & necessaria. Nisi
enim ille tunc repressus impetus sit, non de *Roma*
modo, quæ primum petebatur, sed de *Italia* quo-
que nomineque *Christiano* actum ea die fuisse ne-
C mo dubitat. Itaque *Florentiæ* plurium dierum sup-
plicationes indictæ, & omnibus Aris sacrificatum,
quo tanti divinitus accepti muneris gratiæ habe-
rentur. Signa præterea cuncta ingentis cujusdam
atque insolitæ lætitiæ edita. Aliquot dies cessavit ab
opere omnis plebs, eosque egit festos & cursus equo-
rum fuit egregio apparatu victorique proposita in-
signis palma ludos celebres reddidit. Stat & adhuc
solemnis dies quo pugnatum creditur, etsi de eo
nonnulli varium opinentur. Mihi verò vel maxi-
mè id vero simile facit, non diei modo festi hæc
stata sacra lususque quorum profecto alia origo
nulla traditur, sed & liberatæ nomen & templum,
D quod ex ea die liberatrici *Mariæ* dicatum a par-
vis initiis ad eum splendorem magnitudinemque
jam pervenit, ut possit cum quibusque ædificiis
de magnificentia atque ornatu contendere. Salvato-
ris parvum sacellum fuit, ubi deinde tantam molem
erexerunt, atque a liberata ea die *Italia* qua esset
novo templo nomen indiderunt, quod vario dein-
de marmore excoluere cubitus ducentos & sexa-
ginta in longitudinem, centum vero ac quinqua-
ginta sex in latitudinem, atque ubi angustior est,
sex & sexaginta. Præter cætera admiranda testu-
do est, cujus cum magnitudo omnem superaret
E facultatem, ut lignei pontes atque armamenta sub-
strui ad ædificandum quirent, *Philippus Brunelle-
tius* magno ingenio architectus rationem paulo an-
te nostram ætatem adinvenit, qua commodissime 24
sine lignorum aliquibus adminiculis concludere-
tur. Nam centro invento signatoque filum a cen-
tro duxit ad circumferentias; quod in girum ferens
quo ordine, quoque orbe lateres cæmentaque du-
cenda collocandaque essent a fabris, per parietem
terminabat. Quod autem altitudo jam ædificii dif-
ficultatem afferebat permagnam ducentorum ea cu-
bitorum est. Si pinnam testudini addideris, quæ
triginta sex ipsa complet cubitus, quam modo
F communi nomine, moti forma, ut reor, vocant
laternam: Surgit enim in laternæ modum ut com-
portare materiam posset, simul quod non facile vi-
ribus humanis ingentissimi lapides subveherentur
in murum quibus, ut constaret colligereturque no-
tatis in partibus testudo, opus erat, modum ex-
cogitavit, & quidem magna hominum admiratio-
ne, quo facile omnium ponderum marmora mo-
lesque minimo etiam labore sustollerentur. Ob in-
genii laudem habitus *Brunellecio* publicæ sepulturæ
honos. Ad dexterioris portæ ingressum marmo-
reum ejus signum est cum exculto epigrammate
quæ

quæ diximus atteſtante. Epigramma *Carolus Marlupinus* clarus Poëta edidit. Verum enim verò *Alaricus* cognita ſociorum ad *Feſulanos* montes clade cum & ipſe in *Ravennate* agro cum *Stilicone* conflixiſſet, diſſipavit *Stiliconis* paulo ante victorem exercitum. Qua elatus fortuna *Romam* petiit captamque urbem orbis terrarum olim victricem & rerum humanarum inſigne exemplum diripuerunt, cum annus *Chriſti* verteretur quadringenteſimus & decimus tertius. Poſtea verò quàm *Romam Romulus* ipſe *Remus*que frater condidiſſent annos circiter mille centumque & ſexaginta quatuor. Neque ad everſam uſque a *Totila* urbem quicquam
25 eſt quod noſtræ hiſtoriæ conveniat. Sed quoniam nominum ſimilitudo ſæpe ambiguam reddit narrationem, dum alterum pro altero accipit nomen, de *Attila* quoque breviſſima quædam, quo res notior fiat, priuſquam ad *Totilam* veniamus, interſeremus. Fuit verò *Hunnorum* ex *Attila*, qui poſt *Mundicrum* patrem *Rhoam*que, & *Octarem* fratres, namque ad hos poſt *Mundicrum*, qui natu majores eſſent, regnum pervenerat, cum *Bleda*, qui & ipſe frater *Attilæ* fuerat patri ac fratribus ſuperſtes, regni gubernacula accepit. Bellaciſſimus princeps, conſilio validus, ſuperbus, inexorabilis, brevi corpore, lato thorace, capite grandi, oculis minutioribus & petulcis, rara barba, ſimo naſo fuit. Primum ei prælium cum *Arneſtide Martiani* Legato, qui ſucceſſit in *Thracia*, cum quo haud feliciter pugnavit; Sed paulo poſt incautius victoria uſum *Arneſtidem Attila* dolo aggreſſus interfecit, ſublatoque e medio *Bleda* fratre ob ſuſpicionem, quod cum *Martiano* ſentiret, reparato exercitu in *Germaniam* primum, inde in *Galliam* trajecit multitudinem *Gepidarum* atque *Oſtrogothorum* ingentem cum ſuis Regibus *Adaricino Valamire*que ſecum trahens in belli ſocietatem. Locis, quæcunque adiret, latè vaſtatis, direptis, incenſis, venit in *Aurelianos*, interea & *Aetius* contractis undequaque copiis obviam advenerat. Hic ex *Mœſia* uſque vir adventitius apud *Honorium Romanorum* Imperatorem gratia atque auctoritate aliquamdiu multum valuit. Dubium autem fuiſſe parumper *Attilam* ferunt; tentanda ne foret pugnæ fortuna cum *Aetio* cujus virtutem formidaret; Conſulti ergo de eventu Aruſpices cum reſpondiſſent hoſtium ducem intenturum cupiditate tollendi e medio *Aetium*; deſerta *Aure-*
26 *lianorum* obſidione properavit in *Vaſconiam*, & in ſubjacentibus *Toloſæ* campis cum *Romanis* congreditur. Initium prælii tumultus fecit inter duas poſitus ad depugnandum inſtructas acies, dum utrinque ad eum occupandum occurritur, tantaque ferocia geritur res, ut commixtæ turmæ jam prope omnes vix quos ferire oporteret, poſſent dignoſcere, adeo confuſa jam ac prope cæca pugna erat. Ad poſtremum cum inclinaſſe videri poſſet paulùm barbarorum acies, *Attila* ad montes proximos, ubi imbellem omnem multitudinem collocaverat, perfugit, ac pro tempore proque facultate communitioribus illic quoque redditis caſtris, ſi nihilominus & his hoſtes potirentur, in clitellarum ad id cumulatarum congerie ſe comburi mandavit, ne comminiſci ignominioſum quicquam in mortui cadaver hoſtes poſſent. Qui modeſtius ſcribunt, centum ſexaginta quinque pugnatorum millia fuiſſe ea die deſiderata hinc atque inde tradunt, ad ſeramque uſque noctem pugnatum, atque ex tumulo, in quo rem eſſe geſtam conſtat, in planum uſque cruoris ex vulneribus rivos oblargos decurriſſe, *Theodoricum* quoque Regem *Gothorum*, qui cum *Romanis* pugnabat in prælio cæſum fidem feciſſe aruſpicibus prælii finem vaticinatis, cum id *Attila*, ut ſupra dictum eſt, ambigens interrogaſſet, atque hinc jam diverſa ſcriptores tra-

A dunt. Et aliis quidem ex prælio a *Tholoſanis*, ut ſcribit *Antonius Sabellicus*, campis rediiſſe in *Galliam* placet; aliis traduxiſſe copias in *Dalmatiam* & veniſſe demum in *Pannoniam*, illiſque cum comparaſſet exercitum, de invadenda *Italia* cepiſſe conſilium. *Blondus* ex prælio per *Illyrici* ſinus oram confirmato exercitu ad *Arſiam* flumen & *Tergeſtinum* ſinum, id eſt ad *Italiæ* limites adveniſſe ſcriptum reliquit. *Romanus* miles qui aderat ad tutandos fines miſſus magnitudine rei ex- 27
territus *Aquilejam* perfugit, quos *Attila* inſectat, urbem triennio obſedit. Cum vero jam deſperata victoria eſſet & ſolvere obſidionem pararet, ciconiæ
B retinuerunt; quas cum exportare e turribus pullos Rex conſpicaretur, vicinus exclamavit commilitones, arſuram urbem & aves illæ præſentiunt. Ita aggreſſus majore quam antea niſu expugnavit direptamque incendit, in mares in fœminas, in omnem ætatem, in ſacra etiam & profana truculentiſſimus. Prædam non adeo magnam fuiſſe quidam tradunt, quod ad poſtremum diffiſi oppidani defendi poſſe mænia diutius quo liberius ipſi abire atque efferre pretioſiora ſaltem inde poſſent, multa armatorum ſimulacra diſpoſuerant per muros, ut videri conſuetis in locis repugnatores poſ-
C ſent. Mulieris cujuſdam fortis fertur & generoſa mors; nam cum ad ſtupra rapi fæminas a victore barbaro videret, e feneſtris in ſubjectum fluvium, *Natiſonem* vocant, ſe præcipitem morituramque dejecit. *Attila* inde per *Venetias Cenomanos*que atque *Inſubres* libere ac nullo repugnante vagatus nonnullas evertit urbes nullo loco inſitæ natura immanitatis feritatiſque oblitus. Ita cum omnia monſtrificus quidam compleſſet terror auctores ſunt circum vicinas gentes ad tutiora populariter fere loca ſedibus relictis ſuis diffugiſſe; pleroſque autem conveniſſe in ſiccum quod ad ingreſſum fere *Adriatici* ſinus ex aqua extaret. *Ri-*
D *vo alto* loco, in quem potiſſimum commigraverunt, & adhuc nomen eſt, indeque factam *Venetiarum* originem, quæ nunc eſt inter primas *Italiæ* urbes, & quidem tanta potentia ut audeat cum tota fere *Itala* gente jam decertare armis. Ad hos autem tumultus formidineſque inſolentes excitus *Leo* poſt *Sixtum* tertium, qui *Cæleſtino*, de quo paulo ante fecimus mentionem, ſucceſſerat Pon- 28
tifex Maximus, *Chriſtianam* ipſe legationem ſponte ad *Attilam* ſuſcepit. Metabatur autem ad *Mincium* amnem in *Cenomanis* tunc caſtra ſuperbus victor hoſtis, ad quem cum acceſſiſſet & compta gravi-
E que oratione admonuiſſet rerum humanarum, ac pontificali auctoritate deterruiſſet, efferatum barbari hoſtis animum fertur quamprimum immutaviſſe. *Attilam*que inde ſæpe uſurpaſſe videtur ſibi viſum, loquente ſecum *Leone* ad *Mincium*, auguſta facie viros duos formidabili aſpectu, qui armati comminarentur exitium niſi Pontificem audiat, exorarique ſe ſinat. Ita correptum pavore perturbatumque animum, non potuiſſe quin daret manus, unde converſis ſignis cum in *Pannoniam* reverteretur moritur in *Norico*; Quidam perveniſſe ajunt in *Pannoniam*; & cum de redeundo in *Italiam* cogitaret mortuum ex profluvio ſanguinis e naribus, dum noctu probe
F appotus cum uxore cubat. *Leo* certe eloquentia quadam conſummata fuit, ut epiſtolæ nonnullæ ejus ſermoneſque ab illo graviter & ornate ſcripti declarant; cui haud novum eſt ſolere plerumque cedere arma vertique in ſpeciem contrariam furorem inſanientium. Et rurſum ſi ita nitatur prudens facundia extorquere etiam a ſanis modo id velit, poſſit inſaniam. Hæc ſunt quæ habui dicere de *Attila*, qui *Italiam* ne attigit quidem. *Totila* autem, de quo jam dicemus, *Florentiam* evertit. Hic vero per occaſionem diſcordiam ſumpſit *Gothorum* Imperium poſtea, quam *Alaricus* quinto menſe, ex quo regna-

gnare inceperat, occiditur. Is *Totila* ille est
Gothorum Rex flagellum Dei, cujus sola nominis
memoria incutere terrorem potest mortalibus. Hic
est, inquam, qui *Romam* eruit a fundamentis, qui
evertit incenditque *Italiam*, atque hanc urbem, post-
29 quam miserabiliter diripuit solo æquavit, ferus
dux, immitis, inexorabilis, hominum deorumque
contemptor, cæterùm impiger, argutus, solers ani-
mo simul manuque promptus, & militari pruden-
tia admirandus, tantaque interdum calliditate Im-
perator, ut etiam benignitatis atque humanitatis
sibi gloriam efferatissimus animus vindicaverit,
quanquam primi illi successus nequitia eorum qui
a *Justiniano* fuerant post *Belisarii* discessum admini-
strationi rerum in *Italia* præfecti, multo reddide-
rint faciliores. Qui mox ut ille abiit, quantum
inter *Belisarii* virtutem suamque ignaviam inter-
esset dilucide ostenderunt. Hi autem avari,
incontinentes, pigri, raptores, imbelles, conten-
tiosi, atque ardentes in cupiditatibus odia in se
populorum concitaverunt. Probis *Belisarius* con-
tinentiam, solertiam, liberalitatem, animi ma-
gnitudinem afferebat, dum est hosti formidabilis,
suis verò vel invitis amorem atque auctoritatem
justitia humanitateque extorquet. Militibus dum
persoluto stipendio præda eos gloriaque ditat,
populis postremo & gentibus, dum severius in
militarem licentiam animadvertit, redditque ab
omni injuria securos, æque carus. Per hanc igi-
tur occasionem rerum perperam administratarum
Totila bellum aggressus postquam *Ticini* regia in-
signia accepit, congreditur ad *Trebbiam* cum *Con-
stantino* atque *Alexandro*, hi erant ex *Justiniani*
legatis, quibus defendendam commiserat *Italiam*,
quosque proditionis spes *Veronam* traxerat, inde
ea irrita facta per *Padi* ripam proficiscebatur *Pla-
centiam*. Eos autem in insidias tractos cum omni
exercitu *Totila* delevit, cum jam in conspectu
ambæ constitissent acies priusquam pugnari cæptum
est viribus confidens insigni equo ante vectus ste-
tit pro hostium vallo provocans in certamen sin-
30 gulos. *Artavades Armenius*, is ad *Veronam* spem
proditionis fecerat, prosiliens in campum *Gothi*
superbiam subito compescuit, atque equo primo
impetu deturbatum gladio interemit. Sed univer-
si deinde prælii eventus mutata pugnæ fortuna
infelicissimus fuit. Militaria omnia signa *Totila*
consequutus. Inde per legatos, ut *Procopius* ait,
hi verò *Bleda* & *Rodericus* & *Vliarius* fuerunt,
obsedit *Florentiam*. *Justinus* præsidii præfectus peri-
culum veritus præcipuè ob annonæ angustias, a
Ravenna auxilia excivit. *Bessa Cyprianus*que &
Joannes Vitalianus auxiliares copias ductabant, at-
que unius adhuc diei itinere aberant, cum *Gothi*
id præcaventes obsidionem dissolverunt, & refu-
gientes in munitum locum *Mucciallam* incolæ vo-
cant, impetum illic hostium insectantium premen-
tiumque jam terga ægre sustinuissent, nisi fortu-
na, quod sæpe solet, victorum virtuti illusisset.
Miles qui ad *Joannis Vitaliani* latus pugnabat,
cum ex sagitta subito cecidisset, interfecti Ducis
præbuit speciem. Id verò cum statim per omnes
turmas acclamaret, perculit illico terrore animos.
Ita fugatores versi jam ipsi in fugam palantes va-
gique in viciniora oppida sese, ut quisque evade-
re hostium manus potuit, recipere. Per hunc mo-
dum *Florentia* liberata obsidione. Non enim etiam
plenissima potitis victoria in rem visum ut ad
eam continuandam reverterentur propter *Justinia-
ni* copias quam multas, quas esse per *Etruriam*
divulgabatur; quanquam obsidionis hujus longe
diversa fama est apud quosdam, & quidem cui
magis animus meus assentitur. Nam & *Dantes* in
convivio gravissimus auctor ita sentit, & igneam
in Cœlo Crucem, cum primum everti cæpta est

A *Florentia* visam ait, quod quidem verisimilius 31
fuerit, quod & *Seneca* testatur in morte *Augusti*
igneum in aëre globum apparuisse. Cæterum au-
ctores eversam a *Totila Florentiam* testificantur,
& vulgus omne comprobat. Populus certè *Floren-
tinus* ad hæc usque tempora magnos habet hono-
res *Carolo Francorum* Regi, qui post trecentos fe-
re annos quibus prostrata jacuit, urbem restituit,
Patresque atque auctores generis *Florentini* cæteros
quoque ab illo Reges putat colitque isto potissi-
mum beneficio. Neque ex omnibus *Italiæ* popu-
lis facile invenias, quos *Galli* Reges magis quam
Florentinos complectantur. Cùm autem vel im-
B primis videtur ad nostrum id institutum pertinere,
non erit absurdum reor, si modo diligentius ut
res esse gesta traditur aperiamus. Igitur ferunt
Totilam, adepto imperio, nihil prius agitasse ani-
mo quam ut deleret eam gentis ignominiam,
quam ex clade *Fesulana* contraxerant *Visigothi*,
proximum *Gothis* genus, quod supra diximus.
Quod autem *Florentia* tanti profligati exercitus
*Rhadagasi*que Regis interfecti insigne monimen-
tum putaretur, ubi etiam liberatricis templum,
quod ferret ad posteros eam memoriam, construi
continuo nobilis fama esset, in *Florentinos* potissi-
mum direxisse arma. Ita cum ferro viam ex *Gallia* in
C *Etruriam* patefecisset recta *Florentiam* petivisse.
Cum primum in planitiem perventum est, atque, ubi
male pugnatum a suis fuerat, loca apparuissent oculis,
recordatione acceptæ calamitatis illachrimasse tradi-
tur. Deinde cum intendisset in vindictam animos de
obsidenda urbe statim cogitavisse. Fuit autem spes
principio propter urbis situm, est enim in plano
omnis posita, facile eam superari posse. Itaque
aggressus ingenti animo inferebat bellum. Cùm
vero præter opinionem ferocius repugnaretur at- 32
que e turribus, quæ crebræ per muros urbis
exurgebant, magnæ sæpe clades inferrentur ho-
D stibus, nec admoveri miles tuto mænibus qui-
ret facile animadvertens arma quoque, & vim pa-
rum processura esse, callidus versutusque Dux
convertit a vi ad dolos cogitationem, ut alia,
quandoquidem illa non appareret, via successu-
ram rem, quod in animum ita induxerat aggre-
deretur. Ita omissa obsidione ostentat amicitiam &
principes Civitatis allicit ad colloquia, nec venis-
se se hostem asserit *Florentinorum*, quippe cum
quibus habeat amoris non contemnendas causas,
Visigothos antiquos in patria hostes sua maximè
Florentinorum opera virtuteque ad *Fesulas* olim
deletos. Si venienti ad se *Totilæ* aperuissent por-
E tas nullam habuisse se causam cur vel unum te-
lum contra bene de suo genere meritam urbem
gentemque expediret; se, fortunæ beneficiis poten-
tem esse Regem pecuniaque & juris opulentum,
& se pulsum paulo antè a *Belisario* ejectumque
regno *Romano* ad quod recuperandum, quod ad
se modo regum successione & jure gentis perti-
neat, proficisceretur. Non indigere *Florentinorum*
fortunis Regem *Gothorum*, sed paratum advenisse,
ut beneficia inde bene meritum populum quæ-
cunque & quantacunque posset, conferret, proinde
quæ magis cordi sint, aperirent. Nihil esse eos,
F modo fieri id possit, non a se vel promptissime
impetraturos. Quod si fortuna cœptis faverit, redie-
rintque *Gothi* in *Theodorici* regni possessionem, quod
ille genti nostræ, labore virtuteque partum sua,
Romano etiam id volente Imperatore reliquit, cum
inde injurium occupatorem Tyrannumque *Italiæ*
Odoacrem depulisset, fere ut majora & ab amicis
victoribus exspectanda sint, ut venisse modo in 33
Gothorum & *Totilæ* amicitiam & societatem sibi-
que posterisque saluti atque ornamento fuerit.
Quod moræ præsentibus officiis quondamque,
cum majores erunt vires & stabilitæ res, regno
recu-

recuperato, & rebus jam compositis tranquillisque, magis aucta atque ornata vestra urbe plurimum sit ad animos vestros jucunditatis & solidæ perpetuæque voluptatis allaturum. His vero atque hujusmodi permoti vocibus primores Civitatis & simul potentiam veriti *Gothorum*, si ultro oblatam societatem repudiassent, discussa cum populo causa, cum variæ sententiæ dicerentur, quod essent & qui inesse doli aliquid suspicarentur regem quod tentata vis e sententia non successisset fraudem cudere. Eò res tandem rediit, ut præsentibus potissimum rebus consulerent, atqui a periculo direptionis tunc quidem liberarent Civitatem; melius, quod tempus deinde afferat ipsum ostensurum, & pro fortunæ rerumque conditionibus, ut illæ inciderint, deliberaturos. Neminem tanta unquam prudentia fuisse, ut futurarum rerum vicissitudines varietatesque cunctas posset prospicere. Satis esse eum prudentem, qui præsentes casus callidè animadverterit utiliterque administraverit. Ita Senatus decreto & populi jussu pax amicitiaque cum *Totila Gothorum* Rege decernitur; et si ita *Totilæ* videatur, ipse cum custodibus sui corporis, ingrediatur urbem, reliquus omnis exercitus extra mœnia remaneat. Ex principibus Civitatis, quibus cum fuerat hostis colloquutus, duo legati *Florentinorum* decretum renuntient. Lætus vero Rex fuit cum hæc audisset, & succedere sibi ad votum dolos animo exultabat. Cæterum versuta dissimulatione gratias egit legatis, atque esse sibi ait quod coram cupiat cum
34 magistratu communicare, ut consulatur in medium, quodque in rem sit communem ex senatus maximè *Florentini* prudentia atque auctoritate decernatur, se non multorum esse annorum, nec multæ, quæ plerumque annis esse quasi assuta solet, prudentiæ, verum multæ fidei Regem neque pusilli animi Ducem populum *Florentinum* invenisse. Proinde videat Senatus & populus *Florentinus*, quid existimet esse in rem, seque edoceat qui scit omnia summa cum diligentia atque animi integritate præstaturum, effecturumque pro viribus, neque deerunt vires, ut nunquam sit diei hujus hujusque decreti atque amicitiæ pœnitendum. Lites vero erant pervetustæ *Florentinis* de agro cum *Pistoriensibus*, quæ sæpe utrumque populum odiis inter se multum exasperaverant; Tunc vero etiam exarserant in bellum, quod maximè contentione animorum atque obstinatione gerebatur. Id *Totila* vel una die confecturum pollicitus, si se audiant jungantque dexteras *Florentini*; plurimum habuit momenti; ut benigna ejus oratio exciperetur. Igitur reversis in urbem legatis potestas facta *Totilæ* in Civitatem introeundi, intranti universa propè multitudo est effusa obviam, atque in *Capitolium*, (is erat locus in quo populus cogi ad consultandum deliberandumque soleret) deduxerunt: paucos vero dies cum absumpsisset accipiendis reddendisque salutationibus prehensandoque populo & demulcendis omnium animis lactandisque oratione, cujus erat *Totila* insignis artifex, fidem fecit tandem amoris erga Civitatem sui, ut etiam mansuetudinem humanitatemque in Rege præcipuam mirarentur, singuli jam atque universi prædicarent. Interea militibus, quos extra mœnia reliquerat, immigrantibus in
35 urbem vix erat qui ingressum ad portas prohibere auderet, dum & ipsi benevolentiæ ita instructi a Rege & liberalitatis omnia signa edunt. Quum ergo *Totila* ita jam affectam videt Civitatem non ultra cunctandum ratus, quod animo agitarat, audacter aggreditur, simulat magnis de rebus indigere Senatu. Eum itaque citari jubet, & simul alios quoque nonnullos apud quos plus esse auctoritatis Cives cogno-

A visset, accersit, utque ne uno plures ad se simul irent instruit satellites atque janitores. Cloaca sub *Capitolium* fuit lateritio tota fornice contecta, inde in *Arnum* influens, non solum ut per eam fluviatili aquæ fluxus fieret in flumen, nec alluvionibus corrumperentur ædificia, verum etiam ut inde sordes urbanæ purgamentaque ejicerentur. Igitur id conspicatus in penitiorem *Capitolii* partem descendit, & ubi Cloaca suffluеret; illicque diffracta desuper testudine, quantum possit capere humanum cadaver, aqualiculum aperuit; Ipse, quantum potuit, proximior adsedit: singulosque ad
B se euntes cives, cum ad edictum venissent locum, carnifices, quos ad id paraverat, feriebant. Jugulati vero ita in Cloacam per apertum foramen ipsi cadentes irruebant. Stagnabat per id tempus aqua illic, modo vix fluebat. Cum tamen multitudine jam cadaverum excrevisset unda in cruoris speciem effluxisse in *Arnum* fertur, idque carnificinæ modum fecit. Nam cum id quidam advertissent, quod erant illico suspicati, conclamaverunt arma. Quæ proditor, cum expedita, id præcavens, haberet subito antevertit, & signo dato, cum & hi quoque qui extra mœnia ex pacto restiterant convolassent, (expediti enim, atque
C in equis, qui equo militarent id prædocti expectabant) vel oculi, ut dicitur, ictu urbs opulenta & nobilis diripitur. Nam quid in tam subitaneo discrimine, cum omnia penè jam teneret armatus hostis, dum patefactis insidiis ad arma concurritur, faciat miser civis Senatu præsertim suo orbatus, multisque præterea civibus ad Cloacam jam mactatis, & oppleta ubique urbe terrore ac desperatione omnium rerum. Addidit victor impotens fallaciis immanitatem. Nec sexui cuiquam aut ætati pepercit, omnem humanum sanguinem absumpsit proditor immitis gladius ad XXII. hominum millia qui arma ferre
D possent præter mulierum, puerorum & seniorum imbellem turbam periisse eo die cum mœnibus simul, auctores sunt. Postquam enim direptam sic Civitatem conspexit, erui quoque atque incendi jubet. Præcipua cura fuit *Mariæ* liberatricis evertendi templi, ipse, dum milites fabrique opus faciunt, spectator hortatorque adfuit adeoque æquavit solo reddiditque vacuam & complanatam aream, ut neque vestigium quidem aliquod ædificii reliquerit. *Martis* templum, quod nunc est *Baptisterium*, incolume permansit; sive animum religio tetigit, fuit enim in fatis cum seculis duraturum templum, idque in pavimento
E marmoreis scriptum literis horrorem facile infert in animos legentium, sive pulchritudinem templi admiratus tanti ornatus tamque egregiæ architecturæ artis imagines, ut deperirent non potuisse inducere in animum quamvis efferatissimum, proximæ tamen ruinæ multum decoris abstulerunt, subtritis circum basibus & solo æquatis ingressibus quo antea per decoros ascendebatur marmoreos gradus, qui ferebant in aream, & ipsam marmoream, unde ad templi portas decentissimè veniretur. Huic quoque rei fidem facit quod ego ex senioribus quibusdam gravibus viris audivi cum
F hæc scriberem, qui rei gestæ interfuissent. Multa ossa humana inventa esse in fundamentis ædium *Luniarum*, quas inter *Capitolium* flumenque *Arnum*, sed *Capitolio* propinquiores, *Franciscus Luna* egregias paulo ante nostram ætatem ædificavit, cum ea altius infoderentur, fossoresque in collapsas jam vetustate cameras ruinasque incidissent. Id vero terrorem primo cum attulisset, ut etiam propter mortis omen de deferendo ædificio cogitaretur; prudentior videlicet quispiam ex amicis, quid vos vana terrent, inquit, an etiam nunc *Totilæ* manes pertimescitis, & qui vivus olim cum ur-

(right margin, beside "tene-ret armatus": 36; beside "flumenque Ar-num": 37)

urbem evertit in cives est grassatus? vos etiam nunc post mille fere annos, ex quo *Totila* interiit, sævitiam feritatemque formidatis? Ita gravius pensata re neglectoque vano auspicio terror cum abscessisset, ædificandi resumpta opera est, quæ jam pene elanguerat tristi omine ossium humanorum, quæ tamen piè *Franciscus Luna* diligenterque pervestigata transtulit in hospitalem Divæ *Mariæ* domum, cui est *Novæ* cognomentum, illicque inter cætera, quorum ingentes cumuli spectantur, collocavit. Locus est præterea ad *vetus forum* his vicinum ædibus a *Capitolio* non longè e regione eadem, *Bonum consilium* vocant veterrima appellatione hujusmodi ex causa: Pistricula erat argutula, quæ cum e taberna multos observasset cives ingressos curiam per multam diem, regressum vero neminem, venissetque Tyranni in considerationem, amico cuidam suo & patrono, *Petro* illi erat nomen, & ipsi venienti ad Regem progreditur obviam; sciscitanti vero mulieri adventus ejus ad Tyrannum causam *Petrus* responderat, sequoque a *Totila* cum multis præterea civibus evocari ad consilium de magnis rebus: cui illa respondit: At ego mi *Petre*, inquit, mi Patrone volo accipias a me bonum consilium, ut illi consilio non intersis, suspicatur enim mihi nescio quid mali
38 mens dum ingredi ad Regem multos, neminem adhuc regredi perspexerim. Ita cum tetigisset hominem suspicio & timore oppleretur animus, relicta aula abit inde hospite insalutato. Atque hinc principium vestigandi diligentius doli factum censent. Memoria autem rei cum mansisset propinquo sacello, vetustas a re gesta nomen indidit, quod & hodie a *bono consilio* cognomentum retinet. Post trecentos & triginta sex annos, ex quo

A condita est Vrbs cecidit anno *Christi* 548. utque *Villanus* scriptum reliquit pridie calendas *Quintiles*, qui tamen *Totilæ* de *Florentia* historiam cum his quæ *Attila* gessit confundere videtur; dum tempora resque amborum ducum iisdem involvit atque implicat monimentis, quem miror deinde *Sociomenum Pistoriensem* virum doctum sequutum eodem & ipsum modo commiscuisse historias, neque rerum neque temporum fecisse discrimen. Sic igitur deserta *Florentia*, sive corruerit illa omnis, ut nos existimamus, sive plura ex publicis privatisque ædificiis superfuerint, muris modo, quibus cincta urbs fuit, turribusque murorum
B diffractis, quod quidam docti viri magis putant. *Totila* in proximos *Fesulanos* montes secessit, & instaurata arce atque imposito præsidio relictisque quotquot nactus fuit antiquæ originis *Fesulanorum*, qui montem inhabitarent, mœniaque restituerent, ipse cum exercitu via *Arretina* trajecit in *Latium*, perque *Umbros Sabinos*que & *Marsos* in *Campaniam*, cum continuo multæ fierent populorum, ad quos adveniret, deditiones. *Beneventani* quia portas clausissent eorum urbem muris expoliavit; inde *Neapolim* profectus brevi expugnata urbe, *Romam* petit, hanc quoque fame victam muris
C nudat primo, deinde cum amissam denuo recuperasset mitius victoria usus fertur. Tandem victa & propè vastata *Italia* pugnando fortiter apud *Brexillum*, alii *Tannetum* scripserunt, in dubio locus 39
pugnæ est, interiit. Dux certe magnus & cui fortuna diu multumque favit, crudelis tamen, perfidus, callidus, simulandi quoque dissimulandique præter omnes mortales peritissimus, quamvis de animi feritate aliquid ad postremum remisisse fama est.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

TÆdet jam me pudetque rerum nostrarum; multum addit ad scribendi laborem tristitia animi mærorque quidam incomparabilis, qui per tot tantasque *Italiæ* ruinas etsi per longissima intervalla gradientem penè conficiunt: verum tamen enitendum est. Nam si evaserint in opus propositum conatus mei, atque ex hac quasi tempestate, qua animus dolore fluctuat, oratio emerserit, operæ pretium, ut mihi videtur, fecerim, si quædam alienis, & quæ præsentes in sensus non cadunt jam ærumnis, vetustate pene obliteratis malis planeque extinctis, cautiora saltem nostra tempora reddidero. Sed nondum in tuto res posita est, a nostris jamjam timendum potius, qui dum turbant miscentque omnia, dum acerrimè bellantur, dum vexant vastantque, & diripiunt atque evertunt singula, novis continuo & inusitatis perturbationibus hanc pulcherrimam patriam involutando contendere mihi cum barbaris de dedecorando hoc patrio solo eruendoque funditus, atque æmulari eorum perversa ingenia videantur; Quod eo putari debet detestabilius, quia a suis quos avertisse pestem oportuit non ab externis infertur ca-
40 lamitas. Utinam falsa jamjam augurer, quam vereor ne rursum in vos ipsi armetis eos, qui e possessione dulcissimæ atque omnium clarissimæ Patriæ vos ejiciant, dum ita inter vos vane adeo atque impiè, uter tandem imperet latius, obstinatissimè decernitis; quanquam in vestra forsitan non est manu, ut mitius jam agatis cum *Italia*, quam ita vastatis, diripitis, incenditis, & ruinæ novæ exponitis. Sed erratorum fortasse veterum fato quodam inevitabili a justissimo scelerum ultore humanorum, penè haud immeritè repetuntur. Sed vos

D quo vestra fortuna feret? Nos ad propositum revertamur. Resumemus vero historiam nostram a restitutione urbis quasi ab alteris primordiis. Nam ea jacente, nisi aliena dicantur, silere convenit; Si quis tamen & quæ in hæc tempora intercedunt res gestas ad reliquam *Italiam* pertinentes cognoscere cupierit, nos ea quoque seorsum aliquot libris explicavimus. Nunc in nostris immoremur. Verùm quo minus obscura sint quæ dicentur, paulo videtur repetendum altius. Consueverant *Romani* Pontifices contra barbarorum incursationes a *Byzantio* usque, quo erat Imperatoris *Romani* translata sedes auxilia accersere, quæ tandem non negari
E modo cœperant, sed apertum etiam quoque inferri *Romanis* bellum, crudelius etiam quam ulli barbari arma intulissent. *Philippicus* ille *Bardanes*, qui *Justiniano Constantini* Filio veneno sublato ipse imperavit, discordiarum harum dedit initium, qui in simulacra Divorum primus desæviit, diruendaque ea atque evertenda censuit. Quem deinde errorem *Leo* quoque tertius, qui *Theodosium* pepulit (is *Philippico* successerat) consectatus, in apertam indignationem *Gregorium* Secundum *Romanum* Pontificem extraxit. Hinc vero tantarum
F contentionum malorumque principia extitere, quod & multa quæ antecesserant portenta significaverant. *Tiberis* adeo inundaverat, ut per urbem quoque & intra ædificia fieret navigabilis. 41
Luna colore sanguineo defectum passa ad mediam usque noctem perobscura fuerat & crinita apparuerat coma in septentrionem versa. Quibus territus miris *Gregorius* Pontifex *Romanus* aliquot dierum supplicationes instituit. Ita destituit ab Imperatoribus *Romani* Pontifices *Gallorum* implorare dubiis in rebus auxilia

lia instituere. Sic *Carolus Martellus Pipini* superioris *Gallorum* Regis Filius in *Aquitaniam* contra *Saracenos* vocatus illorum acies ingenti victoria superavit, trecenta & sexaginta barbarorum millia cæsa feruntur. Inde cum reparatis viribus rebellassent, *Martellus* cum duobus illorum Regibus *Athimo Amorreo*que in valle, cui *Corbariæ* nomen est, congressus eadem felicitate depugnavit, *Amorreo* etiam inter præliandum cæso. Quibus successibus tanta accessit auctoritas, ut per *Italiam Gothi Saracenorum* destituti favoribus arma deposuerint, fecerintque imperata post trecentos ferme annos, qui adversi rebus nostris varia fortuna regnum in *Italia* tenuerant. Cum his igitur pax fuit, item cum *Longobardis*, qui & ipsi *Italiam* turbaverant usque ad *Aistulfum*, qui post *Rachim* fratrem apud eos regnavit. Is enim vetere gentis more *Romanis* bellum intulit. Cum autem a *Constantino Romano* Imperatore, qui *Leoni* tertio patri successerat, auxilia negarentur, coactus est *Stephanus* Secundus Summus Pontifex ad easdem *Gallorum* opes respicere. Itaque profectus ipse in *Galliam*, *Pipinum* Juniorem, is enim post *Carolum Martellum* regnabat, facile exoravit, ut in *Italiam* ad opem *Romanis* ferendam veniret. Primum cum *Ticinum*, ubi *Aistulfus* sedem con-
42 stituerat *Longobardorum*, cum exercitu advenisset retusa hostis audacia ponere arma jubet, ipse trans *Alpes* redit. Post cujus statim discessum cum rebellavisset, *Pipinus* re cognita in *Italiam* advolavit *Aistulfum*que perdomuit, quo mox vita functo *Longobardi* ad desiderium gentis regnum detulere. *Constantinus* interea *Leonis* Filius pessimo exemplo conjurationem cum *Saracenis Constantinopoli Gallorum* gloriæ invidens, & *Desiderius Adriano* Pontifici infensus *Romam* oppugnat. Itaque *Adrianus Carolum* cognomento *Magnum Pipini* Junioris filium, qui mortuo patre regnabat in *Gallia*, evocavit. Ad *Cinisium*, is est mons in *Alpibus*, cum hostis obviam fuisset, ventum est in prælii aleam, ac victus fugatusque *Longobardus* retrocedens *Ticinum* ex fuga se recepit; *Carolus* autem fugientem persequutus post sex prope menses obsessum devicit. *Desiderius* imperata fecit, & *Lugduni* exulavit. Ita *Longobardorum* in *Italia* dominatus ab *Alboino* Rege annos prope quatuor & ducentos finem habuit. Interea vero dum oppugnatur urbs, relictis qui urgeant obsidionem, *Carolus Romam* venit Pontificis *Romani* visendi & consalutandi gratia, qui honore exceptus incredibili icto cum Pontifice *Romano* fœdere & plenus gloria rediit in *Galliam*, *Romani* etiam Imperatoris nomine *Illustris*, quodque in *Augustulo* olim deperierat post annos triginta ferme & trecentos in *Carolo* tunc renascitur. Hic est ille *Carolus*, qui præclarissimis rebus in *Italia*, in *Gallia*, in *Germania*, in *Pannonia* gestis, eam jam erat gloriam adeptus ut nihil esset jam omnino toto orbe nobilius; hic ille inquam, est *Carolus Gallorum* Rex *Romanus*que Imperator, cui quidem *Florentini* restitutoris ac parentis debent honorem, siquidem eversam a
43 *Totila* urbem *Florentiam* quod supra ostendimus, restituit & a ruina miserabili ad nobilissimæ Civitatis splendorem revocavit. Res autem in hunc maxime modum gesta fertur. Neque enim verebimur ea mandare modo litteris, quæ multi clari scriptores tradiderunt, his in præsentia posthabitis, qui sive hæc ignoraverint, ut non possimus omnia omnes, sive quod aliter habuisse rem putaverint; hoc omne quod de urbe *Florentina* restaurata literis proditur taciti prætereunt. *Leonardus* certe *Aretinus* gravissimus auctor disjecta magna ex parte a *Totila* ædificia a *Carolo* reparata esse putat, & *Franciscus Petrarcha Donatus*que *Acciariolus* restauratæ urbis gloriam cum illius vitam scribunt

A eidem & ipsi assignant. Idem & *Soclomenus Pistoriensis* confirmat, & *Platina* in *Paschalis* vita. *Joannes* autem *Villanus*, quem nos hac in parte potissimum sequimur, non neglectis tamen si qua & apud alios quoque scriptores reperiantur, etiam rei gestæ seriem explicat curiosius. Neque est profecto contemnendus ille vir, etsi videre licet, morosiores quosdam qui pro minimo etiam quoque erratulo, quæ tamen recte scripta sunt, maledictis incessant. Sunt etiam quidam famæ avidiores, qui pessimo exemplo alienos labores ad propriam gloriam traducunt; Nos quæ vero sunt visa propinquius sequuti sumus, nec obstamus
B quin singuli pro arbitrio dijudicent. Igitur *Carolus* cum rursum ad sedandos nonnullos contra *Leonem* Pontificem exortos tumultus venisset in *Italiam*, *Romæ* tandem Imperatoris *Romani* acceptis insignibus plenusque tanta gloria, ut addi præterea ad felicitatem humanam nihil posse quisquam putet, reditum dum parat in *Galliam*, *Florentinorum* legati advenerunt; hi erant de reliquis antiquæ nobilitatis per *Etruriæ* varia loca dispersæ, ut cuique fortuna indulsit sedem cum ab incensa olim & cadente patria evasere, inter quos & *Figineldos* 44
*Findolphos*que in primis nominant quidam. Ad eorum igitur adventum Senatus frequens fuit, cui
C quidem Pontifex Imperatorque *Romani* præfuerunt. Legati ergo ubi intromissi sunt, *Figineldum* ita loquutum accepimus: Etiam, *Romani* patres, si nihil modo afferamus præter nostram & Patriæ calamitatem movere animos vestros afflictissimæ res nostræ debuerunt, ut in vestra præclara fortuna nostram sortem commiserescatis, sed vestrum genus, *Romanus* sanguis advenimus, auctoris nostri populi *Romani* imploraturi opem. Et *Florentia* quam vos olim condidistis voluistisque inter nobiliores *Italiæ* connumerari urbes non sua culpa, sed cuncta versantis fortunæ injuria ruinis, etiam
D nunc barbaricis, & vesanissimo furore quo tota etiam *Italia* quondam conflagravit, prostrata jacet, quæ quidem, nisi vos patriæ caritas, nisi rei indignitas nostræ quantum est æquum, movent, ea expostulare apud vos modo neque injuria suam injuriam, & repetere merita nunc tandem ultionem videtur. Neque a vobis modo qui genuistis, quique aluistis, quos naturæ vis movere necesse est, sed ab universa etiam *Italia*, si malorum vera causa nostrorum rependatur, jure quodam suo existimari debet. Nam quid nos perdidit, patres *Romani*? unde illa *Totilæ* quondam lethalis ad nos primum pestis advolavit, evertitque atque incen-
E dit urbem nostram? nisi insederant in animo altius cognatæ gentis *Fesulis* acceptæ clades, cum tumultuantem totique *Italiæ* comminantem servitutem *Radagasum* contudimus; ubi etiam ad ducenta barbarorum millia cæsa esse creduntur, quam quidem victoriam quis nescit *Florentinorum* maximè partam opera, & datam eo die *Italiæ* tanto periculo nostro maloque salutem; injuriam ulturus gentis, 45
deleturusque eam ignominiam *Totila*, ut existimamus, in nos potissimum convertit arma, & quod vi difficilius visum, versutissimis confecit dolis. Ita nos quia communem causam audentius sumus tu-
F tati plusque trecentos annos patria & penatibus mulctati sine domo, sine lare per *Etruriam* atque *Italiam* omnem tantæ reliquiæ calamitatis tamdiu dispersi, & profugi vagamur, in alios certe, nam præterea multos per *Italiam* est aggressus minus atrociter desæviit, & *Beneventi* cum clausissent advenienti portas, *Beneventani* exspoliasse modo urbem muris, nulla præterea illata calamitate contentus abiit. In *Neapolitanos* vi subactos etiam mitis extitisse fertur ferus victor hostisque immitissimus, vos solo utramque in illo sortem fuistis experti. Nam ne a vobis quidem fortuna tem-

porum abſtinuit, ex quo & ipſi malorum non ignari
multorum miſeris nobis opem ferre didiciſſe de-
buiſtis modo præſertim cum ſuperato tandem,
ut ajunt, infortunio tot tantiſque ærumnis fato
quodam ſecundo veſtro veſtraque virtute emerſi-
ſtis, ut rebus ubique fere compoſitis nihil jam videre
ſol poſſit nomine *Romano* quicquam illuſtrius, &
rediiſſe in ſuam ſedem antiqua ſors *Quiritium* feli-
citaſque videatur. Et habetis *Leonem* Pontificem
virum omni virtute præſtantem, diiſque quan-
tum colligi conjectura poteſt non ingratum, ſi-
quidem & ipſum paulo ante e voraciſſimis invi-
diæ faucibus eripuere ac reduxere in ſedem, unde
maledici obtrectatores petulantiſſimè dejecerant;
Habetis & *Carolum* Imperatorem, jurium quem
haud ſcimus, an cuiquam ſuperiorum admiratio-
ne virtutis, & rerum geſtarum gloria rectè poſ-
ſimus comparare. Qui quidem pulſis omni jam
46 *Italia* Barbaris, devictiſque ubique rebellantibus
regibus ac nationibus ita rem *Romanam* conſtituit,
ut cumulata omni ex parte dignitas eſſe veſtra quieſ-
que videatur. Nonne oportuit nunc tandem Pa-
tres *Romani*, miſeriarum etiam noſtrarum memi-
niſſe, antea cum & ipſi, omnia commiſcente for-
tuna, laboraretis, ſoliciti minus fuimus, nunc
ut & nos ſecundas vobiſcum res ſentiamus, qui
pertulimus adverſas, æquum eſt. Debuimus omnia
vobis profecto, noſtri generis auctoribus, & pium
fuit etiam, quo vos ſalvi fueritis, ut nos neque
vitæ noſtræ neque Civitati aut ſaluti parceremus.
Quid vero nunc futurum putatis Patres *Romani*,
ſi quam dediſtis olim urbem reſtitueritis & reddi-
deritis *Florentinos*, *Romanam* ſtirpem, patriæ ac
penatibus. Profecto magnum quid eſt in rebus
humanis dediſſe rerum ortus, ac deberi omnia pa-
rentibus omnes omnium gentium opiniones facile
conſentiunt. Neque videtur audiendus nunc *Dio-
genes*, qui de obligatione adverſus eos, qui nos
genuerunt, aliter multo putat. Verum enim vero
conſervatoribus quoque & defenſoribus multos ac
magnos referri honores conſuevere. Ac ſi quis
quod amiſerit, quod carum ſit reſtituat, quo ha-
bendus tandem loco erit? Patria certe nihil carius
eſſe omnium rerum bonis Viris poteſt, ut voſque
quam cæteræ gentes, qui vitæ quoque ſæpe illam
antepoſuiſtis, melius tenetis. Qui in eum confert
beneficium, qui ut ſit etiam a beneficii auctore,
ſimul aſſequitur, is vero fit in dando beneficio
rerum cunctarum auctori Deo quam ſimillimus;
hi vero ſunt in primis rerum auctores publica-
rum. Quid igitur qui reſtaurant, qui reddunt ſalu-
tem atque ab interitu & oblivione ſempiterna vin-
dicant, nonne alteram ſaltem meritorum partem con-
ſequuntur, & proximi ſunt & quidem haudquaquam
47 longo intervallo primis auctoribus; nam qui dant
in principio ornantque munus ſuum, dein tuen-
tur etiam pro viribus quod dederunt amiſſumque
id tandem, ne id penitus pereat nituntur, ac re-
ſtituunt, nonne liberalitatis humanitatiſque omnes
numeros expreſſe cuncti fatebuntur. Ponite ante
oculos vobis, Patres *Romani*, *Florentiam* urbem,
veſtrum opus quoddam, laceram, fuliginoſam,
uſtulentam, quam vos adeo quoque comptam or-
natamque conſpexeritis, & cogitate cum animis
veſtris quas modo ad pios parentes preces, quas
lachrymas, quos ejulatus miſera omniumque ege-
na rerum alumna veſtra effundat, veniant in men-
tem tandem quotquot ubique locorum qui ad hoc
uſque tempus ab illa ruina patriæ inopem atque
ærumnoſam vitam per miſeras ſucceſſiones perdu-
xere. Quos etiam ſæpe fortuna coegit felices eos
putare qui ardente olim atque ruente patria cum
laribus, & ibi obruti & concremati perierunt;
omnes hi tandem præſenti felicitati veſtræ gratu-
lantes, ut beati vos modo rebus afflictiſſimis no-

A ſtris aliquam porrigatis opem mœſti advolutique
veſtris pedibus precantur. Neque vos debetis non
pios, non indulgentes præbere voſmetipſos in ve-
ſtrum ſanguinem, præſertim ſi id nunc multo eſt
opus facilius, quod a vobis & a veſtris petitur,
quam quod vos olim ultro & nullo rogante con-
tuliſtis. Extant enim adhuc veterum ædificiorum
multa fundamenta, & infinita penè materiæ vis
ex antiquis ruinis, quæ quidem admodum novæ
conditioni, ſi vos rem capeſſatis, opitulabuntur,
& commoditates quam maximas poterunt ſubmi-
niſtrare ædificantibus. Agite igitur patres *Romani*,
ſuccurrite miſeris, date ſalutem ejectis ſupplici-
B bus, reducite in ſuas ſedes Deos penates *Florenti-
norum*, ſi diis tandem ipſis grati eſſe vultis, & 48
Romanæ antiquæ virtutis, & benignitatis videri
non immemores, nam quod nos aliud polliceamur
habemus; neque quod habituri ſumus veſtro mu-
nere, non veſtrum magis qui dederitis in omnem
rerum omnium eventum, quam eorum qui acce-
perint reputari per omnia tempora conveniet. Nos
autem inepti fuerimus profecto ſi quod eſt neceſ-
ſarii officii verti velle potius gratiæ videamur, ſi
quando pro veſtris commodis cuncta quæ accepi-
mus ſors aliqua repopoſcerit. Secundum hanc ora-
C tionem Senatusconſultum factum eſt juxta lega-
torum poſtulata, & negotium reficiendæ *Floren-
tinæ* Civitatis *Carolo* Imperatori datum, ut dum
ipſe redit in *Galliam*, quo erat prope die profe-
cturus, iter faciat per *Etruriam*, & ſi ita viſum
fuerit, quoad refecta mœnia ſint *Florentiæ*, re-
moretur. Cum hoc dimiſſi reſponſo Legati cum
ad ſuos lætitiæ pleni revertiſſent, omnes ubique
ſuæ gentis ad deploratam prope jam ſpem patriæ
erexerunt. At *Feſulani* his permoti vocibus, jam
enim decreti *Romani* de *Florentia* ad multos fama
pervenerat, quomodo ire obviam quirent & æ-
mulæ vicinæ urbis turbare refectionem conſulta-
D bant. Vicit tamen fatum, ut opinor quoad res
tantas *Florentinæ* novatio urbis promittebatur, in-
vidorum pervicaciam, & *Carolus* non multos poſt
dies *Florentiam* venit. Diebus autem illis paucis,
quibus poſt Senatusconſultum in urbe fuit con-
ſtituendis imperii tollendiſque in perpetuum omni-
bus diſcordiarum fomitibus intendit, ac *Nicepho-
rus*, qui *Bizantii* pulſa *Irene* regnum acceperat
Legatos de concordia miſit ad *Carolum*. Data ve-
ro pax eſt *Nicepboro*, de *Italia* eademque quæ
cum *Irene* fuerant ſervatæ conditiones, atque omnis
illa pars quæ eſt inter *Neapolim* & *Sipontum* cum
Sicilia quoque eoque mari quo omnis ille *Italiæ* 49
E tractus ſupra infraque abluitur, *Nicephoro* pare-
ret; cætera ad Imperatorem *Romanum* pertinerent.
Nam *Carolus* rebus *Romæ* ex ſententia ita compo-
ſitis, ex Senatus decreto properans in *Etruriam*
turbam etiam fabrorum undecunque conquiſitam
accerſivit. Cum vero in eos campos, ubi *Floren-
tia* quondam fuerat, perventum eſt ita rationem
renovandæ urbis iniit. Primum namque doctiſſi-
mis Mathematicorum in conſilium adhibitis pun-
ctum ex eorum reſponſis ab urbis renovandæ ini-
tiis obſervatum eſt, diverſis deinde in partibus cum
diviſiſſet fabrorum operas, ſimul excitavit muros,
F & vetera fundamenta, ſicubi ea novæ ſtructuræ
convenerunt celeritati cui plurimum ſtudebatur,
addidere; quæcunque ſimilitudinem antiquæ for-
mæ ulla in parte retinere potuerunt, habita inpri-
mis cura ſimilitudinis, & quæ tunc quoque imitari
aliquid urbis *Romæ* figuram potuere, omnia ſum-
ma induſtria obſervata; ambitus tamen aliquanto
minor fuit, quo cæpta celeriùs perficerentur,
maturabat enim reditum trans *Alpes Carolus* con-
tra *Saxones* qui rebellaverant, breviora omnia di-
ligebantur. Non tamen quicquam prætermiſſum
eſt quod ad ſpeciem murorum, quodque ad inve-
nien-

niendam novam urbem pertineret profundæ & latæ fossæ circumductæ, & repletæ aqua, crebræ per muros eadem magnitudine turres æqualibus inter se distantes spatiis etiam ornatum præbuerunt. Admiranda celeritas in perficiendo fuit. Nam & convicini omnes incolæ erecti ad novæ urbis spem, & omnes reliquiæ veterum *Florentinorum* per *Italiam*, ubicunque latitarent, excitati convenerunt ad ferendam opem; præterea multi no-
50 biles, qui per Castella *Etruriæ* habitabant, quos sæpe *Fesulani* variis infestabant injuriis, darique novam gentem; quibus contra *Fesulanos* niterentur auxiliis maximè cupiebant, & ipsi non linguis modo atque animis sed re ipsa atque opere faverunt. Ita mœnibus omni ex parte perfectis *Carolus* diem festum agit, & data in perpetuum omnium munerum vacatione, quotquot ex omni hominum genere illuc ad inhabitandum convenirent, abiit in *Galliam* relicto etiam militum præsidio, qui novam infirmamque principio urbem a *Fesulanorum* maxime injuria defenderent. Incredibile est quantum brevi nova Civitas coaluerit, undique confluentibus spe maximè, quæ præponebatur de munerum vacatione, qui in nova urbe domos ædificarent sibique posterisque eligerent domicilia. Sunt etiam qui tradant ut quondam *L. Syllam* sic & tunc Senatum *Romanum* urbis auctorem colonos huc misisse de suis civibus, qui hæc loca admisti convenis quibusque incolerent; hisque partem agrorum assignatam, quod reliquum fuit relictum in medium, ut haberent convenæ unde in aliquam & ipsi agri possessionem venire possent, decreto tamen facto, ut plusquam viginti jugera occupasse nomini liceret. Certatim ædificatum esse constata novis habitatoribus & turres centum ferè & quinquaginta inter privatorum ædificia brevi consurrexere pari prope altitudine, quæ cubitorum fuisse centum ac viginti nonnullæ, quæ ad nostram usque ætatem incorruptæ durant, clare ostenderunt. Ita & decorem renovatæ urbi additum & ad frangendos quorumvis hostium conatus, si quis ingruerit casus, ejusmodi ædificandi genus aptum magis existimavere; quem morem deinde sequuti plerique per *Etruriam* oppida permulta nobiliora, & civitates exornavere turribus; quæ quidem
51 adhuc servantur. Nos enim novo in Civitatem inducto more ædificandi majore sumus ex parte nostras demoliti. Quatuor in partes primum divisa Civitas fuit, & denominatæ a portis, ordoque juxta portarum ordinem institutus, quo & proficiscerentur armati in hostem, & domi honores sortirentur, quæ deinde amplificata urbe acceptoque intra mœnia *Arno* fluvio, ut suo loco dicemus, pro quatuor sex portas instituerunt, quæ deinde rursum mutata gubernandi forma ad pristinum numerum rediere. Veterum etiam nunc portarum cum nominibus nonnulla vestigia apparent, quæ quidem a vicinis templorum vocabulis duxere omnes appellationem & una porta *Petri* quidem a Divi *Petri* æde, ut *Pancratia* a *Pancratii* templo, a *Mariæ* vero Genetricis, quod etiam nunc *ad portam* dicitur, ad *Guelforum* palatium tertia denominationem sumpsit; nam quæ ad *Baptistæ* Basilicam fuit, eam dixerunt a *Græco* nomine opinor, quod *Græci* nobiliores Deorum ædes δώματα vocavere, ut multa præterea ab illis accepimus. Duos vero principio sibi consules instituerunt, centumque Senatores, ut morem gubernandi *Romanum* sequerentur. Quatuor apud alios esse institutos comperio pro portarum numero, verum ut duobus magis assentiar facit Senatorum quoque numerus aliaque multa quibus imitatos eos fuisse pro viribus *Romanos* certum est. Dura autem imprimis difficilisque repugnatio fuit. Non modo enim *Fesulani* in quorum caput sustolli nova Ci-

A vitas videbatur sed quidam etiam per *Etruriam* reguli & potentiores coalescere in suam perniciem, novum populum putantes juncto cum *Fesulanis* fœdere continua prope atque aspera bella inferebant. Ita ægre trecentos ferme annos cum finitimis ad muros prope urbis non de potentia & gloria magis quam de solo quoque ipso & sanguine 52
obstinatissimè decertatum, donec victis tandem *Fesulanis*, & diruta a fundamentis etiam arce, quæ quidem, ut diximus, post eversam urbem aliquamdiu atrociter repugnavit, fuitque multo laboriosior expugnatio, terrori esse hostibus cæ-
B pit & propagare fines, quanquam uti multarum præterea rerum, quæ sunt in *Italia* gestæ, per ea tempora pauca omnino aut nulla monimenta sunt, ita & nostrarum quoque memoria majori ex parte interiit. Nos si quæ exstabunt, quæ venerint in notitiam, ut hactenus cum ad sua loca ventum erit, non prætermittemus. Nunc agamus quod instat. *Carolum* nondum supervixisse ex quo ex *Italia* profectus est, quidam putant, sed mortuum ex calculis senem, aquis gravidum. Sunt & qui quartum illum *Italiam* arbitrentur revisisse, *Florentiam*que & quam multa urbi ornamenta contulisse. Multis etiam ex nobilitate accitis in eque-
C strem dignitatem, & Templo quod dicatum esset Apostolis extra *Mariæ* portam ad *Arni* ripas exædificato. *Ludovicus* post *Carolum* parentem *Romano* Imperio potitus est, nam *Pipinus* natu major, quemque *Leo* Pontifex Regem *Italiæ* declaraverat, antequam *Carolus* vita migrarit, *Mediolani* diem obiit; *Bernardus Caroli* ex *Pipino* Nepos regnum *Italiæ* obtinuit. Moritur interea & *Leo* Pontifex & *Stephanus* Quartus vocatus ad Summum Pontificatum proficiscitur in *Galliam* & *Ludovicum* induit Imperatoriis insignibus, inde *Romam* reversus septimo mense excessit e vita. *Ludovicus* autem ipse Imperator, qui cognominatus est *Pius*, *Lo-*
D *tharium* filium accessit in partem Imperii; qui etiam haud multo post, cum *Bernardus* ob læsæ Majestatis crimen damnatus negaretur, ipse Rex *Italiæ* atque Augustus appellatur, *Pipinum Ludovicum*que duos præterea ex se natos, alterum in 53
Aquitania, alterum in *Bavaris* regnare jubet. Cùm *Saraceni Abderamaro* Rege & Duce gentis aggressi sunt in *Sicilia Panormum*. *Siciliam* autem *Saracenis* infestantibus, cum frustra *Gregorius* opem a *Gallis* Imperatoribus diu petiisset, quod pertinere ejus insulæ defensionem ad eum qui in Oriente regnaret videretur, *Bonifacius Corsicæ* princeps capessens ipse cum *Etruscis* quibus-
E dam auxiliaribus copiis rem *Romanam*, trajecit in *Africam* viresque illic *Saracenorum* brevi ita pugnando fregit, ut & qui in *Sicilia* rem turbabant confestim ad suos in *Africam* juvandos redire cogerentur. Auctores sunt non convenisse per id tempus *Ludovico* Imperatori cum *Lothario* filio, ac per eam occasionem aggressos *Italiam Mauros*, quod & ipsum *Saracenum* genus est, venisse *Centumcellas*, quæ nunc *Civitas vetus* dicitur, inde petisse *Romam* constat, sed captam eam tunc fuisse ac direptam. Id vero in dubio est, neque scriptores non diversa tradunt, hos vero eos fuisse
F *Saracenos*, qui pulsi *Roma* venerint in *Siciliam* *Panormum*que diu oppugnarint, deinde ad ferendum suis auxilium abierint in *Africam*, tradunt. Interea *Ludovicus* moritur post annos triginta sex, ingenti gloria imperavit. Post *Ludovici Pii* mortem tres filii inter se de regno acerrimè decertaverunt. Commisso prælio *Fontanico* nomen loco pugnæ est, omnium maxima strages facta traditur, *Lotharius* ex prælio *Aquisgranum* primo, deinde fugantibus victoribus, perfugit *Viennam*, qui tamen paulo post redierunt in gratiam opera maximè *Sergii* Secundi *Romani* Pontificis;

ficis; qui quod proprium nomen dehonestare pontificiam dignitatem videretur, *os porci* vocabatur, morem invexit mutandorum Pontificibus nominum, ut pro suo quisque arbitrio nomen desumeret.

54 Sed trifariam diviso regno *Lothario Roma* atque *Italia* obvenit, qui *Ludovicum* filium in sortem acceptum regni misit cum exercitu in *Italiam* & ejus regem nominavit, quod audisset ex delatoribus, qui tamen deinde convicti falso objecti criminis pœnas luere, inclinare Pontificem ad *Constantinopolitanum* Imperatorem. *Sergius*, ubi is in urbem venit, benignissimè inunxit, atque omni humanitatis genere prosecutus est, quo ferocientem juvenilem animum a militari incontinentia & libidine demolliret. Huic *Carolus* Secundus qui *Lothario*, cum is senex imperatorio se muneri abdicasset, successit; *Johannes* octavus Pontifex, inunxit regemque & Imperatorem *Romanum* appellavit. Is verò paulo post ex veneno *An onæ* moritur, *Ludovicus* filius cognomento *Balbus* regnat. Suspicio fuit corruptum pecunia Pontificem Imperatoris quoque *Romani* honorem ad *Balbum* detulisse; quod cum molestè populus *Romanus* ferret conjectum in vincula Pontificem, & ad *Carolum Crassum* munus *Romani* Imperii delatum ferunt, atque ambos simul quoad vixit *Balbus* discordibus primum animis imperavisse. Post duos deinde fere annos *Saracenis* rem *Romanam* prementibus, duo Imperatores invicem redeuntes in gratiam, Pontifici quoque suos honores reddiderunt. Verum longius fieret modo si ordinem Imperatorum recenseamus. Nam & hæc quæ attigimus erunt fortasse qui supervacanea reputent. Nobis vero *Caroli* successionem non usquequaque jejunam reliquisse visum est, simul non ab re forte fuerit propter multa quæ incident in narrationem, si variatum esse Imperatoribus *Romanis* cognoverimus, ut a *Romanis* ad *Græcos*, inde ad *Gallos*, ab his rursum ad *Germanos* translatum, quanquam *Otho*
55 *Germanorum* Rex primus, deferente eum honorem populo *Romano*, & Imperator in *Germania* *Romanorum* fuit qui etiam in *Italiam* contra *Ungaros*, qui huc eruperant accersitus cum tribus magnis præliis fudisset, *Berengarium*, qui in *Italia* petulantissimè regnabat, attrivit. Huic *Otho* alter successit, inde per manus ad tertium quoque *Othonem* pervenit *Romanorum* Imperium. *Florentiam* amavisse urbem *Othonem* illum superiorem fama est, atque in ea, dum e *Germania* it viam reditque, familiariter diversatum, unde & ampliorem fecisse agrum *Florentinum* traditur, quem intra passuum tria millia *Carolus* concluserat, aliquot etiam de Comitibus *Othonis*, qui in Civitate remanserunt *Florentinam* nobilitatem auxere. Hinc *Ubertos Lambertos*que quidam duxisse gentis exordium putant, ut & *Guidorum*, qui & *Comitum* servaverunt nomen in *Flaminia* primum; unde ob immodicam ejecti Tyrannidem ac trucidati a *Ravennatibus* in *Casentinate* deinde agro constiterunt. Jamque annus a *Christiana* salute millesimus vertebatur, & decretum fit quod ad nos usque pervenit, ut Imperator *Romanus* per omnia tempora e *Germania* peteretur; Cujus quidem perferendi potissimum ratio fuit, quod nullæ tunc quidem gentes promptiora, cum esset opus, auxilia *Romanis* subministrarent. Accessit & in *Gregorium* Quintum Pontificem *Romanum* recens *Othonis* beneficium eum a multis eum periculis liberaverit. Quod etiam vero simile facit hoc potius tempore quod alii tradunt *Silvestro* Secundo aut *Sergio* Quarto Pontificibus qui *Gregorio* successerant, duobus tantum, *Joannis* utrique fuit nomen, interjectis, contigisse. Additum decreto ut hæreditarium Imperatorium munus non fieret, neque esset Pontifex *Germanus*, ne duobus summis *Christianorum* ma-

A gistratibus una modo gens potita, cæteros sine ho- 56
nore neglectos reliquisse viderentur. Modus etiam certus, certumque est collegium constitutum, quæ deinde servari in creando Imperatore *Romano* conveniret; appositum postremo constat: nisi quem *Romanus* Pontifex comprobaret, legitimum Imperatorem *Romanum* non videri. Post hæc *Otho* revertitur in *Germaniam*, & pestis famesque ingruere, ut nihil accidisse putetur per multa tempora miserabilius. Recreavit nonnihil *Hitagonis*, quem *Etruriæ* abiens præfecerat, benignitas. Hic cum uxore *Florentiæ* habitavit. Descendisse eum aliquando per quietem ad inferos ferunt territumque
B pœnarum acerbitate animum ad religionem exornandam intendisse. Itaque septem diversis in locis monasteria ædificavit ditavitque. Inde constanti prope opinione divinitatis moritur. De *Othonis* vero tertii obitu varia traduntur, & sunt qui perisse cum veneno putent; quod enim *Romani* decretum de Imperatore e *Germania* deligendo improbarent auctori ejus intendisse insidias. *Henricus* certè *Bavariæ* Dux Secundi *Othonis* Filius, qui maternum genus in *Carolum Magnum* referebat, *Othoni* mortuo subrogatus, ex novi decreti observantia *Benedictus* Octavus Imperatoria corona aurea decora-
C vit, cum *Romam* tandem adventasset, aliquamdiu ponendis domesticis turbationibus intentus, quem deinde coronæ morem posteri quoque ad hunc usque diem accepere. *Ungari* nostra sacra opera admiserunt, maximè uxoris regiæ, quæ *Henrici* Imperatoris filia fuit neque a parentibus degeneravit, nam & ipsi mira religione claruere. Per hæc tempora *Florentini* desperata concordia cum *Fesulanis* de Imperio postremo decertavere, atque eversa quod primo libro diximus eorum urbe e 57
duobus unum populum fecerunt, quod necessitatem attulit amplificandæ urbis. Itaque primum pro
D tempore vallo & fossa circumdederunt, deinde etiam muris ornavere: suburbana erant extra portas, ea includi placuit & protendere usque ad *Arni* ripas ædificia. *Carraria* porta fuit ubi nunc pons est qui ab ea nomen habet; ab hac vero ad *Boariam*, quæ fuit superioris fluminis parte continuati muri, quicquid juxta *Arni* ripam fuit ædificiorum, concluserunt. *Boaria* verò a Boum mercatu primum dicta, *Cuonana* deinde appellata est non longe a *Rubaconte* qui ab ea quoque parte nobilis pons est. Cum qui *Cuonam* habitabant eam partem insedissent trans *Arnum* etiam tria suburbia, ut tres viæ nobiliores ab urbe extiterunt *Pisana*,
E *Romana*, *Senensis*, circumducto muro tribus portis ornavere; quanquam factum id deinde putant per *Arrigi* tertii tempora, cum is hostem se *Florentini* populi ad invadendum accingeret. Omnem vero ita auctam Civitatem distinxerunt in partes sex, ut una trans *Arnina* esset, cis *Arnum* quinque, ut portæ quoque fuerunt. Nam illius quæ Sanctæ *Mariæ* porta dicitur, quæ inter *Carrariam Boariam*que fuit, cum usu paulatim obsoleta denominatione translataque ad viæ tantum appellationem; qua enim trans flumen recta itur a porta nomen & nunc retinet. Consulum quoque auctus numerus, ut singuli in sin-
F gulis portis legerentur. Unus autem inter eos forte princeps erat cui quidem vocandi populi, & cogendi Senatus, & decreti referendi jus erat. Capitalium quoque ipsi rerum & judiciorum habebant potestatem, donec ad præturam urbanam vocati ex alienis Civitatibus, quod post dicemus. 58
Horum nomina, ut cæterorum quoque magistratuum quæ majore ex parte scriptorum negligentia non extant, neque nos ea inserere hic scriptis potuimus præter admodum pauca, quæ nescio qua felicitate a communi peste atque interitu evasere, quæ erunt inventa nos sua laude non defraudabimus.

mus. Civitatem ergo ita auctam mœnibus clariorem *Conradi* consuetudo fecit. Is *Suevus* fuit, & post *Henricum Romæ* regnavit, etsi trium ferè fuerit annorum interimperium, vix enim adduci *Romani* potuerunt ut *Othonis Gregorii*que de Imperatore *Romano* decretum perferrent. Diversatus enim *Florentiæ* pene familiariter auctoritatem auxit, & nobilitatem plurimum decoravit. Cum venisset primum in *Italiam*, & *Mediolanum* appulisset, quod ingressu *Mediolanenses* prohibuerunt, omnia circum ædificia succendit, ab oppugnanda vero urbe retractum, religione motum ferunt, cum nuntiaretur *Ambrosium* (is fuit illius urbis Antistes, & ob vitæ integritatem relatus inter divos) multa minitari per quietem, nisi a sua urbe abstineret. Sunt qui dum res sacra fieret ea visa tradant. *Conradus*, certe his perterritus minis, inde properè abiens ad auream coronam accipiendam *Romam* venit: *Joannes* XX. coronavit. In *Sclavos* inde *Ungaros*que qui rebellaverant convertit *Romana* arma. Tribus vero coronis Imperatores nostris insigniri oportuisse ex decreto quoque ipso *Blondus* testatur, ut dum iter faciunt *Romam* primum de palea *Mediolani*, deinde ex ferro coronentur, auream tandem in urbe a Pontifice accepturi. Huic successit fortunæ pene conatibus *Henricus* alter *Leopoldi* filius, & ipse ut Pontificis assectator, ita & urbis *Florentinæ* amator. Viderat autem in somnis *Conradus Leopoldi* filium sibi generum futurum & regni hæredem; itaque cavens liberis conquisitum puerum interficien-
59 dum curat. Sed ad hæc tanta deferentibus fatis, hi, quibus triste id negotium datum est, pueri maximè moti misericordia in silva vivum illæsumque destituerunt, qui paulo post a pastore inventus, cum is ad infantis vagitum accurrisset, redditur parentibus, apud quos clam educatus, cum ætatem ad adultam venisset, idque cum rescisset *Conradus* rursum tendit insidias; itaque juvenem ad se accersit, & blande alloquutus, opus esse ait, ut ipse ad uxorem cum literis proficiscatur (scriptum in his erat, ut eum Regina perderet, si sibi regno suisque filiis salubriter consultum vellet.) Juvenis ergo, cum mandata recepisset quod erat suspicatus resignatis literis cum apertis cognovisset, adulterinas conscribit, quibus generum ascitum se ab Imperatore Reginæ significat, proinde accipiat benigne & filiam despondeat. Quod factum tandem Soceri, etsi inviti, animum mutavit, & quandoquidem, inquit, Diis ita visum, non adversemur fato, atque ex eo die tantarum habuit rerum successionem. Regnavit autem ingenti admiratione virtutis, neque rem modo *Romanam* præter morem vexatam intestinis seditionibus constituit, verum etiam contra barbaros hostes sæpe ferocissimè depugnavit. Qui Patri *Henrico* successit secundo *Henricus* tertius omnia turbavit, fuitque multorum quæ *Italia* perpessa deinde est, malorum seminarium. Is *Victorem* secundum erexit ad *Pontificatum*, qui *Florentiæ* Concilium habuit ac multos Sacerdotum arguit errores; ubi & *Stephanus* deinde nonus diem obiit; postеaque *Robertus Giscardus Græcos* magno prælio fractos pepulit e *Calabria*. Ipse omni illi oræ præfuit & *Alexius* qui *Nicephoro* in *Constantinopolitano* Imperio successor fuerat omnis ferè *Italia* cessit; qui autem *Giscardus* fuerit, unde hic arma intu-
60 lerit, incertum est. Sunt qui *Gallum*, sunt qui unum ex his *Normannis* fuisse putant, quibus *Carolus Magnus* ultra *Sequanam* flumen loca victis ad inhabitandum dederat, a quibus & omnis illa *Galliæ* pars denominationem accepit, venisse autem in *Italiam* quærentem sedes novas, cum *Riccardus* frater domi omnia occupasset. Alii vero non ipsum invasisse primum hoc re-

A gnum dicunt sed *Guilielmum Tancredi Normandiæ* Ducis filium pepulisse inde *Græcos*, unde *Maloscus* (is *Græcorum* Dux fuerat) ejecerat paulo ante *Saracenos*, illicque regnasse cum *Drogo* primum, deinde *Vfredo* fratribus. Ab his venisse *Giscardum* in eam regni successionem; posteaquam *Gofridus*, & ipse *Tancredi* filius vita decessit. Constitisse vero admodum adolescentem in *Calabria* ubi bonis artibus brevi gentis principatum adeptum, *Apuliam* quoque & *Siciliam* imperio adjecisse, Amicus certe populi *Romani*, & Pontificias sectatus partes contra *Henricum* tertium
B Imperatorem *Romanum* socia arma junxit. Hic enim pravo consilio ex defensore & patrono hostis factus adulterium objecit *Alexandro* secundo Pontifici Maximo, qui *Nicolao Florentino* Episcopo post *Benedictum* decimum successerat, & *Benedictus* quidem mense ferè decimo ambitus damnatur; qua re admonitus *Nicolaus* decretum tulit de creandis Pontificibus. ut nisi quem Cardinales legitimè creassent inutiles haberentur. Ita non Imperator modo exclusus, cujus sæpe in deligendo Summo Sacerdote vel maxima fuit auctoritas, sed & populi quoque *Romani* suffragia cessaverunt, quod ea non jam ad virtutem sed ad gratiam spectarent, ac potentiam eorum, qui pontificiale
C etiam munus mancipare libidini postulabant. Deteriora autem cuncta *Henrici* perversa & obstinata 61
studia faciebant; qui cum in animum induxissent demi de suo honore quicquid adjiceret Pontificis *Romani* dignitati, omnia commiscebat, jamque *Romanos* primum inter se non sentire eadem, sed hos Imperatorias, illos Pontificis adegerat partes anteferre; quod, deinde malum tanquam per fæda contagia ad reliquos quoque populos cum perrepsisset, Deus bone? quantum incendiorum quantum ruinarum cruorisque humani ad nos usque intulit. Inter Pontificis *Romani* sectatores *Mathil-*
D *dæ* maximè opera insignis fuit, ea maternum genus, quanquam res perobscurior traditur, in Imperatorem *Romanum* referebat. Nam *Beatricem Henrici* secundi Sororem, etsi & hoc quoque ambiguum est, ab Imperatore *Græcorum* duxisse originem quidam putant, ea vero *Bonifacio* cuidam *Lucensi* juveni formosissimo, cum is in patris aula diversaretur per clandestinas nuptias vincta traditur, veritam autem patris in se ob id admissum sævitiam, fugisse in *Italiam*, & *Lucæ* cum viro consedisse, quod cum patri innotuisset severitatem posthabens per litteras id matrimonium confirmavit, proposuitque *Lucæ* & nonnullis præterea ur-
E bibus, & in *Etruria* & in *Gallia Bonifacium:* his vero ortam parentibus *Mathildam Gothefrido Spoletano* Principi nupsisse, & in hæreditatem successisse parentibus vita functis, cum nihil præterea liberorum reliquissent. Sunt qui cælibem traduxisse vitam omnem religiosamque asseverent; sunt qui a *Suevis* usque ducibus petiisse *Gulphum* virum putent, sed eum mox inhabilem proli procreandæ deprehensum repudiasse & usque ad extremum vitæ diem fuisse innuptam, ut eos modo præteream qui *Ationem* quoque *Estensem* Principem *Mathildæ* dicunt conjugem fuisse, cum quo
F adversus *Henricum* cum progressa in *Gallia Romam* 62
cum exercitu petente. Vtcunque res se habeat, *Virago* certè fuit, & fœminarum prope cunctarum quæ in historiam veniant, maxime præclara. Tres autem præcipuos de hoste triumphos ingenti cum gloria reportavisse ferunt, rejectis primum *Normannis*, qui rem Pontificiam in *Apulia*, antequam *Giscardus* rem & ipse *Romanam* capesseret, perturbabant, deinde superatis acie Ducibus, *Henricus* patre & filio Imperatoribus, cum hi arma contra *Romanos* Pontifices expedivissent; ad extremum gloriose defunctam Ponti-

tifi-

tifices Romanos testamento hæredes instituisse, unde & Patrimonium Petri factum memoriam Mathildæ in Romanam Ecclesiam benignitatis perfert ad posteros. Et Ferraria urbs Pontificum effecta vectigalis fertur. Nostra quoque Civitas cum Imperator omnes Italiæ populos contra Pontificem concitaret prætulit Romanos; & adversus Henricum arma apprehendit. Nam Roma revertentem, ubi multa fecerat contra Gregorium septimum, quem post Alexandrum secundum miris modis affligebat, cum Florentini a mœnibus avertissent, ira adeo percitum ferunt, ut expedire arma statim milites atque urbem aggredi juberet. Neque vero primi illi conatus e sententia satis cessere. Igitur obsidere urbem pergit; cumque a Carraria ad Boariam portam circumstruxisset agmen, nullum oppugnationis genus intermittens urbem premebat; neque a Civibus minori industria aut viribus repugnabatur. Multæ utrinque sæpe inflictæ atque acceptæ clades. Ad postremum autem cum erupissent majore impetu Florentini adeo hostem fregere, ut dissoluta statim obsidione in Galliam abierit, unde etiam mox a Mathilda superatum bello, reversum esse trans Alpes tradunt

63 in Germaniam, & victum ab Henrico filio vinctumque in carcere diem obiisse. Annus erat millesimus ferè ac centesimus Christianæ salutis quo Gothi in Asia & Hierosolymis gloriosissimè bellantur, cum Florentini multo facti potentiores bella cum finitimis multifariam gerebant, pulsisque de locis etiam munitioribus Tyrannis Regulisque, qui permulti in Etruria tunc erant, fines porrigebant. Pratenses quoque, cum adversarentur, in potestatem devenere: oppidum hi paulo ante ædificaverant, cum multi ex propinquis vicis convenissent, quo se ab incursionibus variis Tyrannorum, atque injuriis tutiores redderent. Coëmpto igitur prato ex collectitia pecunia, ut in suo ædificantes solo asserere sese in libertatem possent, oppidum Pratum agri nomine condiderunt. Eodem ferè tempore ad Cassiolum eodem eventu, nisi quod id diruerunt, pugnatum. Id quoque oppidum Imperatorios milites accepit, & sentiebat cum Miniatensibus, qui etiam præfectos acceperant Imperatorum. Ex quo his ejectis Florentini Pontificias ac Romanorum causas fuerant complexi. In Cassiolo Robertus etiam quidam Imperatoris præfectus, dum obstinatius repugnat, interficitur. Quod dedisse imprimis curam Henrico quoque quarto fertur cum venit in Etruriam Romam petens, ut & ipse eadem tamen qua paulo pater ante fortuna Florentiam oppugnaret. Duo fuerunt non magno intervallo temporis in urbe horrenda incendia, quibus quidem præter ædificia multa, privatorum quoque opes cum Dominis & familiis conflagrarunt, & literarum etiam monimenta deperiere, unde factum, ut res gestæ nostræ ad eam diem nisi perpaucæ, quæ & ipsæ a peregrinis magis petuntur auctoribus, desiderentur. Ea vero

64 tempestate mari potentes Pisani erant. Itaque Pontifex post Hierosolymitanam victoriam continuo reputans quo pacto Saracenorum reliquias prosequi ac delere ubique posset, illos per literas ac legatos cohortatur ut parata classe in Baleares trajicerent, atque inde (duæ autem sunt in pelago Hispaniæ nobiles insulæ) Saracenos pellerent. Pisani ergo dicto audientes classem ingentem parant, et tanta quidem potiundi spe ut vix qui custodire urbem possent, dum naves instruunt (tantus ardor incesserat) domi relinquerentur. Jamque moverant e Pisano portu, et vadis Volaterranis constiterant, ventos ad trajiciendum secundos expectantes: cum Lucenses veterum memores æmulationum tantam occasionem minime prætermittendam rati belum parant. Id scilicet cum innotuisset, ambi-

A guam reddidit Pisanis eam profectionem donec missis Florentiam legatis fœdere icto, quæ necessaria foret dum ipsi domo absunt, defensionem impetravere. Lucenses ab incepto destiterunt. Pisani autem cum prospero cursu adnavigassent plenissimam de Barbaris victoriam reportavere. Cum igitur læti rediissent, ditatique omnifariam Saracenorum gaza, visum est; ne accepti immemores beneficii vocarentur in dividendis exuviis, ut inprimis Florentinorum; quorum maxime opera tanta erat parta victoria, ratio haberetur. Erant inter hostium spolia duæ porphyreticæ nobiles columnæ, eas dono dare Florentinis placuit. Igitur magna pompa invectæ in urbem præ foribus Baptisterii

B spectantur. Fesulanam vero arcem per id tempus a stirpe intersisse Villanus auctor est, et decretum factum a Florentinis ne quis in eo monte deinceps nisi ad privatum prædiorum usum ædificaret. Erant ea quoque tempestate qui quartum lapidem via Senensi Montem vocant bonum, loco munito 65
habitantes suspectam fuerint Florentinis eam propinquitatem, conventus enim facerent sæpe agricolarum, unde facile irruptiones, et latrocinia timerentur. Itaque aggressi Florentini diruerunt arcem; qui in ea erant quidam nobiliores de Fesu-

C lanis duxisse originem nonnulli prodiderunt, donati Civitate inde ad hæc usque tempora nomen familiæ suæ perduxerunt, Bondelmontes inverso nomine appellantur. Bellum erat eodem ferè tempore, neque diversa ex causa, cum Guidis Comitibus, qui et ipsi quædam vicina urbi castella possidebant cum his, et multi præterea quibus convalescens indies Florentinorum fortuna formidolosa erat; et Arretini inter primos sentiebant. Dirrucium vocant ubi Castellum fuit via Arretina Guidorum præsidio, et montis situ præmunitum. Id verò invadere primum consilium fuit. Itaque copiis instructis montem obsederunt: difficilior vero fuit oppugnatio. Non

D enim cum Guidis modo res erat sed cum Arretinis cæterisque fœderatis, qui frequentes ad repugnandum convenerant. Hi verò, cum audacius aliquando erupissent terrore injecto verterunt Florentinos in fugam, et solvendæ obsidionis necessitatem intulere. Sic per aliquam intercapedinem minus infestæ res dum animos resumunt et bellum Florentini restaurant, tandem majoribus adnixi viribus vi captum castellum diripiunt a stirpeque evertunt; neque tamen eo quietior Civitas fuit scaturientibus jamjam, tanquam e fonte quodam, invidiæ formidinisque bellorum causis. Pistorienses

E cum Pratensibus de Carminiani possessione contendebant armis, nitebanturque Pratenses Florentinorum maxime viribus multo hostibus impares, si suo sit Marte decertandum. Nam longe a Carmi- 66
niano utraque castra erant, & sæpe cum leviora prælia committerentur, ac vicissim victi, & victores evaderent, invasit utrorumque animos justi magis prælii libido. Pratenses dum inconsultius locum pugnæ capiunt, conseruntque manum confidentius pressi post durum certamen, impulsique cesserunt; Qua quidem elati victoria Pistorienses dum fugientes persequuntur ad Prati usque mœnia intulerunt signa, & pro portis victoria

F alacres vix quoquam expediente contra telum pugnaverunt jactantes sua facinora, & unumquemque hostium magnis vocibus, ut quique erat magis notus nomine, appellantes. Cum Pratenses nihilominus intra munitiones sese continerent. Pistorium redditum. Dum hæc ad Pratum geruntur, Guidus Comes familiæ princeps irarum atque indignationis plenus cum auxiliaribus multis copiis adventare nuntiatur. In hunc missus exercitus cum ad Bonitium obviam hosti fieret, male pugnatum esse a nostris Soziomenus tradit. Neque tamen aut auxilia Pratensibus aut contra Guidos hostes

hostes necessaria sunt supplementa ad defensionem intermissa. Tamen *Pratenses* rursum victi acie ad montem *Murolum Carminiani* possessione decesserunt. Exercitus autem contra *Guidos* reparatus in *Aretinos* ire jussus brevi debellavit. Et illis ad postremum victis data pax his potissimum conditionibus, ut a fœdere amicitiaque *Guidorum* averterentur; eosdem vero deinceps haberent hostes, atque ab ea parte, unde *Florentini* bellum inferrent *Aretini* etiam pugnarent. Interea ortæ inter *Florentinos Senenses*que ob contraria studia quæ illi adversum Pontificem *Romanum* imperatoriam causam præferrent contentiones in apertum tandem bellum erupere. Ad *Ascianum* pugnatum con-
67 stat & quidem *Senensium* pejore sorte; nam & ipsi acie superati pacem iisdem ferè conditionibus acceperunt. Foris ita pacatis rebus, domi intestinæ seditiones turbaverunt otium: bina etiam incendia & pontis, qui deinde aliis superædificatis novis est *vetus* appellatus ruina, turbationi plurimum addidere. Discordiarum vero civilium causam, quæ tunc primum execrabili exemplo insurrexerunt in *Ubertorum* referunt familiam. Nam cum essent ea tempestate civitatis facile principes pollerentque præter cæteros divitiis atque anteirent dignitate stimulante animos fortuna quæ vix unquam præsenti rerum statu conquiescit, criminari consules atque eorum superbum dominatum neque jam ferendum, occepere; præferebant videlicet populi causam, re autem vera excutere a cervicibus illud severioris magistratus jugum postulabant, ut regnare ipsi liberius & omnem Rempublicam, quod facile futurum sperarent amoto aut saltem mutato, ut vellent ipsi, magistratu pro arbitrio magis administrarent. Ea vero res continuo duas in partes civitatem distraxit, plerisque de nobilitate superbiam *Ubertorum* potentiamque accusantibus, & apud multitudinem, quæ ob crebras largitiones *Ubertorum* ferè tota erat, odii semper novas causas vestigantibus, quo plebis animos ab illorum studiis averterent. Nullam quærere *Ubertos* populi libertatem, quæ sæpe opponi etiam opibus factiosorum consuevit, & civitatum plebi conservare commoda, sed quærere sectarique licentiam, qua sibi ad libertatem occupandam, & pro libidine gubernandam Rempublicam expeditiorem viam parent. Si ipsi Consules ejecerint unicum jam legum & civilis otii propugnaculum, fore ut brevi quid egerint recognoscant, cum omnia tandem pauci occupaverint, & fecerint si-
68 bi vectigalem Rempublicam frustra deinde libertatis opem imploraturos. Contra vero *Uberti* Magistratus damnabant impotentem Consulum dominatum, verberaque & plagas, quibus nonnunquam contra noxios, & facinorosos necessario uterentur, in invidiam vertebant. Anni magistratum ad orbem etiam expilandum evertendumque sufficere, præsertim cum hi sæpe ad dignitatem attollerentur, qui præter intolerandam superbiam atque inexplebilem avaritiam nihil afferrent ad imperandum quo non ipsi magis servitute digni esse viderentur: excellentem fuisse oportere eorum virtutem, qui ipsi virtutis præcepta cæteris traditurі sint, & qui justitiam, qui modestiam atque continentiam edocere alios velint, ut earum qui velint esse auctores, prius induerint habitus necesse esse. Modo vero jactare publicos honores occupareque primos in republica gradus, qui ne nomen quidem suum perdidicerint si audire bene monentes velint, non commissuros profecto, ut nisi a sapientioribus respublica administretur; *Ubertorum* tandem huc omnes tendere conatus, ut soli consulatibus cæterisque Reipublicæ fungerentur honoribus. Qui tunc ad ignarum etiam quemque forte obvenirent. His igitur hinc atque inde hujusmodi exasperati

A inter se vocibus etiam arma tandem cient. Duos prope annos seditione ita laboratum, ut eodem sæpe tempore diversis per urbem locis diversæ pugnæ committerentur. Neque erant ferè ullæ paulo nobiliores ædes sine altis turribus ac propugnaculis, unde aut vicino inferrent bellum, aut illatum repellerent, donec excitati externis periculis paulum domi quievere. In *Clante* enim & in valle *Elsæ Guidi* Comites instaurabant bellum, nec sine suspicione *Senensium* auxiliorum. Itaque Consules ad apparatum bellorum omnem curam convertentes non alias delectum faciliorem habuere. 69
B Arma enim quæ inter se irati exercuissent, in hostem conversa celeris victoriæ spem subito fecerunt. Ad *Grossetim* primo montem pugnatum id est *Clantis* oppidum; in eo se multi ex hostibus concluserant, qui tamen veriti impetum nostrorum seque & sua in potestatem *Florentinorum* statim ut exercitus advenit, tradidere, inde in *Poniam* (Castellum id fuit munitum in valle *Elsæ*) unde hostes omnem illam regionem infestarent, profecti eadem felicitate debellaverunt. Jamque *Florentinum* nomen omnibus terrori esse cœperat, Regulique permulti & nobiles qui editiora ferè quæcunque loca in *Etruria* per diversa tempora
C occupaverant, conjecturam ex alienis fortunis facientes impetum & ipsi jam in sese *Florentinorum* formidabant. Erant, qui diversis de causis in ea loca remanserant, pro viribusque & facultatibus singuli arces sibi Castellaque cum prædiis comparaverant, unde vel qualemcunque *Tyrannidem* exercerent; hi vero inito consilio *Guido* ipso Principe atque auctore ejus de communi causa legatos ad *Federicum* miserunt *Florentinorum* in suum genus injurias expostulatum. Inter Legatos fuisse *Cathanium* quendam, qui *Fesulanam* arcem, quoad *Florentini* eam diruissent, in potestate habuerat. Venerat forte per id tempus *Federicus* in *Italiam* ac
D *Pistorii* constiterat. Senserat autem *Pistorienses* infestos esse *Florentinis* ob recentes maximè de *Carminiani* possessione cum *Pratensibus* dissensiones, in quibus nomine tantum hi, re autem *Florentini* intulisse bellum putabantur. Igitur cum venissent illuc legati Regulorum, essentque ad Imperatorem introducti, *Guidus*, is erat legationis princeps, cum gratum prius eorum fecisset pro viribus adventum, & se esse aliquos de *Ro-* 70
mani Imperatoris familia edocuisset, rem deinde aggressus multa conquestus fertur, nec ea modo expostulavisse, quæ ad recentiores injurias, atque ad rem magis pertinerent, sed vetustiorem quoque
E retexens historiam *Ravennatum* etiam in suum sanguinem indignissimum, atque crudelissimum scelus, miserrimumque exilium, ut commiserationem Imperatori moveret, pluribus verbis explicavisse; tandem ad præsentem magis rem descendens quo in periculo fortunæ suæ locarentur, aperuisse. *Florentinos* rebellem gentem, & quæ cum quoque atque Imperatoriam Majestatem despicere auderet cuncta jam in *Etruria* occupare. *Aretinos*, *Senenses*, *Pratenses*, victos armis eam quam ipsi voluerunt pacem, accepisse, & coactos conditionibus, si ita libido dominandi at-
F que aliena occupandi ferat, ipsos quoque contra nos arma assumpturos; *Romano* si res verè expendatur Imperatori inferri injuriam: Nam si ipsi suis ejiciantur sedibus, & cesserint furori *Florentinorum*, apud quos deinde tandem in *Etruria* Imperatorium nomen remansurum; Atque haud scire se rerum exitum velleque bona potius ominari, quam ea dicere quæ molesta esse possint, tamen maximum semper pondus rerum *Italicarum* habuisse *Etruriam*. *Romanos* certe olim ea devicta minus negotii ad superandos reliquos *Italiæ* populos habuisse, proinde videat Imperator etiam atque etiam, quan-

tum ad suarum quoque rerum periculum in tanto res *Etruriæ* constituto discrimine pertineant, & futuris jamjam erat obviam fortunis, antequam serpat morbus longius & universum corpus contabescat. His vero permotum rationibus *Federicum* ducturum fuisse *Florentiam* copias urbemque oppugnaturum ferunt. Nisi in *Latium* properantem
71 majores causæ urgeant; quod potuit pro tempore decreto suo omni agro *Florentinos* mulctavit, ut extra muros ditionis nihil possiderent. Ita quatuor ferme annos sine agro fuerunt. *Federicus* autem secundus vigesimum agens annum cum in *Othonis* esset suffectus locum anno *Christianorum* MCCXIV, procurante maxime *Honorio* Tertio Pontifice *Romano*, multi *Christianorum* proceres *Damiatam Ægypti* urbem supra annum obsessam expugnaverunt. Ea *Æliopolis* olim fuit, cum enim *Ælius Pertinax* Imperator *Romanus* muris cinxisset, & derivata e *Nilo* flumine aqua in insulæ redegisset formam, de suo nomine appellavit. Egregia vere laus in ea victoria *Florentinorum* fuit, qui multi Cruce insigniti in ea expeditione dederunt nomina, & signis suis militavere. Domum vero reversi victores & ditati præda captum de hostibus vexillum in *Baptistæ* templo appenderunt, quod ad posteros facti memoriam referret. Agri certè multa remissa fertur & ad decimum restituta lapidem jurisdictio. *Companius Arriguccius* erat in consulatu primus, Castellum, quod supra captum fuisse a nostris diximus, cum rebellasset & infestos vicinos quotidie magis redderet, ceptum est de *Guidis*, ac continue prope cum *Clantiatibus* decertationes a stirpe inferire, & *Fondilianum* oppidum in potestatem venit, quod quia fœdifragi oppidani fuissent, *Florentini* diruerunt. Dux tunc fuit consulum princeps *Henricus Tosa*. Erat autem id moris, ut ex Consulibus Duces legerentur copiarum, & qui Princeps esset primum semper iniret expeditionem, si pluribus bellandum locis foret singuli sorte bellis quibusque præficerentur. Et quando in Ducum mentionem incidimus, non ab re esse videtur, ut quis tunc modus militandi noster fuerit paucis aperia-
72 mus. Duo igitur ex omni *Florentino* electi armento nobiliores boves curules publica coempti pecunia in hospitali *Pinthia* domo asservabantur. Sumptus quoque quo enutrirentur delicatius, ex publico fiebant. Neque fas fuit nisi in bellorum usus cuiquam educere, currus autem eodem loco stabat insigniori arte fabricatus rotarum quatuor pictura etiam cælaturaque insignis; velum item sericum rubrum albumque dimidiatis partibus ad bellicos usus paratum *Baptistæ* in æde per pacis tempora occlusum erat. Si Senatus populusque bellum decrevissent, indicebant Consules, resque injuria surreptæ repetebantur nuntiis. Si ita repente non reddebantur bellum in aperto erat, tum vero delectus propere habebatur ad hunc maxime modum; Tres publici apparitores currum educebant & junctis bobus trahebant, tubicinibus quatuor præeuntibus & *Martium* canentibus; cum erat ad Aream *Baptisterii* perventum, aderant Consules & sacerdotum omnes ordines; tum patefactis foribus statis cæremoniis vexillum efferebant & imponebant currui. Recta inde ad *Capitolium* iter erat, & Consules pro *Capitolii* ædibus sedentes citari civium nomina per Præconem jubebant. Vix tunc invenias nisi quis morbo aut alia quapiam necessitate impeditus fuerit, ad nomen suum qui non responderet. Altero quoque die & tertio ac deinceps, donec perfectus exercitus esset, faciebant, nec minus trecentis equitibus, & trium peditum millibus justum exercitum constituebant. Ita habito delectu & stipendio persoluto in hostem omnia expediebantur; neque vero difficile, aut longum

A id negotium erat, nam civium multi in bellorum usum Civitatis decreto equos alebant atque habebant in promptu pro equorum numero expedita arma, & qui pedibus militabant, & ipsi quæ pedes 73
in bellum ferret militandi consuetudine domi parata retinebant. Cum erant omnia absoluta parva ad æneum tinnitum martinella, de auctoris nomine *Bellorum* vocabatur; exercitus conveniebat: primam vero aciem circum signa ex quoque optimo ac strenuo magis milite constituebant, ut ea ab omni hostium impetu defenderent, nihil æquè ignominiosum ducentes, ac si his hostis potiretur quæ subsequebantur agmina, & ipsa
B seorsum proprios habebant præfectos & sua gestabant signa ad quæ convenirent, & ordinem in bello servarent. Consul post currum primus gradiebatur cataphracto nobili equo, & ipso coëmpto e populi ærario, quadrato potissimum agmine incedebant, pro rei duntaxat proque loci commodo figuram commutabant, levior armatura admixta expeditiori equiti prælium ciebat. Commissa vero pugna constituebant currum acies inter medias, ut minus soliciti pugnarent subsidiarii, omnis manus signa circumstabat, si dux erat captus de hostibus aut nobilior quispiam cum domum revenirent, victi sequebantur, currum de-
C inde omnis conspectior præda succedebat. Is vero tum modus contra *Semifontinos* servatus traditur. Promontorium est *Elsæ* media fere in valle satis lato vertice & planitie amœna, *Semifonti* nomen est; in eo oppidum fuit inter *Etruscos*, ut res tunc erant, viris divitiisque opulentum. Et multi jam æmuli *Florentini* Imperii cum *Semifontinis* jungebant amicitias ut etiam vulgo decantarent cedere *Semifontinis* locum *Florentinos* oportere. Qua de re commoti primores Civitatis cum adiissent Consules, accusassentque *Semifontinorum* superbiam atque inde instare rebus suis periculum
D demonstravissent, ad Senatum res rejecta est; & cum populo de bello inferendo actum. Decretum 74
id tandem bellum, posteaque frustra, ut abstinerent *Semifontini* a maledictis & ab inferenda injuria per nuntios tentatum est. Velo igitur delato in currum, & ad martinellæ sonitum delectu habito, *Aldobrandus Baroncius*, nam is tunc in Consulatu princeps erat, cum armatis militibus ducit primo Autumno in *Semifontinos*, & quod est imparatos fere improvisosque adortus, statim primo adventu intra mænia absedit. Ac tum demum quid inter veram virtutem, & vana jactantem animum interesset, quantumque ab re factisque tur-
E gentia inania verba distarent, pessimo suo exemplo *Semifontini* pernovere. Pertulerunt tamen duos fere menses obsidionem, tandem multis causis urgentibus ac imprimis penuria aquarum acti, desperatione cohortantes sese, & gloriosam, quæ repugnando pararetur viris fortibus ignavæ morti præferentes populariter fere pluribus simul locis eruperunt, ac primo statim impetu multos incautius negligentiusque excubantes, quod nihil plane hostile ad eam diem obsessi tentavissent, trucidant. Mox a collectis viribus cum repugnari acrius esset cœptum, *Semifontini* pedem referebant, quibus
F *Florentinus* miles admixtus oppidum ingreditur ac diripit. Consul de victoria nuntios ad Senatum mittit. Is quod rebelliones e superbo populo timerentur, *Semifontis* oppidum diruendum constituit. Ita priusquam inde signa moverentur a fundamentis eversum, nihil usquam aut publicæ aut privatæ operæ relictum est, quin eadem omnia ruina involverentur. Supra solum vestigium nullum oppidi est. Reditus in urbem maxime gloriosus fuit, & populus omnis ad portas est progressus obviam. *Miniatenses* quoque per id tempus in montem, unde paulo ante commodius habitandi gratia in plani-

75 planitiem commigraverant, redire: veriti & ipsi *Florentinorum* arma, quod erant Imperatoriarum sectatores partium quibus *Florentini Romanorum* præferentes causam atque Pontificum adversabantur. *Ginesco* nomen loco est, in quo multa jam privata publicaque ædificia sub montem loco plano erexerant. Sed haudquaquam satis illic se tutos arbitrantes antiquas in monte sedes repetivere, ut in-
A de, si qua sit illata vis, facilius repugnarent. Nuper cum foderentur *Viterbii* fundamenta Turris in tabula marmorea scriptum fuit *Desiderium Italiæ Regem*, hominem *Longobardum*, id ædificasse oppidum, sed in plano primum id conditum putaverim, deinde ob superius traditam causam munitiorem locum petivisse.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS.



Ultum addubitavi insereremus ne his scriptis, quæ per hæc tempora gessisse populum *Florentinum* aliquibus nostris continentur annalibus; neque mediusfidius alia de causa nisi quod præterita esse ea silentio videbantur ab his, qui *Florentinorum* res gestas scripsisse putantur elegantius; tandem cum nihil occurreret cur ista quoque qualiacunque essent, non mandarentur his præsertim litteris, quæ sint *Florentinam* professæ Historiam, neglecta ac posthabita a nonnullis sum ipse diligentissime persequutus; neque minutiora, quæ fortasse quispiam existimaverit, non esse, si id fieri possit, oratione etiam illustranda duxi. *Romanorum* certè res a principio gestæ, si illam quæ deinde magnitudo populi *Romani* fuit, non
76 attingunt, non tamen propterea negliguntur. At cum natura res omnes initia habent imbecilliora, cum ætate accrescunt simul, atque ad postremum senescentibus, quæ aucta tandem fuerint, dilabuntur. Neque me ab instituto meo deterruit, quod ea a vulgaribus tradita esse auctoribus videantur; nam majora quoque his, quæ per varia tempora evenere, quæque cuncti complectuntur, non habent & ipsa rerum alia præterea monimenta, neque fontes, unde hauriantur, clariores. Non vereor autem, si his quoque decorem addere orationis possimus, quod certe multo est quæ majoribus in rebus quæque per se illustrare ipsa scripta possunt, laboriosius fore ut nostri homines neque inviti legant; quod si ero assequutus operæ me fecisse pretium putaverim, nec erit præterea quod requiram gratificari, & hæc modo contentus inseruisse posteris. Cum ergo rediissent *Florentini* victores in urbem, aliud diu mente conceptum bellum aggrediuntur. *Cambiatenses*, hi cum *Semifontinis* senserant, *Bergentanos*que oppressere, & *Bergentani* quidem via *Pisana* inferebant bellum. Eorum quoque Castellum cum *Florentini* ante hyemem cepissent, æquaverunt solo, & in proximo monte oppidum ædificaverunt, cui *Lupii* nomen a montis appellatione indidere, quod esset contra *Miniatenses* maximè, nonnullosque, qui ab ea parte erant infesti propugnaculum; ad montem deinde *Murolum* conversa signa, id oppidum de *Guidis* Comitibus *Pistorienses* bello ceperant anno superiore, qui cum ad *Florentinam* opem confugissent pacti venditionem, si eam sibi injuriam ultam redderent, *Florentinis* viribus *Murolum* recuperaverunt, & pretio accepto ex conventis id tradidere. Auctior vero in dies Civitas efficiebatur, jamque negotia plura erant publica quam quæ
77 a paucis administrari quirent. Itaque tum primum agitatum est de novis magistratibus creandis. Tandem vero juris modo dictionem amovendam esse a Consulibus censuerunt, ut ipsi liberiores cæterarum omnium rerum curam domi & militiæ sustinerent. Prætorem autem, qui jus populo diceret quique animadverteret in noxios, peregrinum esse placuit; Ita enim fore, ut minus potentia atque opes nonnullorum, qui sæpe in civitatibus factione magis quam bono æquoque nituntur,
B apud peregrinum valerent & justitia inviolatior atque incorruptior coleretur. Annuus hic primum magistratus fuit, deinde sex detracti menses cum anni jam consuetudo officere rectitudini atque integritati judiciorum videretur propter multas quæ per annum totum familiaritates inirentur, quæ facile divertere a vero atque agere humanum animum transversum possint. Maxime jam tum a principio Prætoris fuit in Republica auctoritas. Temporum etiam notationes, quæ a Consulibus fieri consueverant, ad Prætorum nomina translatæ, atque ad id paulatim potentiæ devenit ut regnare etiam in Republica videri Prætor posset. Per civiles enim dissensiones,
C quæ tam multæ civitatem invasere, peregrina prætura incrementa cepit; dum certatim quisque auctoritatem deterit adversariis minus eam in peregrino suspectam atque odiosam habet. Quantum vero potuerit in urbe Prætor, monimenta plura sunt, & nomen in primis testatur, Potestatem vulgo vocaverunt eum magistratum. Neque cum Senatu aut populo agi decernique quicquam potuit multo tempore nisi Prætor annuisset. Medium etiam primum Consules, deinde, mutato magistratus nomine, Antiani, ac postremo priores artium & libertatis affectabantur, si erat cum magistratibus nostris ceremoniarum aut sacrorum aliave causa
D gradiendum. Nostra id ætate immutatum est, Præ- 78
torque in dextram partem translatus; Collegii princeps, quem vocant modo præpositum in sinistram, ut inter eos medius, qui locus esse prætoris soleret, Vexillifer justitiæ, is modo primus in Republica magistratus est, incederet. Primum a *Mediolano* sic vocatum ad præturam urbanam *Gualfredotum* ferunt, quo quidem prætore alterum cum *Senensibus* gestum bellum est. Erant enim *Politianenses* finitimi *Senensibus Florentinorum* fœderati, his fuerant pervetustæ de finibus cum *Senensibus* contentiones, quæ per eos dies cum recruduissent,
E bellum excitavere, *Senenses* namque pacis, quæ cum *Florentinis* tunc erat, conditionum ob indignationem facti immemores, quibus inferendi amicis fœderatisque belli jus adimebatur, *Politianenses* adoriuntur armis. Jamque tantus fuerat agricolarum vicinorum concursus ut omnem prope regionem devastaverint. Itaque missis propere legatis in fœdere a *Florentinis* auxilia impetravere. *Alcinates* quoque amici *Florentinorum Politianensibus* faverunt. Nam & ipsi ob vicinitatem quod contenderent continuo cum *Senensibus* communem cum *Politianensibus* pene causam habebant. Dubi-
F tatio fuit quonam potissimum modo bellum administrari conveniret; erant enim qui statim ducendum in hostes censerent, reprimendumque agricolarum impetum agroque succurrendum ne sociorum totus furori militari ac rustico prædæ foret. Non exspectaturos *Senenses*, sed terga esse daturos si adventare *Florentinorum* copias intellexerint. Quod si expectandum magis congrediendumque putaverint, in manu esse victoriam, nec hostem quidem, si quis sanior sit, abnegaturum. Vicit tamen eorum sententia, qui impetendos esse propius hostes
judicabant, atque id præstantius remedium esse, sua 79

quemque tutari malle, quam, ea dum pereunt,
oppugnare aliena. Si duo exercitus alendi sint sociis
nihil reliqui futurum. Multo præterea esse longius
ut illuc ubi *Senenses* pugnant, traducatur
exercitus, quam si bellum propinquius inferatur,
ut ad sua defendenda convertant vires. Ita ad
Montem altum Florentinæ copiæ convenere. Eodem
qui ad *Politianum* præliabantur hostes obsessis
ut ferrent opem, concesserunt, relictis paucis
modo cohortibus, quæ & suis essent præsidio &
de vicinis locis *Politianensem* continuo agrum infestum
redderent, ne sublatum penitus bellum sed
ad tempus modo intermissum esse videretur. Triennale
autem id fuit, qui primo, qui altero anno
præfuerit, incertum est. Tertii tantum anni, quo
pax fuit, *Catalanum Tosam* Consulem in quibusdam
invenio annalibus. Id tantum constat cum
Altinis primum, deinde cum *Rugomagnis* feliciter
pugnatum. Et ad *altum* quidem *montem* justa
pugna concurrerunt, ac victi acie *Senenses* magnum
in discrimen rem suam publicam adduxerunt.
Neque *Florentinis* victoria incruenta fuit.
Multi utrinque inter pugnandum cecidere, sed de
victis captivi mille & quingenti missi *Florentiam*,
mærorem, qui ex cæsis in pugna *Florentinis* erat,
levaverunt. Quod autem anni jam extremum
erat, revocatus in hyberna exercitus; altero vero
anno ut primum degere in castris miles potuit,
Rugomagnio copiæ rursus admotæ; repugnatum
autem est aliquamdiu fortiter, tandem vim non
amplius ferentes accepere furentem victorem militem
intra muros, qui statim diripuit atque incendit
oppidum, inde victor exercitus, quocunque
liberet, discurrens, cum *Repolanum* usque pervasisset,
cuncta ruinis incendiisque convolvens com-
80 pulit demum hostem ad petendam pacem. Ea vero
data est his potissimum conditionibus, ut a
Politianensibus Alcinatibusque Senenses bello deinceps
abstinerent, & cunctæ proximæ pacis inter
se conventiones confirmatæ, captivi utrinque sine
pretio dimissi, in qua re, quia multo fuit *Senensium*
major numerus, erantque permulti de sua
nobilitate inter captivos, adeo ea liberalitas grata
fuit, ut *Senenses* ad *Florentinorum* arbitrium, quæ
erat cum *Politianensibus Alcinatibusque*, controversiam
liberam deferrent. Dum hæc a *Florentinis*
geruntur *Federicus* Imperator multis modis affligit
Italiam, cui *Gregorius* nonus post *Honorium* fortiter
sancteque resistit, ut etiam, quanquam petenti
magnoque redimenti pretio pacem concesserit.
Per ea haudquaquam diuturna aut firma permansit.
Ita ad postremum tandem malorum omnium
res cunctæ conciderunt, & illa tum primum fatalia,
ut ita dicam *Guelforum* & *Gibellinorum* nomina
emissa, ut reor, ab ultricibus inferius ad agitandum
orbem terrarum emersere. *Germanorum*
constat ea esse vocabula, sed quæ causa atque origo
fuerit in obscuro est, ea tamen vulgatior fama
insedit a militibus in pretio eas citatas voces dum
Romani cum imperatoriis in *Germania* ingenti atque
omnium memorabili pugna congrediuntur.
Elenosene loco pugnæ nomen est, dum utrique
inter pugnandum militari applausu duces inclamant
suos, quod posteros etiam diu vexaret, malum
peperere. Namque ex eo die nomen omne
Christianum duas in factiones distributum est, &
Guelfi quidem *Romanorum* Pontificum sectatores
appellantur; qui vero sunt adversati Pontificibus
Romani Principes *Gibellinorum* cognomentum indiderunt
suis. Ea vero pestis *Germaniam* infecit
81 primum, deinde cum finitimas etiam regiones sensim
perrepsisset, in *Italiam* quoque omnem, &
quicquid præterea ubique *Christiani* fuit nominis
penetravit. In *Italia* certe immaniter desæviit. Primum
ut quæque erant urbes aut horum aut illo-

A rum magis affectatrices omnes persuasit, mox cives
inter se familiasque armavit, atque ad id tandem
deventum insaniæ est, ut quotidiani etiam
mores sermoque, quoad fieri potuit, diversa fierent.
Nam nec manuum quidem aut reliqui corporis quæ
diversitatem habere potuerunt idem gestus mansere,
& fidem *Guelfi* pollice significabant, indice *Gibellini*.
Neque, ut cætera taceamus, quæ tamen ex
his facile comprehendentur; in abjiciendis corticibus
pomorum non diversa sectabantur, nam &
in persicis putandis id vel religiose, ut rosæ figuram
Guelfi in putaminibus, angues vero *Gaibellini*
B redderent, ac sexcenta præterea hujusmodi monstra
non viros modo atque seniores, quos factionum
studia magis movere oportuit, sed pueros
quoque & muliebre omne imbelle genus infestabat.
Florentia etiam eo tandem furore tanquam
incendio quodam facile tota conflagravit, ut quæ
dudum etsi pontificiæ in urbe partes ad eam diem
prævalerent, tamen quasi plantulæ inerant Imperatoriæ
factionis quæ ingentem mox in sylvam
pullulantes luxuriavere. Ex hujusmodi maxime
causa desponderat *Bondelmontes* nobilissimus eques
ex *Amidea* clara familia uxorem: cum vero id rescisset
donata matrona, quæ in eam spem & ipsa
filiam eduxerat, ita *Bondelmontem* domi ad se ac-
C cersitum compellat: At ego tibi natam meam &
puellam per se formosam, cæterum ad id comptam
excultamque diligentius (ostendit) enutrieram.
Tu vero id, quod tamen bona sit deinde venia,
avidius transegisti de uxore de qua solent
prudentiores gravius etiam quam de quibuscunque 82
rebus, quæ ad vitam pertinent consultare. Atqui
certe, inquit *Bondelmontes*, ista nobilitate, his divitiis,
ista virtute & moribus, ut cætera quæ nihilominus
spectantur in conjugiis prætermittam,
erat enim florentissima ætate formaque præter cæteras
conspicua, quæ etsi reticeret ob matrona-
D lem pudorem, intelligi tamen ab eo potissimum
volebat quod ad commovendum juvenilem animum
plus habere jurium putaret. Venustior aliqua
magisque te digna disquirenda fuit. Quæ
voces cum insedissent altius, & visam modo virginem
jam *Bondelmontes* amaret blanditer matronam
alloquutus, & facta simul magna novi connubii
spe discessit. Nec quicquam deinde egit intentius,
quam ut *Amideam* vel quocunque modo
repudiaret, hanc duceret, cum nihilominus standum
esse sponsalibus parentes virginis contenderent.
Bondelmontes novo amori concedens donatam
spondet inconsultius. Ea vero perciti indigni-
E tate *Amidei* quod spretos se a *Bondelmonte* despectosque
putarent, cum *Ubertis Lambertisque* potissimum,
hi erant *Bondelmontibus* ob factionum diversitatem
infensi, cumque amicis cognatisque atque
affinibus injuriam illatam atque ignominiam
queruntur. Tandem cum multi ad consultandum
convenissent, & variæ sententiæ dicerentur, nec
quidquam explicarent, *Lambertus* vir audax, cognomento
Musca, pœnas de fœdifrago reposcendas
censuit, ac tandem esse aliquid ad explicandam
rem constituendam ait, quin ea deinde caput habere,
quæ facta sunt judicantur, a quo & proverbium
deinde est in rebus dubiis, *Factum ca-*
F *put*. Ad *Martis* simulacrum aggressi multis vulneribus
interfecerunt non longe ab ædibus *Amideorum*,
in quibus grassatores ad patrandum id
facinus convenerant *Odericum*, quem legi in qui- 83
busdam codicibus ordinum familiæ principem &
repudiatæ puellæ patruum cædi præfuisse, ac securisse
demum confosso atque efflanti animam jugulum
nonnulli prodiderunt, iramque ad satietatem
explevisse. Dies erat Resurrectionis festus;
itaque vulgata per urbem cæde populus arma inclamavit,
ac confestim ad *Amideorum* domos concur-

cursum, quo se e cæde interfectores proripuerant, vix ab oppugnatione temperatum est concitantibus miscentibusque omnia *Bondelmontibus* juraque & leges ac libertatem populi magnis implorando clamoribus, tyrannidem eam videri denique quæ in libera, quæ putaretur, civitate suo seorsum jure arma sumat, capiatque privatim de civibus per libidinem suam perque omnem superbiam supplicia; frustra esse in civitate jam magistratus, leges, judicia; si liceat cuivis vel inferre injuriam vel minime citatis legibus in cunctos suo arbitratu debacchari; appellasset fora & Judices constitutamque sponsoribus, nisi promissis starent, pœnam repoposcissent; demum nisi succurrant magis excusatam vim videri. Sic enim si libido sit, deeruntne causæ grassandi in cujus voluerint homines impotentes sanguinem. Si vera non aderunt, confingent, efficient, molientur falsa, & ad explendos animorum affectus etiam quæcunque nefandissima machinati audebunt. Hæc vero ac hujuscemodi latè jactando bonam, & ipsi partem nobilitatis ad se traduxerant. Ita factionum studia multo etiam quam solerent vehementius exarsere. Et *Gibellinorum Guelforum*que nomina tum primum audita in Civitate tot deinde malorum per varia tempora causas præbuerunt. Consulibus vero & prætoribus nulla major cura duos fere annos incubuit, quam sedandis 84 civium discordiis urbeque ab incendiis, rapinis, calamitatibusque cæteris, quæ civilis armatus furor ferre solet, liberanda. Tandem domi rebus paulo sedatioribus, foris curata res publica, crebri, quod diximus, fuerunt per *Etruriam* nobiles qui insidentes castellis suis vicinorum otia turbabant. Agricolæ autem qui magis erant talibus expositi injuriis facile in eorum, a quibus premerentur, ditionem concedebant. Hujusmodi erant qui *Mangonam* in *Mugellano*, qui *Capraria* in valle inferiori *Arni*, & qui in valle *Elsæ Certali* dum occupaverant, *Guidi* omnes comites aut certe *Guidorum* affines atque assectatores. Abstinebant vero viribus jam diffidentes suis, si aperta vis fit ab inferendo bello, sed arte circumvenientes colonorum turbam seducebant, & aliquod continuo adjiciebant rebus suis. Quapropter Consules lustrato omni agro quicquid inventum est ubique colonorum redactis etiam in volumen nominibus accersivere, & coacti jurare in Consulum verba remissi sunt domos, atque ex eo die fuit ab eis minus inconstans fides. His itaque peractis ad commoda urbis conversæ mentes. Et pons *Carrarius* de portæ, ad quam est exædificatus, nomine cœptus, quem tamen *novum* plerique vocaverunt, quo ad *Rubacontium* quoque ad *Boariam* deinde portam condidere: dum opus fit quieta tamen foris res non fuit. In *Squarcialupos* pugnatum, hi de *Pontenano* castello novas quotidie inferebant molestias, & per hæc tempora principium inter se discordiarum *Pisanis* cum *Florentinis* factum, quorum fuerat tanta conjunctio quondam animorum, ut ad *Baleares* præfecturi *Pisani* Insulas *Florentinis* solis urbis suæ, ut diximus, curam demandarint. Deinde ex eis initiis tam acerbis est certatum odiis donec diis 85 præferentibus alteram causam *Pisani* in *Florentinorum* potestatem devenere. Levem *Villanus* tanti belli hujusmodi affert causam. Cum de more legationes civitatum *Romam* novo Pontifici gratulatum convenissent, cœnarentque forte apud eundem *Pisanorum Florentinorum*que legati, de catella orta primum ridicula contentio est, quæ deinde sanguinem quoque ac libertatem utriusque populi sæpius impetivit. Ea cum esset delicatior lepideque saliens & inter fercula colluderet, adeo convivis placuit ut habere eam dono pariter concupiverint. Cum *Florentini* antevenissent, bilem primo tacitam excitavit ea res competitoribus, mox congressi aliud acturi tamen cum catellæ forte incidissent in sermonem, adeo exarserunt iræ ut a jurgiis statim in decoram pugnam si perventum. Vtraque certe eam sibi injuriam civitas illatam putavit. Hinc facta belli origo. Illa tamen gravior causa fertur; nam cum *Federicus* bellum *Romanum* animo agitaret, omnes per *Italiam* urbes obambiens blandimentis fallacibus, quorum erat fabricator insignis, atque omnigenis pollicitationum impulsibus, ut belli secum inirent societatem, annitebatur. Ita multi Populi Imperatoris *Romani* illecti promissis inierunt cum eo fœdus contra *Romanos*. In *Etruria* certe *Pistorienses*, *Aretini*, *Senenses*, *Pisani* & complura præterea ignobiliora oppida fidelem *Federico* operam præstiterunt. *Pisani* etiam, cum contra hunc apparatum *Gregorius* quoque *Romanus* Pontifex consilia iniret, undique autem primores advocasset Sacerdotum, ut quid in tanto rerum periculo opus facto esset ex eis cognosceret, nonnullos mari advectos *Pisas* interceperunt. *Florentinis* quoque aliquamdiu ea deliberatio ambigua stetit. Cum enim post *Bondelmontis* cædem discordiæ 86 inter se civium indies congravescerent, vix quicquam publici negotii perferebatur. Neque enim Senatus jam constabat, neque Consulatus; si quid autem erat cum populo agendum, suffragia sæpe contraria, ne quid decerneretur, impediebantur. Armis tandem acta res, & *Guibellini* ejecti, multi nobiles factionum & civitatis principes plerique *Pisas* petierunt, inde sese cohortantes, & quæque maxima ostentantes *Pisanis*. Tandem ut ipsi secum *Florentinis* inferrent bellum magnificis dictis perpulere. Nam introducti majoris auctoritatis quidam in *Pisanum* Senatum ita loquutos accepimus:

Mirari vos non decet, *Pisani* Senatores, si nos paulo ante in patria omnibus bonis humanis affluentes amicorum tamen nunc opes imploramus. Is enim fortunæ ludus est, quo res mortalium versat suo arbitratu, & quidem, ut nos remur, lege incommutabili fatorum. Namque ut nos domi dignitatem retineremus, nihil est tandem operæ aut studii prætermissum. Nihilominus tamen ab his qui multo habent nobiscum deteriorem causam, domibus nostris pellimur, cogimurque aliena sectari, ut in muliere aliquo fato nos infortunium nostrum superemus. Ambiguum autem principio fuit ad quos potissimum confugiendum foret, & Imperatorem *Romanum* quidam proponebant quod communem cum eo haberemus causam; at is majoribus visus est implicitus negotiis, quam qui præsentem nobis operam possit præstare. Nonnullis propinquarum magis civitatum placebant auxilia, sed minime suffecturas vires existimavimus; Ad vos igitur, ad vos, *Pisani*, confugimus freti imprimis vetere amicitia nostra, qua quidem, dum per adversarios licuit, ut vos probe novistis, nihil nisi commune vobiscum habere 87 voluimus. Nunc mutata conditione rerum non tam ut nos in patriam nostram reducatis oratum venimus, quod ipsum tamen per se plurimum apud officiosissimam civitatem valere oportuit, quam ut partes vestras in urbe etiam nostra defendatis. Si enim ut ea transfugiat ad adversarios siveritis, viam vos profecto vobis omnem quietis atque otii perpetuo amputaveritis. Nam dubitare nihil convenit ad propagandum jam Imperium, finesque quam longissime prorogandos animum *Florentinos* intendisse, neque eos, nisi tota subacta *Etruria*, esse quieturos. Verum enim vero abstinebunt, dicet aliquis, a *Pisanis Florentini*, neque veteris amicitiæ jura violabunt. Si tamen illi a *Fesulanis* generis sui auctoribus paulo ante temperaverunt, si finitimis quibus non intulerunt bellum eorumque castella everterunt, si sibi ipsis tandem nefarias

non intulerunt manus & civibus etiam ejectis soli regnare in animos ante induxerunt, majora, nobis credite, jam audebunt, & per successionem victoriarum finitimos quosque aggredientur armis, fœderum, beneficiorum, affinitatum, cognationum, omnis denique divini atque humani juris, dum latius imperent, obliti. Neque nos alia de re nunc vagamur extorres nisi quod Imperatoris *Romani* vestrasque in nostra republica partes ad hanc diem sumus tutati pro viribus. Quid esse modo putatis acturos, his ita pulsis qui libidini hactenus obstiterunt adversariorum neque indefensam in nostra quoque urbe communem causam reliquere. Jam nullus erit qui hiscere quicquam contra ausit; domi illi ac foris impune, in quos libuerit, insultabunt. Vos debetis accingere jamjam atque ire obviam malis futuris, nisi præ-
88 senti rerum statu contenti, quæ cras ventura sint, quod esse prudentiæ magis solet officium negligitis. Neque unquam *Pisani* fortuna rebus vestris magis arrisit, nisi vos tantam occasionem elabi de manibus inutiliter permiseritis. Intra mœnia adhuc nostra tenent cuncti arma. Nolite enim putare vobis ejectis non esse præterea in civitate multos, quibus paucorum, qui nos ejecerunt impotentia odiosa sit; neque populus, nisi qui sit illis aliquo facinore obnoxius, non omnis imminere ab eis urbi certam jam tyrannidem longe prospicit. Si vos libertatis signa foris admoveritis, domi ille atque intra muros satis pugnabit. Repetere vero nunc a vobis beneficium *Florentia* videtur, ut quos paulo ante ab externo hoste ipsa texit, nunc eam ab intestino vos lethali morbo liberetis. Quod si erit a vobis factum, ut speramus, quid est quod consuli in commune possit salubrius? Terra vos jam marique virtute polletis & benefactis vestris, si ad *Florentinorum* proprias quoque vices addideritis, & indissolubili amoris nexu nos urbemque nostram vobis atque huic urbi constrinxeritis, quid est quod fortuna amplius discedere a vobis quoque velit? Terra jam ac mare patebunt latius, & quo voletis, *Pisana* signa inferentur. *Etruria* certe omnisque *Italia*, quæ his factionum incendiis conflagratura videtur, hinc capiet, si afferri jam remedium ullum potest, medicamenta salutis. Si vero hoc exemplo, quod nos sperare debemus, cæteri quoque populi coierint, viamque unam hanc vindicandi sese ab interitus tanto periculo inierint, quid prohibebit ut *Italicæ* quietis ingenti vestra cum gloria jacta esse firmissima fundamenta videantur? vobis profecto tot tantorumque bonorum auctoribus nulla satis digna præmia constituentur. Sub hanc orationem Senatus decretum
89 factum secundum exulum postulata. Principium autem belli non ab armis fuit, sed lata lege mercimonia omnia *Florentinorum*, quæ multa tunc *Pisis* erant, fecerunt ærarium, nisi quos proscripsissent, cives *Florentini* revocarent. Injuriosa vero res visa est, atque ob publicam causam distrahi privatorum fortunas incivile. Quapropter Consules missis legatis legis abrogationem postulaverunt, cum tam obaudiretur, nec quicquam propterea immutarent, rursum Consules per novos legatos ablatas lege res eodem eventu repetivere. Quapropter decretum bellum est, & si audax cæptum fuit, permagna enim per id tempus *Pisanorum*, mari præsertim potentia ferebatur, tamen rei indignitas & justæ iræ animos fecerunt. Denuntiatum bellum cum esset, avidius id *Pisani* arripuerunt. Quod & responso suo significavere; nam cum restitui res *Florentinorum* legati peterent, ac, nisi reddantur, futurum indicerent ut advenientes confestim copiæ, quæ jure negari non debuerunt armis recuperent, *Pisanos* respondisse in animo habere ut *Florentinis Pisani* viæ minuat laborem, ad fines

A usque obviam se egressuros. Igitur ad legatorum reditum tanta indignatio fuit, non tam ex re quam etiam ex insolentia responsi, ut incredibili armati celeritate in *Pisanum* agrum excurrerent. Qui in eo bello Dux fuerit non fertur, neque nomina Consulum post creatam præturam memoriæ prodita reperiuntur: ex quibus ut supra diximus belli Duces constituebantur. Prætor erat urbis *Odopetrus Gregorius*, & annus *Christi* millesimus ducentesimus & vigesimus secundus, cum primum *Pisanis* illata sunt *Florentinorum* arma, vertebatur, quæ deinde supra modum supraque fidem utrumque populum ad finem usque libertatis alterius varia fortuna vexavere.
B *Pisani* ad *Boscum* in agro 90
suo Castellum *Florentino* exercitui progressi obviam non longe ab hostium castris constiterunt; cum autem levia quotidie prælia ob propinquitatem committerentur, ita refricandis injuriis animi exarsere, ut perpaucis diebus justa acie concurrerent. Ferocissime utrinque diu pugnatum & multi hinc atque inde fortiter præliantes cecidere. Tandem cohortantibus sese *Florentinis*, & causæ suæ æquitatem animo versantibus spes continuo ad superandam hostium pervicaciam majores concipiebant. Ita urgentibus his magis atque magis *Pisani* terga vertere; pugnatum esse ad *Boscum* unde-
C cimo kalendas *Julias*, & plus mille fuisse captivorum *Pisanorum* quidam tradunt. Etsi qui finis tandem hujus primi belli *Pisani* fuerit haud satis constat, in tempore quoque diversitas est, & nonnulli rerum *Florentinorum* scriptores universam hanc rem taciti præteriere, nobiliores vero nos sequuti auctores, & hæc ad scribenda duximus quæ tamen ut pro arbitrio quisque accipiat nihil moror. Minus vero turbulentas duravisse res cum *Pisanis* ut credam facit, cum per idem fere tempus cum *Fighinatibus Pistoriensibus*que atque *Senensibus* bellatum esse comperio, & *Fighinates* quidem *Gerar-*
D *do Orlando* prætore urbis, via *Aretina* omnem prope vallem superiorem *Arni* perturbabant, & suffulti favoribus *Aretinorum* indies inferebant arma propius, fiebantque & urbi jam formidolosi. In his ergo oppugnandis cum aliquot frustra dies absumpsissent, & visa esset victoria difficilior, abeundi tunc quidem consilium cepere, & ne discursiones ita liberas hostis haberet; *Ancisam* ad *Arni* ripas a *Fighino* non longe oppidum condidere ignobile primo & ad reprimendos modo *Fighinatum* impetus exstructum, sed inde postea *Franciscus Petrarcha* Poëta insignis, *Ancisa* oriun- 91
E dus vel magnis urbibus doctrinæ splendore ac carminis inæquiparabili penè elegantia coæquavit. Sunt qui retractum inde exercitum celerius putent, ut *Murolanis*, quibus *Pistorienses* acrius inferebant bellum, auxilium ferrent. In eos certè a *Fighinatibus* traductæ copiæ atque hostilem ingressi agrum usque ad urbis portas excurrentes omnia devastavere. Inde in *Carminianenses* conversa signa, quod hi præter cæteros odiosi erant. Ferunt enim super turrim, quæ in arce fuit non vulgaris altitudinis statuam fuisse lapideam ad *Florentiam* urbem conversam, pollices ambos inter indicem mediumque impudicè adeo insertos
F ostentantem; quam ulturus injuriam *Florentinus* miles, cum admovissent Duces castra, tanto ardore pugnavit, ut non multo negotio nobile oppidum arte etiam naturaque munitissimum primo prælio superaverit. Arcis subdurior expugnatio fuit; quapropter admotæ machinæ præliares, etsi qui custodiæ præerant dedituros se eam profiterentur, tamen dum illam sic a stirpe diruerunt, nihil die noctuque oppugnationis intermissum est. *Carminianenses* in potestatem *Florentini* populi devenere. Neque *Pistorienses* deinde aliquamdiu victoribus non obtemperaverunt. *Senenses* vero interea

terea dum *Florentinos* aliis implicatos bellis vident ad *Politianensem* infamiam nihil fœderum memores revertuntur. Jamque vastabant sociorum agros atque incendebant ædificia. Eadem quæ alio quoque bello succurrendi inita ratio est, & delectu etiam majore habito præeunte militari curru *Senas* petivere, & *Liscarium* primo montem; id ad tertium lapidem Castellum fuit hostium, everterunt. Deinde transgressi urbem omnia prædabun-
92 di pervadentes in *Perusinorum* usque agrum, quod hi *Senensibus* tunc quidem faverent, discurrere. Inde referentes pedem, posteaquam viginti prope oppida capta de hostibus evertissent, *Senas* redierunt, & pro pileis vi diffractis quibusdam suburbana etiam quæ ad portas erant diripuere. Atque ita ditati ingenti præda reversi sunt *Florentiam*, & quia *Aretini* & ipsi per *Senensis* belli occasionem rebellaverant, priusquam miles arma exueret, etsi æstatis jam postremum esset, ducere in rebelles exercitum placuit. *Caposilvolim* usque progressæ copiæ propinquum *Aretio* Castellum statim primo captum impetu a stirpe cum essent demoliti remissiores ad injuriam *Aretinos* inferendam reddidere. *Senenses* autem interea dum contra *Aretinos* pugnatur, majore vi adorti *Politiano* divitiis & nobilitate claris etiam urbibus non impare oppido potiuntur, atque ut ejus defendendi amplius cuicunque spes adimeretur, exspoliaverunt muris turresque atque arces & omnia propugnacula everterunt, a privatis modo ædificiis templisque Divorum temperatum. Quod cum esset *Florentiæ* nuntiatum, tanta confestim mæstitia civitatem pervasit ut si urbis mœnia ceciderint major nulla animos ægritudo invadere potuerit. Itaque ut primum equo alendo campi suffecerunt, miles emissus ad *Quercugrossam* convolavit, eoque superato castello eversoque ad urbem propius admovit castra, illicque consedit nullum genus oppugnationis intermittens. *Senenses* vero nunc erumpendo audacius, nunc de muris portisque præliando fortiter repugnabant, demum cum frustra terere se tempus *Florentini* obsidenda majore urbe quam quæ illis viribus superari quiret, animadverterent, motis inde castris vastando late agro castellisque circumeruendis atque incendendis æ-
93 dificiis intenderunt. Liberiores vero *Florentino* exercitui excursiones erant. Non enim habebant *Senenses* tantum copiarum ut ire quoquam obviam aut congredi auderent. Munitiora tantum aliqua loca defendebant. Jam vero multa hostium oppida *Florentinus* sex annis, quibus id duravisse bellum traditur, ceperat, nonnulla diruerat, villas omnes atque ædificia incenderat. Qui modestius scribunt tria & quinquaginta castella præter nobiliores vicos numerant capta tunc de *Senensibus*, & rumor erat ita depopulantes agrum ad obsidendam deinde securius urbem reversuros. Itaque saluti caventes hostes pacem petivere, & data est, sed conditio illa prima fuit, ut *Senenses* quicquid *Politianensium* murorum aliorumque ædificiorum diruissent sumptibus suis restituerent, captivos omnes, quos de *Alcinatibus* sociis cepissent sine pretio statim dimitterent, ut amicitia deinceps esset inter *Florentinos* ac *Senenses*, & *Florentini* omni *Senensium* agro recederent, & capta, si qua integra servassent, redderent. Fines tamen restituti agri *Senensis* qui ad *Florentiam* versi sunt *Quercumgrossam*, ea ad quartum est lapidem, ex pacis conditionibus non excessere. Duo maxima fuerunt, diverso tamen tempore, in urbe incendia, & solis eclipsis omnium quas multæ ætates viderint maxime densa, e medio die stellæ, ut obscura in nocte, apparuerunt mortalibus. Ac *Gregorius* Pontifex *Romanorum* paulo post moritur. *Cœlestinus* autem Quartus *Castilionea* nobili familia *Mediolanensi* in ejus suffectus

A locum, quia jam erat confectus senio, post octenos dies, sive ut tradunt alii, quindenos vita excessit, deinde agi de novo creando Pontifice visum non est priusquam Cardinales, quos *Federicus* nonnullos diversa fortuna captos carcere retinebat, solverentur. *Innocentius* tandem Quartus creatus. Is fuit *Janua* oriundus & *Federici* familiaris, cui 94
cum suspecta esset hominis, quam novisset, virtus, simulata vetere benevolentia conabatur trahere in insidias. Sed his *Innocentius* animadversis in *Galliam* trans *Alpes* concessit, atque inde censura *Christiana Federico* bellum intulit. Nec ipse in *I-*
B *talia* minus turbare rem Pontificiam conatus multos in ea populos deficere ad se compulit. In *Etruria* certè, ut *Platina* quoque & *Blondus* tradiderunt, præter *Florentinos*, Civitates omnes ac populi ad Imperatorem descivere. Quare his maxime infestus *Federicus* exacuit in *Florentinos* omnes conatus, donec pulsis urbe *Guelfis* civitatem totam ad se traduxit. Rem vero ita gestam esse *Villanus* tradit: Cum essent ad *Bondelmontis* cædem plurimum irritati factiosorum animi, ut jamjam spectare ad arma iræ multifariam & seditiones viderentur, eam arripiens occasionem literis quotidie & nuntiis *Ubertos*, hi erant *Gibellinæ* factionis
C Principes, Imperator solicitabat, suadens pellerent urbe adversarios nihilque omnino præmiorum cunctorum, quæ excogitari possent, ante oculos eis non præponens, & si industria non successerit peragant armis rem suadet; si tantum adsit animorum, nihil esse præterea ad certam indubitatamque victoriam defuturum, habere jam *Guelfos* reliquas *Etruriæ* urbes adversarias. *Romanorum* Pontificem ejus gentis principem fugatum a se in *Galliam* vix esse unde sibi necessaria paret, nedum alienas jam tueri fortunas possit. Nullum dari unquam posse talem tantamque occasionem;
D ut sine negotio periculoque e sententia rem conficiant ipsi adversariis urbe ejectis revocent quos paulo ante ipsi egerint superbè *Pisas* in exilium & soli regnent. Nam si vim experiri tandem velint, quid est quod de eventu dubitare quisquam de- 95
beat: vix aliqua jam in tota *Italia* arma esse, quæ Imperatoris *Romani* dicto non obtemperent: si rem armis tentaverint satis superque armorum affuturum: Ac si viros denique præstare sese velint, effecturum ut neque eos suæ virtutis pœniteat. Nec *Florentinos* ejus quod ab Imperatore *Romano* conferri dignitatis possit quicquam esse desideraturos. His sese hortantes *Uberti* incitamentis age-
E bant res indies confidentius, jamque diversis per urbem locis civiles pugnæ ferebantur, & ira continuo fiebat incitatior. Imperator interea eam nactus occasionem misit cum mille & quingentis equitibus in *Etruriam Federicum* filium natum ex pellice, cæterum virum bellacem & magnæ jam apud milites auctoritatis. Cum autem is adventare nuntiaretur, continuo majores *Guibellini* animos assumebant, qui in promptu esse auxilia atque in manu victoriam cernerent. Restitere tamen *Guelfi* fortiter ubique repugnantes quoad ille Imperatorius equitatus ad urbem advenit. Tandem desperatis rebus nocte ex composito abeun-
F tes, egregia vero ea virorum manus fuit in *Arni* vallibus diversis locis constitere, atque inferiore quidem occupaverunt *Caprariam*, in ea, quæ supra est *Varicum* montem, *Pelacum Ristoncinum* atque alia nonnulla castella tenuerunt *Guibellini* victores in fortunas adversariorum inusitato ad eam diem more desæviere. Et milites præterea *Guelforum* demolitis incensisque ædificiis, ne a templo quidem *Baptistæ* abstinebant. Is quia fuit locus in quem plurimum *Guelfi* conveniebant, ut id quoque diruerent in animum induxerant, verum quia vix populum, si aperta res tentaretur, tole-

toleraturum putabant, rem dolo aggrediuntur.
Non longe a templo turris fuit altissima, & hanc
cædere a radicibus, quod ea sæpe quoque fuerit
96 *Guelforum* commodissimum propugnaculum, libi-
do fuit. Vocatis igitur fabris in occulto monent
ut eam latenter ita cædendo librent, ut ruat super
templum & ita duas una ruina struant; tamen
forte evenit, quod & in religionem conversum
est & divum impulisse alio ruinam creditum, ut
decidens turris declinaret in mediam Aream il-
læso templo. Area modo oppleta ruderibus inuti-
lioribus magis indecoros in ædem ingressus red-
didit. Nam lapidum quicquid fuit ædificando
aptum fabri in structuras varias asportavere. Tan-
dem composita sic urbe *Federicus* ad patrem acce-
dit, *Jordano* cum equitibus octingentis *Guibellinis*
Florentiæ relicto, per quos continuo deinde bel-
lum illatum est ejectis, donec ad *Varicum* nobili
pugna congressi plerosque *Germanorum Guelfi* ma-
gna victoria obruere; Quod cum esset Impera-
tori, qui in *Gallia* castra metabatur traducendis in
suas partes populis intentus, nuntiatum, veritus
ne reditum in urbem hostes ea elati victoria ten-
tarent, properavit in *Etruriam*, & *Caprariam*,
in eo erant oppido multi nobiles) *Guelforum*, sta-
tim primo adventu obsedit, qui cum aliquamdiu
restitissent, tandem deficientibus necessariis con-
ditiones pro salute quærebant ab hoste, atque
obtinuissent illi quidem, nisi certo transfuga pro-
diderat. Is cum repsisset in hostium castra, &
omnium rerum necessitatem instare obsessis signifi-
cavisset; ut sese victori libere committerent, coe-
git. Mitior *Federicus* in abjectiorem turbam fuit.
Nobiliores quoque in *Apuliam*, quo & ipse mox
erat profecturus, captivos præmisit, de quibus
varia supplicia ita *Gibellinis*, qui *Florentiæ* erant,
petentibus sumpsit, & multos quidem in mari
saxo ad collum alligato immersit. *Rimero* tantum
Bondelmonti, qui fuerat *Capraria* inter *Guelfos*
97 primus, etsi miserrimam tamen ob ingenii lau-
dem vitam condonavit, atque erutis oculis, ne
esset cuiquam amplius formidolosus, degere cum
viris religiosis permisit. *Blondus* pro *Capraria Flo-
rentiam* venisse testatur, & cum appropinquasset
portis urbis armatus impetrasse objecto obsidionis
terrore a *Florentinis* ut & *Guelfos* hostes Impera-
toris *Romani* perpetuos urbe pellerent, inde com-
potem voti factum abscessisse. Acceleravit autem
ipsius in *Apuliam* discessum *Entius* filius. *Platina*
Henricum præfectum pro *Entio* filio dicit, quem
Gallicis rebus, abiens ipse in *Etruriam*, præfece-
rat. Accepta a *Bononiensibus* insignior clades; nam
cum juvenili ardore in eos duxisset exercitum per-
petuo, & ipsos sectatores (*Romanorum* Pontificum
quo aliquo excellenti facinore ortus suæ militiæ
commendaret, urbem obsidebat, magnam quidem
& belli artibus claram, inconsultius. Itaque
erumpentes aliquando vivida vi *Bononienses* verte-
runt hostes in fugam, cum essent adorti impara-
tiores ac multis captis cæsisque *Entium* quoque in
urbem captivum duxerunt, conclusumque in fer-
rea cavea ad populi spectaculum pædore atque
inedia confecerunt. Tanti ea victoria momenti
fuit ut regno etiam *Apuliæ* timuerit cum late per
Italiam multi populi fortunam sequerentur. Et
Bononiensium quidem in *Entium* filium crudelita-
tis novum genus iratum deinde Imperatorem in
captivos *Florentinorum Guelfos* exasperavit. Post
Federici autem in *Apuliam* transitum *Florentini* ubi-
que *Guelfos* exules habuere nihilominus infestos,
& nonnullos etiam qui per agros in sua prædia
confugerant dispulerunt. Ad *Ostinam* denique,
id oppidum paulo ante defecerat ad *Guelfos*,
cum exercitu profecti dum id intentius oppugnant,
Fighinum amisere. Nam qui *Varicum* tenebant

A noctu egressi *Fighinates* præsidio nudatos namque 98
undique vires contra *Ostinenses Guibellini* college-
rant, & dormientes oppressere; *Ostina* obsidione
liberata. Atque ex eo die res Imperatoria deterior
ubique cum fieret, *Florentia* quoque fluctuare jam
& futurorum præsagia malorum ferre præ se cœ-
pit. Populus enim jam perosus erat *Ubertorum* do-
minatum. Nam & tributa intolerabilia exigeban-
tur. Gratuiti omnes in republica honores erant.
Ad ædem *Florentii* primum armati secesserunt,
deinde subtimentes rebus suis, ingens enim poten-
tia *Ubertorum* & magistratus quoque primos rei-
B publicæ habebant obnoxios, ad templum, quod
a *Christi Cruce* nomen habet, positis Prætoris
jussa armis convenere. Tandem neque illic satis se
tutos arbitrantes in munitiores quasdam ædes ad
Laurentii templum confugerunt, ubi cum exorta
pugna esset, populus tamen ædes obtinuit. Et jam
turba tanta convenerat ut satius visum sit furori cedere
insanientis multitudinis, quam si resistatur obsti-
natius, in direptionis discrimen adducere Civita-
tem. Victrix igitur popularis turba sex & trigin-
ta civibus gubernacula demandavit. Hic vero
Consules statim & Prætorem abdicare se magistra-
tibus coegerunt; novum ipsi de suo corpore Ma-
C gistratum creavere. Duodecim esse placuit, quos
ideo *Antianos* dixere ut nomine ipso admoneren-
tur se nullam in deliberando præterea auctorita-
tem habere. His quod cæteros honoribus antei-
rent, vocandi duntaxat Senatum jus fuit; si quid
decerni conveniret nihil habebant potestatis nisi
cum populo constituendi; Senatus quoque ipsius
neque nomen mansit neque numerus, omnis tan-
dem modus reipublicæ administrandæ immutatus
est, sola Prætura servata, sed superadditus & alius
Prætor est, quem vocaverunt *populi Capitaneum*, 99
ad quem a Potestate esset prorogatio. Ita usque
D ad nostra tempora duo Prætores urbani juri di-
cundo præfuerunt, atque ambo peregrini ex ami-
cis vicinis Civitatibus. Paulo ante allata lege abro-
gaverunt Capitaneum. quod satis esse unum in ur-
be Prætorem animadversum est, a quo tamen ap-
pellatio ad peregrinum Jurisconsultum qui & ipse
a vicinis vocaretur populis, duravit. *Ubertus Ros-
sius Lucensis* primum vocatus ad Capitaneatum,
magistratum gessit populi rebus non incommodum.
Multa enim & domi & militiæ provisa utiliter ad
popularem statum roborandum, nam divisa civi-
tas in viginti vexillones totidem singulis ex popu-
li primoribus Vexillarios præfecit, qui si qua vis a
E nobilitate tentaretur, ubi opus esset, armati con-
currerent. Non admodum dissimile quid per agrum
constitutum est. Colonorum omnem turbam in sex
& nonaginta plebejos divisere, ut convenire faci-
lius plebs agrestis posset, & ferre, dato signo cum
peteretur, auxilium. Certa ad eam diem Curia
nulla extiterat, sed consules nunc privatorum in
ædibus nunc in templis divorum Senatum habe-
bant, erantque fortuita populi conciliabula. Ita
veriti ne quando vel totus simul Senatus aut po-
pulus ab infensissima nobilitate opprimi consultan-
do quiret, de ædificanda Curia primum actum.
Locus ad ædem *Apollinaris* delectus illic. Ergo
F quadrato ex lapide nobiliores ædes extruxere & si-
mul turrem altiorem campanariam, qua Senatus
populusque signis quibusdam vocarentur. Ea pri-
ma *Florentinorum* Curia fuit, posteaquam a *Toti-
la* cum reliquis urbis ædificiis *Capitolium* quoque
incensum est. Deinde prætorium factum ex Cu-
ria, cum novam ad *Scradianam* ædem ubi *Uber-
torum* domus fuerant, ædificari placuit. Turres 100
quoque quas fuisse præaltas complures per urbem
diximus, ut ad quinquagenos cubitus omnes re-
ducerentur statutum. Ingentem lapidum vim ex
his nacti demolitionibus trans *Arnum* multis ædifi-
ciis

ciis urbem exornavere. Hæc fere provisa domi ut populo sua libertas magis quieta magisque diuturna permaneret. Ad militandi quando veterem disciplinam nonnulla addiderunt, & equitibus quidem urbanis sex diversa signa, quæ sequerentur pro sex, in quas divisa civitas fuit, portarum diversitate constituerunt: peditibus item sua signa fuere, ut alia balistariorum essent, alia sagittariorum scutariorumque, & qui arcubus rem gerebant, quique ad impedimenta pugnabant singuli suum ductorem suaque signa sequebantur. Inter hæc autem *Federicus* moritur in *Apulia* in *Florentiolæ* oppido, ut a Mathematicis acceperat. Nam cum ab his de morte sua diligentius, quid sentirent, sciretur, *Florentiam* urbem ut devitaret responderunt. Quæ causa fuit, ut ingredi eam non sit ausus, effugere tamen fatum minime potuit, & dum ab urbe cavet atque *Etruria*, in *Apulia* parvo in oppido fato concessit. Per eosdem dies *Rinierus* quoque *Murlanus* ex fornicis, ubi habitabat, ruina interiit. Is Prætor erat *Gibellinæ* factionis studiosus assertor, quorum morte populus audentior factus de revocandis in civitatem *Guelfis* consilium iniit. *Innocentius* autem Pontifex, cum *Romam* revertisset *Guelfis* per *Italiam* variè dispersis ubique restituit animum, & multæCivitates ex populo, qui metu desciverant, ad *Romanos* respexere; *Pistorienses* tamen atque *Aretini* eosdem animos servantes *Guelfos* exules haudquaquam revocabant. Quapropter *Florentini* ne a tam vicinis urbibus con-
101 traria sentientibus continuo foret aliquid turbationis formidandum, præsertim quod adventare *Corradum Federici* filium ad paternam regni possessionem crebri rumores e *Germania* afferebantur in *Pistorienses* primum, deinde in *Aretinos* copias duxerunt, & cum *Pistoriensibus* quidem congressi ad *Robolinum* montem cum acie eos superavissent, ad recipiendos intra urbem *Guelfos* compulere, cum *Florentiæ* delectus fierent atque expedirentur arma, plerique *Gibellinorum* principes cum ad nomen suum citati non respondissent ad copiarum reditum dirutis eorum domibus acti sunt in exilium, qui partim *Pisas*, *Senas* partim, perfugerunt, quod ambæ hæ civitates factionem adhuc Imperatorum sectarentur. Jam vero populus cum omni ex parte rempublicam constituisse sibi videri posset, insignia urbis quoque immutavit & pro candido lilio rubro deinde usus est. *Gibellini* exules album retinuerunt. *Corradus* interea magna manu cum adventasset, *Neapolitanos* aggressus *Maceratos* tandem fame devicit, deinde cum in morbum incidisset paulo post non sine veneni suspicione interiit. *Manfredus* ex pellice *Federici* filius regnum *Neapolitanum* invasit, ac dum *Corradino* nepoti admodum puero, ad quem regni jura spectarent, tutari se id palam profitetur, honestiorem causam facit occupati regni. Per id quoque tempus dum bellum contra *Manfredum* gerit, quod *Apuliæ* dominatum sine Pontificis *Romani* auctoritate occupasset, moritur ingenti gloria *Innocentius* qui ad multa ejus præclara facinora inventaque *Galeri rubri* Cardinalium insigne addidit, ut meminerint illi quidem coloris admonitu sanguinem quoque se & vitam *Christo* religionique debere, ut *Blondus* tradit. *Alexander* autem Quartus iniit Pontificatum *Romanum*, qui & ipse *Neapolitanam* rem aggressus, cum *Manfredo* de
102 regno armis disceptat. *Florentini* autem per eam occasionem dum in *Apulia* bellum geritur, *Ubaldinos*, ea inter *Gibellinos* clara potensque familia fuit, *Mugello* ejiciunt. *Avianicum* tenebant oppidum & multi ad eos ex exulibus *Florentinorum* convenerant. Ergo cum vi *Avianicum* expugnassent, everterunt, ut eam hostibus, unde ad mœnia usque facile insultare possent, sedem auferrent. Idem ad *Montariam*, quo ab *Avianico* statim signa sunt conversa, evenit, etsi negotium multo majus fuit, conventus illic magnos *Gibellini* fecerant atque ab ea parte regionem omnem reddebant infestam. Qua de re, etsi hyemis jam erat principium, ferre arma *Florentini* decreverunt. Cum præter opinionem ferocius etiam repugnaretur in hyemem mediam obsidionem extraxere. Ad temporis difficultatem etiam accesserunt *Senensium Pisanorumque* missa *Montariensibus* auxilia, cum quibus congredi, priusquam oppido potirentur, fuit necesse. Hinc vero novæ quoque exortæ bellorum causæ, quæ deinde cum *Pisanis* ac *Senensibus* tanto ardore animorum sunt gesta. Inierant autem inter se fœdus *Pisani* ac *Senenses Gibellinique* exules *Florentinorum*, bellumque undecunque possent inferebant tumultuosius, atque hinc *Pisanis Lucenses*, cum quibus *Florentini* societatem inierant, hinc *Florentini* ipsi *Senensibus* exulibusque repugnabant. Major etiam indignatio fuit contra *Pistorienses*, qui paulo ante victi acie tamen rebellaverant, in eos igitur hyeme exacta propere ductus exercitus cum late agrum populavisset *Titianenses* quoque ad deditionem compulit, *Pisani* interea *Lucensibus* bellum inferentes, quo *Florentina* arma a *Pistoriensibus* sociis averterent, prope *Montopolim* congressi magno prælio superaverunt, multisque hostium 103
cæsis, pluribus etiam captis & onusti præda revertebantur. Id vero *Florentinis* cum fuisset nuntiatum nulla mora facta quin sociis succurrerent. Itaque admirabili celeritate a *Titiano* moventes castra cum viam hostibus intersecuissent, essentque ad *Aeram* flumen facti obviam, pugnam expediti cum impeditis, recentes cum defatigatis, proximo superiore cum *Lucensibus* prælio conseruerunt. Aliquamdiu durum certamen fuit. Tandem *Pisanus* terga vertit. Ad *Sabini Edera* non longe ab urbe *Florentini* victores, palantes insequuti, magnam stragem ediderunt. Fortunæ is præclarissimus ludus fuit quomodo victores de hostibus ingentem prædam, & magnum captivorum numerum referebant; nunc victi ipsi prædæ his, quos vicerant, extitere. Ad tria captivorum millia *Pisanorum* fuisse *Leonardus* ait. Et nonnulla quoque signa de hostibus relata gloriosiorem reddidisse victoriam testatur. Fuisse inter captivos prætorem quoque *Pisanum*, qui ducis gerebat vicem quidam prodiderunt. Tandem ea victoria *Florentinis* stetit, & *Lucæ* eodem die ingens ex *Montopolitana* clade luctus fuit, & ex ea victoria lætitia, quæ die deinde altero cum captivos quam permultos *Pisanorum* vinctos trahi per urbem viderent, cumulatissima facta est. Dum hæc ita geruntur, *Senenses* & ipsi ne in sociorum fortunis otiosi tantum spectatores fierent, *Guido Novello*, is per id tempus *Guidorum* gentis facile princeps fuit, belli cura demandata, cum *Florentinorum* etiam exulum aliqua manu in vallem *Arni* superiorem ingressi *Fighinum* occupavere. Itum itaque celeri agmine a *Pisana* victoria in *Fighinates* cum quibus post aliqua certamina pax fuit his conditionibus ut *Fighinates* oppidum tra-
derent, *Florentini* reditum in urbem *Gibellinis*, 104
qui illuc convenerant, permitterent, *Novello* autem & qui cum eo advenerant militibus liber esset cum armis rebusque omnibus abscessus. Ita acceptus intra muros *Florentinus* miles oppidum subito diripuit, inceditque, *Fighinatibus Florentiæ* cum Civitate locus, quem inhabitarent, datus. Celeriorem vero cum *Senensibus* pacem *Alcinates* socii fecerunt. Dum enim ad *Fighinum* pugnatur *Senenses* alteris copiis *Alcinum* bello adorti ad extremum jam redegerant; quapropter maturandum rati *Alcinatum* in agrum in-

de moventes propere proficiſcuntur. Primo ſtatim adventu cum hoſtibus congreſſi obſidione ſocios liberaverunt, verum quia poſtremum erat æſtatis redierunt præſidio *Alcini* impoſito in urbem, & aureum nummum primum cuderunt, nam ante id tempus argenteo contenti fuerant. Ea vero res fecit, ut Civitatis fama ad extremos quoque facilius penetrarit. Primo ſtatim vere *Piſtorienſibus*, unde ſuperiore anno, ut *Lucenſibus* locis opem ferrent, *Piſani* retraxerant, illatum bellum eſt, & in poteſtatem redacti ſunt. Nam cum neque ipſi per ſe *Florentinorum* retundere arma poſſe putarent, neque a victis ſuperiore ætate ſociis ſperarent opem haud viſum eſt durius reſiſtendo, ut in ſe hoſtium iram irritarent, ex conditionibus *Guelſi Piſtorienſes* in urbem rediere, arx vero ad eam portam, qua *Florentiam* iter eſt, exædificata in victorum poteſtate permanſit. Inde abeuntes *Alcinum* profecti, quod ſocios diutino bello rerum omnium laborare penuria cognoviſſent, omni commeatus genere munierunt, per agrum vero *Senenſem* dum eunt redeuntque ingreſſi hoſtiliter & caſtella nonnulla ceperunt & multam ditemque inde prædam revexere. Poſt hæc aliquot annos quies a bello *Senenſi* fuit, atque exercitus in
105 *Bononienſes* ductus; hi *Gibellini* erant & conjuncti *Senenſibus*, de monte autem, in quo poſitum nobile caſtellum habebant, complura inferebant finitimis *Guelſis* populi incommoda qui tamen tunc quidem *Senenſium* deſtituti auxiliis nullo negotio concedentes juſſis *Florentinorum* obtemperavere. Verum non ita multo poſt, cum rebellaviſſent ac moverant rurſum *Gibellini* arma, victi iterum ac taxati oppido ſub montem ad inhabitandum deſcenderunt. *Bonitium* is locus de antiqui oppidi nomine appellatur, & in monte quidem magnarum etiam nunc molium veſtigia viſuntur. *Bonitio* vetus nomen monti atque inde oppido fuit; ſed cum *Romani* Imperatores, poſteaquam cum Pontificibus pugnare occeperint, ob loci opportunitatem conſiſtere nonnunquam in eo conſueviſſent a *Romanis* Imperatoribus *Imperialem* pro *Bonitio* vocaverunt. Sunt qui dicant ob ſuſpicionem modo, ne rurſum juncti *Senenſibus*, cum jam *Manfredus* animos faceret, veteribus *Federici* patris ſectatoribus bellum inferrent, ſolo æquatum id oppidum. Alii quibuſdam in locis tamen muros diffractos, quibus deinde ab oppidanis reſtitutis ad *Caroli* uſque *Andegavenſis* tempora duraviſſe. Ac tunc quoque cum *Gibellini Senenſibus* faverent, maceratos obſidione *Bononienſes* tandem manus dediſſe, ac dirutis a ſolo publicis privatiſque ædificiis propter toties rebellandi conſuetudinem ſub montem oppidanis locum ad inhabitandum datum, ubi nunc caſtellum eſt de veteris oppidi nomine, ut diximus, appellatum. Quod tamen melius ſuo dein loco explicabitur. Bellum per id tempus *Volaterranum* quoque ſuſceptum, quod tamen una modo expeditione confectum eſt. *Volaterrani* enim & ipſi cum *Gibellinos* foverent
106 odium in ſe *Florentinorum* concitavere. Majores autem multo apparatus facti quam qui per ſuperiora bella conſueverint, & geſta omnia intentius, quod conſtans ad eam diem fama erat, nullam eſſe ex omnibus civitatibus *Italiæ* loci natura munitiorem (eſt enim altiſſimo in monte ſita, & aditus undequaque prærupti, ac pene inacceſſibiles) ipſam vero per ſe urbem viris opibuſque opulentam. Igitur delectu habito diligentius paratiſque omnibus quæ ad tantum bellum neceſſaria viſa ſunt profecti in hoſtem ſub monte primo conſtiterunt, & cum nemo obviam prodiret, nam *Volaterranus* intra murorum ſeſe munitiones continebat, vaſtato prius circum agro in oras quoque
A *Volaterranorum* ad mare uſque excurſiones factæ, paſtoreſque permulti cum armento atque omnigeno pecore abacti, deinde cum nihilominus hoſtes intra mœnia latitarent ea ſpe quod aſperitatem montis ne expedito quidem ſatis perviam armatum exercitum devitaturum crederet; neque tantum auſurum *Florentinum* militem ut armis impedimentiſque cæteris, quæ ſunt ad pugnandum neceſſaria oneratus iniquiſſimo loco fortunam prælii vellet ſubire. Ac profecto, quid ſibi agendum foret, aliquamdiu *Florentinis* ambiguum ſtetit, periculoſum videbatur ſi aſcendentibus hoſtibus egrederetur obviam, ex præcipiti quoque clivo ſi eſſet
B repugnandum, & conſidere illic diutius otioſum victorem exercitum, aut, ſi re infecta reducatur, ignominioſum reputabant. Vicit tandem honeſti ratio timorem. Quare inſtructus morique potius animatus miles quam eam ignaviæ ſubire notam, ad mœnia enititur. Jam vero montis etiam medium ſuperaverant, cum *Volaterrani* rebus propriis jam timentes ſuis ſubito armati erumpunt, tantuſque ſtatim impetus fuit, *Volaterranorum* de ſuperiore adeo loco in ſubjectos hoſtes tela multi- 107
fariam contorquentium, ut parum abfuerit, quin toto agmine refugerint. Ad triarios res cum rediiſſet
C reſtaurata pugna eſt & *Florentinus* pedes redire ad ſigna cœpit, atque hoſti intermixtus pugnare, nam neque *Volaterrani* ordinem ſervare ſuum cum tumultuoſius irruiſſent, potuere. Jam vero promiſcua omnis pugna erat, & *Florentini* nonnullis in locis deſuper præliabantur. Igitur cum recepui dux *Volaterranus* cani juſſiſſet, neque tamen explicari pugna poſſet, referre paulatim pedem inviti pugnando occepere, cum eſſet ad portas perventum, illic vero multo aſperior *Mars* fuit, illis repellere ab ingreſſu hoſtem, his vero progredi & capere urbem adnitentibus, neque qui de muris turribuſque pugnabant ſine ſuorum quoque cla-
D de quia ambiguum erat prælium mittere in adverſarios telum ullum poterant. Mixtim tandem, ut pugnabant ingrediuntur urbem. Et *Florentinus* victor diſcurrens omnia ſtatim editiora & magis munita loca occupavit, nihil hoſtile tamen patratum in victos, victori enim miſericordiam movit mulierum puerorumque frequens repentinuſque conqueſtus gemitu atque ululatu miſerabili *Florentinorum* clementiam atque erratorum veniam complorantium. Sacerdotes quoque cum infulis aliiſque ſacrorum inſignibus progreſſi obviam, ut Deo tandem & *Chriſto* Salvatori eam injuriam *Flo-*
E *rentini* condonarent ſupplices precati, militum furentes præ victoria animos mollivere. Principes modo in ea urbe *Gibellinorum* exulare coacti, & *Guelſis* tradita cura publicæ adminiſtrationis, qui dux & hoc in bello fuerit non traditur. Prætor urbanus adſcribitur *Guiſcardus Petraſanctanus*. Mos autem fuit poſteaquam peregrinum Prætorem ſibi præfecerunt, pro Conſule ſæpe ſi ejus virtuti fides eſſet, ut in militiam Prætor proficiſceretur, quam 108
& aliæ quoque vicinæ civitates conſuetudinem tenuere. Unde & prætorem *Piſanum* captum ad *Æram* ſupra diximus, quod efficit ut adducar facile ut in *Volaterrano* etiam bello *Petraſanctanum* prætorem
F Ducem fuiſſe *Florentinorum* putem. Principium jam autumni erat, & hyberna reſpiciebat exercitus. Tamen cum *Piſanorum* memoria vexaret animos fortunam quoque præliorum cum his tentandam eſſe *Florentini* decreverunt. Ita a *Volaterrana* victoria in agrum *Piſanum* miles confeſtim traductus. Cum id *Piſis* eſſet nuntiatum variè fuiſſe trepidatum conſtat, ac quamvis *Piſano* in Senatu diverſæ belli cura ſententiæ dicerentur, tutior tamen ad poſtremum vicit, ut pax a *Florentinis* quibuſcumque etiam conditionibus acciperetur. Cunctos enim timor jam circumvicinos ingens invaſerat, quod aliquot per annos nihil

Flo-

Florentini tentavissent, quod non summa etiam cum gloria fuissent assequuti. Quod autem *Volaterranos* quoque tanta demum celeritate perdomuissent, in fatum quoddam victoriarum referebant. Itaque fato quoque tunc quidem cedendum *Pisani* arbitrantes de pace ad exercitus Duces legatos miserunt, claves etiam, ut quidam tradunt, portarum præferentes manibus, ab his missi *Florentiam*, ut a Senatu eam & populo *Florentino* peterent, bellandi enim se atque arma in hostes inferendi jus habere; dandæ autem pacis atque revocandi, cum semel indictum bellum esset, potestatem penes Senatum populumque consistere. Ita *Florentiam* ventum; introducti autem in Senatum precariam pacem obtinuerunt. In conditionibus id in primis fuit ut *Pisani* pondera mensurasque reciperent *Florentinorum*, hisque uterentur utque immunitas
109 omnium mercimoniorum, & in portu *Pisano* & in urbe *Florentinis* esset negotiatoribus. Additum de obsidibus quinquaginta dandis, qui pignus servandarum conditionum præstarent. Ex quibus *Ripæfractæ* quoque oppidum traditum, ac paulo deinde post, quod eorum in finibus esset dono datum *Lucensibus* amicis fæderatisque *Florentinorum*, his addit *Blondus* & *Mutioni* arcem cum omni littore adjacentis maris. Plenus hic annus fuit victoriarum variarum. Itaque ingenti lætitia, cum revocaretur in urbem, exercitus est exceptus. Curiam quoque hoc anno ubi deinde prætorium fuisse diximus exædificatam *Leonardus* tradit, & *Villanus* pontem ad *Trinitatis ædem* anno superiore, qui fuit *Christi* annus millesimus ducentesimus & quinquagesimus quartus. Altero vero qui sequutus est anno quingentorum equitum *Urbeventanis* sociis missa auxilia, qui contra *Viterbienses* finitimos ob contraria studia decertabant armis. Cum iter esset per *Aretinum* agrum, crevere animi *Aretini Guelfis* ac tumultu excitato eam partem *Gibellinorum*, quæ in urbe quieta ad eam diem fuerat, ejecerunt. *Guidoguerra* e *Guida* familia, vir impiger, sciensque bellorum, duxerat *Florentinos* equitatus; eum vero ad id facinus clam impulisse *Aretinos* suspicio fuit & pretium accepisse. Res uno fere die peracta, nihil remorari profectionem visa est; doli tamen apud plerosque obmurmuratio permansit. Quapropter cum id *Antiani* persensissent, retulissentque rem ad *Vexillarios*, quibus jam plane pro Senatu utebantur non visum est ut eam doli mali suspicionem admitterent. Itaque *Aretinos* coegerunt armis ut eos statim in urbem revocarent. Fuit vero inter conditiones ut *Aretini* in quinquennium urbanum Prætorem a *Florentia* peterent, quo *Florentinorum* opera revocati *Aretini* cives, *Florentino*
110 prætore securiores atque ab omni injuria longiores viverent. *Telestarium* vero *Adimarem Florentinum* equitem primum gessisse eam præturam prodidere. Eodem anno renovatum esse cum *Senensibus* societatem *Leonardus Aretinus* auctor est; apud alios ejus fæderis mentionem esse factam non invenio. *Manfredus* autem interea cum jecisset altius regni radices, jam suo non amplius *Corradini* nomine regnabat, atque erat *Romanis Guelfisque* omnibus per totam *Italiam* infestissimus, ut ne *Federico* quidem patri impietate atque omni nequitiarum genere concederet. Multi ac magni rerum successus elatum natura animum ad insaniam etiam furoremque quendam inauditum atque intolerabilem evexerant, conversus autem ad paternas artes veteres per *Italiam* Imperatoris *Romani* sectatores literis excitare nunciisque cœperat. Eam verò *Pisani* arripientes occasionem *Lucensibus* ad *Auserim* fluvium improvisa intulerunt arma, quo cum armati propere accurrissent *Florentinis* sociis comitantibus, vertissentque conserta pugna in fugam cædendo hostium terga *Pisas* usque repulerunt, va-

A statoque circa urbem agro atque incensis ædificiis ad renovandam pacem compulere, aditumque conditionibus, ut cuicunque *Florentino*, non mercatori modo, omnium rerum immunitas foret, ubicunque *Pisani* imperarent. Cum vero in urbem rediissent multa continuo moliti *Senenses Manfredi* impulsu nuntiantur; domi quoque qui dudum otiosi oscitarant, excitati *Manfredi* tot tantisque conatibus. Maxima enim quæcunque de illius apparatibus fama circumferebat, in spem & ipsi venerant pristinæ dignitatis recuperandæ. Quapropter nocturnos agere jam conventus & furtim comparare arma & loqui ambitiosius audebant; B quæ cum suspecta esse cæpissent, periculumque inde jam libertati maximum imminere existimarent, *Antiani Gibellinorum* 111 ad se principes accersi jubent. Hi erant plerique ex *Ubertorum* gente cum multis præterea nobilium familiis, quorum erat in rem mutari statum civitatis, & cum *Manfredo* jungi. Cum autem citati non paruissent, stetissetque in aperto seditio, populus arma induit & ad *Ubertorum* ædes convolavit. Illuc enim omnes *Gibellinorum* quicunque fuerunt conjurationis conscii confugerant. Post aliquam vero pugnam populus irrupit in ædes conjuratorum; ac cum cæteri elaberentur C *Scatutium* tamen *Cainum*que *Ubertos* & *Mangiam* tenuerunt, de quibus paulo post supplicium sumptum est. Nonnulli etiam inter repugnandum cecidere. Viam, qua urbe abierunt, etiam nunc post tot annos *Gibellinam* vocant, & qua egressi porta sunt, *Crusiariam* inter ac *Justiariam* muro in perpetuum occlusum. Sunt tamen qui dicant *Guidonem* qui *Arbiensem* cladem præpositum urbi a *Manfredo* viam direxisse, atque aperuisse muros, unde recta ad *Curiam*, ubi inhabitabat auxiliaribus *Gibellinis*, si quis casus ingruat, iter esset, indeque viæ portæque stetisse nomen, eam deinde *Novello* ejecto pulsisque rursum *Gibellinis* muro D clausam. Qui effugerunt & multi præterea ex conjuratorum familia perpetuo damnati exilio *Senas* statim confugere. Populus autem, quo spem exulibus omnem reditus adimeret, eorum omnes ædes & turrium propugnacula evertit, materia vero in *Georgium* montem trans *Arnum* comportari jussa. Atque illic quoque muri & munimenta crebra turrium per muros excitata ne quos inde impetus facere propinquus hostis posset, dum *Senis* indignabundus elatiorque *Manfredi* hortatibus pollicitationibusque sedet, nam in dies de illius bellorum apparatibus formidandi magis rumores 112 E ferebantur. Quapropter *Florentinus* omnia circumspicere, & quæ facere quoquo modo ad salutem posset, diligentissimè aggredi & curare, ne quid neglectum, quod transigi possit, usque resideret. *Cortona* per id tempus cum *Gibellinis* sentiebat. Igitur ejus urbis ad *Guelfam* fidem revocandæ curam *Aretinis* sociis, hi enim post *Guidoguerræ* inde discessum perstabant in fide, mandaverunt. Dum ipsi altera parte *Verniam* & *Mangonam Mugelli* oppida redigere in potestatem parant *Alberti* quidem Reguli *Germaniæ*, qui & ipsi quondam venerant cum Imperatoribus in *Italiam* & tenuerant; ad *Alexandrum* tandem possessio jure hæreditario F devenerat. Is vero quia puer atque orbatus parentibus suorum maximè vim timuerat, ad *Florentinorum* opes prudenti consilio respexerat, atque imploraverat patrocinium. *Napoleo* igitur quidam ex eadem familia id ægre ferens, quod occupare eam hæreditatem atque auferre *Alexandrum* puerum e medio in animum induxerat, differendum non ratus, oppida armis occupat. Puero vix effugiendi facultas fuit. Eam vero ulturi injuriam *Florentini*, simul quod inde *Napoleo* omnibus per *Mugellum Guelfis* infensus atque infestus erat, exercitum struunt, ac *Verniam* primo profecti, cum oppi-

oppidum expugnavissent, diruerunt. Ad *Mangonam* mitior ira fuit victoris, permissum enim *Mangonensibus*, ut neque oppido neque rebus suis excederent, fidem modo atque obsequium *Florentinis* præstarent. *Aretini* interea & ipsi diligenter mandata exequuti, cum noctu clam *Cortonenses* adorti fuissent, eorum urbem ceperant, atque inde quoque *Gibellinis* ejectis *Guelfarum* partium effecerant. Nec *Gressa* neglecta est : id erat in agro *Aretino*
113 castellum, Episcopo urbis parebat atque fovebat *Gibellinorum* factionem id quoque eodem anno vi captum atque eversum est. Rem miram in calce libri hujus apponam quanquam a veritate naturæ non alienam, nequid quod memoria dignum sit neglectum atque indictum relinquatur. Leones ob eam maximè, quam in libro primo diximus, caussam in caveis ad *Baptistæ* Aream asservabantur, qui deinde ad *Ubertorum* translati Curiam, & ipsi propria stabula exornata fereis craticulis habuere; unde spectare atque admirari ejus animalis insolentiam viatores possent. Ergo ferocior aliquis cum e cavea curatoris negligentia aliquando erupisset per urbem aspectu terribilissimus discurrebat. Quocunque adveniret exterrefacta ac pene exanimata metu plebs diffugiebat, ad hortum *Michaelis* cum venisset & puer quidam, *Lambertuccio* nomen fuit
A (is erat matri unicus posthumus filius) tanta tamque improvisa re perterritus, amissa mente, constitit stupidus. Ad illum igitur leo veniens cum medium cepisset sedens chelisque ad pectus reductis, cæterum illæsum, conplectebatur; neque erat qui opem ferre aut egredi in publicum auderet; tantus terror cunctos invaserat. Illud vero mater cum persensisset in insaniam furoremque subito conversa accurrit; & ad sedentem leonem trepidè accedens attrectare fortiter atque aperire leonis ulnas aggreditur. Cum puerum filium extorsisset, minabunda etiam retrahebat domum. Leo immotus, quoad illa abscessit conspectu, fuit;
B cessisse fæmineo furori generosam feram facile dixeris & maternæ pietatis meminisse. Id ego ex viris audivi gravibus qui essent in *Africa* versati diutius, si leo ovem bovemque aut jumentum ad escam rapuerit, solere mulieres fuste arrepto insequi prædatorem, & consequutas vel malè mulctatos leones abigere, nihil repugnantes; si id mas at- 114
tentaverit, marem non itidem ferre impune. *Aristoteles* certe in fœminas atque infantes id ferè genus clemens scripsit. *Lambertuccio* deinde *Leonis* mansit cognomen, quod est & subinde ad familiam translatum.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

IAm vero lenior multo afflat aura & lintrem *Leonardus Aretinus* sublevat regitque iter, *Leonardus*, inquam, illud ætatis hujus nostræ clarissimum sidus, cujus quidem munere, ni fallor, *Latina* paulo ante eloquentia ex barbarorum obscurissimis tenebris prodiit in hanc lucem, quæ mox, si vera auguror, tot jam doctissimi inde viri quasi ex fonte quodam liquidissimo scaturiunt, non urbem nostram modo sed alienas etiam multas gentes illustratura est. Nam si nos paulo ante cum *Leonardo Aretino Nicolaum Nichobum* diligentissimum exploratorem omnis antiquitatis, si *Ambrosium Camaldulensem*, virum quidem doctum atque elegantem, si deinde *Carolum Marsupinum* gravem virum & multarum literarum, si *Matthæum Palmerium* primarium civem & Scriptorem accuratissimum temporum, si denique *Donatum Acciariolum* acerbo fato interceptum, aliosque nonnullos literarum gloria claros viros, qui decora vita functi sunt, merito sumus admirati, quid ab his tandem exspectandum erit qui nobiscum viventes tanta jam sunt in admiratione omnium gentium ut eorum jam scripta & prosa & versu cum vetustate doctissima conferantur. Miraculo
115 fuit in *Leonardo Aretino* illud tempus fuisse *Græcarum* rerum scientiam. Nunc etiam pueri passim edocti *Græcas* litteras *Atticè* loquuntur & scribunt, conjunguntque quidam non *Græca* jam modo sed etiam *Hebraica* cum nostris & unum universa jam civitas ab eo principio bonarum artium gymnasium factum videtur, unde mox mille gloriosæ palmæ expectandæ sunt. Quod nisi morosiores simus & præsentem laudem ita fastidiant aures, appellarem ex eis quoque, qui modo vivunt, nonnullos, illorumque decus nominis ad hæc quoque jam scripta condecoranda transferrem: sed vix mortui sine invidia laudantur. Itaque nos ad propositum revertemur. Increbrescentibus enim de *Manfredi* audacia rumoribus ad externas quoque res respicere *Florentini* cæperunt. Discrepabant autem in *Germania* inter se Electores, *Federico* mortuo, quem potissimum ad *Romanum* Imperatorem vocarent, ac duorum & viginti prope annorum
C fuerat inter-Imperium, si tempus a *Federici* morte annotemus. Quanquam tres quoque, qui subsequuti sunt *Romani* Reges, quod Pontificio consensu aurea corona caruerunt, cum Imperatoribus a quibusdam non connumerantur. Ita *Rodulfum Athaulfumque* & *Albertum* prætereuntes, sex & triginta, tot enim regnasse in *Germania* putantur annos, addunt ad imperium, sed tunc quidem Electores & ipsi duas in sententias abierant, dum altera *Gibellinum* præfert, *Guelfum* altera. Vicerat autem ad postremum *Guelfus* & erat *Rudolfus Romanorum* Rex declaratus. Itaque ad eum *Florentini Brunettum Latinum* gravem virum miserunt,
D quo ejus in *Italiam* adventum accelerarent: quanquam & ea quoque opera frustra fuit, nam *Gibellini* exules cum *Senis* omnes convenissent, *Manfredi* tandem favoribus in patriam, pulsis inde adversariis, rediere, neque ipsi tamen in ea diutius 116
permansuri. Ita fortuna rebus in nostris lusit perpetuo ludo, quæ tunc demum negare videtur cum miscet suo arbitratu cuncta ac minime intelligenda mortalibus res cunctas mortalium administrat, quod vel his temporibus maxime patuit. Nam *Gibellini* cum *Senis*, ut supra dictum est, convenissent, *Guelfi*, qui in urbe remanserant, legatos
E *Senas* miserunt, qui ex fœderis conventis, ut pellerent urbe agroque *Senensi Florentinorum* exules, deposcerent; quibus cum esset argutè responsum fieri id ex fœdere non posse, quod hi quoque, qui pellendi forent, *Florentini* item sint quibuscum paulo ante fœdus inierint. Ad reditum igitur legatorum *Albitius Trinciavella* ac *Jacobus Gerardus* fuerant. Bellum indictum a *Senensibus*, quod hi fœderis conditionibus stare noluissent, quodque sociorum legatis non socialibus planis verbis verum versuto involutoque cavillo responsissent. Nunquam majori alacritate itum esse in
F hostem constat. Itaque nulla interposita mora, cum expedita arma essent, militaris currus eductus. Tria statim primo impetu castella capta, *Vicum*, *Metianum*, *Cassiola*, & villæ complures & nobiliora quæque ædificia succensa sunt, dum ad urbem admovent copias. Denique cum nemo exiret obviam ad *Petronillæ* monasterium in ipsis pe-

penè urbis portis positis castris constitere. *Gibellini* verò jam tum a principio id veriti, quod evenit, non passuros *Guelfos* ut *Senis* tam propinqua urbe considerent, legatos de regiis auxiliis ad *Manfredum* Regem *Neapolitanorum* nobiliores quosque de sua gente miserant, quorum princeps *Farinata Uberius* eques *Florentinus* fuit, vir profectò animi ingentis & singulari quadam probataque prudentia.
117 Ad regem cum venissent atque auxilia postulassent, quod erat majoribus implicatus negotiis, utputa cui cum *Alexandro* Quarto *Campano*, ad quem post duorum annorum inter-Pontificatum sedes *Petri* devenerat, continuo de regno esset certamen. Aliquamdiu data verba sunt, demum ne prodere Rex ipse suam causam videretur, cum hi maxime postularent, quibus ob multa magnaque & in *Federicum* patrem, & in se filium merita modeste denegare nihil posset, centum *Germanos* equites concessit. Cæteri *Gibellinorum* legati ob paucitatem rejiciendum id regium munus putabant. Solus *Farinata* id, quod evenit, ratus; ut si hostibus objecti rem gesserint infeliciter non esse regem deinde honoris proprii causam deserturum, auxilia tamen accipienda censuit, quæ regio insigni militarent. Ita profecti *Senas* cum pervenissent, & paucitas auxiliariorum concuteret omnium animos, ferientibus jam muros hostibus atque in portas quotidie insultantibus, *Farinata* omnibus in locis adhortator aderat; nihil magis animo agitans quam ut vel invitum *Manfredum* in belli societatem pertraheret. Quapropter vocatis ad se *Germanis* occasionem instare dixit ea die grandem rem gerendi e sententia se pro certo exploratum habere; cuncta esse in hostium castris neglectiora nec dierum aut noctium servari ordines. Jam ob confidentiam, quod diu ne videre quidem hostem contigerit, secura omnia illis esse in castris, non aliter ac si media in urbe otiarentur; si improvisos, imparatos, nihil ejusmodi suspicantes aggrederentur, fore ut perculsi subitaneo tumultu prius terrore injecto vertantur in fugam quam arma ulla aut ullum pugnandi ordinem explicare possint. Fortunam *Manfredi* equitatui hanc præclarissimam palmam obtulisse, ut ipsi non præda modo excel-
118 lentissima ditati, sed expleti militari gloria in *Apuliam* revertantur. Sub hæc dicta, cum alacritatem animorum in vultibus deprehenderet, largius de industria duxit pugnam. Egressi porta in munimenta castrorum primo impetu irrupere atque adeo audax insolitaque vis terrorem primo trepidationemque injecit; mox arreptis armis repressa Regiorum audacia est. Et reliqua omnis *Gibellinorum* manus, quæ consequuta *Germanos* fuerat, intra mænia repulsa; Regii ad unum cæsi & captum vexillum perque castra inversè tractum. Deinde cum in iisdem castris dies restitissent continuos, extrahere eodem modo hostem in pugnam tentabant. Cum nihilominus nemo egrederetur redeundi tunc quidem *Florentiam* consilium cepere redituri mox ad obsidendam urbem posteaquam majores vires tantoque incepto pares comparassent. Igitur ad rei gestæ memoriam in castris loco edito turrim cum erexissent atque opplessent terram, in vertice oleam plantavere illius victoriæ monimentum. Redeuntes in urbem incredibili pene applausu excepti, vexillum autem regium, ut paulo ante intra castra, ita tunc intra mænia, plebejo furore tractum atque inde dilaceratum est. Vix medium æstatis transierat. Itaque magnus *Gibellinos Senenses*que invaserat terror, ne ad obsidendum, quod palam abeuntes dictitarant, *Florentini* reverterentur. Quapropter nihil morandum rati cum haud contemnenda pecunia viginti nummorum aureorum millia, de *Salimbenibus* accepta mutuo Trapezitis fuisse tradunt; castellis etiam quibus-
A dam traditis, sursum ad *Manfredum* legatos mittunt de *Florentinis* exulibus, cum *Farinata* qui pluris erat inter eos auctoritatis; ut majora jam auxilia, nisi actum de regiis in *Etruria* sectatoribus velit, ab eo impetrarent. Ipsi interea undequaque comparant, quam maximas possunt, ab ami- 119
cis ac fœderatis copias. Jamque ex *Apulia* legati redierant cum auxiliaribus octingentis *Germanorum* equitibus, quibus quidem Rex *Jordanum* quendam *Pedemontanum* affinem suum præfecerat, virum fortem bellorumque scientia præstantem, tantumque virium aderat, ut amoto obsidionis metu etiam congressum cum hoste affectarent. Contra vero
B *Florentini*, etsi undique contractis copiis pro rei magnitudine apparatus fecerant, differebant tamen de industria bellum, quod regius equitatus ex *Etruria* digrederetur. Quod *Gibellini* cum rescissent nihil magis versabant animis quam ut *Guelfos* extraherent in prælium. Et cum aliter confici res non posset; dolum struunt; ejus vero auctorem constituunt *Farinatam* atque *Acciam Lambertum*, versutum hominem atque audacem. Hi *Senensibus* statim suadent, ut *Alcinates*, quam maximo possunt, bello premant, faciantque *Florentinis* opem ferendi sociis necessitatem: se enim certo scire *Alcinatum* eos causam non esse deserturos. Duos
C præterea ex Divi *Francisci* sectatoribus claros viros, quo essent dictis fides propensior, conquirunt, quos astute subornatos *Florentiam* ad *Antianos* clam submittant, doceantque Magistratum *Florentinum* quæ a *Senensi* ipsi Magistratu accepissent. Ita perducti ad novem viros, hi enim tunc bello ministrando præerant, quæ opus facto sint ex *Farinatæ Acciæ*que consilio edocent. Ergo hi primum multum de belli fortuna questi malorum omnium causam in *Provincianum* quendam *Salvanum* principem per id tempus civitatis rejecerunt. Illum nutrire omnes discordias quo sic affectatam diu Tyrannidem per tot tantasque miseri
D *Senensis* populi ærumnas mortesque consequatur, plus enim in civitate jam pollere quam qui 120
Senensium modo conatibus dejici & tam superbo gradu dignitatis tantaque dominatus spe facile possit; si velint *Florentini* audire *Senensem* Magistratum, oblatam esse occasionem summa eorum cum gloria, qui tantorum extiterint bonorum auctores, omni etiam *Etruriæ* restituendæ pacis; nam si ad *Arbiam* copias admoverint populum correpturum confestim arma, Tyrannum e civitate ejecturum. Deinde si erit ita in rem visum, *Senenses Florentinorum* præsidia recipient intra mænia, ut ex eo-
E rum sententia *Senensium* quoque res administrentur, & una tandem civitas fiat e duabus, quo utriusque populi animi in unum coëuntes respirare aliquando a tot tantisque rerum turbationibus possint atque otio tandem aliquo diuturniore perfrui. Cum his mandatis duo *Franciscani* veniunt *Florentiam* adeuntque Magistratum, atque habere sensus se arcanos dicunt; paucis opus esse quibus credere eos tuto queant. Datur ergo ex *Antianis* unus, *Expedito* illi erat nomen, atque extra Magistratum *Joannes Calcaneus*, magnæ apud multitudinem vir auctoritatis, quibuscum securi colloquerentur. Cum mandata aperuissent, hi rem statim ad *An-*
F *tianos* detulere. Illi nulla interposita mora citari Senatum etiam extra ordinem jubent. Raro properantior convenit aut frequentior. Cum cæteri consedissent, assurgens *Expeditus* ita profatur, & orationem quidem habuit audacem magis quam fortem; En tandem, inquit, *Florentini* patres, si nos viri erimus, constituemus libertatem. *Senenses* enim in viam reversi opes jam respiciunt nostras, atque etiam, si ita nos velimus, tradituros pollicentur eorum urbem, ut ipsi, quæ in rem magis putamus, utrique populi exequamur. *Provin-* 121

cianum enim *Salvanum* jure fere cuncta populi occupasse, eum modo alere bellum & spectare jam ad Tyrannidem ambitiosum animum. *Senenses* quod ipse pro certo compertum haberet pellere perniciosum patria civem ab urbe decrevisse, ut profligatis hostibus nostris *Gibellinis*, quorum ille se plane principem patronumque præberet; cum *Florentinis*, quibus velimus ipsi conditionibus, ineant amicitiam. Ad *Arbeam* tantum petunt, ut veluti *Alcinatibus* allaturi opem, quas in armis paratas habemus, copias admoveamus, reliqua suo ipsos se *Marte* transacturos. *Antianorum* Magistratum; cum id esset *Senensis* Magistratus nomine nuntiatum, elatum lætitia confestim *Florentinum* senatum vocavisse, ut ejus illum gaudii participem haberent. Rara vero, inquit, sunt, *Florentini* patres, ex omnibus rebus humanis quæ, quo deliberentur rectius, consultatione non indigeant. Tam varii sunt rerum eventus, præsertim bellicarum, ut etiam ubi diligentius consulueris, facile a vero tamen sæpius aberres ac diversi a spe fiant rerum exitus. Quod modo affertur profecto tale est, ut opera magis vestra, quò res e sententia perficiatur, egeat, quam vos de tanta modo re tamquam bene gerenda occasionem disceptare debeatis. Quapropter neque nos in deliberando modo sententiam vestram exspectavimus. Verum quantum in *Antianis* fuit decrevimus, ut nihil, quod ad maturè conficiendum pertineret, negligeretur, quæque opus forent, parata in promptu cuncta essent. Vestrum nunc officium erit ut omnibus studiis in commune faveatis, neque tantæ gloriæ divinum certè munus elabi turpiter e manibus per negligentiam & socordiam sinatis. Frustra enim Dei opera imploratur, etsi ipse be-
122 neficus est in genus humanum, si, quæ ultro se offerunt, rerum opportunitates aspernentur. Cum vero his dictis assedisset, mussitatio ingens per concionem est exorta, singulis prope novum hunc morem ad Senatores referendi de republica improbantibus. Ergo venia prius impetrata a magistratu *Tegliarius Adimarius* hujuscemodi orationem habuit: Non sum nescius, *Florentini* patres, quantum, qui reipublicæ præsunt, venerationis debeatur; quippe secundum Deos immortales primos in civitate magistratus excolendos putem; quapropter nec mutire quidem fuissem ausus, nisi me vel invitum patriæ salus, de qua videtur agi hodierno die, in suggestum impulisset, quam si quis trahi in periculum senserit, nec suo etiam periculo succurrerit crudelis etiam omnisque reus impietatis fuerit. Quam enim ob causam putatis deorum quoque honores fuisse homines quondam facilius assequutos, quàm defendenda patria & virium salute proprii etiam oblitos commodi consulendo. Ego vero is sum semperque fui, qui patriæ salutem saluti meæ antetulerim, ea enim salva quid est quod bonis viris extimescendum sit? atque ego quidem, *Florentini* patres, nam faciam ipse palam quod sentio, multum vereor ne in nostrum caput hanc speciosam fabulam *Gibellini* confinxerint. Omnes novistis quorundam, qui inter eos præcipue excellunt, artes animosque ad fallendum solertissimos: habent modo *Germanum* equitatum quo paulo post primis tribus exactis mensibus carituri sunt: habent irritatum in nos *Senensem* populum quorum paulo ante in portas usque & mænia insultavimus, qui vindictæ ardor si refrixerit, fieri posse putant, ut multo remissiores ad injuriam nostram tanto periculo suo efficiantur: habent sociorum quoque præparata auxilia, quæ diutius tanto cum illorum, qui ea misere jactura ac discrimine in castris retinere posse non putant. Nos vero his sapienter animadversis domi sedentes temporis exspectamus beneficium,

A non aleam modo pugnæ non nisi ex necessitate subeundam, ut dicere sapientes solent, devitamus. Ipsi se vincent sine nostro prælio, nisi nobis quod dici de catulorum cæcitate assolet, ipsi festinando optimam belli sortem interceperimus. Quis vero mirabitur hæc *Gibellini* animo reputantes vel quocunque modo, ne tanta illis occasio dilabatur, si extrahere in certamen volunt, non succedit aliter, fraude aggrediuntur. Tradere ajunt velle *Senenses* in nostram manum urbem regique a *Florentinis Senenses* quis hoc credit, nisi qui utriusque populi mores naturamque ignoraverit? Non habemus nationem adeo magis infensam, aut cum qua plures aut majores odiorum causæ intercedant, ut hanc mænium vicinitatem tacitus prætereeam, quæ
B raro sine livore atque altercatione esse natura consuevit, & vicinus vicino invidet, ut doctè inquit *Hesiodus*. Addite vero, *Florentini* patres, quod ambitiosæ hujusmodi pollicitationes atque hæc tam inexspectata, tam inexcogitata munera semper suspectiora prudentibus viris extiterunt. Num satis fuerat *Senenses* si adversarios se nostros ex conditionibus ejecturos polliceantur, nisi ipsi libertatem patriamque prodiderint; venit verò proverbium in mentem, quo ab eo, qui præter solitum
C applauserit, cavendum monemur. Quid igitur? deseremusne *Alcinates* veteres socios & tanquam a lupa rabidissima imbelle pecus agnos, quòd constantissimè diu amicitiam nostram excoluerint, vorari modo deglutirique otiosi permittemus? Nemo id sanæ mentis dixerit, neque, si quis ejus 124
sententiæ sit, non contravenerim; Nihil enim puto in rebus humanis fide esse divinius, quodque sanctius servari debeat aut excoli ab homine diligentius. Quid enim ea sublata distamus a feris, quibus etiam merito erimus inferiores si efficiamur acceptorum immemores beneficiorum, siquidem leones quoque & elephanti atque serpen-
D tes, ne quid de canibus dicam, aut de equis, quod minus mirabile videtur qui sunt homini magis familiares, sæpe gratos fuisse in eos a quibus beneficium accepissent & legimus & experti omnes quoque fuimus. *Alcinates* conjuncti nobiscum animis, aliena a nobis, *Senas* ultra regione sunt siti *Urbeventanis* fœderatis nostris quam nobis propinquiores; eos juvemus atque amemus censeo. Ipsi si usus ferat defendant *Alcinates* & quod nos paulo ante, ut eorum fortunis opitularemur. *Urbeventanis* dedimus, ipsi modo eandem in amicis fœderatisque commiserati sortem fœderi præstent at-
E que amicitiæ *Alcinatum*. Quanquam dissimulare id modo *Senenses*, quo nos facilius in campum & aciem educant quin bellum hoc tempore *Alcinatibus* illatum velint, existimaverim; majora enim multo impendere videntur quam quæ implicari tot simul curis negotiisque patiamur; Si tamen aliter evenerit & molesti esse pergent *Alcinatibus Senenses*, atque adduci rem in periculum senserimus, nihil obstiterim quin pro sociorum salute nostram quoque in periculum conjiciamus, sed ante tempus tantum in discrimen adduxisse Rempublicam indignum, *Antiani*, profecto gravitate vestra vestrisque consiliis atque a populi *Florentini* consue-
F tudine & dignitate alienum; proinde a bello inferendo propius nunc quidem supersedendum censeo, tempusque quid afferat exspectandum, neque 125
nosmetipsos patriamque & libertatem nostram cum rebus omnibus nostris sine necessaria causa fortunæ telis temere objiciendum. Hæc cum dixisset *Adimarus* plausum omnis ferè Senatus dedit, atque ad eadem consulenda jam multi sese accingebant. Verum *Antiani Adimarum* pridem perosi concionantem mulcta afficiunt, & ne præterea quicquam consulat novo adeo neque civili more prohibuerunt. Quod autem pecuniaria mulcta erat, in-

inventi nonnulli qui, ut ipsi in tanto reipublicæ discrimine sententia succurrerent, mulctæ jacturam fecissent, nisi *Antiani* capitale statim fecissent, si quis ab eorum de *Gibellinis Senensibus* deliberatione, quam fecissent, re quicquam aut verbo abscessisset. In *Adimarum* etiam dicaciorem fuisse Magistratum ferunt, quam pro ejus ipsius gravitate conveniret, & rogasse *Expeditum*, ubi concionator assedisset num præ metu jam.... atque *Adimarum* fortiter respondisse se quidem libere dicere sententiam in Senatu, quod si militiæ virtutis quoque periculum atque animi faciendum sit, eo se processurum in hostes, quo ne subsequi quidem istos extra omne periculum ita fortes nihil audeant. Multitudo omnis imprudentior cum magistratu erat atque addebat nativo furori *Antianorum* impetum quoque suum popularis furor. Ita decretum populi fit ut ad *Arbiam* copiæ confestim admoveantur. Quapropter multi quoque ex fœderatis in belli vocati societatem; præsto affuere *Lucenses*, *Pistorienses*, *Volaterrani*, *Pratenses*, *Aretini*, *Geminianenses*, *Politiani*, *Collenses*, & nobiliores plerique *Etruriæ* populi convenere. *Perusinorum*, *Bononiensium*, atque *Urbevetanorum* interfuisse auxilia proditum est. Ita cum militari
126 curru atque omni castrensi pompa profecti sub apertum montem ad flumen *Arbiæ* pervenere. Pars etiam *Antianorum*, & expeditius inter eos princeps, veluti ad certam egressi victoriam currum comitabantur. *Guidoguerram* fuisse in ea expeditione Ducem *Florentinorum*; jam enim a *Beneventanis* redierat, nonnulli testantur, etsi & ipsum quoque non probasse inceptum asseverent, & vocatum in se natum ne ipsum quidem dicendi quæ sentiret ab *Antianis* jus impetravisse. Abeuntibus ex urbe disceptatio fuit relinquerentne domi quosdam, quorum, quia fuerant *Gibellinorum* dum in urbe versarentur assertores partium, suspecta fides erat, an eos quoque in militiam educerent. Denique & hi educti: neque domus fuit quæ militem unum saltem in eam expeditionem non præberet, equitum urbanorum mille, auxiliariorum duo millia produntur. Constat majore spe aut animis nunquam exiisse in campum *Florentinum* agmen, sed neque inconsultius alias aut processisse primum aut tumultuosius deinde pugnasse certum est. Ferociam proditio faciebat quam per universum jam exercitum *Antiani* leviter adeo insolenterque vulgaverant, sed neque minor eadem de causa negligentia incesserat. Non enim in hostes exisse ad pugnam aliquam, sed ad otiosam victoriam putabant. Ergo negligenter cum metati essent castra & tanquam in pacato agro constitissent, summa cum ignavia ac desidia ubique cuncta gerebantur. *Senis* autem cum tot ad *Arbiam* copias adventasse nuntiatum est; etsi lætum erat succedere e sententia dolos, tamen in principio ne id hostes persentiscerent, valde addubitatum. Itaque egredi ad prælium ob hostium multitudinem atque inire pugnæ fortunam formidabant, do-
127 nec transfuga quidam nobilior, *Ratiantes* nomen fuit, ad *Gibellinos* cum transisset remque ut erat omnis neglecta castris, edocuisset, monendo atque hortando in prælium elicuit. Ferunt ex olea coronatum quod ita doli auctores monuissent, in equo sedentem omnes prope urbis vias lustravisse & gloriosum de superbo *Florentino* hoste victoriam, nisi segnius congrediantur, partam esse prædicavisse liberius. Id vero cunctabundos *Germanos* equites & *Senensem* omnem turbam cum *Pisanorum* in eam causam cæterorumque præterea sociorum accitis auxiliis ita animavit atque exacuit virtutem, ut *Jordanus* regius Dux, cui *Gibellini* & *Senenses* totam belli curam demandarant protinus erumpendum, nequid inter morandum rescire hostis

A queat, censuerit. Itaque pro tempore curatis corporibus in aciem egressi porta, qua vocandos se fuisse *Antiani* in urbem pacatam ex conventis cum *Franciscanis* crediderant, ingenti celeritate in hostem ruunt. Prima acies *Germanorum* equitum fuit, inter quos vel imprimis *Jordanus* pugnavit, secunda vero *Gibellinorum* admixta *Senensi* equitatui; totum claudebant agmen auxiliares, ut inde & subvenirent laborantibus, sicubi hostis potentius inurgeat, & in fessorum & quacunque fortuna e pugna cedentium locum integri recentesque succederent. Peditatum vero partim cum regiis
B equitibus, quo prælium lacessant, in fronte locant, partim convestire alas & pugnare cum equitibus in hostem jubent. Jam venerant in conspectum castrorum *Germani* primi equites atque *Antiani* ex pedibus imprimis gratulatum venire *Senenses*, quod domi rem e sententia confecissent, & vocari etiam ad vacuæ urbis possessionem pu- 128
tabant. Cum ecce levior jam armatura percurrisset in castra, pugnam ciebat impetuosius. *Florentinus* tandem, cum dolum sensisset, ad arma discurrit. Pauci, qui ad currum instructiores stabant, primum *Germanorum* impetum sustinuerunt, donec cæteri arma capiunt sesequе ad repugnandum parant. Jam plerique accurrerant; & justum
C prælium committebatur atque utrinque ferociter pugnantes multi cadebant, sed quia sine ordine *Florentinus*, ut quemque casus coegerat, hosti congrediebatur, neque erat casorum aut defatigatorum qui subiret vices, nutare atque inclinare acies occeperat posteaquam aliquot horas non admodum dispare virtute decertassent. *Bucca Abas* in apertam fugam impulit, is forte prope signa stabat & cum transfugium decrevisset, quo gratior adveniret ad *Gibellinos*, signifero, is erat *Jacobus Valea* cognomento *Pactius*, vir imprimis strenuus, ma-
D num qua signum substentabat stricto gladio abscidit. Tum vero eo ad terram prostrato nihil reliqui fuit, quin fuga effusissima salutem *Florentini* peterent. Sed jam de monte *Senensis* frequens peditatus descendebat, qui ad id, cum eam victoriam *Jordanus* post consertam pugnam prævidisset, missus eo fuerat & multos fugientium intercipiebat. Atque hi quoque, quorum exeuntibus jam tum in expeditione suspectam fuisse fidem diximus, cum victoribus, & ipsi sequuti fortunam, dimicantes majorem etiam quam *Germanus* ullus aut *Senensis* stragem edebant. Meliorem quemque militem cecidisse constat, & cæsorum quidem tria
E fuisse millia, quatuor vero captivorum plerique tradunt, curru militari, ad quem tamen durior multò pugna fuit martellinaque & omnibus militaribus insignibus cum omni munitione pompaque castrorum victor potitus: raro clarior aliqua vi- 129
ctoria de quoquam hoste fuit. Victis nihil reliqui factum; ultro enim urbe ipsi vi minime expectata adversariorum excessere. Nam *Florentiam* qui e pugna evaserant cum revertissent, & complevere urbem miseris lamentationibus, & de deserenda urbe priusquam victor superbus hostis adventasset, consilium inierunt. Igitur cum omni familia gazaque, si quid commode exportari potuit, com-
F migraverunt. *Lucæ* partim, partim *Bononiæ* consedere. *Gibellini* vacuam urbem ingressi Civitatem ita instituerunt. *Novellum* juri dicundo & administrandæ reipublicæ domi præfecerunt, *Jordanum*, qui arma regeret remque eorum foris curaret, receperunt. Summa omnis *Florentini* Imperii penes *Manfredum* Regem stetit, illius dicto omnes parebant decem annos posteaquam populus gubernacula ipse reipublicæ susceperat per varias victorias libertatem decoravit, quæ ad *Arbiam* missa est, ubi male pugnatum diximus pridie nonas *Septembris* cum anni *Christi* milleni ducentenique sexageni

geni laberentur. Hæc autem ubi *Romæ* audita sunt, maximum timorem incussere, & *Alexander* Pontifex cum tantum additum esse videret ad *Manfredi* perpetui hostis *Romani* potentiam, multa circumspiciebat. Inter Cardinales *Octavianus Vbaldinus* erat unus *Gibellinæ* factionis in Pontificio Senatu. Is vero aliquando rogatus sententiam cum superbius in victos verbis insultavisset, non tulit *Blancus* & ipse in numero Cardinalium Senator gravissimus, aliterque multo fuisse loquuturum dixit, si is rerum arcana tandem percepisset. Quod autem erat Astrologiæ peritissimus cupidinem continuo injecit, quid ipse tandem de omni ea re sentiret apertius intelligendi. Difficile fuit a
130 sapientissimo viro de rebus futuris extorquere sententiam. Tandem omnium defatigatus precibus, Pontifice quoque ipso quid astra portenderent ut edissereret cohortante, ita respondit: *Vincent victi jam neque ipsi vincentur.* Quæ, tanquam ex oraculo dicta, observaverunt, quibus quidem in hodiernam usque diem ex reipsa fides manet. Leve fortasse quispiam putaverit, quod certe ob vitæ exemplum grave est, si quod *Expedito* superbissimo *Antiano* acciderit post acceptam cladem inscriptam hæc retulerim. Nam is cum ex prælio primus fere aufugisset adeo in Senatu audax parvo tempore exul ad mendicitatem est redactus. Ergo cum aliquando in *Teliarium*, qui infaustam illam *Antianorum* expeditionem gravi oratione dissuaserat, maleque ob bene ea die gestam rempublicam ab *Expedito* audierat, heus *Expedite*, inquit, ita sum pauperculus? (& amota superiore veste plenam nummis aureis crumenam, quæ subligaculo inhærebat, ostendit) tu vero fame deperis atque ex inedia fatiscis, & quidem merito tuo ita miser, qui tot cives tuos, qui patriam, libertatem, ausu adeo temerario perdidisti. Rebus autem, ut supra memoravi, *Florentiæ* compositis, *Manfredus Jordanum* revocavit; quod autem erat illius apud omnes *Gibellinos* magna ubique auctoritas, admodum ea revocatio molesta formidinisque plena fuit, tentatumque per legatos, ut *Jordanum* ad aliquod saltem tempus, quoad firmior in *Etruria* res *Gibellina* Regiaque foret, *Manfredus* immorari sineret; cum tamen abeundum esset & regi parendum, placuit antequam discederet de cuncta *Etrusca* re disceptare. Ut quod *Jordanus* potissimum sentiret ex absentis quoque consilio, quod ante elicuissent, rem communem administrarent Emporii, quod is locus medius fere sit
131 existimatus, dictum ad diem certam Concilium. Convenerunt autem *Jordanus* imprimis, & *Novellus* ex *Gibellinorum* quoque primoribus, *Florentinorum* permulti, *Pisani*; item legati *Senensium*. Hi utriusque Civitatis plerique principes fuerunt. Frequentes etiam e tota fere *Etruria* Reguli & Castellorum domini, quibus vel intulerant *Guelfi* paulo ante arma, vel erat eorum, si regnaturi essent, potentia formidolosior. Accurrere *Guidi* Comites, *Alberti*, *Vbaldini*, *Florenses*, & ingens præterea Nobilium minutiorumque Tyrannorum turba. Ingressi autem in concionem, cum omnes assedissent, cunctatio primum nonnulla fuit, cum alteri alteros, ut dicendi principium fieret respicerent. Cæteris igitur morantibus unus ex *Pisanorum* legatis ita fatus fertur: Nisi abrumpi hoc silentium, fæderati, studuerimus, nulla præterea causa fuit, cur *Pisani* modo primi ad dicendum de tanta re sententiam surrexerimus. Nos enim hi sumus profecto qui magis quæ vos decreveritis, exequi parati simus, quam satis e re communi quid sit potissimum dignoscere posse non putemus. Id modo vel confidenter admodum censuerimus eo esse tandem deductas nostrum honorum fortunas, ut silere jam aut otiosi esse, nisi prodere ipsi nostram causam velimus, minime debeamus. Ingentem Dei gratia & vestra virtute de communi ad *Arbiam* hoste paulo ante victoriam reportavimus, sed solent sæpe secundæ res parere negligentiam, neque diu lætæ esse his, qui elati, cum semel fortuna arriserit, perpetuum id fore putantes pristini obliti studii ignaviæ socordiæque indulgent. Si vos viri eritis, oblata profecto magna occasio est ut ejectis penitus adversariis, vos omni *Etruriæ* imperetis. Ac demum rebus ex vestra sententia compositis a tot tantisque quæ sumus 132
diu perpessi, malis quiescamus. Verum nihil ob victoriam rerum cura nostrarum remittenda quicquam videtur, neque etiam ita victi adversarii contemnendi sunt. Multo enim majores illorum vires quam quæ una clade deleri & confici bellum possit. Neque enim cum *Florentinis* modo res est, a quibus & solis atque in prostratis, aliquid tamen, si prudentis officium fiat, continuo subtimendum fuit, sed cum *Romanis* & Pontifice eorum, cum *Perusinis*, cum *Vrbevetanis*, cum *Bononiensibus*, *Volaterranis*, *Lucensibus*, *Aretinis*, *Pistoriensibus*, *Politianensibus*, *Alcinatibus*, *Collensibus*, *Geminianensibus*, *Pratensibus* quorum etiam auxilia superiore proxima victoria delevimus, at eorum in nos odia exasperavimus. Quos omnes, fæderati, credite nihil jam diesque & noctes cogitare intentius, quam ut acceptam ignominiam ulciscantur, & quod reliqui est suarum fortunarum a vestris armis injuriaque defendant. Mathematicorum nos dogmata, qui tenere se futurarum quoque rerum profitentur scientiam, contemnere sæpe & somnia putare consuevimus, in tanta tamen re ac tanti periculi cuncta formidamus. Atque isti nescimus quæ fata quæ portenta circumferunt astrorum. Illud nos vehementer movet, etsi aliter nonnulli rem interpretantur, istamque *Guelforum* ex urbe *Florentina* migrationem levem fuisse ac meticulosam rentur. Nos, ne fortiter potius prudenterque decreverint, veremur. Nam quid in urbe tunc quidem exspectent defensoribus vacua tot ad *Arbiam* amissis civibus? an ut nobis protinus advenientibus se quoque cæsis inferias præberent? quæ enim spes jam esse salutis poterat neque arma jam habebant, quibus nos in prælio eramus potiti, non viros, meliores enim quique fortioresque interierant. An vero plebis spectare 133
opem debuere, at illius semper suspecta fides est, quæ etiam rebus continuo novis studet; neque multitudini quisquam diu gratus fuit. Temerè turba extollit, mox etiam insectatur temerius: denique quod vos diligentius animadvertisse oportet, si quos viderit vulgus maxime consternatos, in eos incitare intentius studia plus quam commiseri res magis afflictas consuevere. Conventus fieri jam luce adversariorum non contemnendos certè scimus. Eorum principes *Guelfos* esse *Florentinos*, & consiliorum omnium auctores. Reliquos nihil jam esse ausuros nisi illa subsit spes, & recidivam fortunam a *Florentinis* cuncti exspectarent, quam quidem spem ut nos tandem aliquid in commune liberè consulamus, esse potissimum delendam censemus. Neque fieri id posse stantibus illis mænibus, atque illo omnium, quæ nos per tot annos pertulimus, incommodorum fæcundissimo seminario. Hi quibuscum omnem rerum cunctarum sortem communem habemus, *Florentini* Cives in nostras urbes demigrent, pro cujusque rerum arbitrio majores etiam quam ipsi in patria nostra consequuturi honores, cæteri deletæ quoque patriæ spe destituti profugi vagentur, dentque aliquando manus & concedant melioribus. Ea tandem unica, ut nos remur, fæderati, via est ut non perpetuo ita esse soliciti debeamus, sed in portum aliquem tranquillitatis tamdiu ita agitati atque

que aliquando ejecti divertamur. Neque patriæ caritas, quæ videri possit, movere quenquam debet; is enim verus amor in patriam videri solet, qui cives non mænia complectitur, neque nominis vano aliquo splendore ducitur, sed re potius factisque movetur. *Albani Romani* generis sui caput everterunt, officere posse novæ urbi illam vete-
134 rem gentem putantes: *Florentini* & ipsi ob eandem causam delevistis quondam *Fesulas*, a quibus duxisse vos originem haud dubium est. Igitur quis non jure laudarit, si nos quoque illorum imitati prudentiam eam urbem modo sustulerimus. Unde si superstes fiat, coacti timore hujusmodi auguramur quod *Gibellinæ* reipublicæ extremum tandem exitium perventurum sit. Quod ni accidat, fœderati, vos nunc, si vera patriæ caritas moverit, omni studio curabitis. Nam si *Jordanus* in *Apuliam* abierit a *Manfredo* revocatus, quantum putatis demtum de nostris rebus, erit & additum adversariis, qui regium jam nomen ob unius *Jordani* virtutem præter cætera expavescunt. Si is verò non prius discesserit, nobis credite, attollent cervices & insurgent magis etiam quam soleant, terribiles furiis jam agitati appetitæ ultionis. Excitate ergo animos vestros, ac priusquam accesserit infortunium, succurrite. Frustra enim fortunæ opem, cum desævire inceperit, implorabimus, si quæ ipsa ultro obtulerit per imprudentiam atque ignaviam repudiaverimus. Postquam *Pisani* loquendi finem fecerant, legati *Senensium* pluribus & ipsi verbis idem censuere, in quam etiam sententiam nobiles quoque & Reguli *Gibellinorum* haud inviti processerunt. Tum unus *Farinata Ubertus* indignabundus assurgens longe aliter sentire se dixit severaque & simplici oratione tunc quidem ab interitu servavit patriam. Non autem fuit in eo viro excellens aliquod dicendi artificium; ut natura ferebat, loquebatur. Cæterum ut manu erat promptus vigebatque ingenio, ita inerat prudens quædam in lingua vehemensque facundia. Is igitur cum perorasset, & quoniam maxima esset viri auctoritas commovisset cunctos, *Jordanus* imprimis & *Novellus* cum *Farinata* cen-
135 suerunt, atque explosa cæterorum de delenda *Florentia* oratione ad aliud digressi communi gentis consilio, mille ad eas, quas haberent, copias esse addendos equites decreverunt, qui symbolo collato alerentur. *Novellus* universæ rei præfectus: ita discessum e concione. Ubi hæc peregere, *Jordanus* in *Apuliam* properavit. *Alexander* interea moritur; & *Romanus* Pontificatus ad *Urbanum* quartum devenit, cujus omnis cura erat, ut a *Manfredo* Ecclesiæ jura defenderet. Nam propter *Gibellinorum* in *Etruria* successum *Manfredus* auctus viribus rem Pontificiam in dies magis urgebat. Accedebat ad hæc quod ejus etiam opera populus *Romanus* a Pontifice desciverat, asserueratque sese in libertatem: isque jam sibi novos præfecerat magistratus, *Banderesios* vocabant, quibus etiam vitæ necisque fecerant potestatem. Quibus actus Pontifex difficultatibus ad externa auxilia animum convertit. Et quando non in *Etruria* modo, sed reliqua quoque *Italia Manfredo* omnes ferè populi parebant, ad *Ludovicum Galliæ* regem legatos misit, ut ipse *Carolum*, sive germanus is fuerit sive consobrinus, aut gener, ut diversi tradunt, *Provinciæ Andegaviæ*que præfectum cum exercitu mitteret in *Italiam* contra *Manfredum* injurium *Apuliæ Siciliæ*que regni occupatorem, si ejus opera Pontifex *Romanus* Pontificialem causam fuerit tutatus, utrumque *Carolo* plenissimo jure se traditurum per legatos pollicitus. Per idem tempus *Guelfi Florentinorum*, qui ejecti domo *Lucæ* convenerant, & ipsi rem communem non deserentes legatos ad *Corradinum Corradi* filium in *Germaniam* miserunt *Bonaccursium*, *Adimarum* & *Simonem Donatum*, qui tunc erant factionis principes. Etsi pergrata legatio *Corradino* fuit, nihil tamen, reclamante ob ætatis teneritudinem matre, 136
impetratum ut ad recuperandum paternum regnum atque avitum in *Italiam* veniret. In futurum modo facta ingenti spe legati recesserunt. Dum hæc geruntur, *Guidus Novellus* summam nactus, ob *Jordani* discessum, auctoritatem, instructis copiis proficiscitur contra *Lucenses*, ut ad pellendos urbe agroque suo *Guelfos* armis, si id precario recusent, adigat. Egressus aliquot Castella non multo negotio expugnavit. Ad *Fucetium* deinde cum venisset admodum diverso eventu triginta dies frustra absumpti; pluviæ, ne diutius oppidum oppugnaretur impedivere, & quia hyemis jam erat principium in hyberna miles est reductus. Vere ergo primo cum *Guelfi* prævertendum sibi esse putarent, clam adorti per intempestam noctem *Signianos* admotis scalis eorum oppidum cepere. Nullus est toto *Florentino* agro locus bello urbi inferendo opportunior. Quapropter id nuntiatum vehementer *Novellum* commovit ut tumultuaria pene collecta confestim manu *Signiam* properaret, sed diffisus tutari mænia posse *Guelfus* oppido ultro excessit. Jam *Pisanorum* auxilia advenerant, itaque his maxime suadentibus, *Novellus* bellum contra *Lucenses* superiore anno cæptum prosequitur, ignique & ferro eo eum vastat agrum. Jam vero *Castilionem* expugnarat, cum *Guelfi* & *Lucenses* ira magis quam consilio in hostem egrediuntur, neque mora a quoquam ulla facta posteaquam in propinquo constitere quin statim præliarentur. Itaque *Lucenses Guelfi*que mox versi in fugam sine viribus vanam esse iram sensere, inter pugnandum multi ceciderunt, nonnulli etiam capti in potestatem hostium vivi pervenere. *Ceces* unus *Bondelmontes* cum in *Farinatam* incidisset contra suos pugnantem atque amisso jam equo præ actu pugnæ fugæque vix traheret ani- 137
mam, illico tetigit fortissimo viro animum conditio rerum humanarum, & acceptum adversarium in eundem quo ipse ferebatur, post sua terga equum e prælio educebat, nobilis viri sortem commiseratus. Id cum *Farinatæ* frater *Petrus*, cognomento *Asinus*, gnavus eques, cæterum ferocia immanis, animadverteret, converso in fratrem equo militari clava *Cecis* caput diffregit, reclamante etiam & aspera in percussorem convicia jactante *Farinata*. Fortissimi quique probro id *Asino* verterunt; ignavioribus modo id facinus non improbatum est, quos vindictæ magis ardor acuit, quam quæ sit magnitudo animi, illiusque qui ea potius, quàm naturæ impetu, ad ultionem ducatur gloria, cognoverint. Post hanc victoriam *Novellus* exercitum quocunque libere circumducens multa de hostibus castella cepit inter quæ nobiliora traduntur ..... *Notianum Rotaria* pons ad *Auserim*, sic vocant castellum quod ad id flumen situm est. Quocumque victor hostis convertisset arma, tantus tremor invaserat, vix erat qui ne primam quidem vim auderet experiri. Certatim fere deditiones fiebant. Id vero impulit *Lucenses* ut pacis clandestinas conditiones cum hoste inirent, a quibus mox abeundi *Guelfis* exulibus est facta necessitas. Itaque cum conjugibus & liberis egressi tumultuatim *Bononiam* perfugerunt. Per id tempus apud *Mutinenses* quoque cædem factiones solito magis Civitatem turbabant, ex quo *Guelfi Florentini* a *Mutinensibus* accersiti, cum tulissent *Guidoguerra* Duce, is ab eis nunquam discesserat, suppetias, *Gibellinos* inde ejecerunt. Pari mox fortuna evocati & a *Rheginis* ob causam haud dissimilem *Rhegii* medio in foro pugnaverunt, etsi negotio admodum dispari ac periculo; *Casca* erat homo

138 *Rheginus*, Gigantea, ut traditur, corporis magnitudine ac viribus; pugnabat autem *Herculeo* more ferrata clava, neque erat qui congredi auderet. Is tunc stabat in foro inter armatos soloque aspectu adeo erat terribilis, ut nedum prodire quemquam obviam, sed ne egredi quoque domo timor pateretur; si quis tamen audacius occurrisset, miraculo erat nisi *Cascæ* clava illico occideret. Igitur *Florentinorum* ea manus quæ ad *Mutinam* quoque vicerat, conditione rei animadversa, primum suspensa parum substitit, cogitabunda quo potissimum modo in *Cascam* præliarentur; mox glomerati ex omni numero meliores quidam milites, *Palatinos* eos deinde vocavere & *Feresius Adimarus* præfectus fuisse eorum fertur, facto cuneo in *Cascam* omnes uno impetu conjurant. Duodecim fuisse traduntur qui tunc strictis gladiis hominem adeo in immanem ferocemque aggressi sunt. Cæteri enim collato pede in singulos, *Guidoguerra* Duce, pugnavere, & vnicuique, nisi defendendi sui esset facultas, operæ pretium fuit vnum vidisse *Cascam* cum duodecim delectis fortibus viris manus conferentem. Jam vero nonnullos eorum letho dederat & toto foro sæpius circumagitabat agmen, cum *Feresius* callido consilio retractos sensim ex cuneo aliquot pene urgere terga atque insectari hostem jubet. Ita assequutum cæteros *Cascam* dum mactandis his intentius moratur, atque illi inutiliter repugnant, qui tergus cædebant pluribus simul ictibus, dum ipse alium ferit, percutiunt. Ita vero confossus non alio, quam si turrim evertissent, fragore ad terram decidit. At *Gibellini* continuo, duce amisso *Casca*, diffugerunt. Plebs ad famam prostrati monstri in forum advolavit, neque satiari oculi tuendo poterant, dum sanguinis fluenta, non rivos, dum
139 vultus adhuc semivivi ferociam membrorumque omnium tantam immanitatem admirantur. Tum vero cuncti virtutem laudare *Florentinorum* ac ferre in cœlum egregia facinora, & commiserere fortunarum certatimque multa largiri, equos præbere atque arma & ditare pecunia facultatibus divenditis *Gibellinorum*. Jam quadringenti erant equites, omnibus instructi atque ornati rebus præter egregios animos & ad quæcunque etiam maxima obeunda paratos. Ergo cum de adventu *Caroli Andegavensis* Principis, de quo supra memoravi, nuntius advenisset, Oratores ad Pontificem *Romanum* mittere placuit, ut ejus commendatione *Andegavensis* gratiam facilius promererent. Per eos verò dies crinita fulserat excitaveratque omnes mortales ad rerum futurarum exspectationem, præsertim quod eam regnorum permutationem portendere Mathematici putent. Auxit admirationem quod vix crinita evanuerat cum *Urbanus* vita excessit. *Clemens* Quartus in demortui locum subrogatus, homo *Gallus Caroloque Andegavensi* prope familiaris Ab eo igitur benigne auditi legati *Guelforum* ad stipendia etiam Pontificis admittuntur, quoque alacriores rem capessant Pontificiam, suo quoque insigni (id aquila rubra est viridem affigens unguibus draconem) donatos dimisit, ut eo insigni militarent. *Carolus* interea mari advectus inter hostium quoque insidias, quas multas *Manfredus* diversis in locis ad intercipiendum hostem struxerat, dilapsus *Romam* pervenerat, atque exceptus perbenignè & donatus *Neapolitano* & *Siculo* regno, ut cum *Manfredo* jamjam congrediatur, tardior copiarum adventus impediebat. Nam e *Gallia* ipse abiens facturus mari iter *Guido Monferio* impigro Duci negotium dederat terra
140 in *Italiam* traducendi exercitum. Is quod terra quoque doli parati a *Manfredo* erant, in eis devitandis plusculum temporis absumpserat. Jam vero *Alpes* superaverat, & parato satis agmine *Cenoma-*

A *norum Insubrium*que emensus agros in *Tegatam Galliam* pervenerat, atque in *Guelforum* equitatum cum non longe a *Mutina* occurrissent, percommode incidit, qui deinde fidi Duces extitere. Itaque per *Flaminiam* profectum *Umbriam*que *Carolus* per *Sabinos* flectere in *Campaniam* iter jubet, eo & ipse mox cum his, quos *Romæ* paraverat, militibus properaturus: *Manfredus* autem per exploratores cum adventare *Carolum* magno cum exercitu *Gallorum* in se cognovisset angustiores in regnum aditus diligentius obstruxit ad pontem, qui super *Larin* est amnem. Primi cum hoste congressus *Carolo* fuerunt, quibus facile superatis,
B oppidum quoddam arte munitissimum *Galli* cepere. Inde recta *Germanum* profecti id quoque expugnare vi oppidum adoriuntur, sed idem *Manfredus* paucis ante diebus cum *Beneventum* discessisset adeo munierat præsidiis, ut admodum dura expugnatio redderetur. Adorti tamen ve luro tantum prælio munitissimo sunt potiti oppido. Primum intra muros *Guelfa* acies penetravit, inde ad *Beneventum*, ubi *Manfredus* expectandum hostem censuit, justa acie concursum est, & *Manfredus* cum pugnando interiisset plenissimam *Carolo* victoriam reliquit. Ferunt, cum exerci-
C tum lustraret antequam iniretur certamen, adjecisse ad *Guelfum* equitatum oculos; & quod erat præter cæteros viris equisque ornatior, quinam illi essent, interrogasse; cum autem *Etruscos* esse antiquos hostes responderetur, *Gibellinos* itidem suos citari jussisse, ac nullo usquam comparente indignanti similem ad *Guelforum* conversum globum dixisse; eorum fidem admiratum: At 141
vero, nisi victrix, hodie illa acies esse non poterit. *Jordanus* in eo prælio captus, isque *Arbiensis* victoriæ palmam dux tulerat, & *Petrus Ubertus Asinus* missi in *Provinciam* diverso carcere contabuere. *Manfredi* cadaver tres continuos dies con-
D quisitum in mediis hostium cadaveribus repertum, & asello impositum delatum est ad *Carolum*, quod ille sepeliri ad pontis *Beneventini* pilam jussit; quod ponere in sacro fas non esset, quicunque extra communionem *Christianorum* morerentur. Sed neque illic habere sepulchrum Pontifex est passus; itaque extra fines rejecit *Neapolitani* regni, ut puta indignum qui in eo vel mortuus habitaret. *Carolus* utroque regno sine negotio potitus *Neapolim* venit, & arcem novam, in qua ipse habitaret, condidit. Secundum eam victoriam omnes per *Italiam Guelfi* respirare cœperunt, præsertim quod fama vulgaverat suorum maxime
E claram in eo bello operam in *Latio* atque in *Samnio* fuisse, & valere merito suo plurimum eos qui prælio interfuerint auctoritate & gratia apud victorem *Gibellino* nil reliqui fuisse, jam videri a stirpe adversariorum factionem interiisse, Pontificem *Romanum*, Regem *Neapolitanorum*, *Federicorum* & *Manfredi* nomen impientissimum cum nefando genere extinctum, ad quem igitur perfugiant? quorum implorent opes? nam quomodo ipsi per se tantam belli molem possint perferre aut sufficere viribus? dum hæc passim omnes ubique obmurmurarent, varieque pro cujusque
F forte lætitia aut mæror haberet animos, nonnulli exules *Guelfi*, qui profugi per *Etruriam* dispersique ante *Manfredi* casum vagabantur in unum cum coissent, vallem *Arni* superiorem infestabant, & in ea castellum jam novum occupaverant. Itaque contra egressus *Guidus Novellus* rede- 142
gerat ita ad extremum rem ut jam esset oppido cedendum. At *Ubertus Pactius*, cognomento *Splebanatus*, qui ei castello tunc præerat, confictis adulterinis literis, quibus advenire jam auxilia ex *Apulia* significabatur, objectisque ita de industria hosti ut interciperentur, id servavit. *Novellus* enim, tan-

tanta jam formido incesserat, soluta confestim obsidione *Florentiam* copias reduxit, atque adeo festinatum constat ut plerisque castrorum ornamentis relictis oppidani potirentur. Jam verò plebs respicere res novas videbatur, & *Novelli* impotentior dominatus odiosus erat: crimina etiam multa jactabantur, expilasse enim ærarium & publicam omnem privatamque pecuniam *Puppium*, id est in *Casentino* oppidum, transtulisse ferebatur. Jam conventus fiebant multi nocturni & plerique, qui antea timore obmutuissent, ultrò se principes ad novandas res multitudini præbebant quæ nulla re magis quam mutandis rebus solet gaudere. Plena omnia erant periculorum variorum, & *Novellus* quique præterea *Gibellinæ* factionis primi in urbe erant, varia consilia inibant ut innascentes hos motus possent sedare. Post aliquot autem dierum anxias consultationes placuit aliquam tandem antiquæ libertatis speciem ostentare. Novum per id tempus *Bononiæ* religiosorum genus *Lodorico Andolo Bononiensi* auctore initia ceperat, *Gaudentes* sese fratres nominabant. Hi sibi præclarum munus desumpserant patrocinandi viduis, pupillos verò tuendi & reducendæ inter dissidentes concordiæ atque innocentiæ defendendæ. Ingens jam pervenerat ad finitimos fama; nihilque erat illorum bonitate pietateque illustrius. Horum igitur *Catala-*
143 *num Malavoltam* & *Lodoricum*, de quo supra diximus, duos gentis principes vocari in urbem placuit, tradique summam reipublicæ administrandæ potestatem, ita fore putantes ut *Gaudentium* auctoritate plebs tacta conquiesceret. Igitur ædibus accepti publicis curam omnem gubernandæ civitatis suscepere. Additi sunt cives ex omni genere populares triginta sex, qui consulendo hortandoque continuo *Gaudentibus* assisterent monerentque quid esse e republica animadverterent. Tum primum artium instituta Collegia distinctaque insignia Collegiorum quæ seorsum sui quique collegii sequerentur, si quid per urbem tumultus turbæque oriretur. Septem principio opificum ordines fuere, quorum deinde auctus est numerus, cum *Antianorum* quoque mutatum nomen est, at inditum ab artibus, quod suo post loco explicabitur. Earum quæ tunc in Collegia artes venerunt Notarii ac juris quidam peritiores, qui fora & judicia regerent, primum locum obtinuerunt, secundum Mercatores, Mensarii tertium, Lanificio deinde præfecti & Sericitio, Aromatarii item ac Pellarii subsecuti. Quidam etiam proprios vicos habuere, & mercatores *Callimaram* occupavere, qui sericitium exercent, viam quæ a *Mariæ porta* nomen habet, Pellarii quoque seorsum digredientes viæ, in quam convenerunt, nomen imposuere; *Pelliciariam* etiam nunc vocant. Dum hæc geruntur *Germani* equites, at sexcenti hi erant, quos præsidii causa a *Manfredo* missos in urbe *Novellus* alebat, solutionem stipendiorum postulant, quæ cum differrentur, quod pecuniæ in promptu non erant, plebs autem insuetis prope exhausta tributis difficiliorem se præbebat, continuo exorta seditio. Nobilitas omnis atque milites in triginta sex viros, qui fovere aperte jam plebem videbantur conjuravere.
144 Et nobilitatis quidam principes erant clariores familiæ *Uberti*, & *Sifantii*, *Solariique* & *Lamberti*, ac nonnulli præterea eorum affectatores, quibus privati commodi quàm publicæ dignitatis major cura erat. In animo fuit quocunque modo aggredi triginta sex viros, hisque amotis occupare rempublicam; Cum autem periculi plena res esset, ac grandior quam quæ propriis viribus perfici posse videretur, placuit cum regio præfecto omnia consilia communicare, ut ad rem conficiendam militari etiam favore uterentur. Cum ergo inceptum

A *Novellus* probasset operamque omnem suam fuisset pollicitus, dies horaque ad facinus dicta, *Idorici* triginta sex viros in ædibus *Collegii Mercatorum*, ubi venire ad consultandum de republica solerent & visum ut improvisi trucidarent. Sed cum palam consilium fuisset continuo urbana multitudo cum novis artium signis, *Joanne Soldamero* equite *Florentino* Duce, armata convenit ad *Trinitatis ædem*. Nobilitas & ipsa in armis ad *Baptistæ* templum cum omni regio equitatu stetit. Inde vero movens cum multitudine per *Fornaquineos* ad turrim, *Hieronimorum* vocatur, agmine instructo venit. Eum vero locum plebs obstruxerat, &
B multis oppositis repagulis illic occurrendum nobilitati esse decreverat. Cum ingens pugna jam esset & multi utrinque caderent neque equitatus progredi ultra posset, *Novellus* cani receptui jussit; plura enim & tectis eminus fenestrisque vulnera accipiebantur quam ab his quibus cum collato pede pugnaret. Vix fuit facultas ad curiam reducendi copias, tantum telorum superne de ædibus privatorum detorquebatur, quod adeo regios exterrefecit ut statim porta *Boaria* egrederentur *Pratum*que properarent. Profecturus urbe *Novellus* veritus populi furorem duos ex triginta sex viris rogavit, ut 145
C ad portam usque comitarentur. Inter *Ubertum Pulchrum Cercium*que nobili familia *Cerciorum* medius discessit, plerisque etiam ex amicis atque utroque prætore revocantibus. Postridie ejus diei cum secum gravius factum reputassent, & indecoram ipsi fugam vituperassent, de redeundo consilium cepere. Igitur bene mane ad *Carrariam* portam cum accessissent a custodibus repulsi sunt; jam enim ob Regiorum subitam profectionem triginta sex viri vacuam adversariorum præsidiis urbem portasque & cætera loca custodiebant. Ad multum diem cum incassum substitissent, vimque etiam nonnunquam magno suo malo tentavissent, re ad po-
D stremum desperata, quia nihil intra mœnia tumultus, quod ipsi sperassent, exercitus muris appropinquavisset, oriretur, *Pratum* signa ante noctem reduxere. Illic vero varia inita consilia cum vehementer adeo acceleratæ fugæ frustra pœniteret. Quo deinde abierit Regius equitatus, quid *Guidus* egerit præfectus, qui tradat incidi adhuc in neminem. Triginta autem sex viri *Gaudentibus* missis prætoribusque ipsi rempublicam gerebant. Cum autem in nova republica multa formidarentur, neque satis adesse militum aut armorum, si qua major vis ingruat, videretur, apud *Urbevetanos* veteres socios auxilia postulavere. Illi centum delectos equites
E tradidere, quibus mandatum cum primum *Florentiam* venirent, ut opportunis locis locatis excubiis, ne quid usquam turbæ fieret, curarent. Ne verò qui juri dicundo præesset populus desideraret, *Urbevetanum* prætorem potestatem *Ormannum Monaldecium* præstantem virum accersivere. Capitaneus quoque alter prætor ab iisdem *Urbevetanis* est petitus vix enim erat ex omni veteri societate quod cuncti paulo ante metu ad *Manfredum* descivis- 146
sent, quibus tuto in rebus adeo dubiis haberi fides posset. Prima post vocatos prætores cura fuit ornandæ atque amplificandæ Civitatis. Neque verò id fieri posse habilius existimatum, quam si ex-
F torrem ob factionum studia nobilitatem in urbem revocarent. Decreto igitur publico redeundi in patriam suam cuique potestas est facta. Cum igitur frequentissimi revertissent, principes Civitatis ad conciliandas amicitias stabiliendamque rempublicam animum applicuere. Ita multæ initæ affinitates futuræ spem concordiæ non mediocrem præbuerunt. Nam *Gibellinorum* primores cum nobilioribus *Guelforum* matrimonia contraxere. *Forefius* enim *Adimarus*, qui *Regii Cascam* obtruncavit, *Guidi Novelli* filiam despondit. *Budus* vero frater

Ubaldinam nobilem fœminam duxit uxorem. *Guido* cuidam nobili familia *Guelfa Cavalcantum*, *Farinatæ* filia obtigit: *Braxio Banaguisio* soror; *Herotius Ubertus* donatam accepit puellam *Simone Donato* equite claro natam, atque hujusmodi multa inita conjugia familiarum, quæ diversa in republica sentire solerent; qua commixtione inter se sanguinis factionum obliviscerentur, cæterum unam cuncti rempublicam unanimes capesserent. Quanquam hæc consilia quæ profecto videri e republica tunc quidem debuere, longe alios quam putarint exitus rerum pepererunt, adeo in rebus nostris futurorum conjectatio obscura atque incerta est. Nam *Guelfi* qui permulti redierant in urbem, & hi præsertim qui *Guidoguerra* Duce tot clari victoriis elatiores erant, continuo eas cognationes perspectas habuere. Indignati quod hi etiam si diis placet, qui cunctorum quos pertulissent, per tot annos malorum nunc mutata fortuna ac parta suo maxi-
147 mè sanguine victoria, tamen victi nunc tandem meliore, quam qui vicerint, conditione in republica futuri esse viderentur; sed rursum superbiæ *Gibellinorum* satis superque notum perspectumque esse adversariorum impotentem animum. Satis exilii, satis egestatis, periculorum, laborum, satis tandem sanguinis cædisque acceptum. Neque tamen ea videri ne nunc quidem satis, nisi rursus in idem pistrinum rejiciantur, & crudelissimis hostibus prodant patriam. Satius multo fuisse si præliando mortem oppetere fortunatam contigisset, quam ad hæc tempora reservari vitam, ut in eorum, quos superavissent, quos pro captivis belli jure habere debuissent, ergastula conjiciantur. Ei tandem conditioni omnem fortunam anteferendam esse, hæc conqueri inter se, clam hæc mussitare in occultis diesque & noctes non cessabant. Tandem missis inscio etiam magistratu ad *Carolum Andegavensem* nuntiis, quo res loco *Guelfa* esset *Florentiæ* declaravere, ac ni ipse prope succurrat, in eandem protinus calamitatem communem victorum causam esse recasuram; proinde rem suam Rex non negligat si copiarum aliquid cum præfecto quoque aliquo regio tradiderit, facile se eam Civitatem in fide retenturos. Ad ea Rex perbenignè respondit neque oblitum se operæ *Florentinorum*, quæ ad *Lirim* primum deinde ad *Germanum* fuerit, *Beneventanæ* verò virtutis per omnia tempora, quoad tam claræ victoriæ monimentum aliquid sit, memorem se fore. Neque re usquam aut consilio, non viribus, non regni opibus *Florentinis Guelfis*, si grati regis animum gerat defuturum. Ubi hæc dixit *Guido Monforti* viro fortissimo mandavit ut cum octingentis equitibus *Gallis* proficisceretur in *Tusciam*, *Guelfisque Florentinis*, quam ipsi velint, operam præstaret: Cum
148 hæc jam omnia palam facta essent multis modis in urbe a *Gibellinis* trepidatum. Non enim constitit primum satis quid in rem putarent. Animum novæ affinitatis faciebant, injuriarum verò memoria sperabat ultionem. Placuit tamen priusquam *Monfortes* urbem ingrederetur, ut ipsi excederent neque jure in se iratorum clementiam experiri. Plerique *Senas* aut *Pisas* concessere, neque qui *Farinatæ* deinde finis fuerit aut cæterorum, qui tunc exulaverunt, *Gibellinorum* traditur. Quorum quidem ad hæc tempora immutata manet sors, ex quo etiam Mathematici Cardinalis in *Ubaldinum* prædictis accedit auctoritas. *Monfortes* cum *Gallis* equitibus ingressus urbem ad regium arbitrium rempublicam administrabat, atque in eum populus in decennium transtulit gubernacula; Rex annuos vicarios Civitati præfecit. His autem, ut *Guelfi* ipsi voluerunt, constitutis de exulum bonorum possessione orta contentio. *Clemens* eam Pontifex Maximus, Rexque ipse *Carolus* ita diremerunt, ut

A *Guelfi* in refectionem damnorum Tertiarii fierent. Cætera sunt facta ærarium, cui etiam tres viri e principibus *Guelforum* præpositi, qui perciperent agrorum fructus ac pecunias conflarent secarentque in usus publicos, si quid unquam *Gibellini* turbare aggrediantur. Hinc *Guelforum* Collegii factam originem in æde *Mariæ* quæ *supra portam*, dicitur. Ad consultandum convenere, unde & Consules dicti primum, inde paulatim crescente auctoritate Capitaneos se pro Consulibus nominaverunt, ea maxime ratione ut diversam a præfectis Collegiorum, qui & ipsi vocabantur Consules,
B appellationem obtinerent. *Leonardus* ante hoc quoque tempus duces fuisse *Guelforum* annuos in Civitate tradit, atque eos quidem peregrinos, sed *Guelfos*, *Lucam*, *Sabellum*, *Bertoldum*, *Ursinum*, 149
& *Thomam Severianum*, atque alios præterea nonnullos, quos monimentis publicis legisse licet, inde ad cives id honoris pervenisse, institutumque ex his ut curandis *Guelforum* rebus præfuturi eligerentur. Idem pro *Guido Monforte Malatestam*, *Verrucchianum Caroli* vicarium in urbe scribit. *Blondus* quoque ab his diversa tradit qui ad sedandam inter *Guelfos* de bonis *Gibellinorum* ortam seditionem, XII viros creatos dicit, qui partis *Guelfæ*
C Capitanei vocarentur, hisque imprimis curam traditam rerum *Guelfarum*, at per eos illud tantum tanquam periculosum discordiarum incendium, quod facile omnem rem *Guelfam* concrematurum fuit, extinctum fuisse. Qui verò regius præfectus fuerit, ne mentionem quidem ullam facit. Utut verum habeat, summa modo regendæ reipublicæ penes præfectum erat, cætera populi magistratus munera obibant; & duodecim viri antiquato nomine *Antiariorum* suffragiis populi delecti qui præfecto regio assisterent, & cum eo pariter rempublicam administrarent. Duo etiam tum populi instituta consilia ad res graviores decernendas, quæ
D opportuna appellare quod eis non in omnibus seipso deliberationibus; sed in his modo quæ plus haberent in se ponderis ac periculi, ut quod maximè oporteret essetque magis e republica decerneretur. Eorum in uno trecenti, octoginta viri in altero conveniebant. De publicis pecuniis, de præfectis artium, de oratoribus, de pace, de bello, de novis institutis referebatur ad trecentos viros. Quod autem illi constituissent lex *Florentina* erat, idque sanctè servabant. Dum his domi sunt intenti studiis, quædam *Gibellinorum* manus, quæ propinquioribus in castellis constiterat cum Du-
E cem sibi *Philippum Cuonanum* præfecissent *Hilla-* 150
rum statim occupavere. Id ubi rescitum est regius præfectus ingenti celeritate eo cum *Gallico* equitatu & multo *Florentino* milite contendit, ac paucis diebus expugnavit. Ad octingentos *Gibellinorum*, in oppido qui conclusi erant, partim cæsi sunt partim vivi capti, nulla re meliorem conditionem, quam qui inter pugnandum perierant, consequuti sunt. *Ubertus* etiam quidam cum in turrim lapsus forte & prælio perfugisset, victor autem hostis paulo post deprehensum insectaretur, in ejus potestatem deveniret, forte facinus aggreditur, quanto enim potuit altius cum ascendisset
F de turri moriturum se præcipitavit. Inter captivos *Gerius Volonianus* fuit qui carceri, in quo deinde contabuit, nomen dedit, *Volonianum* vocant. Terrore victoriæ campi quoque *Sirathii*, & *Crassa*, cui muros Episcopus refecerat, ad *Guelfos* defecere. Inde reditum in urbem est. Per eadem tempora omnes per *Etruriam* populi, *Pisanis* exceptis ac *Senensibus*, pulsis *Gibellinis* vetera studia resumpsere: quod autem contendentibus inter se Electoribus in *Germania*, ut supra dictum est, nullus tunc erat *Romanus* Imperator. *Clemens* Pontifex *Tusciæ* administrationem, quæ soleret ad

Roma-

Romanum Regem pertinere, *Carolo Andegavensi* tradidit. Dum vero *Senenses* bello adoritur Regius præfectus quod illi cum *Gibellinis Florentinorum* vetusto more gentis sentirent, agrumque *Florentinum* infestarent ac multas jam & nobiles excursiones ad urbis usque portas confecissent. *Pisani* autem auxiliares *Bonitium* jam pervenissent, eoque præfectus admovisset copias, ut bellum *Bononiensibus* intentius inferret; *Carolus* ipse *Andegavensis* in *Etruriam*, quam susceperat gubernandam, venit. A *Florentinis*, cum is ad urbem
151 accederet, ingenti honore exceptus est, cum militari curru & ornamentis cæteris castrorum. Nobilitas progressa est obviam; omnis *Florentina* pubes, atque ut quisque plus potuit ornata colludens inter se levioribus hastis, & lætum ciens quoddam veri prælii simulachrum ad ædes usque publicas ad id mirifice apparatas deduxit. Octo verò quibus in urbe fuit dies festi omnes facti cum magna testificatione animorum pergratum Regem cunctis advenisse. Inde *Bonitium* profectus ad deditionem *Bonitienses* post quadrimestrem obsidionem compulit. Nam fame victi postquam omnia necessaria defuere, quicquam tenentibus omnes aditus regiis posset importari, salutem pacti intra mænia hostem oppidani acceperunt. Huic *Carolus* imposito præsidio in *Pisanos* contendit. Multa ex eis cepit oppida, in portu vero demolitus etsi turres & cuncta, quæ in eo erant, ædificia subvertit. Demum, *Lucensibus* ita rogantibus, *Mutionem*, ea arx est in eorum finibus & natura loci & structuræ genere maximè munita, obsedit, & falsò metu injecto scindendorum a fundamentis murorum cuniculario opere impulit ad deditionem. Per noctem vim ingentem aliunde ruderum comportabant; ut multum, cum illucesceret, excisum fundamentorum appareret, interdiu efferebantur. Cùm aliquot dies ita perseveratum esset, & tantum materiæ egestum viderent, qui de arce repugnabant, ut jamjam ruinam formidarent, deditionem fecerunt. Ita potitus arce castelloque munitissimo *Carolus* ea *Lucensibus* dono dedit. Plura ac majora molientem motus quidam & in *Sicilia* & in *Apulia* formidabiles impedivere, de quibus quidem nos jam dicere aggrediemur rem repetendo altius, quò magis in aperto tanta res constituatur.

FINIS LIBRI QUARTI.

152

LIBER QUINTUS.



DE *Corradini* igitur in *Italiam* adventu deque bello perbrevi, una enim æstate confectum est, attamen omnium pene maximo quo tota *Italia* conflagravit, quod cum *Carolo Andegavensi* Rege *Neapolitano* gessit, modo scripturus, necessarium esse duxi causam quoque turbationum harum prius aperire quo clarius, quæ dicendæ erunt, cognoscantur. Neque id ab re; de qua agimus, esse docti, arbitror, putabunt. Quoniam hæc quoque quæ facile existimare quis externa possit adeo sunt conjuncta cum nostris, ut si quis penitus separare ea velit, mancam profectò obscuramque reddiderit historiam, quamvis quæ de hoc bello traduntur multam & magnam varietatem habent. Nos quæ veri esse similiora visa sunt hic apposuimus, secuti hac maxime in parte *Blondum Foroliviensem* qui a *Ragone* Cardinale, qui suorum temporum gesta scripsit, accepisse profitetur; cui quidem nos tum, quod in eam ætatem incidit, tum quia sacrosanctum magistratum gessit, plus fidei adhibendum censuimus. Is igitur ita habet: *Alfonsum Henrico Federico*que fratribus neglectis solum *Hispaniensium* paternum regnum occupavisse, nullam eis in partem acceptis hæreditatis. Inde ita exclusis necessitatem esse factam alienas opes implorandi. *Henricus*, qui erat natu secundus, in *Galliam*. *Federicus* in *Africam*, diversi ambo ex composito abiere, initis inter se conditionibus prius ut uterque quos possent in *Alfonsum* fratrem concitarent. Si alteri fortuna magis arriserit, alterum in fortu-
153 næ vocet partem. Quod autem erat *Galliæ* Rex affinitate his fratribus conjunctus, re ex *Henrico* cognita conciliare diffidentium inter se fratrum animos cogitabat. Itaque cum nihil apud affinem regem e sententia succederet, atque agerentur omnia pacabilius, aliter tentare fortunam *Henricus* instituit. Itaque profectus in *Britanniam* pari eventu, *Anglus* enim Rex, cum & ipse de regno cum *Germano* contenderet, ad alienas ut animum applicaret induci non potuit; nec diu moratus discessit in *Germaniam*, ut *Corradinum* ad paternum avitumque *Italiæ* recuperandum regnum solicitaret, sperans turbandis vel quandocunque rebus, quàm si otiosus oscitet, meliorem aliquam se esse sortem inventurum. Laboriosum fuit adolescentem decem modo sexque agentem annos ad tam audax inceptum impulisse adhortantibus maxime amicis, & otium paucorum adhuc annorum, quoad confirmatior ætas fieret, suadentibus. Matris etiam pietas plurimum impediebat quæ continenter instando, monendo, precando adolescentis infirmum animum molliebat. Vicit tandem studiosa *Henrici* diligensque incitatio, spesque quædam injecta permagna recuperandi *Italici* regni. Ita inter se de omnibus rebus clam colloquuti atque icto fœdere, *Henricus* ad res præparandas in *Italiam* mari properavit. *Pisas* advectus, quod eos *Caroli* regis *Neapolitani* hostes pernovisset, cunctaque fuisset cum *Corradino* machinatus, in societatem facile adducit. Inde eos ad instruendum pro viribus bellum cohortatus venit per *Senenses*, quibuscum eadem quæ cum *Pisanis* transegit, *Viterbium*. Illic verò *Clementem* Pontificem *Romanum* nactus multa de *Alfonsi* fratris injuria conqueritur, illius se superbiam cum *Federico* altero fratre voluntario exilio commutavisse. Insolescentem enim fortunæ applausibus animum 154
ne vitæ quoque eorum, quos natura tam arctissimè conjunxerit, insidietur, veritos fuisse, quibus præter miseram animam nihil reliquisset, quosque non modo non in tanti tamque opulenti regni angulum aliquem, sed ne in bonorum quidem paternorum portionem ullam iisdem ortos parentibus fratres admisisset. His atque hujusmodi dictis impulit Pontificem *Romanum* ut eorum sortem commiseresceret. Paucos autem illic moratus dies *Henricus* largitionibus indulgens, quammagnam enim clam etiam fratribus pecuniam domo extulerat, omnes prope aulicos sibi reddidit obnoxios, *Clementi* quoque Pontifici Maximo, quo eum magis fraudi exponeret, in bellorum usus subministrata pecunia, cujus erat propter superiora cum *Manfredo* bella maxime egenus. Mox simulata religionis causa *Romam* se proficisci velle dixit, quo cum pervenisset, eadem aggressus arte principes *Romanorum* brevi perpulit, ut dissimulanti quoque atque abnuenti Senatorium munus demandaretur. Reversus inde ad Pontificem invitum id honoris collatum fuisse a *Romanis* narrat, se illorum contentionibus defatigatas adeo habere aures, ut ferre eorum insolentiam non potuerit. Laborabatur enim *Romæ* quoque contrariis factionibus, at-

atque erant in urbe nobiles permulti *Gibellinorum* qui a Pontifice animum alienum gererent, quæ quidem causa fuit, ut *Clemens* miti ingenio Pontifex *Viterbium* ad inhabitandum concederet, veritus, si ipse *Romæ* sit, nequid sua præsentia turbaretur audacius, si ipse ab urbe absit facile fore ut Pontificia auctoritate redigere dissidentium inter se animos ad concordiam possit. Itaque pergratum fuit hoc tunc *Romanorum* erga *Henricum* studium, quo sedare se per illum posse eos *Romæ*
155 motus arbitratus est. Per eosdem vero dies *Carolus* Rex *Neapolitanus* a *Beneventana* victoria ad Pontificem accesserat de regno, de *Etruria*, de tota *Guelfa* re colloquuturus, placueratque ut ipse proficisceretur in *Tusciam*, quod illic *Pisani* & *Senenses* cum *Florentinis* exulibus res novas molirentur, atque in valle superiore *Arni* jam multa turbarent. Erat autem *Carolus* Rex materna & ipse stirpe *Henrico* conjunctus. Itaque eum complexatus edoctusque de fratribus fortunisque omnibus eorum percommode ipse ad rem capessendam *Romanam* regendasque eorum seditiones, dum ipse in *Etruria* moratur, suadet. Quibus compositis rebus cum Pontificis ingenti lætitia *Carolus* eodem tempore in *Etruriam*, *Henricus Romam* divertere. Ferunt *Henricum* antequam discederet multum *Carolo* pecuniarum in *Etruscum* bellum subministrasse; quæ mox cum tardius restituerentur, causam dedisse *Henrico*, qua justa ira proditionem honestaret contegeretque diutius extructam fraudem. *Henricus*, ut *Romam* venit, lætus quod sibi e sententia doli succederent perceleres ad *Corradinum* dat in *Germaniam* literas, quibus illum edocet quid jam confecerit in *Italia*; asciviffe *Pisanos*, *Senenses* in belli societatem, multos ubique mortales *Guelforum* pertæsum superbiæ, res novas spectare, se verò habere urbem *Romam* jam in manu, nihil deesse tandem nisi ut ipse advolet, & paterno recuperato regno fasces quoque *Romani* Imperii suo debitos generi resumat. Idem ut *Pisani* quoque *Corradino* suadeant per nuntios monet. Ipsi triginta longarum navium classem, quas in *Januensis* belli opportunitatem paratas in portu instructasque habebant, *Ostiam* traducerent, quo *Corradum Caputum Neapolitanum* exulem acciperent, atque inde in *Africam*
156 ad *Federicum* fratrem traherent. Erat autem *Caputus* vir audax, factiosus & multi consilii. Quod verò fuerat sæpe in *Sicilia* diversatus, valebat apud *Siculos* gratia, & multas per eam insulam conciliaverat amicitias. Cum eo *Henricus* omnia consilia communicaverat & magnis præpositis præmiis perpulerat, ut *Pisana* cum classe in *Africam* ad *Federicum* fratrem navigaret; Si is ad invadendum insulam animum convertat, fore ut nullo negotio *Siciliæ* Regnum obtineat. Quod eodem tempore *Corradinus* cum magna *Germanorum* manu affuturus sit, cui turbandis *Apuliæ* rebus, nihil sit quisquam in *Sicilia* repugnaturus. Cum his mandatis *Caputus Ostia* solvens trajecit in *Africam*, ubi cum præsto *Federicus* affuisset, atque is mandata ab *Henrico* fratre exposuisset, magnam spem fecit, si ille impigre adoriatur, *Siciliæ* consequendi regni, ad eamque rem conficiendam ipse omnem operam suam pollicetur. Permovit adolescentis animum regni oblata spes. Itaque mature paratis mercede *Saracenorum* militibus, quot capere classis *Pisana* potuit, trajecit in *Siciliam*, ubi concitandis variè populis plerasque Insulæ Civitates in suam sententiam traduxit. *Messenii Panormitani*que in fide perstitere. Jam verò *Corradinus Tridentum* pervenerat, ad cujus adventus famam in *Apulia* quoque rerum mutationes timebantur. Bellum tunc *Pisanis*, superatis *Bonitiensibus* & *Mutionis* capta arce, inferebat *Carolus*, cum duo simul nuntii tristes afferuntur *Federicum Hispanum* cum *Pisana*

A classe, & *Saraceno* equitatu venisse in *Siciliam* atque ad eum plerasque Insulæ Civitates defecisse, & *Corradinum* eodem tempore *Tridentum Veronam*que jam profectum. Ita subito terrore circumventus 157
in *Apuliam* ad continendos in fide populos exercitum reduxit, *Guglielmo Lostendardo*, & *Guglielmo Belsilvio* cum octingentis *Gallorum* equitibus *Etruriæ* præsidio relictis. *Corradinus* autem tres ferè menses *Veronæ*, dum de via deliberat, commoratus, nam dubitationem faciebat quo potissimum itinere incederet, tum *Caroli* quæ in *Etruria* esse copiæ afferebantur, tum quod de viribus ipse suis multum demserat, qui stipendiorum difficultate
B bonam militum partem ex his, quos in *Italiam* secum traxerat, remiserat in *Germaniam*. Per *Galliam* quoque non satis fidi transitus erant præter *Ticinum* quod modo dicunt *Papiam*, & *Veronam* cunctis civitatibus *Caroli* partes præferentibus. Igitur *Henrico* maximè *Pisanis*que & *Senensibus* sollicitantibus *Verona* movens citato cursu *Ticinum* concessit, inde delatus in *Ligures* tandem pervenit *Pisas*, *Gibellinis* quoque nonnullis iter in *Tusciam* comitantibus. Primo statim adventu, stimulantibus *Pisanis*, *Lucensem* ingressus agrum latè populatur incenditque, idem *Florentinos* quoque aggressurus, nisi regii præfecti cum *Gallico* equita-
C tu ad fines agri occurrissent. Itaque diutius minime cunctandum ratus celeriter emensus *Pisanum* agrum venit *Bonitium* atque inde alteris castris *Senas*. *Bonitienses* more ejus gentis, ad eum deficientes, *Corradinum* commeatibus juverunt, atque ejecto, quod *Carolus* paulò ante imposuerat, præsidio, intra oppidum *Corradinianos* accepere. Præfectis regiis propositum erat consequi *Corradinum*, nec longe ab hostium castris metari castra, ne vagari liberius ac prædas agere miles posset. *Senis* ergo cum reficiendo exercitu *Germani* substitissent, in agrum *Aretinum* Regii anteverterunt. *Varicum* jam tenebant atque erat per *pontem*, qui *ad Val-*
D *lem* dicitur, ut consequerentur abeuntes *Senas* ho- 158
stes, transeundum, & regio quidem omnis crebris montibus obscurisque convallibus plena atque ad insidias locandas apta. Regii verò qui jam comitatum *Florentinorum* de *Varico* missum fecerant, securius, quam eò loci expediret, gradiebantur. Jamque *Lostendardus* alter ex præfectis cum parte copiarum Regiarum per pontem *Arnum* trajecerat, cum coortæ subito insidiæ e proxima convalle, quas *Gibellinis*, ut puta qui regionis omnes latebras callerent ducibus *Corradinus* tetenderat, *Belsilvium* nihil tale timentem cis pontem a fron-
E te simul atque a tergo, ne qua diffugiendi cuiquam esset facultas, adoriuntur. Quingenti hi fuerant equites, nam trecenti *Lostendardo* Duce transito ponte incolumes evaserant, qui autem cæsi sunt aut capti in potestatem hostis devenerunt. Inde reditum *Senas*, & *Corradino* perplexitas stetit aliquot dies *Romam*ne inceptum iter continuare, an resideret in *Tuscia* aliquamdiu ad reliquias persequendas hostium, ut *Senenses Pisani*que atque omnis *Gibellina* factio suadebat. Fore enim ut destituti jam Regiis *Guelfi* auxiliis ultrò sint ad victorem saluti consulentes defecturi, ut brevi univer-
F sa *Etruria* potitus terribilior foret rem *Neapolitanam* invasurus. Contra *Henricus* instabat literis & nuntiis percrebris, ut transiret cum exercitu in *Apuliam*, hortabatur, in manu victoriam esse, stultam videri jam omnem moram; cuncta enim in *Sicilia* & in *Neapolitano* regno spectare ad *Corradinum* diesque atque horas, ut dicere solent præ desiderio singulas connumerare, nihilque jam esse vel tantilla aliqua cunctatione molestius; proinde ne moraretur, neve tantam gloriosissimæ rei gerendæ occasionem multo minutiora consectando, quæ tamen deinde ultro victoriam consequutura 159
sint,

sint, prætermittat. Qui tandem pervicit, ut intermisso *Etruriæ* in præsentia negotio *Romam* atque in *Apuliam* maturarent. Ferunt Pontificem inter proficiscendum admonuisse ne quid in *Carolum Andegavensem* legitimum *Siciliæ* atque *Apuliæ* Regem possessorem moliretur, ac multa, si quid tale impie attentarit, interminatum. Cum nihilominus tamen ille pergeret, recta etiam monentem petulanter aspernatus, commiseratum adolescentis sortem Pontificem dixisse, *Corradinum* victimam innocentem trahi ad supplicium tam vere, tam alieno tempore, quàm ad certam proficisci victoriam cuncti pene mortales opinarentur vaticinatum. *Romam* cum venisset eodem, quo *Romani* Imperatores solent honore exceptus est. Jamque ad eum ex universa pene *Italia* armatæ multæ gentes concurrerant, ut erat quisque magis factionis tuendæ studiosus, inter quos imprimis *Guidus Feretranus* advenerat *Urbinatum* princeps cum multis e citeriore *Gallia*, et jam e *Flaminia* collectis militibus. *Senensium* quoque & *Pisanorum Florentinorum*que exulum magna auxilia convenerant. *Henricus* etiam præter *Romanos*, quorum quoque multos in armis tunc habuit, *Hispanorum* conduxerat non contemnendam manum. Quod autem propter crebras ingentesque largitiones jam eum pecuniæ defecerant, multis Divorum expilatis ædibus sacras opes in stipendia non sine hominum pia obmurmuratione transtulit. Maximus erat jam conflatus ex diverso hominum genere exercitus. Sexaginta armatorum millia *Romæ* habuisse collecta *Corradinus* traditur, atque in *Apulia* quoque non in *Sicilia* modò plures a *Carolo* populi quotidie deficiebant. *Caputus* enim de quo diximus
160 classe *Pisana Apuliæ* litora circumadnavigans maritimas omnes Civitates, ad *Corradinum* ut desciscerent, sollicitabat, illius virtutem, potentiam, etiam super verum, elevando, in *Neapolitano* quoque portu clamasse *Corradini* nomen, atque excitasse ad eam vocem fertur omnem Urbanam multitudinem; adeo, cum nusquam resisteretur, audacia creverat. Nam *Carolus* in *Nuceria* oppugnanda, quam *Saraceni* occupatam tenebant, conatus omnes suos intenderat; veritus ne inde quoque, si *Corradinus* fines regni invadat, impetum in se faceret. Munitior verò locus erat, quam qui ea temporis angustia expugnari quiret. Movere enim jam *Roma Corradinum Henricum*que constanter crebri nuntii afferebant. Itaque munitis circum castellis præsidiisque de industria majoribus impositis, edicit ut volentem erumpere *Saracenum* transitu arceant. Ipse cum reliquo exercitu *Casinum* venit, inde namque egredi cogitare hostem exploratores renuntiabant. Igitur dum *Casinum Carolus* munit obstruitque inde namque ingredi cogitare hostem exploratores renuntiabant: nuntiatur *Corradinum* alia via in eum adventare, per *Tiburtinum* enim *Albanum*que agrum in *Equiculos* hostis contendit constititque in *Marsorum* campis, quod contra progredi *Carolum* atque esse in propinquo per exploratores cognoverat. Neque verò & ipse longe aberat, quippe qui a *Casino* recta fuerat, eodem, quo iter hostem facere intellexerat, profectus. *Palentini* campi sunt præaltis circumcincti montibus & collis ab *Alba* usque decem porrectus in longitudinem stadiis altera parte exurgit, ubi se collis in planum declinat convallis sunt fauces, quæ ita collem adjacet ut non sit ex campis in eam aliquis prospectus. Media fere in planitie metatus castra erat *Corradinus* ut hostem illic operiretur........

FINIS LIBRI QUINTI.

BARTHOLOMÆI SCALÆ
VITA
VITALIANI BORRHOMÆI
EX BIBLIOTHECA MEDICÆA.
C L. V.
OLIGERO JACOBÆO
CONSOBRINO SUO
PROFESSORI HAFNIENSI.



Actenus æternas eruditionis Tuæ laudes, Consobrine Honoratissime, magnumqne ingenii vigorem per orbem eruditum, coaxans illa Ranarum turba dispersit, quarum ortus & incrementa, ita Orbi innotuere, ut quicquid absconditum in illis hactenus natura voluerit, dextra tua in lucem protraxerit. Renascuntur jam alii laboris tui fructus, & Historiis, quæ tenebris antea immersæ blattisque consecratæ fuerant, lucem das, quæ in posterum famam tuam, doctrina omnigena acquisitam, loquentur. Florent in te ad

ad invidiam scientiæ plures, divesque Musarum ærarium in capaci pectore circumgestas. Radiis solis, maria lacusque totos exsiccantibus, ignea ingenii Tui vis mihi videtur simillima, quæ scientias omnes ita absorbet, ut nihil sit reliquum. Latebras aliis intactas detegis, in ipsis etiam insectorum corpusculis, humanoque generi fugientem sanitatem revocas, ut naturæ non vestigia solùm, sed ipsa cubilia cernas. In eloquentia & literatura politiori, magna dicendi vi variisque styli elegantiis ad certamen luxuriantibus doctiorum salivam moves. Quoties te in *Heliconem* raptum memini fonteque *Caballino* labra proluisse, ut in hoc Studiorum genere, vel me tacente, antiquos & recentiores omnes vel superes vel provoces. Bella per tot secula feliciter vel sinistre gesta, urbium & Castellorum demolitiones, triumphos, trophæa, velut in tabula depicta animo intueris. Disjunctas regiones, sideris velocissimi more perlustras, & in ultimam *Thulen*, & *Garamantas*, ubi copore non potes, animo penetras. Habet igitur Patria justas rationes, propter quas Te indies ardenti desiderio exspectat, & ego hujus debiti mei plurimas causas, quem, ceu animæ tuæ dimidium, tanto affectu foves, ut nesciam, an lex naturæ, an vero vinculum amicitiæ majorem inter nos familiaritatem effecerit. Eamque demum veram amicitiam æstimo, ut quos natura sanguine conjunctos voluit, eosdem fortuna itineris comites reddiderit. En igitur *Bartholomæi Scalæ Vitaliani Vitam*, quam, inter alias nuper in Bibliotheca *Medicæa* S. *Laurentii* lucubrationes, erutam, & raptim chartis a me consignatam, jam Tibi consecro, ut ejusdem Authoris *Historiæ Florentinæ*, quam, ad subacti Tui Judicii limam examinatam, diligentius in lucem protrahis, itidem has pagellas adjungas. Itaque si peccem veniam merebor, cum insignis morum suavitas, naturæque benignitas, quæ ad implendum virtutum tuarum cumulum accedit, hanc mihi audaciam dederit, cum non me lateat vile munusculum grato animo oblatum, & micam salientem, ubi hecatombe deest, fronte serena a Te excipi. Vale igitur, amicorum intime, & in sinu fove

Romæ, die 8. *Februar.*
MDCLXXVII.

Tibi
Addictissimum
CHRISTOPHORUM BARTHOLINUM
Thom. Fil.

PRÆFATIO
AD
PETRUM MEDICEM.



Ulli sunt quacunque tandem in re præstantes esse cogitent, Petre Medices, *qui tum primum ad id sese studium conferre soleant, cum eadem ex re gloriam referre petunt. Verum multo ante cum cœperint, longa exercitatione multisque laboribus ad eam quam sibi expetunt gloriam nituntur. Male enim res haberet, si sævienti jam mari atque in alto fluctuantibus nautis, tum primum de gubernatore mentio fieri inciperet, nemineque qui alias unquam ne mare quidem viderit, invento, audaciusculus repente quidam eam sibi provinciam arrogaret. Nam in re militari quidem si cum jam manus essent cum hoste conserendæ, de deligendo Imperatore consultaretur, ad tironemque quendam imperitumque bellorum id mu-*

munus deferretur, nonne eßent illi demum superati ludibrio omnibus gentibus? Tantum enim abest ut hoc pacto res bellicæ tractandæ sint, ut comprehendi liceat unius Imperatoris calliditate, prudentia, & authoritate, quæ non nisi diuturna exercitatione vehementique
6 *quodam studio comparantur, plura bella esse confecta, quam viribus. Nullum commemorabo hoc loco* Epaminondam, *nullum* Miltiadem, *nullum* Themistoclem, *nullum* Philippum Macedonem, *nullum* Alexandrum, *nullum ex nostris, qui sunt innumerabiles: Nullum tandem referam* Annibalem, *quem ferunt cum apud eum* Phormio *de rebus bellicis habuisset orationem, ubi perorasset, dixisse: multos vidisse delirantes senes, sed qui magis quam* Phormio *deliraret, se vidisse neminem. Qua denique ex causa id dixisse credimus, nisi quod homini bellorum scientissimo, eorundem penitus inexpertus Orator non potuit satisfacere? Eodemque modo & de gubernandarum civitatum disciplina, ac reliquis bonis artibus homineque dignis dicendum videtur. Cur enim, ut omittam cæteras, arbitremur in hac nostra & dicendi & scribendi facultate, tam paucos supremam gloriam esse consecutos; nisi quod magnis diuturnisque laboribus partim exterriti, partim defessi, in medio exercitationum cursu destiterunt? Ego igitur qui mihi non aliunde quam ex hac humanitate ludoque literarum quicquid video gloriæ propositum, quique huc jam tum ab ineunte ætate nervos omnes ac vires intendissem; cum hanc potissimum exercitationem eße majorem in modum necessariam intelligerem; cœpi etiam atque etiam mecum animo volutare, quidnam hoc tempore nostris æquum viribus sumere ad Te scribendum poßem. Nullumque adeo nostris humeris visum est onus accommodatius, quam* Vitaliani Borrhomæi *Vitam commendare literis. Quod ut facerem maxime ejus viri fama incitavit. Cum enim apud* Philippum *Filium essem annum jam fere, versarerque cum his frequentissime, qui cum eo tempus*
7 *omne contrivissent, eos de viro illo laudes prædicantes audieram, quas indignas esse duxi, quæ non posteritati, si possem, commendarentur. Hunc autem laborem nostrum Tibi potissimum dicavimus, non solum quod humanitate facile præstas omnibus, verum etiam ut, tanquam mercatores solent, degustationem facies studiorum nostrorum. Paulo enim post si tibi hæc non displicuerint, clarissimi Patris tui magnifica facta atque etiam tua aggredi est animus. Accipies igitur hoc quasi præludium quoddam futuræ dimicationis; mox enim, ut arbitramur, majores modo Deus faveat, accipies. Vale, & Salve.*



Italianorum gentem, quanquam ea de re nihil habeam præter famam, a vetustissimis *Patavii* regibus manasse tradunt. Hoc enim genus ad *Vitalianum* referunt, qui *Patavinis Claudii Cæsaris* ejus, qui *Octaviano* successit, tempestate imperavit. De quo quidam ita tradiderunt: Fuisse per illud tempus *Prosdocimum* quendam, *Petri* illius Apostolorum & principis discipulum, qui primus ab eodem ad *Cisalpinos* missus, ad *Patavinos*, nonnullosque propinquos populos *Christi* nomen deportavit: Egregieque adeo *Christianæ* Reipublicæ operam navavit suam, ut infinitam fere multitudinem ab antiquo & teterrimo errore revocarit. Rege enim inprimis innumerisque aliis diversis, letalibus morbis divina ope liberatis, in tanta apud omnes veneratione *Christi* Opt. Max. nomen, cujus virtute agi quæ viderentur miranda *Prosdocimus* prædicabat, esse cœpit, ut universam fere ejus regionis gentem, ac *Vitalianum* Regem uxoremque ejus *Prepedignam Christia-*
8 *norum* Baptismo initiarit, *Prosdocimusque* tandem cum naturæ concessisset, divorum honores assecutus sit. Hujus autem *Vitaliani* Filiam fuisse afferunt divam illam *Justinam*, quæ & ipsa *Christianas* partes cùm prætulisset, *Jovesque*, *Apollines*, *Martes*, omnem denique antiquam Religionem contempsisset, misere transfixa latus ab *Christiani* nominis persecutoribus, diem obiit; ac in Sanctorum numero reposita templum habet in eadem urbe pulcherrimum, in quo summa cum veneratione colitur. Florent adhuc in ea urbe *Vitaliani*, divamque *Justinam*, tanquam quæ ex eadem fuerit familia, mirifice venerantur.

A Namque ego quidem quid aliud afferre possim, nihil habeo. Ex hac itaque nobilissima familia *Vitalianus* is, cujus vitam moresque inpræsentiarum aggredimur, est ortus, patre *Jacobo Vitaliano*, matre *Margherita* ex *Borrhomæorum* haud ignobili *Etruscorum* gente. De quibus quoniam in hanc familiam provectus jam ætate per adoptionem venit, age aliquid quo ipsius origo dilucidior extet videamus. *Miniatum* oppidum est *Etruriæ* nobile, non plus quam XX. fere milliaribus a *Florentia*, cujus etiam in ditione nunc est, distans. In eo autem *Borrhomæorum* gens cùm opibus & potentia non mediocriter polleret, ita ut oppidi prin-
B cipes facile diceres, suspecti tamen *Florentinis* esse cœpere. Quamobrem ad duodecim ex primoribus una captis nocte, atque actis in carcerem, capitis damnaverunt. In quibus *Philippus* quidam *Borrhomæus* fuit, vir per eam tempestatem nobilis, atque ejus fere factionis princeps. Hic habuit uxorem *Taldam* nomine, virili quadam prudentia animoque præditam. Quæ cum *Borrhomæo*, *Alexandro*, *Johanne*, qui hunc *Vitalianum* adoptavit, & *Andrea*, parvis filiis, quos ex *Philippo* genuerat, *Pavium* amisso viro aufugit: Fi- 9
liam quoque *Margheritam* cujus supra jam memi-
C nimus parvam adhuc secum adduxit. Quæ ad annos pubertatis cum venisset: *Jacobo Vitaliano*, homini inprimis claro, nuptui data est. Mares autem cum adolevissent mercaturæ operam dantes, quo id melius facere possent, *Mediolanum* se contulere, ubi brevi ad id divitiarum atque authoritatis devenere, ut nihil fere a *Johanne Galeacio Vice-Comite*, qui per id tempus *Mediolanensibus* imperabat, nisi per *Borrhomæos* ageretur. Quorum opera cum sæpenumero alias tum vel maxime in *Pi-*

ſana emptione uſus eſt. Cum enim ingentem pro civitate pecuniam eſſet ſoluturus, ipſeque propter continuas expeditiones exhauſtum haberet ærarium, ad ſexaginta fere aureorum millia *Borrhomæus* illi ſubminiſtravit. Quod non mediocre beneficium *Galeacius* dicens, ut aliquam illi gratiam rependeret, *Thiaræ Vallis*, & *Arquati* Comitem inſtituit, exque ejus merito ſemper adamavit. *Galeacio* vero mortuo, & mutatis rebus, ceſſerint prudenter illi quidem tempori *Venetias*que conceſſerunt: ibique poſtea fuerunt præter *Andream*, qui *Bononiam* profectus ibidem reliquam omnem ætatem abſumpſit, & *Johannem*, qui cùm audiſſet *Mediolanenſium* res eſſe compoſitas, *Philippum*que *Mariam Anglum*, *Johannis Mariæ* fratris, qui poſt *Galeacium* regnavit obque ipſius crudelitatem ab ſuis trucidatus eſt, Imperio ſucceſſiſſe, redeundi *Mediolanum* conſilium cepit. Reverſus itaque non minore & authoritate & gloria apud *Philippum*, qui antea apud *Galeacium* fuiſſet. Quo tempore cùm intelligeret *Patavii* filium ſibi eſſe ſororis, egregiæque indolis *Vitalianum*, ipſeque liberis penitus careret, ad ſe illum accerſivit. Erat autem tunc
10 puer XIII fere natus annos. Quamvis & expectatione, ut jam tum de futura ipſius amplitudine non eſſet difficile judicare. Privatus igitur, ſub avunculo *Johanne* uſque ad quartum annum & XX fere fuit. Principio mercaturæ operam dare juſſus, ingentem pecuniam tractare ita cœpit, ut non conſervaret ſolum, verum etiam mirum in modum augeret, eorum tamen nihil unquam omittens quæ ad liberalem & bonum virum pertinerent. Intereaque ut ingenium eſt ingenuorum adoleſcentium; indulgebat, quoties per occupationes liceret equis inprimis & venationibus, nonnihil etiam amoribus. Quippe qui præter cæteras *Catharinam* quandam, egregia forma puellam, amaverit, tanta tamen modeſtia, ut merito ex quadam animi ingenuitate flammas illas fuiſſe indicares, magis quam turpi aliqua ac pervulgatiſſima libidine. In equos erat paulo ardentior, ut aſperrimi quique ferociſſimique magis eum delectarent. Ferunt enim qui in equo aut audacius aut decentius ſtaret unquam fuiſſe neminem. Sed ad majora veniamus. Peracta his, qua commemoravimus, artibus adoleſcentia, tantum ſibi benevolentiæ & nominis apud omnes comparavit, ut *Philippus Maria*, quem ſucceſſiſſe Imperio fratris diximus, huic viro pecuniarum ſuarum omnem curam atque adminiſtrationem demandarit, *Theſaurarium*que ut appellant, ſibi illum conſtituerit. Is vero eſt magiſtratus, cui qui præſunt, ſi *Romanorum* more loqui volumus, *quæſtores* nominantur. Quo tempore adeo notiſſima fuit omnibus, & *Anglo* maximè, *Vitaliani* induſtria, vigilantia, fides; ut præter quæſturam multa etiam opera & conſilio ſuo tranſigerentur. Quod cum videret *Joannes* tantam in eo homine virtutem tantamque apud omnes gratiam comparatam, ipſeque ut diximus ſine liberis eſſet. magna ſpe impulſus illum
11 adoptavit, grandiſque admodum patrimonii fecit hæredem. *Anglus* autem exiſtimans fore, ut ſi illi in quæſtura ſuccederetur, multo liberius commodiuſque cæteris ſibi in rebus ſemper adeſſe poſſet, *Galeotum Thuſcanum*, hortante eodem *Vitaliano*, ſibi ſubſtituit. Erat enim illi *Thuſcanus* & amicus & affinis, ſororem namque ipſius uxorem duxerat. Defunctus per hunc modum quindecennali quæſtura, cum eſſet, ac non præter conſuetudinem delecti nonnulli eſſent a Principe, qui rationes omnium quæ quæſtor egiſſet, recognoſcerent; brevi ſine omni errore peracto negotio indonatos omnino illos abire permiſit. Cumque admoneretur a quodam ex familiaribus, pro monſtro enim erat in liberaliſſimo homine nihil contuliſſe, quan-

A quam de liberalitate & magnificentia poſterius dicemus; cum admoneretur inquam dedita reſpondit opera donandi officium prætermiſſum eſt, nolo enim cæteri ſuſpicentur conſcium me potius peccati culpam alicujus deprecari voluiſſe, quam liberalem donando extitiſſe. Namque non eſſe duntaxat culpa expertem bonum virum decet, ſed etiam ſuſpectionis. Non ſivit autem *Anglus* illum aut otioſum aut privatum eſſe, ſed ad majora erigens, magiſtratum illi ſine nomine conceſſit, id eſt omnibus eum præfecit magiſtratibus. Permiſſa itaque ei libera poteſtate ut omnibus magiſtratibus non intereſſet ſolùm, ſed præeſſet, majori ſibi cura incumbendum putavit, quo nihil, quod ipſe non intelligeret a
B Magiſtris proventuum maximè propter ſuperiorem quæſturam fieret. Mirabitur fortaſſe quis ac me reprehendet, quod *Latine* ſcribens Magiſtros dixerim proventuum non Ædiles Curules, quemadmodum *Romani* loquebantur. Nobis tamen libuit uti novo nomine. Non enim abſurdum mea quidem ſententia duci debet, ſi rerum ſcriptores mutata loquendi con- 12
ſuetudine, dum ita dicere volunt, ut intelligantur, uſum & ipſi ſermonis Dominum ſequuntur. Non eſt enim hoc non colere antiquitatem, neque aliter atque illi loqui velle, ſed conſuetudini gerere morem, ſed ita dicere ut eſſe obſcura nemini poſſit ora-
C tio. Quamobrem non mediocri reprehenſione dignos putarem nonnullos, qui dum omnia ad antiquitatem referre volunt, multa quæ ut ſint, immutata ac penitus innovata jam ſunt, aut taciti prætereunt, aut inſomnia quædam vel monſtra potius edere compelluntur. Ita fit ut dum docti & antiquitatis perpetui ſectatores haberi volunt, aut negligentiæ aut obſcuritatis reprehendantur. Sed nos ad rem redeamus ne vagemur longius. Præfectus ut diximus cunctis magiſtratibus *Vitalianus*, pro juſſu erat apud omnes ipſius & opinio & voluntas, omnibuſque in rebus quas in rem *Angli* eſſe arbitraretur, adeo ſolertem
D adeo infatigatum ſe præſtabat, ut nihil quod ipſi honorificum fore exiſtimaret, ab officio ſuo putaret alienum. Aderat proventibus, aderat domi, aderat militiæ, omniaque tandem ſumma cum prudentia diligentiaque obibat. Has igitur propter res tanti apud Principem eſſe cœpit, ut nulla re non dignus ab eo putaretur. Quamobrem multis eum beneficiorum generibus afficere decrevit. Erat apud *Philippum Anglum Lancelottus* quidam *Vice-Comes*, quæ gens multis jam Imperiis apud *Inſubres* nobilitata eſt, non tantum illi conſanguinitate conjunctus, erat enim ipſe quoque *Anglus Vice-Comes*, ſed etiam authoritate & gratia acceptiſ-
E ſimus, huicque per id temporis *Franciſcina* erat filia viro jam matura. *Vitaliano* item filius erat *Philippus* admodum juvenis. Cæterum eam de ſe excitabat exſpectationem, ut jam cum omnes judicarent non imitatorem ſolum paternæ gloriæ, 13
ſed ſuperatorem etiam futurum. Primum itaque honeſtare *Vitalianum* cupiens *Anglus*, *Franciſcinam Lancelotti* Filiam *Philippo Borrhomæo* tradidit uxorem, nec hoc quidem ſatis eſſe ratus, non prius deſtitit quàm cumulatiſſime ſuper omnes quos apud ſe haberet, & ditarit & honeſtarit. Parvo ſiquidem admodum tempore &
F Comitem illum fecit, & complura illi Caſtella dono dedit, inter quæ præcipua ſunt *Arona*, *Canobium*, *Palæſtrum*, *Vogonium*, & alia nonnulla quæ referre non eſt conſilium, ne longiores videamur. Multis præterea variis in locis villis donatus ab eo fuit, quas etiam enumerare longum eſſet; veruntamen non prætericrunt hæc ſine obtrectatione & invidia. *Aſpero* enim *Petra ſancta* primum, qui tandem judicio victus ſatis ſuperque pœnas dedit. Deinde *Uguccio* contrarius, *Ferraria* uſque ob ejus bene adminiſtandi famam accerſitus, eas cum *Vitaliano* ob invidiam inimici-

citias exercuerunt, ut ad nihil aliud vocati esse viderentur, nisi ut omnibus viribus hominem insequerentur; assecutique prosternerent. Sed facile fuit illi cum prudenti tum vel multo magis innocentissimo insidias illorum omnes eludere, impetumque in se malevolorum & declinare & omnino contemnere. Quod illi non mediocriter ad augendam cum *Anglo* benevolentiam profuit, si qua enim unquam suspectio, ut fere fit, administratarum pecuniarum, aut aliarum quarumcunque rerum ab eo tractatarum *Anglo* fuit; illo certamine penitus cecidit ac sublata est. Nunc de magnificentia & liberalitate dicendum. Cum ditatum ita se honoreque affectum cerneret *Vitalianus*, ædificandi opere ita delectari cæpit, eique dare operam, ut omnes prope qui non per illa solum tempora,
14 sed superiora etiam aliqua secula ea in re clari habiti sunt, hunc profecto non æquarint quidem. Verum nos de quibusdam excellentioribus duntaxat ita disseremus, ut reliqua præteramus silentio, ne forte lectoribus fastidium pariamus. De *Arona* igitur inprimis dicendum, quam ex parvo quodam vico ad eam qua nunc est ædificiorum magnitudinem perduxit, nonnihil prætermittentes de situ loci, & regionis natura. In fine fere *Verbani* lacus, quem *majorem* vocant, non longius quam quinque fere milliaribus ab eo loco, ubi *Ticini* flumen vallem, quæ lacum efficit, egreditur, promontorium erigitur a parte lacus rupibus præruptissimis, in cujus summitate arx est *Angleriæ*; quæ & ipsa deinde *Mediolanensis* libertatis tempore ipsius in ditionem cessit. Hæc autem ad medium solem vergit, neque distat ab *Aquis Sextiis*, insigni illa clade quam de *Teutonibus Marius* edidit celebratissimis, majore fere spatio quam quinque milliarium. E regione autem unius milliaris intervallo, quod locus efficit, aliud est promontorium magis ad Septentriones versum; in cujus summitate turris quondam pro arce fuit. *Vitalianus* itaque cum hujus loci Dominus esset factus, naturam montis conspicatus, ad illum & muniendum, & ornandum ædificiis, animum applicuit. Primum siquidem in promontorii vertice, ubi turris erat, munitissimam arcem posuit, tanto ornatu tantaque ædificiorum magnificentia, ut magis ne ad arcendos hostes injuriasque propulsandas, an ad voluptatem magis facta esset dubitares. Deinde consummato arcis opere, ad cætera, quibus illi subsidia tuto subministrari possent, nulli aut labori aut impensæ parcens, se convertit. Altæ & præruptissimæ rupes ab ea parte quæ *Angleriam* aspicit latus littora attingunt. In radicibus itaque ru-
15 pium portum exædificavit, ea magnitudine ut classes vel maritimas capere, & tutas non minus adeo ab hostium incursibus, quam ab æstu & fluctibus conservare possit. A portu verò ad arcem occultissimum eundemque tutissimum aditum, exciso nonnullis in locis saxo & monte, non sine ingenti sumptu, faciendum curavit. Perfecto vero portu muro circumdare vicum aggressus est. Erat autem vicus & ipse, in promontorii radicibus a littore lacus in planitiem monti subjectam paulum se extendens. Cœpto itaque ab arce muro per declive montis descendens, in planitiem vicum omnem ita cinxit ut eam quoque partem quæ lacum attingit, ducto per aquas ædificio usque ad portum complecterentur. Atque ita non arcem solum, sed & cæteram oppidi partem quæ in plano est, contemptricem hostium efficit. Ea enim quæ ad lacum est pars, & per se prius munita propter aquas, ut nisi navalibus copiis oppugnari non posset, & postea muro etiam corroborata, otiosa penitus sua reddidit præsidia. Ab altera parte quæ planitiem habet, ea est natura muri & turrium, ut nullis quassari tormentis possit, nullo impetu

A expugnari. Ex turribus enim hostes arcentur facillime, atque ingens fossa muros attingit, ex qua in altitudinem non minorem quam viginti cubitorum fere attolluntur. Ab interiore autem parte ita parum a solo elevantur, ut etiam ab ignavo quoque sine Scalis aut alia machina in eos insiliatur. Quo fit ut cum muris solum omne ita contineatur, ut si quis diruere muros velit, solum quoque diruendum veniat. Atque ad hunc quidem modum *Arona* tum munitissima tum ornatissima effecta est, quam quoque *Philippus* filius postea turribus aliis iisdemque pulcherrimis insignivit. Arce præterea
B altero muro communita, non mediocre & ad pulchritudinem & munitionem additamentum fecit. 16
Sed nos & quæ *Philippus* gessit, quum majorem desiderant orationem, ad aliud tempus reservabimus. Innumeras præterea sumptuosissimas domos tum *Mediolani* tum multis quoque in villis omni studio omnique diligentia ædificavit, ut *Lainate*, *Robechi*, *Cameragii*, *Piscariæ*, quam a piscina denominasse constat. Fossa enim ingens XX. fere passuum latitudine hortum domumque, quæ arcis aspectum præ se fert, circuit, quadratumque hortum reddens unius milliaris ambitum extenditur. In ea vero multa atque varia piscium genera inve-
C niuntur, ut non solum aspectu jucundissima sit aquarum facies, sed ad copiam optimorum piscium suppeditandam accommodata nonnihil etiam arcem ipsam munit, ut a multis hostium incursibus tuta esse possit. Cellas præterea sacras duas, alteram in æde Divi *Francisci*, in æde *Mariæ*, quæ *ad pavones* dicitur, alteram, ambas equidem admodum sumptuosas, sed quæ in æde divi *Francisci* est, eo est auri ornatu eaque picturæ elegantia, ut nihil omni ex parte pulchrius toto *Mediolano* conspiciatur. Quid dixerim de pretiosa supellectili, quam non ad luxuriam homo frugalis-
D simus comparaverat, sed ad eos honestandos, quos domum suam tanquam hospites in convivia sæpissime convocabat; quo in genere nescio an quisquam alias tantum excelluerit. Quis enim jure non miretur neque oratores unquam neque duces, neque imperatores, neque reges *Mediolanum* adventasse, qui nisi domi suæ prius accepti omnique magnificentiæ genere affecti, abire potuerint, ut ad nihil aliud magis quam ad cœtus hominum inter se celebrandos, & deveniendam hominum inter homines societatem, ut ait *Cicero*, natus videretur. Ut enim omittam reliqua. Quo tempore *Arago-*
nensium Rex *Alphonsus* insigni illa apud *Pontiam* 17
E insulam accepta clade, quam ne ipse quidem effugit, sed captivus factus *Genuam* primo, mox sic jubente *Anglo*, cum *Mediolanum* duceretur, *Vitalianus* domi suæ ita Regem accepit, ut nihil in vita sua unquam neque ipse fecerit, neque alii magnificentius. Fuit in eodem convivio *Johannes* frater, & ipse Rex *Navarræ*, ac magnus Apostoli *Jacobi* Ecclesiæ Magister, nonnullique alii Principes ac Duces, qui cum Rege simul capti eodem in conflictu fuerant. Ne quod autem hominum genus expers esset suæ liberalitatis, proseucham quandam maximis cum proventibus instituit, sexque incorruptissimos viros illi præfecit, qui illius fru-
F ctus ita distribuerent, ut his maxime subveniretur, quos maxime indigere intelligerent. Ex quo manifestum est non adeo minus bonitate quadam naturæ & in humanum genus caritate fuisse liberalem, quam gloria, cujus tamen ita fuit appetens, ut infamiam tanquam teterrimam letalemque belluam semper vitarit. Legatus quandoque ad *Venetos* ab *Anglo* est, qua in legatione non tam pompa & equorum magnificentia admirandus fuit, quam oratione. Cum enim perorasset, ut erat hominis ingenium paucis verbis, sententiis autem & plurimis & gravissimis, sine omni penitus artificio,

ſed ut natura ipſa dictaret; ferunt dixiſſe quoſdam; minime artificioſam aut doloſam fuiſſe orationem, ſed ſimplicem ac bono gravique viro dignam. Uxorem duxit *Ambroſinam Fagnanenſem*, nobilem inprimis fœminam & multa præditam virtute; ex qua filios ſuſtulit, *Philippum*, cujus ſupra meminimus, & *Johannem Jacobum*, qui adoleſcens admodum immatura morte præventus eſt. Fœminas item duas, *Margheritam*, quæ *Johanni*
18 *Auguſtino ViceComiti* nupſit, ac *Taldam*, quæ *Othoni* Comiti *Mandellenſi* in Matrimonio locata eſt. Et hos quidem ex uxore ſuſcepit: ſpurios enim habuit complures, nam fuit in mulierum libidinem admodum pronus. In amicos ſuper omnes officioſiſſimus, utputa, qui non modo patrocinium illis, ubicunque opus eſſet, præſtaret ſuum, ſed ne unquam quidem conquieſceret, dum ſupra ipſorum etiam opinionem ſpemque non ornaſſet. Illud vero non ſine maxima admiratione laudeque poſſum commemorare, quod vir penitus ſine literis ita omnes doctos & obſervavit, & coluit, ut in nullum hominum genus libentius benignitate ſua uteretur. Ex quo *Franciſcus Philippus* doctorum qui per eam tempeſtatem viverent doctiſſimus, maximo apud eum in honore fuit, infinitaque in eum contulit beneficia, unde & *Philelfus* gratias illi referre cupiens libros quos inſcripſit de exilio, mea quidem ſententia, præterquam quod ſunt elegantes, ſingulari omnibus bonis artibus refertiſſimos, ad eum tanquam ad hominem de ſe optime meritum dicavit. Eundemque quantum ego judicare poſſum immortalem reddidit, antiquiſque illis præclariſſimis viris *Fabio*, *Proculejo*, *Cottæ*, Alteri *Lentulo*, *Pollioni*, *Mæcenati*, *Cæſari* tandem fama parem fecit; quandoquidem animi præſtantia atque in doctos homines obſervantia, impar non fuit. His in omne genus hominum tot tantiſque beneficiis accidebat, ut haberet deditiſſimos quam multos, omneſque de eo uno ore bene dicerent, & fortunas ipſius collaudarent, eſſetque in eo jam rerum ſtatu, ut nihil illi ad ſummam felicitatem deeſſe videretur. Sed fortuna miſcere omnia cœpit. Mortuo namque *Philippo Maria Anglo*, varios acerboſque omnia ſuo nutu verſantis fortunæ expertus eſt, eo maxime annitente,
19 ſi qua poſſet ut *Mediolanenſium* libertas conſervaretur. De qua ut nihil quod ad rem, quam aggreſſi ſumus pertineat, indictum relinquatur, dicere ita tentabimus, ut neceſſaria tantum percurramus. Simul ac igitur *Anglus* naturæ conceſſit, ad libertatem ſubito tota civitas aſpirare cœpit. Quæ non tum primum *Vitaliano* & quibuſdam ex primoribus venerat in mentem; ſed antea jam, per ſexennium cum animadverterent *Anglum* diu eſſe in vivis non poſſe, & hæredem qui ſibi inteſtato poſſet ſuccedere nullum eſſe, jam tum de ea re cogitari cœptum conſtat. Clanculum tamen ut nihil *Anglus* reſciſceret, res enim erat ingrata admodum Principi futura, ſi de ſuo Imperio deliberari adhuc ſe vivo intelligeret. Cum igitur diem obiiſſet, in libertatem ſeſe *Mediolanenſes* vindicarunt, tanto principis unius odio, ut ne veſtigium quidem ſuperiorum reliquum eſſe in civitate paterentur. Verum maximo cum impetu diruta arce, de publica omnes utilitate, & quonam pacto natam libertatem alere, & adultam tueri & conſervare poſſent, conſultabant. Itaque quanquam conſtituendæ civitatis, creandorum magiſtratuum, qui rebus belli paciſque præeſſent, cura maximopere videbatur neceſſaria, tamen quoniam multa hinc indeque urgebant, habita temporum ratio eſt. Creatique ſunt pro tempore ſingulis ex portis quatuor, ſex enim in quas *Mediolanum* diſtributum eſt claſſes, portas, quod unaquæque a porta ſua denominationem nacta ſit, appellant. In quibus ſine omni contentione *Vitalianus* ipſe reliquique civitatis proceres fuerunt, in eoſque omnis rerum adminiſtrandarum cura delata eſt. Premebantur per id tempus a *Venetis Mediolanenſes*, quo in bello cum *Anglo* geri cœpto, nunc & ſpe maxime perſeverabant, enixiuſque urgebant, quod exiſtimabant novis exortis rebus multo facilius opprimi 20
illos poſſe. Itaque magna manu per univerſum fere agrum diſcurrentes omnia vaſtabant. Vicinæ præterea civitates audita Ducis morte & libertate *Mediolanenſium*, idem ſibi quoque faciundum eſſe putaverunt; Quædam nullam aliam ab cauſam niſi ut libere & ipſæ viverent. Nonnullæ turpe putabant ſibi a *Mediolanenſibus* imperari, quos antea conſervos habuiſſent. Quam ita ægre laturæ rem videbantur, ut omne aliud potius Imperium eſſent admiſſuræ. Ex quo ſtatim ut creati ſunt nihil majore ſibi diligentia efficiendum cenſuerunt quam ut illæ civitates in fide retinerentur. Et cum de *Novarienſibus* maxime atque *Laudenſibus* propter vicinitatem ſoliciti eſſent, quorum illi ad Ducem *Sabaudiæ* inclinare viderentur: Hi vero, quod multo pernicioſius futurum putabant, ad *Venetos*. Nullus enim erat, qui æque *Mediolanenſibus* formidandus eſſet. Erant namque *Veneti* & ipſi per ſe potentiſſimi, & in urbe quoque nonnullos, eoſdemque cives pernicioſiſſimos, habebant fautores. Cum inquam hæc cura maxime urgeret, his inprimis *Vitaliano* Authore, vi ſi enim poſſit, hortatibus obviandum duxerunt. Militabat eorum in exercitu *Haſtor Faventinus* vir quidem bellorum peritiſſimus, & *Carolus Gonzaga*. Inter eos igitur diviſis copiis, *Haſtorem Novariam*, *Carolum Laudem* miſerunt. *Haſtor* dum omni celeritate rem exſequitur nullo negotio confecit. Facile enim fuit fluctuantes adhuc *Novarienſes*, ut puta qui nondum quicquam haberent conſtitutum, in ea continere ſententia, ut *Mediolanenſibus* adhærentes ſeſe liberos omnibus viribus reddere conarentur; præterea haud obſcurum erat, ſi alia prævaluiſſet opinio, ſtatim cum *Haſtore* bello eſſe decertandum. Quod quidem erat illis non mediocriter cavendum, propter arcem quæ in fide adhuc *Me-* 21
diolanenſium perſeverabat. Itaque tutiorem ſecuti partem in fide *Novarienſes* permanſerunt. Cujus exemplum mox *Comum Alexandria*que ſecutæ, & ipſæ *Mediolanenſibus* ſeſe conjunxerunt. *Carolus* autem etſi & ipſe omni maturitate iter fecit, fruſtra tamen omnis ipſius labor fuit. Dum enim *Vitaliani* Collegarum non ſane prudenti conſilio minus honeſte in ſocietatem aſciſci moleſte ferrent, *Venetorum* partes prætulerunt, atque illis dediti, acerrimi deinde *Mediolanenſibus* hoſtes exſtitere. Ego certe audivi ex nonnullis qui *Vitaliani* familiares erant; ſolitum ſæpe fuiſſe dicere, *Mediolanenſes* nunquam fuiſſe *Laudenſes* hoſtes habituros, ſi ſuis conſiliis fuiſſet obtemperatum. *Laudenſes Placentini* quoque imitati ad *Venetos* eodem fere tempore defecerunt. *Parmenſes* autem dum a *Mediolanenſibus* minus honeſte, ut ipſi exiſtimaverunt, ſocii epiſtola ad eos quadam appellarentur, liberos ita ſeſe eſſe voluerunt, ut nullo pacto *Mediolanenſibus*, ut ipſi dicebant, ſervire viderentur. At *Ticinenſes* cum & ipſi multis de rebus cum *Mediolanenſibus* non poſſent convenire, *Vitaliani* contra opinionem, qui omnia illis concedenda ſemper judicavit diverſas in ſententias demum diſtracti ſunt. Ita quidam ad Regem *Francorum*, nonnulli ad *Venetos*, alii ad *Sabaudiæ* Ducem, plurimi ad *Franciſcum Sphortiam* declinabant. Atque hæc quidem pars tandem reliquos omnes ad ſe traxit. *Franciſcus* enim *Sphortia* & ipſe antea ab *Anglo* ex *Picentibus* accerſitus, tum autem a *Mediolanenſibus* omnibus precibus properare invitatus apud *Columbanum* non longe a *Ticino* caſtrametabatur. Cum enim *Veneti* maxi-

maxime urgerent, non minus adeo de retinendis
22 in fide civitatibus soliciti fuerunt quam ut *Fran-
cisco Sphortiæ* maturare, & suis rebus salutem fer-
re persuaderent. In his autem libertatis quasi in-
cunabulis, quamquam hæc fere omnia *Vitaliani*
& consilio & prudentia gesta sunt, non tamen
gratus admodum populo fuit. Jactabant enim vo-
ces nonnulli ob invidiam, quod videbant fore ut
princeps in civitate esset futurus, nunc affectare
ipsum imperium; nunc dare operam, ut non ipse
Dominus efficeretur, sed nunc *Lancelotus ViceCo-
mes*, de quo supra mentionem fecimus, nunc
Franciscus Sphortia, cui & amicus erat & Compa-
ter, ut appellant. Sed *Sphortiæ* suspicio erat vehe-
mentior. Quæ tandem adeo increbuit, ut cum
aliquando in curiam profectus esset, de eo capien-
do consilium factum constet. Sed ea re intellecta
per posticum fugiens illorum frustratus machina-
tionem, evasit. Diligentiusque ab eo die suæ cave-
re saluti cœpit simulque quonam pacto urbe abire
posset cogitabat. Sed ut erat prudentissimus, non
ea ratione, qua suspicionem quam de se invidi
malevoli disseminabant, rem sibi putavit esse trans-
igendam, sed qua minueret potius. Itaque cum
de legatis ad *Sphortiam* mittendis, qui darent re-
ciperentque fœderis conditiones, ageretur, anni-
xus maxime est, ut in eo numero ipse legeretur,
sperans eam sibi futuram idoneam commoditatem
qua sine cujusquam suspicione posset abire. Creati
igitur quinque legati, & ipse inprimis, *Columba-
num* ad *Sphortiam* profecti sunt. Reque cum illo
optime celerrimeque transacta, ut id perficeret
quod excogitarat, illinc profectus, *Ticinum* ur-
bem, nocte jam adventante, venit, eo consilio ut
sequenti die cum primum illucesceret, *Aronam*
proficisceretur. Sed mox *Andreas Biragus* cum sub-
ito alias tamen ob res intervenisset, veritus ne in
suam perniciem a populo esset missus, statim iter in-
23 gressus, quasi fugiens, non prius constitit, quam
Aronam se recepit. Ante tamen quam abiret,
cum *Oldrado Lampugnano* collega pauca pro tem-
pore de suis invidis conquestus, causam suæ abi-
tionis aperuit. Ex quo reversus *Oldradus Medio-
lanum* de revocando *Vitaliano* consultare cœpit,
cujus sententia summo omnium bonorum favore
excepta & approbata est, nullusque ex invidorum
numero inventus, qui contra palam quicquam di-
cere auderet. Solummodo rumores jactabant quos-
dam, nullus tamen erat qui authorem se dici pa-
teretur. Cum hæc placuisset sententia, ut *Vitalia-
nus* revocaretur, duos ad illum Oratores delege-
runt, *Blasium Cusanensem* scilicet, atque *Ambro-
sium Rozium*, qui ut *Aronam* venerunt multas ta-
men post preces e sua illum sententia deturbave-
runt atque ut rediret impetrarunt; fide tamen pu-
blica prius accepta, noverat enim quanta esset non-
nullorum perversitas invidorum, populique tum
temeritas, tum quæ semper amicissima fuit mul-
titudini, inconstantia ac levitas. Ejus reditus gra-
tissimus fuit bonis omnibus, quorum numerus
major adhuc erat, quam eorum, qui male & *Vita-
liano* & reipublicæ volebant. Simul ac igitur rediit,
Francorum quoque modestia ad *Venetorum* bellum
accessit. *Carolus* etiam eorum Rex audita *Angli* morte,
ad duo millia equitum ex omnibus *Francis* delecto-
rum, quos in auxilium *Philippo* dum adhuc viveret,
contra *Venetos* miserat Duce *Rainaldo* quod a *Sanctæ*
præfecto, quem eorum lingua *Baili* appellant audita
inquam *Philippi* Ducis morte properare jussit, si-
mulque Oratores *Mediolanum* misit, qui *Carolo* qui
imperabat *Aureliæ* & patrueli suo illud imperium
hæreditario & cognationis jure repeterent. Memi-
nerat enim filiam *Galeacii* ejus qui primus Dux
24 est appellatus & *Philippi Mariæ* Sororem *Ludo-
vico* fratri ea conditione nupsisse, ut si quando

A mortuis parentibus filii superstites non essent, ad
eos qui in *Aurelia* regnarent ille Dominatus esset
venturus. His igitur freti Legati rationibus *Me-
diolanum* veniunt. Quorum oratio cum exposita in
Senatu esset, *Nicolaus Arcimboldus* ita respondit:
ut ostenderet *Mediolanenses* libertatis conservandæ
gratia & extrema etiam, si sit opus, pericula esse
subituros. Et quando non arma, non vires, non
bellorum nervi pecuniæ desint, nunquam com-
missuros, ut defuisse sibi animi videantur. Hac
indignati responsione Legati, vim esse faciendam
censuerunt. Existimaverunt enim facile fore ut
opprimerentur, quoniam eodem tempore & cum
B *Venetis* quoque decertandum esset Hoc igitur animo
ad duo illa equorum millia, mille insuper additis,
& peditum haud parvo numero, ea maxime spe
appropinquabant, ut minimo negotio rem confe-
cturi se putarent. Sed eos sua fefellit opinio. Cum
enim *Alexandrino* in agro *Boschum* oppidum ob-
sedissent, itaque jam oppugnassent, ut datis obsi-
dibus nisi auxilium ferrent in quartum diem de-
ditionem obsessi promisissent. *Hastor* qui a *Nova-
ria* in *Francos* ductare exercitum jussus erat, &
Bartholomæus Collio subvenire *Boschanis* decreve-
runt. Itaque non magna admodum manu, quin-
gentos enim supra mille equites ducebant, forti
C tamen & exercitata, ut eventus deinde pugnæ
indicavit, profecti in hostes auxilium ferebant.
At *Franci* eorum vim exspectare noluerunt, sed
statim soluta obsidione pedem referebant. Tum
vero quidam ex *Alexandrinis* minus callidi rerum
bellicarum, milites fugam facere *Francos* arbitrati,
magna concitata multitudine tumultuario ordine
in fugientes, ut ipsi opinabantur, *Francos*, ac te-
meritate quadam, irruebant. Quod ut *Franci* ani- 25
madverterunt de industria retrocedentes *Alexan-
drinos* in insidias traxerunt: Demumque diviso
agmine partem conversi in insequentes turpem de
D illis stragem ediderunt, partim eam ob causam re-
stiterunt, ne *Hastor* aut *Collio* alia ex parte adori-
rentur. Veriti sunt illi quidem id quod accidit.
Dum enim *Alexandrini* ob suam temeritatem palan-
tes acti interficiuntur, *Hastor* eam occasionem non
prætermittendam ratus, cæteros qui restiterant
cum suis invadit. Nam *Collionem* quidem quacun-
que tandem de causa id fecerit, multo se melio-
rem præbuisse spectatorem ferunt, quam pugna-
torem. Prælium atrox diu fuit utrisque maximis
viribus atque ingentibus animis decertantibus.
Tandem *Ambrosiani* victores extiterunt. Interea
Franci qui *Alexandrinos* fuerant insecuti, cum
E suorum qui remanserant cladem audivissent, ex-
territi fugientes abierunt. Multi tamen inter fugien-
dum capti vivique *Alexandriam* usque perducti,
ab *Alexandrinis* in suorum ultionem interfecti
sunt. Ita eodem die & latum auxilium obsessis &
Francorum bellum est confectum. Omnes enim
vel capti vel interfecti, pauci saluti suæ fuga con-
suluerunt. Inter captivos *Rainaldus* quoque *Baili*
fuit, qui vitam postea grandi soluta pecunia rede-
mit. Fuit in ea pugna omnium ferocissimus *Hastor*.
Irritatus enim quod primo in congressu quidam ex
suis a *Francis* fuissent more illius gentis jugulati
F tanta ferocia pugnavit, ut fama sit ad XX. illum
ex hostibus sua manu cecidisse. Dum hæc apud
Alexandriam geruntur, *Franciscus Sphortia*, *Pla-
centiam*, quam ad *Venetos* defecisse supra diximus,
obsidebat, obsidio haud longa fuit. Nam non plus-
quam V. & LX. dies cum illam oppugnasset,
tandem expugnavit ac diripuit, nullam aliam ob
causam, nisi quod illi pertinaciores nunquam
se dedere volentes, impetum in se omnem mi- 26
litum exspectaverunt. Hac direpta urbe sta-
tim a *Mediolanensibus* ad *Sphortiam Placentinos-
que* missi Legati, inter quos *Vitalianus* fere, ut

semper, princeps fuit. Hi vero non tantum pecuniæ *Sphortiæ* subministrandæ gratia, & consolandorum in tam acerbo civitatis casu *Placentinorum*, quam ut simul cum *Sphortia* deliberarent, quidnam potissimum faciendum videretur. Placebat *Vitaliano* & collegis ut ad *Laudensium* obsidionem traduceretur exercitus, tamen quoniam ea obsidio perdifficilis futura videbatur, maxime propter jam sævientem hyemem, magis consilio Ducis est temperatum, qui in hyberna ducendos esse milites, verque exspectandum, judicabat. Interea alter *Vitaliano* collegisque domi summus Magistratus surrogatus quinto mense posteaquam esse libera civitas incepit. Adventante autem vere, cum de educendis ex hybernis militibus consultari cœptum esset, nullus est visus ad eam rem cum *Sphortia* tractandam magis idoneus, quam *Vitalianus*, cujus apud omnes authoritas tanta erat, ut nihil recte aut deliberari aut fieri posse putarent, nisi consilio suo atque prudentia. Missus igitur simul cum collegis quibusdam, ut de more est, cum publica ad *Sphortiam* authoritate id maxime persuadere illi nixus est, ut quanto posset celerius milites educeret. Futurum enim opinabantur multos *Venetorum* conatus impeditum iri, ac sublatum penitus, si eos, priusquam castrametari possent, aggrederentur. Placebat hæc sententia *Sphortiæ* quoque. Cæterum non pecuniæ solum, quibus milites omnino carebant, impedimento erant, verum etiam *Franciscus Picininus*, qui addere se *Sphortiæ* socium non facile velle putabatur. Rumor enim erat quomodocunque tandem res habuerit, non est
27 enim præsentis instituti omnia dicere, occultas illum de deserendis *Ambrosianis* conditiones agitare. *Sphortia* vero per se non satis validas ad invadendum copias habere videbatur. At *Vitalianus* qui omnia poterat apud *Picininum* hortando ac pollicitando effecit, ut contentus esset cum *Sphortia* conjuncto exercitu militem educere. Dato igitur in singulos, ut ajunt, equos aureo, reliquis de rebus standum *Vitaliani* promissionibus, quibus sæpe alias vel totos ac maximos exercitus conduxerat, censuerunt. Visum est eodem fere tempore pacem esse tentandam cum *Venetis*, eaque de re ab utrisque *Bergomum* missi legati qui de conditionibus pacis convenirent. *Veneti* quamvis essent animo elatiores tamen propter jam direptam *Placentiam*, *Sphortiam* admodum timentes, ad pacem descenderunt. Quam cum *Mediolanensium* reversi legati in Senatu exposuissent, quinqueque jam portæ summo fere omnium consensu approbassent; soli *Theodorus Bossius* & *Georgius Lampugnanus* inventi sunt, qui auderent per civitatem discurrentes concitare ad bellum omnem multitudinem. Ita omni amissa pacis spe, ad bellumque conversis animis, milites ex hibernis educuntur, transque *Abduam* flumen castra metati sunt, *Pandinum*que primo & *Trevillum* oppida cum expugnassent, alterumque vertissent in prædam, placuit *Cassianum* deinde petere. Trajecto itaque flumine, *Hastor Faventinus* circa *Cassianum* castra posuit. *Sphortia* cum omni reliquo exercitu trans *Abduam* cum remansisset, omnemque ferendi auxilii spem cum *Venetis* interclusisset, *Cassianenses* non multum repugnarunt. *Cassiano* recepto *Laudem* inde profecti sunt, longissimeque ab urbe castra posuerunt. Propius enim admoveri non fuit consilium, quoniam de expu-
28 gnatione *Sphortia* desperaret. Neque id sibi tunc negotii assumpsisset, nisi *Mediolanensium* libertati morem gerere voluisset. Dum *Sphortia Laudem* hoc pacto obsidet, nunciatur *Venetos* maxima parata classe in *Pado* flumine & terrestribus innumeris copiis recta *Cremonam* esse petituros. Id quoniam videbatur fore periculosissimum, nam si *Cremona* amitteretur, ut sapientissime *Sphortia* ipse con-

A sultavit, de *Mediolanensium* imperio actum esse non dubitabatur, non enim & victrici classi & potentissimo terrestri exercitui facile erat invenire quonam pacto obstare quisquam posset. Soluta *Laudensi* obsidione, *Sphortia Venetis* obviam processit, classemque apud *Casalem* oppidum, quem appellant *majorem*, nactus, bombardis aliisque machinis in aggere fluminis positis, brevi dissipatam superatamque incendiis involvit. Nondum soluta erat *Laudensis* obsidio, ut contra classem duceretur exercitus, cum rursum visum est *Mediolanensium* Senatui de pace agendum esse cum *Venetis*. Non enim mediocriter de fide in se *Sphortiæ*, licet occulta res esset, dubitabant.... Ea de re *Pinarolum*, oppidum in agro *Sabaudiæ*, legatos utrique
B miserant. Principio nimis elatis animis existentibus *Venetis*, nihil transigi potuit. Sed ubi combustam esse classem apud *Casalem* audiverunt, remissiores paulo effecti sunt. Verum *Mediolanensis* multitudo de navium victoria certiores facta, sperans suos facile post hoc victores fore, non amplius de pace quicquam audire passa est. Per hunc igitur modum interturbata pace, *Sphortia* devicta classe ad *Abduam* reversus; *Caravagium*que expugnare aggressus extreme illum jam premebat,
C cum *Venetorum* copiæ, ut auxilium sociis obsessis ferrent, propius admotæ sunt, manusque cum hoste consertæ. *Veneti* tandem ipsi victi fugatique sunt, ac *Caravaggium* receptum. *Venetorum* autem 29
vires adeo attritæ, ut nihil amplius victori exercitui obstare posse videretur. Hac tanta tamque insigni parta victoria *Mediolanenses Sphortiam* ad quinquaginta cives legaverunt, qui cum eo quid agendum esset consultarent. Censebant plerique ac *Sphortia* inprimis, procedendum esse, & civitates hostium quæ nihil repugnaturæ viderentur, esse recipiendas. *Vitalianus* autem & pauci cum eo, contra redeundum ad *Laudensem* obsidionem existi-
D mabant. Multæ erant horum opinionis causæ, atque illa inprimis, quod molestissimum erat domi fere hostium civitatem ac præpotentem quidem habere. Prætereaque ob *Sphortiæ* suspicionem majorem jam in modum ad pacem cum *Venetis* firmandam, quos æquis acquieturos conditionibus propter acceptas clades arbitrabantur, animos applicaverant. Prævaluit *Sphortiæ* opinio. *Vitalianus* autem cum id animadverteret, cum *Francisco Picinino* egit. Non enim *Sphortiæ* tantis opus erat copiis, quoniam erat neminem habiturum obviam, & cum *Antonio Crothonensi*, nam & ipsi fautores *Vitaliani* sententiæ extiterant ut cum suis ad *Lau-*
E *densem* obsidionem reverterentur, *Sphortia* ante procederet. Id non æquo tulisse animo *Sphortia* creditur, simulque indignatus quod intellexerat cum de pace *Mediolanenses* cum *Venetis* agitarent, nullam de se penitus habitam esse rationem, postea certe cum *Brixiam* obsedisset missas fuisse obsessis a *Mediolanensibus* epistolas constat, quibus ad tolerandam eos obsidionem hortabantur, donec de pace cum *Venetis* conveniret. Nihil enim jam curabant *Mediolanenses* magis quam ut *Sphortiæ* vires, quem vehementer timebant, quocunque modo extenuarent. Quod cum indubitato rescivisset,
F prætervertendum sibi ratus non tam de inferenda 30
Venetis clade, & eorum civitatibus recipiendis, quod illi fuisset perfacile, quam quomodo cum illis conspiraret in *Mediolanense* imperium, animo volutabat, brevique id quod excogitaverat confecit. Interea *Laus* ita oppugnata, ut eodem fere die quo *Sphortia* fœdus cum *Venetis* percussit, a *Vitaliano* qui legatus ac fere Dux in ea obsidione fuit, reciperetur. Nam secunda fere hora & vigesima in urbem cum ingressus esset, maximo cum sui capitis periculo, propter eos qui *Sphortiæ* ac *Venetorum* parti favebant, prima deinde noctis nuntius

tius a *Sphortia* venit, qui in alterum diem si durarent, auxilium laturum illum polliceretur. Varia *Laudensium* fuit consultatio. Erant enim qui putarent *Mediolanenses* urbe ejiciendos, atque exspectandum auxilium a *Sphortia*, non pauci. Denique tamen illi *Vitaliani* industria atque hortationibus *Mediolanenses* prætulere. Qui sequenti deinde die, relicto in præsidiis *Picinino*, ipse *Mediolanum* venit, ut aut urbana aut agresti ex multitudine pedites conduceret, quos ad tutandas & *Laudem* & *Placentiam* urbes transmitteret, *Picininus* ea cura vacuus præsto cunctis in rebus esse posset. *Sphortia* interea versis in *Mediolanum* signis, infestissimo appropinquabat milite. *Placentiam*que cum pervenisset cives sese illi ac libenter quidem dediderunt. Non fuit inde consilium *Laudem* petere, sed per agrum discurrens nunc hoc nunc illud oppidum recipiebat. *Mediolanenses*, in his, adducti, difficultatibus quo sese verterent nesciebant. Jamque *Vitalianus* inprimis ac nonnulli ex sapientibus de libertate desperabant. Ergo cum multæ essent ac variæ in civitate opiniones, tumultusque ac trepidatio *Sphortia* indies magis ac magis urgente, augeretur, tandem placuit populo, apud quem jam omnia erant Reipublicæ gu-
31 bernacula, ut ex nobilitate ac primoribus quidam Sexvirorum magistratus crearetur, qui & pacis & belli summam haberent potestatem. Fuerunt hi *Vitalianus Borrhomæus*, *Bartholomæus Mercatus*, *Lancelottus Crottus*, *Johannes Dugnanus*, *Jacobus Georgius Placentinus*, & *Guilielmus Marlianus*. *Vitalianus* igitur, qui ut diximus nullam jam omnino libertatis spem reliquam habebat, omninoque ad *Sphortiæ* favendum animum mentemque omnem converterat, cum omnis fere multitudo ac nonnulli ex proceribus ad Ducem *Sabaudiæ*, *Alphonso* cæterisque de quibus mentio fuit, postpositis, ut auxilium ferret inclinarent; ipse semper disuasit. Prævaluit nihilominus multitudinis sententia cujus nutu cuncta jam fere gerebantur: in hac quasi rerum omnium confusione rumor quidam exoritur futurum esse ut *Carolus Gonzaga* in secundum diem Dominus clamaretur. Qua re perculsus *Vitalianus* simulata ad *Picininum* legatione, quem fama erat ad *Sphortiam* deficere *Piscariam*, quæ arx distat ab urbe septem milliaribus, cujus meminimus in superioribus, maturans venit, ut inde quod futurum esset spectaret otiosus. Altero vero die cum nihil *Gonzagæ* successisse audivisset, neque quicquam posset agere cum *Picinino*, qui *Sphortiæ* jam conjunctus erat *Mediolanum* rediit, hac maxime de causa: Factio erat in civitate multorum ac potentissimorum civium, quorum Duces *Georgius Lampugnanus* ac *Theodorus Bossius* sese præbebant, qui de tradenda quocumque modo, vel diripienda si *Sphortia* annuisset, urbe, consilium faciebant. Promittebant enim se nonnullis in locis incensuram eam esse, cum vero populus ad incendium, ut de more est, accurrisset, daturos *Sphortiæ* signum, qui alia ex parte ab ea porta,
32 quam jam diu habebant in sua potestate, ingressus, suo arbitrio caperet civitatem: Sunt qui negent ne unum quidem sive de incendio sive de direptione verbum fuisse factum. Nos utrumque audivimus. At utcunque fuerit, hoc tam periculoso consilio cum Collegis locutus *Vitalianus* persuasit tandem illis, ut quando non amplius tuendæ libertatis rationem aliquam haberent, liberius enim de sua

A jam opinione loquebatur, dandam sibi operam videri, ut urbem, si quo pacto possent, a direptione & præda liberarent. Ejusque rei conficiendæ unicam sese viam ostendi, ut ipsi qui plus essent propter Magistratum maxime authoritatis habituri, apud *Sphortiam* anteverterent, æquioribusque conditionibus agerent de eo recipiendo. Quod & *Sphortiæ* quoque magis expetendum putabatur, non enim utile sibi existimandum incendi & in prædam eam verti urbem, in qua ipse paulo post esset regnaturus, si potiundæ ejus aliqua facultas offerretur. Placuit hoc consilium collegis, quamobrem celerrime scriptis eisdem conditionibus,
B eas ad *Sphortiam* miserunt, cum his mandatis, ut si ille eas approbasset, jurejurando servaturum sanxisset, curaturos se ut quam primum in *Mediolanense* imperium recipiatur. Veruntamen erant ejusmodi conditiones, ut si ad unguem ut ipsi jurejurando astringebant, sanctas habere voluisset, nomine duntaxat Dominus, re autem vera conditionum servus sibi futurus esse videretur. Eam igitur ob causam re infecta legati redierunt. Jamque qui in summo magistratu tunc præerant, *Lampugnana Bossiana*que conjuratione animadversa, ultionem parabant. Sub specie enim
C legationis ad Imperatorem, a quo petere velle auxilium simulabant, principes ipsi *Lampugnanus Bossius*que, cum *Mongiam*, quæ distat a *Mediolano* plusquam decem milliaribus, pervenissent, capti sunt, in vinculaque conjecti. Ac paulo post 33
de *Lampugnano* multisque aliis ex eadem factione, qui in urbe deprehensi sunt supplicium sumptum. Nam *Theodoro* quidem *Gonzaga* intercedente, cujus merita in *Mediolanensem* populum ad eam diem plurima esse putabantur, vita est condonata. Paulo tamen post cum ipse eodem quo fortuna, id est ad *Sphortiam* inclinasset, *Mediolanenses*que tum cum maxime illis auxilio opus fuit deseruis-
D set, odio & indignatione, quasi nihil in eum facere possent contumeliosius, in *Theodorum* conversi, miserrime hominem obtruncarunt. At *Vitalianus* ubi vidit in *Lampugnanum* aliosque deprehensos esse animadversum, simulque plebis odium in eos, qui aliud quicquam velle præter libertatem viderentur, conspexit, abire civitate penitus constituit, præsertim cum jam neque consilio suo esset locus neque opera. Armatis igitur ad ducentos equitibus, quos suis semper sumptibus ab incepta republica usque in eam diem habuisset, multoque pedite, insuper *Gonzaga* etiam comi-
E tante, urbe egressus, non prius destitit quam *Aronam* incolumis pervenit. Ibique postea fuit usque ad extremum diem. Atque inde multum *Sphortiæ* opitulatus est, quippe qui pecunia quoque illum juverit. *Mediolanensibus* ita obstinatissimis tueri libertatem animis, propositum erat, ut quæque etiam durissima tolerare non dubitarent. *Sphortiæ* contra nihil magis animo inhærebat quam victoria. Futurum igitur proculdubio prospici facile poterat, non sine maximo alterius partis discrimine eam contentionem modum esse habituram. Quod & hic evenit. Fame enim maxima cogente, *Sphortia* tandem est receptus. *Vitalianus*
F autem jam quinque menses antequam civitas dederetur, in febrem incidit octavoque fere die exstinctus est. Vixit annos duodesexaginta. Se- 34
pultus *Mediolani* in æde Divi *Francisci* in ea cella quam ab eo supra ædificatam diximus.

FINIS VITÆ VITALIANI BORRHOMÆI.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Fe-

FINIS.

POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIÆ FLORENTINÆ,

LIBRI OCTO:

Primum à

JOANNE BAPTISTA RECANATO,

Patritio Veneto, Academico Florentino in lucem editi, notisque, & Auctoris vita illustrati.

Editio Novissima, auctior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO PRUDENTISSIMO

VIRO

D. D. ISAACO VAN HOORNBEEK

SUPREMO

HOLLANDIÆ AC WESTFRISIÆ

SYNDICO

JURIS RERUMQUE CIVILIUM PATRIÆ PERITISSIMO

IN REBUS GERENDIS INDUSTRIO INDEFESSO

HANC

TYPIS DE NOVO DESCRIPTAM

POGGII BRACCIOLINI

HISTORIÆ FLORENTINÆ

NOTIS ET AUCTORIS VITA ILLUSTRATÆ

EDITIONEM

CUM OMNI OBSERVANTIA ET CULTU

DICAT ET INSCRIBIT

DEVOTUS CLIENS

PETRUS VANDER Aa.

*

NOVÆ HUJUS EDITIONIS AD LECTOREM PRÆFATIO.



A Viris eruditis, & Reipublicæ literatæ ſtudentibus ſæpius inſtigatus, ut *Hiſtoriam Florentinam* à POGGIO Latino ſermone conſcriptam, ac ab orbe erudito valde deſideratam imprimi curarem, multum temporis eam indagando contriveram, ſed tamen oleum & operam perdebam: ita ut jam deſperarem, voti mei compotem fieri, niſi hanc Hiſtoriam a *Jacobo Poggii* filio in *Etruſcam* linguam converſam iterum ex *Etruſca*, *Latinam* facerem. Hoc animo verſanti & non exſpectanti Editio *Joannis Baptiſtæ Recanati* Viri Nobiliſſimi Patritii *Veneti*, Anno MDCCXV. apud *Joan. Gabrielem Hertz. Venetiis* excuſa offertur, cui hic Vir Doctiſſimus magnam ſane operam & curam impendit, cujus quoque editionem in repetendo ſecutus ſum. Multa autem hic de utilitate, neceſſitate, ac jucunditate Hiſtoriarum proferre, Rempublicam *Florentinam* tum temporis florentiſſimam, cujus res hic agitur, magnis laudibus in cœlum uſque evehere, & denique Auctoris famam multis verbis ornare, eſſet modo *Æthiopem lavare.* Nam quod attinet ad Hiſtoriam, illius commodum & fructum *Jacobus Poggius* in

ſua Præfatione, patris Hiſtoriæ præmiſſa, ſatis luculenter deſcribit, ad quam *Benevolum Lectorem* ablego. Quinam autem ſtatus Reipublicæ *Florentinæ* tum temporis fuerit, quasque res geſſerit, ſatis ſuperque ex Hiſtoria ipſa conſtat. Quanta denique *Poggius* auctoritate non ſolum apud Reges & Pontifices ſed etiam privatos homines maxime autem eruditos valuerit, cupidus hujus rei lector tam ex allatis à me Doctorum Virorum teſtimoniis, quam ex *Poggii* vita à viro Doctiſſimo Domino *Recanato* huic Hiſtoriæ præfixa ſenſibus haurire poteſt. His itaque omnibus omiſſis, non ſiniſtre capies, ſi ſolummodo breviter indico, quod cura ac diligentia mea in repetendo hos *Hiſtoriarum Florentinarum* libros præſtitit. Cum enim vidi prædictum *Recanatum* Illuſtrium Virorum judicia de noſtro Auctore referentem, Elogia *Jac. Phil. Bergomatis*, *P. Jovii* & *G. J. Voſſii* paucis modo attingere, operæ pretium eſſe duxi, eorum Teſtimonia & Elogia de noſtro *Poggio* hic afferre, quæ igitur Præfationi novæ hujus Editionis ſtatim ſubjunxi, ſimulque Lapidem monumentalem inſcriptione tamen a *Recanato* allata nitide ac ſcite inſculptum ex *Monumentis Illuſtrium Virorum* produxi. Deinde cum jam in eo eſſet, ut finis huic operi imponeretur, ex improviſo in *Stephanum Baluzium* incidi, & ſtatim ſeſe oculis meis offerebat Oratio à *Poggio* noſtro in funere *Leonardi Aretini* habita, quam ſi tractatui noſtro adjungerem, non inconſultum

tum fore, arbitratus ſum: Cui etiam annexi duas literas, alteram a *Poggio* ad *Guarinum*, alteram *Barbari* ad *Poggium*, quæ dignæ ut legantur. Dictæ vero Orationi funebri Effigiem & Epitaphium *Aretini* ex *Jovio* & *Elogiis Illuſtrium Virorum* mutuatum & ad veritatem inciſum appoſui. Præterea cum res præclaræ ſine Viris Illuſtribus geri non poſſunt, idcirco eorum multi in hac hiſtoria occurrunt, quare quorundam ex his imagines partim ad famam poſteritati propagandam, partim librum noſtrum ornandi gratia huic operi interſevi. Denique omnia nomina propria characteribus *curſivis* (ut ita loqui liceat) excudi curavi, ut ea ſtatim ſub aſpectum Lectoris venirent. Tandem & poſtremo mendas in priori editione negligentia librariorum commiſſas ſuſtuli. Hæc B. L. ſi omnia hilari fronte ſis accepturus, ſtimulum, ejuſmodi plura proferendi, addes. Interim ut his bonis avibus utaris & fruaris, ex animo opto. Vale faveque.



TESTIMONIA AC ELOGIA DOCTORUM VIRORUM.

Ex Lib. XIV. Supplementi Chronicorum JOH. PHIL. BERGOMATIS.

A POggius Florentinus *orator facundissimus, & literarum Apostolicarum scriptor disertissimus, Græcæ Latinæque linguæ eruditissimus, hisdem temporibus, & ipse ob singularem doctrinam, & singularem dicendi leporem, tum* Romæ, *túmque* Constantiæ, *ubi concilium habebatur, atque aliis plurimis in locis maximo fuit habitus in pretio. Eo maxime quòd in concilio existens,* Quintilianum *omnino deperditum & obliteratum depravatùmque, in monasterio quodam latitantem invenit, quem postea (ut prædictum est)* Gasparinus Bergomas *noster, multo labore emendavit. Hunc etiam* Florentini *propter ingenii & eloquentiæ ipsius claritatem, cum per quadraginta annos in curia* Romana *scriptoris officium exercuisset, ad se vocatum, summo honore exceperunt coluerúntque & honoraverunt, ac ab omni onere civitatis immunem fecerunt. Composuit autem hic* funebres Orationes *plurimas, & librum* Facetiarum *pulcherrimum, ac* Epistolarum *multarum librum elegantem. Et è Græco* Dionysium Siculum, *& alios multos Latinos fecit. Et* de Situ Indiæ *libellum composuit. Et alia multa.*

Ex Elogiis Doctorum Virorum PAULI JOVII.

B POggius è Terranova *Florentinæ* ditionis oppido, in hac luce *Romani* cœli optimis literis ingenium ita expolivit, ut Pontificiis scriniis sub *Eugenio* & *Nicolao* præficeretur, æquatus scilicet honore summis viris, qui in eo munere fidelis, eruditique ingenii operam præstitissent. In his fuêre *Leonardus Aretinus. Maphæus Vegius*, & *Joann. Aurispa.* Erat consilio gravis, & quum luberet, facetiarum sale perurbanus: ita ut mira, & sæpe subita varietate ad ciendum risum modò prætextatis verbis uteretur, modò gravibus & malignis scommatibus alienæ famæ nomen perstringeret. Sed amarulento libello in *Vallam* importunè invectus, ab eodem pessimè audiendo cumulatas maledicentiæ suæ pœnas luit. quum *Valla* suo felle turgidus, & *Facium*, & *Panormitam*, & *Raudensem* probrosis voluminibus jugulasset. Erat quoque *Poggius* adeò intemperans objurgator, ut quum in *Theatro Pompei*, loco & die celebri, ubi bullatorum diplomatum censura habebatur, *Georgio Trapezuntio* malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæderetur. Transtulit demum è Græco *Diodorum Siculum*: sed & nobiles aliquot libellos de *infelicitate Principum*, *varietateque Fortunæ*, & de *avaritiæ peste*, *orationes* item plures composuit tanta ingenii fœcunditate, ut *facetias* etiam ad excitandam hilaritatem ægris animis expetendas conscriberet. Sed quod gratum & utile posteris fuit, Ciceronis *libros de Finibus*, & *de Legibus* à se in *Germania* descriptos, in C *Italiam* primus attulit ita ut & ei quoque *Quintilianum* in salsamentarii taberna repertum debere fateamur. Novissimè ex multa peregrinatione, *Romanaque* aula exactæ ætatis senex *Florentiam* reversus, consummato oratore, ac optimo cive dignam patriæ operam præstitit, conscripta Latinè historia *populi Florentini*, quæ à *Jacobo* demum filio in *Etruscum* sermonem versa legitur. Hic jam defuncto patre ex *Pactiano* scelere strangulatus, in prætorii fenestra cum cæteris pependit.

MYRTEI.

Olim Pierides, olim Florentia mater,
Vivente risit Poggio.
Nunc tumulum hunc adit, & donum pro carmine flores
Fert, proque risu lachrymas:
Quæ nisi pro vera sint pietate, rogabit
Arnus ministret ut suas.

ACTII SYNCERI.

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historieus.

LATOMI.

A gravibus potui studiis qui clarus haberi,
Corrupi ingenium plus satis ipse meum.
Converti ad rixas animum, nugasque facetas,
Sed Cato quas nolit, quasque Sabina legi.
Hac ego quæsivi vitam male sanus in herba.
Heu facit ad vitam sed nihil ista seges.
Vivo tamen: sed non aliter quàm Herostratus ille,
Quæsita, & parta est crimine vita meo.
Vos moneo, ingenio quicunque & ab arte valetis.
A solidis vitæ quærite rebus opem.

Ex GER. JOH. VOSSIO de Hist. Latin. Lib. III. Cap. 5.

D POggius Brandolinus *uti vocat Possevinus* in Apparatu sacro: *vel* Brandolinus, *ut nuncupat* Franciscus Albertinus a, *civis* Poggii, *vel* Bracciolinus, *Florentinus originem debet* Terrænovæ, *agri* Aretini *oppido. Fuit hic, ut de eo Jovius in elogiis inquit,* Pontificiis scriniis sub Eugenio, & Nicolao, præfectus: æquatus scilicet honore summis vi-

a. Orat. II. ad Julium II. de laudibus civitatis Florentinæ, & Saonensis.

viris, qui in eo munere fidelis eruditique ingenii operam præstitissent: in his fuere Leonardus Aretinus, Maphæus, & Joannis Aurispa. *Invectiva secunda in Vallam* [1] *gloriatur*, *quod* quinquaginta fere ita sit versatus in Curia, ut absque alterius offensione charus: octo Pontificibus continuo in honore & dignitate fuerit: quadraginta ferme secretarius. *Vide an Poggii liber de varietate Fortunæ non historicus sit. Sanè plusculas historias inde adducit Felinus libro de regibus Siciliæ, & Arragoniæ. Cum penè omnem ætatem in Romana curia consumsisset, anno ætatis* LXXII *Florentiam accitus est, ut Reip. patriæ à secretis foret. Vir omnino erat gravis consilii, & facetus: sed, ut apud Jovium inibi legas*, erat adeò intemperans objurgator, ut cum in theatro Pompeji, loco & die celebri, ubi bullatorum diplomatum censura habebatur, Georgio Trapezuntio malediceret, ab eo acriter duplici colapho cæderetur. *Jure igitur de illo Ugolinus Verrius lib.* II. *Italiæ illustratæ:*

--- nimis ah rabidas exarsit in iras.

Ubi alioquin illum insigni elogio ornat. Nam ei dicitur fuisse

--- Nulli splendore secundus
Eloquii.

Græcè didicit ab Emanuele Chrysolora, ut Philippus Bergomas ait ad annum CIↃ CCC XCVIII. *Historiam scripsit Florentinam: in qua hoc à Machiavello merito culpatur, quòd pleraque ea omiserit, quæ ad civiles discordias pertinerent. Nimis & patriæ favet: quò respexit Actius Syncerus epigrammate istoc,*

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem:
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

Ex Possevino cognosco, & alia multa scripsisse, interque ea librum unum de situ regionis Indiæ: cujus initium sit, Scribendi Indiæ historiam. *Præterea transtulit Xenophontis Cyri-pædiam. Ejusdem nomen præfert vetus translatio quinque librorum Diodori Siculi. Atque arbitror, hoc opus signari ab Ugolino Verino lib.* II. *Florentiæ illustratæ cùm de Poggii scriptis loquens, ait,*

Barbara traduxit veterum miracula regum.

Sed fortasse eorum interpres est Jo. Phreas Britannus, Balliolensis collegii socius, qui medicinam Ferrariæ, aut Patavii docuit. Nam, ut Brianus Twynus ait lib. III. *de antiquitate* A *Academiæ Oxoniensis* [2], exstat adhuc archetypon in bibliotheca Collegii Balliolensis, ipsius (Jo. Phreæ) manuscriptum, multò antequam Poggii nomine divulgaretur. *Sed argumentum infirmum. Diu enim fortasse Poggius verterat antequam divulgaret. Erasmi de Poggio judicium est istiusmodi in Ciceroniano suo:* Naturæ satis erat, artis & eruditionis non ita multum; interim impuro sermonis fluxu, si Laurentio Vallæ credimus. *Est adversus fœdissimos* B *ejus mores* VII. *Satyra lib.* V. *Hecatostichorum Francisci Philelphi, & Sat.* X. *lib.* VI, *& lib.* VIII. *hecatost.* V. *Interim Poggii hujus laus est, quòd, ut Rap. Volaterranus testatur lib.* XXI, *Quinctilianum, & Asconium, invenerit in concilio Constantinensi; quod celebratum anno* CIↃ CCCCXV, *& sequentibus duobus. Ac Quinctilianum quidem in salsamentarii taberna reperit: ut est apud Jovium in elogiis. Illud verò alibi me legisse non recordor, unà cum Asconii parte invenisse Argonauticorum Valerii Flacci librum* I, II, III, *& partem* C *quarti. Quod cognoscere est è codice MSo clarissimi, & ob eximiam eruditionem, atque humanitatem mihi carissimi viri, Laurentii Pignorii. Eo in codice hæc leguntur:*

C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in monasterio S. Galli prope Constantiam xx. millibus passuum, unà cum parte Q. Asconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum. Nos, quod potuimus, egimus.

POGGIUS FLORENTINUS.

D *Nec pervulgatum illud, Silium quoque Italicum eidem deberi: uti Scriverio nostro observatum ex versibus istis Ugolini Verini lib.* II. *de viris illustribus Urbis Florentinæ:*

Quin etiam sollers Germanis eruit antris
In Latium altiloqui divina volumine Silî,
Integer Orator nobis, Fabiusque relatus, *&c.*

Quod autem de integro Oratore ait, exinde lucem capit, quòd Ciceronis libros de Finibus, & de Legibus, à se in Germania de- E scriptos, in Italiam primus attulit: *ut est apud Jovium in elogiis. Plura ibidem de Poggio vide: uti & apud Bergomatem in Chr. Suppl. ad an.* CIↃ CCCC XVI. *Sed quod hic facetiarum ejus librum vocat pulcherrimum, qui non infacetissimus modò, sed etiam impurissimus & planè flammis dignus est: sanè rem facit ordini suo Eremitico, quem profitebatur, indignam.*

[1] Fol. 86.

[2] pag. 371.

JO. BAPT. RECANATI
PRÆFATIO.



QUOTIES reputo, *Poggii* diligentia factum esse, ut sexdecim ferme Latinos Scriptores haberemus, qui ceteroquin pulvere situque obsiti perpetuo latuissent, vel tardius multo in lucem venissent, ea me cogitatio vehementer afficit, ac incendit, ut aliquam viro meritissimo gratiam dicendo, scribendove rependam. Æquum enim profecto est, ut quemadmodum illi *Venetus* civis *Franciscus Barbarus* suasor in primis, & auctor fuit, ut curam hanc laboremque susciperet, ita non desit ex eadem civitate qui hac

æta-

ætate literis deditiſſima tanti beneficii memoriam renovet, totique poſteritati publica grati animi teſtificatione commendet. Id vero cum multis rationibus fieri poterat, tum nulla certe opportunius, quam ſi *Florentinam* Hiſtoriam a *Poggio* ſcriptam aliquando inveniſſem, e tenebris duxiſſem, & in omnem ſæculorum memoriam typorum opera propagaſſem. Res plane ex ſententia ſucceſſit: jamque voti damnatus inibi eram ut *Poggianam* Hiſtoriam ederem, cum Italicam *Jacobi* filii verſionem obtrudere mihi quidam cæperunt, & a propoſito deterrere. Hæſi equidem tantiſper animi dubius, nequid ſupervacaneum afferrem, actumque agerem; ſed ea me denique cogitatio confirmavit, quod & pauciſſimæ ſint de *Florentinis* rebus *Latinæ* Hiſtoriæ, nec ea ipſa, quam *Jacobus* Italicam edidit, hujus noſtræ fidem, & gravitatem aſſequatur. Non mihi ſane propoſitum eſt, *Jacobi* laudem imminuere, cui præſertim librorum Epitomas debeo, veruntamen ea eſt hujuſmodi lucubrationum natura, ut quantumvis diligentiſſime elaboratæ, multo tamen infra *Latina* exempla ſemper conſiſtant. De notis porro noſtris quid dicam? Me ſcilicet illas ad rerum fidem & confirmationem, non ad ingenii oſtentationem appoſuiſſe. Itaque non modo ceteris ſcriptoribus, ſed ne *Poggio* quidem ipſi peperci, ubi conſtans aliorum conſenſus cum ratione conjunctus ita poſtulare viſus eſt. Illud expetendum denique erat, quod hujus ætatis editiones plurimum ornare ſolet magna codicum copia, unde non parva ortographiæ, aliqua etiam fortaſſe ſenſui lux acceſſiſſet: ſed non omnia uni contingunt uno tempore. Interim vero ſi curæ hujus, ac laboris mei ratio conſtabit, nova inſuper diligentia publicæ utilitati conſulam, & multa præterea hujus hominis πολυγραφωτάτου in medium proferam, quæ non ſine aliquo literarum detrimento in privatis bibliothecis recondita, atque adeo ſepulta marceſcunt. Vale.

INDEX CAPITUM
IN POGGII VITAM.

POGGII VITA.

Caput. I.
Poggii origo, patria, ac parentes.



EX *Terranova Florentinæ* ditionis oppido prope *Aretium* originem duxit *Poggius*, vir eo ingenio, & doctrina, ut quamvis obſcuro loco natus, præclariſſimas tamen dignitates conſecutus ſit, ſummamque ſibi, & patriæ ſuæ nobilitatem pepererit. *Poggius* ab avi nomine dictus eſt, patremque habuit *Guccium*, quem fortaſſe ab imminuto, vitiatoque *Arriguccii* nomine ita appellarunt. Familiam hanc ab avo primum *Terranovam* deductam fuiſſe ex epiſtola [1] quadam

B compertum habeo, quæ *Benedicto* de *Bondelmontibus* ab Antiquario neſcio quo ſcribitur; conſtatque ex *Lanceolinâ* juxta *Terranovam* majores ejus propagatos, ibique notarii munere functos. Porro Epiſtolæ auctor ex eo ſententiam ſuam confirmat, quod gentilitia *Poggii* inſignia, hoc eſt lilia, & brachium dimidia parte rubrum, dimidia album parvam lanceam tenens loco natali adhuc conſpiciantur. *Terranovanum Poggium* jam omnes fatemur, ex eo præcipue, quod ipſemet hoc aſſerat. [2] *Quo primum anno Nicolaus Pontifex V. peſtis cauſſa Fabrianum Piceni oppidum ſeceſſit, cum me Terranovam natalem Patriam*
C *cum familia contuliſſem, &c.* [3] *Blondus* quoque *Flavius* ubi ad *Etruriæ* urbes, & pagos ſermonem convertit, ait. *Et Terranovam Poggii viri* elo-

1. Ex Biblioth. Strozz. Cod D X. 992. a 116.
2. Hiſt, 1. Hiſt. Tripartitæ Edit. Baſil.
3. Blond. Flav. Ital. Illuſt. ubi de Etr.

4. MS.



POGGIUS BRACCIOLINUS,

Historicus Florentinus.



eloquentissimi, *& aliquot editis operibus clari patriam Guido Petramalensis*, *Aretinus Episcopus*, *muro*, *quem nunc habet*, *cinxit*.

CAPUT II.
Variæ de ejus nomine sententiæ.

Non una est de ejus nomine sententia. *Jacobum* appellat Thomas Dempsterus Scotus *lib. VIII.*[4] *de Etruria Regali* quæ *Cosmo II.* Magno *Etruriæ* Duci dicata est, Ubi illustres viros recensens hæc habet. *Jacobus Bracciolinus*, *cognomento Poggius mendacii*, *ac parum probatæ fidei a Jacobo Sannazario tractatus.*. Additque *Sannazarii* distichon, quod in *Poggium* historicum scriptum fuisse omnibus notum est. Neque vero *Dempstero* satis fuit, *Poggio* patri nomen filii tribuisse, sed ætatem quoque tribuit, dum ann. MCDLXXVIII. defunctum asserit. [5] Alii *Johannem Baptistam*, alii *Joannem Franciscum*, quæ itidem filiorum ejus fuere nomina, nuncuparunt. *Carolum* quoque [6] Abbas *Michael Justinianus* appellat, *Caroli Aretini Poggii* amicissimi nomine, eo in errorem inductus, quod *Platinam* doctorum virorum nomina qui a secretis *Eugenii IV.* fuerunt, referentem non bene perpenderit, ubi inquit, *Leonardum Aretinum*, *Carolum*, *Poggium*, *Aurispam*, *Trapezuntium*, *Blondum viros doctissimos secretis suis admisit*. Itaque *Carolum Poggii* nomen fuisse putavit, unumque e duobus fecit, cum legenti pateat, *Carolum* a *Platina* relatum non alium esse quam *Aretinum*. Sed *Poggii* nomen huic viro fuisse & coævi scriptores, & ipsa ejus opera tum edita, tum ἀνέκδοτα testantur. *Leonardus Aretinus* [7] *Corvino* scribens; *Illud* inquit *me quoque plurimum movet*, *quod ab egregio adolescente Poggio Terranovano familiarissimo & amantissimo meo dudum percepi*, *quanto honore ipsum*, *cum ad vos accessisset*, *vel solo meo nomine fueris prosecutus*. [8] Ipse de se Poggius: *Rogo te*, *sapientissime Pater*, *ut memineris Poggii tui*, *qui tot annis*, *tanto tempore*, *tanta familiaritate fuit tuæ virtuti deditissimus*. Ad hæc addes, eodem a patre suo nomine appellatum ea in Epistola, quæ [9] *Poggio Adolescenti* inscribitur. [10] Quod ad gentilitium nomen spectat, e *Bracciolina* gente fuisse haud potest dubitari. Sed nominis utriusque certissimam fidem facit *Florentinus Priorista*, ubi cum de *Poggio* fit mentio, hæc habet. *D. Poggius Guccii Poggii Bracciolini*. Sed fortasse qua ex gente fuerit, etiam ex *Brachiolo* quod est in gentilitiis ejus insignibus conjicere licet. *Poggium* autem procul dubio a *Podio* dictum fuisse crediderim, quo nomine inter *Florentinos* Episcopos colitur *S. Podius*.

CAPUT III.
An fratres habuerit.

Poggio fratres nemo tribuit, licet in dedicatione operis ad *Petrum Columnam* Cardinalem hæc ipse de se scribat. [11] *Non enim potui non angi animo*, *non & dolore aliquando*, *cum viderem me natu majorem ita adhuc tenui esse censu*, *ut cogerer questui potius operam*, *quam ingenio dare*. Nec se natu majorem sorori comparatum appellat, sed fratri, conquerens enim cum amicissimo Nicolao Nicoli, *Ego premor*, inquit, *undique angustiis*, *& jam a domo mater postulat argentum*, *suffectus est alter in locum demortui patris*, *frater scilicet*, *qui nil agendo*, *& sudore meo velit vivere*. Et inferius, *videbar requiem habiturus a patria*, *ecce nunc exsurrexit frater*; *qui me affligit*. De hujus vero nomine, nulla nec in editis, nec quæ mihi aliisque meis videre contigerit, in manuscriptis operibus mentio incidit. De ejus sorore peculiariter *Leonardus Aretinus*, ubi *Poggio* scribens, [12] *Deflexi*, inquit, *in patriam tuam*, *ibique parentes tuos vidi*, *utrosque sane incolumes*; *de sorore autem tua nuper nupta*, *itemque de ceteris prospera mihi retulerunt*. Nupta autem fuit Chello Dini, vulgo *della Trojana*, a quo Comites *del Maestro*, quorum gens temporibus quoque nostris tum bello tum literis clara avitam gloriam tuetur & auget. Nam tum Comes *Laurentius Ferdinandi II.* Imperatoris equitum supremus ductor anno MDCXLIII. tum *Franciscus* pro *Veneta* Republica in *Forojuliensi* bello ann. MDCXVIII. claruere; *Ferdinandus* vero *Florentinæ* Academiæ Consul fieri meruit anno MDCLV. dignus quidem, ut a Clarissimo viro Abbate *Salvinio* in Consularibus ejusdem Academiæ Fastis, quos jamdiu literati viri desiderant, recenseatur.

CAPUT IV.
Ejus Studia, *& Adolescentia.*

Florentiam decimo octavo ætatis anno, hoc est anno MCCCXCVIII. se contulit, ut literis operam daret, quarum prima, ut ita dicam, rudimenta a *Joanne Ravennate* hausit, [13] *Qui licet nil quod sciamus* (ut ipsa *Blondi Flavii* verba usurpem) *a se scriptum reliquit*, *attamen suopte ingenio*, *& quodam Dei munere*, *sicut fuit solitus dicere Leonardus*, *eum*, *Petrum*, *Paulumque Vergerium*, *Omnebonum Scolam Patavinum*, *Robertum Rossum*, *& Jacobum Angeli filium Florentinos*, Poggiumque, *Guarinum Veronensem*, *Victorinum Feltrensem*, *ac alios qui minus profecerunt auditores suos*, *si non satis*, *quod plene nesciebat*, *docere potuit*, *in bonum*, *ut dicebat literarum amorem*, *Ciceronisque imitationem inflammabat*. Obiter hic animadverte, nonnulla *Joannis Ravennatis* opera extare *Patavii*, eaque a *Philippo Thomasino* referri in Biblioth. *Patavin.* MSS. Non diu eo præceptore *Florentiæ* usus Græcæ literaturæ se tradidit sub *Emmanuele Chrysolora*, *Qui*, ut ait Jovius, [14] *Græcarum literarum studium excitavit* (intellige in Italia) *tanta felicitate*, *ut ex ejus schola summa*, *nec ideo interitura laudis ingenia prodierint*, *in queis fuere Leonardus Aretinus*, *Franciscus Barbarus*, *Philelphus*, *& Poggius*. Hebraicis quoque literis studuit, ut ipse significat. [15] *Dicebam multa de literis Hebraicis*, *quibus operam dabam*. Hinc *Huetii*, multorumque præterea arguitur opinio, qui Hebraicas literas neque eo sæculo, neque posteriori autumant in *Italia* floruisse.

CA-

4. MS. apud Clar. vir. Abb. Salvinum Salvinium.
5. Jovius, Freherus, & Aicher.
6. Abb. Michael Just. Januensis lib. de Nobilit. Abellini, 1637.
7. Ep. ad Corvinum Edit. Brix.
8. Orat. Nicolao V. dicata.
9. Ep. MS. Guccii Bracciolini apud me in Cod. 138.
10. Vid. Diarium Literatorum Ven. To. IX.
11. Præf. Hist. Tripart.
12. Lib. III. Ep. Edit. Brix.
13. Blond. Flav. Ital. Illustr. ubi de Romandiola.
14. Jovius in Elogio Emman. Chrysol.
15. Epist. ad Nicolaum, ubi de Balneis 2. lib. 1.

CAPUT V.
Ejus Romam profectio.

HIs instructus studiis, queis inter ceteros ejus ætatis viros eminebat, [16] *Romam* profectus est. *Accidit interea*, ait ipse, *ut ego ad Romanam Curiam proficiscerer, Bonifacio IX. Pontifice, fieremque paulo post quam accesseram, literarum Apostolicarum scriptor; quod officium, & utile est, & honestati, dignitatique conjunctum.* Eo prorsus tempore, quo exscribendis epistolis vacabat *Poggius*, *Leonardus Aretinus* Pontificis a secretis erat, ut innuit publicum documentum, [17] quo ambo
B procuratores cujusdam actus effecti sunt; nempe *D. Leonardus de Aretio Secretarius Domini Papæ, & Magister Poggius Guccii de Terranova Scriptor Apostolicus.* Non tamen exscribendis epistolis semper vacavit, sed ad eandem, ad quam *Aretinus*, dignitatem pervenisse ex ejus Historia habetur. [18] *Ego autem qui Romæ ad Secreta Johannis XXIII. eram, verum testimonium ferre possum.* Itaque decem ferme annos literas exscripsit, & quadraginta fuit a secretis; quod idem innuit referens se quinquaginta annis ita versatum in Curia, *ut sine alterius offensione carus octo Pontificibus continuo in honore, & dignitate fuerit, quadragin-*
C *ta annis ferme secretarius*; quo tempore *Guccius* ejus pater *Florentiæ* occubuit.

CAPUT VI.
Ejus iter Constantiam, & antiqui scriptores ibi reperti.

ROmanæ inserviens Curiæ ad *Constantiense* Concilium [19] una cum *Bartholomæo* de *Monte Politiano* missus fuit anno MCDXIV. ut colligitur ex Epistola [20] *Leonardi Aretini* eidem scripta quarto nonas Januarias MCDXV. qua alteri re-
D spondet a *Poggio* superiori anno scriptæ, dum *Constantiæ* degebat, aliisque insuper ab eodem *Poggio* scriptis, quarum in una *Hieronymi Pragensis* Hæretici supplicium accuratissime refert; *sed nimio fortasse affectu, quam deceat*, ut cum *Leonardo* loquar, *Catholicum virum.* Miror equidem, quod *Constantiensis* Concilii historiæ recens [21] auctor, qui ab instituto digredi videtur, ut eruditionem in *Poggii* vita narranda ostentet, ignoret, neque se ignorare diffiteatur, quonam titulo *Poggius Constantiam* se contulerit, cum alioquin luce magis clarum sit, ad libros exquirendos missum fuisse. [22] *Quia te, & Bartholomæum ad hoc munus obeundum summi, & honestissimi Ro-*
E *manæ Ecclesiæ Principes, delectos publice dimiserunt.* At quoniam *Barbari* epistola edita non est *, parcamus homini: non tamen parcet, qui reputabit id satis ex *Blondo Flavio* intelligi posse [23]. *Interea Emanuel Chrysolora Constantinopolitanus vir doctrina, & omni virtute excellentissimus cum se in Italiam contulisset, partim Venetiis, partim Florentiæ, partim in Curia, quam secutus est, Romana prædictos pene omnes Johannis Ravennatis auditores literas docuit Græcas, effecitque ejus doctrina, paucis tamen continuata annis, ut qui Græcas nescirent literas, latinis viderentur indoctiores, & cum magnus bene di-*
A *scendi ardor multos in Italia apprehendisset, Conciliumque apud Constantiam Germaniæ ab universo populo Christiano haberetur, quærere ibi, & investigare cœperunt ex nostratibus multi, si quos Germaniæ loca Constantiæ proxima ex deperditis Romanorum, & Italiæ olim libris in Monasteriorum latebris occultarent. Quintilianusque integer repertus a Poggio primum transcriptus in Italiam venit.* Quin etiam ipse Poggius ubi Nicolaum Nicolum colloquentem inducit, hæc illi verba accommodat de se loquenti, caussamque Constantiensis itineris enarranti. [24] *Suscepit hic me intuens olim diligentiam, & laborem peragrandæ Alamaniæ libro-*
B *rum perquirendorum gratia, qui in ergastulis apud illos inclusi detinentur.* Tres tantum auctores repertos a *Poggio* enumerat [25] *Jacobus Lenfant*, nempe *Quintilianum* †, *Asconium Pædianum*, & *Verrium Flaccum*, immo potius *Valerium Flaccum*, nec alios refert, cum amplius sexdecim fuerint, quod clarum fiet infra. Hinc miseram *Italorum* conditionem doleamus necesse est, quorum laudes magna scriptorum incuria, ne dicam malitia, aliquando silentur, aliquando minuuntur: immo ipsi *Italorum* nostrorum vultus ad Transalpina lineamenta sæpe traducuntur, vel pictoris arbitrio temere formandi permittuntur, ut in *Poggii* effi-
C gie ab eodem *Jacobo* [26] *Lenfant* exposita conspicere est, quæ tantum ab ea distat, quam nos ex Magni *Etruriæ* Ducis Museo hic apponendam accepimus, quantum æra lupinis.

Constantiæ degens *Poggius* plures reperit auctores ex obscura erutos vetustate, eorumque indice ad *Franciscum Barbarum* misso, adeo affectus est vir literarum amantissimus, ut gratulatoriam epistolam, atque adeo panegyricum ad eum scripserit. [27] *Tu Tertullianum, tu Marcum Fabium Quintilianum, tu Quintum Asconium Pædianum, tu Lucretium, Silium Italicum, Marcellinum, No-*
D *nium Marcellum, tu Manilium Astronomum, L. Septimium, Valerium Flaccum, tu Caprum, Eutychium, Probum Grammaticum, tu complures alios, Bartholomæo collega tuo adjutore, vel fato functos, vel longo (ut ajunt) postliminio in Latium deduxisti.* Collegam adjutoremque *Poggii Bartholomæum* de *Monte Politiano* fuisse antea dixi, neque temere, ejusdem præsertim *Barbari* auctoritate fultus, qui dum inventa opera inventorum nomine denominanda refert, hæc habet. *Et quemadmodum mala ab Appio e Claudia gente Appiana, & pyra a Manlio Manliana cognominata sunt, sic hæc literarum semina, quæ vestra ope, & opera e Germania in Italiam deferetis, aliquando &*
E *Poggiana, & Montepolitiana vocabuntur.* Majorem vero gloriæ partem in libris conquirendis *Poggio* deferendam *Barbarus* ipse merito existimavit, tantaque spe proposita ad alios inveniendos *Bartholomæo* ægrotante hortatur. *Nam hi labores quietem, & hæc impensa gloriam, ac fortunæ tuæ fructum quam amplissimum reddent, quod eo diligentius tibi faciundum est, quo invaletudo Bartholomæi nostri hoc tibi munus magis necessarium effecit.* Nonnullos alios innuit *Barbarus* a *Poggio* repertos, quos esse crediderim [28] *Ciceronis* libros de Finibus, & de Legibus, & ejusdem Orationes pro *Cæcinna*, de Lege Agraria, contra *Rullum*,

16 Orat. Funeb. Leon. Aret. in Miscell. Ballut.
17. Rogitum Notariale Bartoli Donati Janini Arch. Gen. ann. 1408.
18. Lib. 2. Hist. Flor.
19. Oecumenicum XVI.
20. Epistolarum libro Edit. Brix.
21. Jacques Lenfant To. I lib. IV.
22. Ep Francisci Barbari MS. apud Clar. vir. Jacobum Facciolatum, scripta prid. non. Jul. 1417.

F
* Sed jam est edita & à nobis operi in fine addita.
23. Blond. Flav. ubi de Romandiola. p. 340. edit. Basil.
24. Disceptatio de Infelicit. Principum.
25. Hist. Concil. Const. T. I. lib. IV.
† Hoc etiam videre licet ex Epist. Poggii ad Guarinum, huic Editioni a nobis affixa.
26. Ibid.
27. In præcitata Barbari Ep.
28. MS. ex Biblioth. Abbat. Flor. ut Montfaucon Diar. Ital. p. 374.

29. Orat.

lum, ad populum contra Legem Agrariam, in *Lucium Pisonem*, pro *C. Rabirio* perduellionis reo, & pro *Roscio Comœdo.* His addes partem *Columellæ*, [29] *multosque præterea, quos e Germanorum, Gallorumque ergastulis* (nempe e Monasterio S. Galli) *mea* (ut ipse ait) *diligentia eripui, atque in lucem extuli Nicolai suasu, impulsu, exhortatione, & pene verborum molestia, esse latinis literis restitutos.* Animadvertendum vero, *Quintiliani* opera tunc primum a *Poggio* non adinventa, cum jam ex iis aliqua in eruditorum manibus versarentur; sed *Quintiliani* codicem ceterorum uberrimum, tametsi quibusdam in locis deficientem, ut ad *Poggium* ipsum scribit *Leonardus Aretinus* [30]. *Quintilianus tuus laboriosissime emendatur, permulta sunt enim in nostro vetusto codice, quæ addenda tuo videantur.* Sic non totum *Lucretium*, sed partem, neque integrum *Valerium Flaccum*, sed tres tantum priores libros luce donavit. Auctoribus a *Poggio* repertis addendus etiam *Frontinus de Aquæductibus*, cujus libellos ipse eruit e latebris *Montis Cassini*, ut narrat [31] in descriptione ruinarum urbis *Romæ*; quo in Monasterio ad hæc usque tempora, si *Mabillonio* [32] viro diligentissimo credimus, idem ille codex est, quem *Poggius* invenit, & unde cetera exempla ducta sunt. Quoniam vero de auctoribus a *Poggio* repertis sermo est, non abs re erit addere, quibus e tenebris, sordibusque eruti publicis manibus auctores hi fuerint restituti, ut hujus diligentiæ æmulandæ studium nostris etiam temporibus excitetur. *Quintilianum* in salsamentarii officina repertum narrat *Jovius*, & ex eo [33] *Vossius*; licet una cum *Silio Italico* in *Germania* adinventum referat [34] *Ugolinus Verrinus.*

> *Quin etiam solers Germanis eruit antris*
> *In Latium altiloqui divina volumina Sili.*
> *Integer, illius nobis virtute, relatus*
> *In lucem est Fabius, nostro qui tempore longum*
> *Exul, & ignotus peregrinis torpuit oris.*

Silium Italicum in quadam turri simul cum aliis latitasse codicibus refert [35] *Colomesius.* Tres primos *Valerii Flacci* libros, partemque quarti in monasterio *S. Galli* procul a *Constantia* viginti passuum millibus, fuisse refert [36] *Laurentius Pignorius.* Ibidem *Marcus Manilius* Poeta inventus est, quem primo a *Poggio* editum asserit [37] *Albertus Fabricius* anno MCDLXXIV. Pace vero ejus dictum velim; hac in re aliquantulum vir omni alioquin exceptione major defecit, meque ad eum commonendum ipsemet excitavit, [38] cum *Christiano Junkero*, & *Joanni Gottlieb Krausio* gratias retulit, quod ipsum de nonnullis etiam publice monere (ut ejus verba apponam) sunt dignati. Nec mirum quod in tantam optimarum rerum copiam error quispiam irrepserit. Primam *Manilii* editionem ad eundem annum refert etiam [39] *Cornelius Braughem*, nulla *Poggii* mentione facta. Sed nec eo anno inventum, nec editum fuisse, ex eo patet, quod anno MCDLIX. XXX. mensis Octobris e vita decessit, ut *Joannes Gobellinus* coævus testis, qui idem est ac *Pius II.* nec non [40] *Nicolaus Rodulphus* tradiderunt. Accedit certissimum testimonium publicarum tabularum *Florentinæ* civitatis, in quas *Poggii* mors eo anno, ac die relata est, quod in [41] Archivo Florentino *Reformationum libro Novembris, & Decembris anni MCDLIX.* animadvertit Clarissimus, mihique amicissimus vir Abbas *Joannes Baptista Casottus*, sacræ prophanæque Historiæ *Florentino* in Lyceo professor, cui quam plurima ad *Poggium* spectantia me debere omnibus compertum velim. Jam vero quid dicam de laboribus ab eo susceptis pro tanto hoc reipublicæ literariæ negotio? Siquidem teste [42] Francisco Barbaro, *Non vis hyemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, ut monumenta litterarum e tenebris in lucem erueret, retardavit.* Hinc orta magnanima illa tum *Poggii*, tum etiam multorum ejus æqualium indignatio adversus eos, qui veterum sapientum libros occultantes publica bona interciperent, & in privatos usus converterent. [43] *Hujusmodi homines teneri crimine expilatæ hæreditatis* ajebat *Nicolaus Nicolus.* Uberrimam tamen laborum suorum mercedem consecutus est *Poggius* tum præclari facti conscientia, tum gratulationibus, quas pro ea literarum caritate, quæ doctos viros mutua necessitudine conjungit, ab illis accepit. Audi jam [44] *Leonardum Aretinum* hæc referentem. *At Quintilianus rhethoricæ pater, & oratoriæ magister ejusmodi est: cum tu illum diuturno, ac ferreo barbarorum carcere liberatum huc miseris, omnes Etruriæ populi gratulatum concurrere debebant. O lucrum magnum, o gaudium insperatum!* Quid de repetitis ab eodem *Aretino* gratulationibus dicam? quid de laudibus? quid de pecunia suppeditata? Ait enim: [45] *Utque Camillus secundus a Romulo conditor dictus est, quoniam ille statuit urbem, hic amissam restituit; sic tu omnium, quæ jam amissa, tua virtute, ac diligentia nobis restituta fuerint, secundus auctor merito nuncupabere.* Et infra: *Neque ab hoc opere discedas, sed erigas te, atque insistas; nam rei pecuniariæ tenuitas ne tibi impedimento sit, nostra jam providentia erit.* Felicia profecto tempora illa, quibus literatis viris non studia tantum, sed opes ipsæ communes, in eo præcipue, cum de reipublicæ literariæ incremento ageretur. Audi [46] *Barbarum* nihil *Aretino* liberalitate cedentem. *Quod si fortunarum tuarum ratio impedimento sit, hujus impensæ partem in me, & alios qui veteris sanctimoniæ vestigia colimus, arbitratu tuo conferes. Tibi enim non modo veluti censori parendum statui, sed extra ordinem munus hoc sine provocatione decrevi.* Inter omnes vero auctores, qui *Poggii* opera famæ, gloriæque, & vitæ, ut ita dicam, sunt restituti, *Ammianum Marcellinum* in primis nobis redditum gaudendum cum ipso *Poggio* est [47]. *Jure quidem merito*, inquit, *Ammianum Marcellinum ego latinis literis restitui, cum illum eruissem ex bibliothecis, ne dicam ergastulis Germanorum. Cardinalis de Columna habet eum codicem quem portavi literis antiquis, sed ita mendosum, ut nil corruptius esse possit. Nicolaus Nicolus illum manu sua transcripsit in cartis papyri. Is est in*

29. Orat. Funebr. Nicol. Nicoli Edit. Basil.
30. Epist. lib. 4.
31. Descrip. Ruin. urbis Romæ p. 336. edit. Basil.
32. Mabill. T. I. Musei Ital. p. 133.
33. Voss. de Hist. Lat. p. 550.
34. Ugol. Verr. de Viris Illust. Florent. lib. 2.
35. Colom. ad Gyrald. Dial. 9.
36. Laur. Pign. apud Voss. p. 550. ubi de Viris Illust.
37. Biblioth. lat. Hamburgi, 1712.
38. Præf. Supplementi ad Biblioth. lat.
39. Incunab. Typograph. p. 90.
40. Memor. Hist. Nic. Rodulphi ab urbis initio usque ad ann. 1600.
41. Archiv. Reformat. civ. Flor. MS. Cod. 1211. p. 219. Vide etiam Dominicum Boninsegn. Hist. Flor. ab anno 1410. usque ad 1460. p. 126.
42. Francisci Barbari Patr. Ven. Epist. pro inventis Codd. collaudatio, & ad rimandos ceteros exhortatio. Vide hanc in fine nostræ Editioni adjectam.
43. Orat. Fun. Nic. Nic. edit. Basil.
44. Ep. ad Poggium lib. 4. ann. 1416. edit. Brix.
45. Ibid.
46. Franc. Barb. Epist. sup. cit. 1417. pridie non. Jul. Hanc epistolam in fine operis adjeci ultimæ Editioni.
47. Epist. ad Franciscum Accoltum Aretinum J.C.

in bibliotheca Cosmi Medicei. *Potes agere cum Carolo Aretino, ut vel transcribi faciat tuo nomine, vel codicem mittat; nam nisi a docto scribatur, non historia, sed somnium videretur.* Nulla profecto in *Marcellini* editionibus, neque in *Parisiensi* a *Friderico Lindembrogio*, & *Valesiis*, neque in altera *Lugduni Batavorum* a *Gronovio* recognita, ut alias omittam, *Poggio* laus ob *Ammianum* restitutum defertur; licet & *Gronovius*, & *Valesii Florentini* codicis auxilio usi sint: quem profecto codicem eum esse crediderim, qui a *Nicolao Nicolo* descriptus, ac (ut supra dixit *Poggius*) in *Cosmi Medicei* bibliotheca positus ad hodiernum diem in amplissimo Magni *Etruriæ* Ducis museo servatur.

CAPUT VII.
Varia ejus itinera.

A *Constantiensi* reversus Concilio anno MCDXVIII. cujus [48] ultima sessio die vigesima secunda Aprilis habita est, in *Angliam* se contulit, [49] *cum primum Pontifex* (nempe *Martinus* V.) *Mantuam venisset.* De hoc porro in *Britanniam* itinere dubitare non possumus, nisi de ipsius testimonio dubitemus. [50] *Vidi ego, cum ex Britannia redirem, Maranum oppidum* &c. *subita vi fluminis deletum.* Et infra: *Cum essem in Britannia, miserabilem antea casum fuisse cognovi. Anglicanum* iter una fortasse cum Cardinali *Vintonensi* ab eo susceptum suspicari licet, vel saltem ibidem cum eo degisse; sæpius enim in [51] epistolis in *Anglia* scriptis ait, *Dominus meus Cardinalis &c.* Requirendis codicibus ea quoque in regione operam dedit, monasteria præsertim invisens, quam plurimum *Londini* moratus. Res tamen ex votis, ut *Constantiæ*, non cessit. Nondum enim *Italiæ* nostræ opimis, ut nunc temporis, spoliis ditata erat urbs illa amplissima, nec ea librorum, ut ita dicam, erat intemperantia, & bibliothecarum lasciviens cura, quæ nunc plurimos manuscriptis codicibus, ac antiquarum editionum libris perquirendis ad *Italiam* peragrandam, immo pro viribus depopulandam excitat.

Legatum in *Hungariam* a Pontifice missum nonnulli scribunt; diu etiam *Ferrariæ*, & *Bononiæ* fuisse; sed ad Curiam denique rediisse, eo forte anno, *quo* (ut ipse ait) [52] *cæpi cum doctis viris, Carolo Aretino, & Cosmo de Medicis paulum de temporum conditione communique calamitate, tum vero etiam mea, qui paulo antea e prædonum manibus evasissem, queri, ceterorum vitam nostræ præferens, qui* Scytharum *more semper instabiles vagaremur; mutare enim regiones cogimur, nec datur in eodem loco diutius residere.*

CAPUT VIII.
De ejus matrimonio.

TOt fatigatus periculis, transactæ pertæsus vitæ, certum statum deligere decrevit. Tres jam filios, cum clericus adhuc esset, ex fœmina quadam susceperat, de quibus ad *Julianum* Cardinalem *S. Angeli* ita scribit [53]. *Asseris me habere filios, quod clerico non licet; sine uxore, quod laicum non decet. Possum respondere habere filios me, quod laicis expedit, & sine uxore, qui est mos*

A *clericorum ab orbis exordio observatus; sed nolo errata mea ulla excusatione tueri.* Horum nomina decerpsimus ex [54] Archivo, ubi *Poggii* manu exstant exarata, ac stemmati apponenda curavimus. Ætate jam ingravescente, hoc est annos natus quinquagintaquatuor, ut est in ejus *epist. ad Franciscum Aretinum*, uxorem duxit *Vaggiam*, seu *Selvaggiam Ghini Manentis* de *Bondelmontibus*, ea ex gente, quæ tum divitiis, tum honorum gloria illustris ad hodiernam quoque diem inter principes ejus urbis recensetur. Incidit hoc in annum MCDXXXV. ut colligitur ex ipsius Manentis Diario *Cod.* 1237. p. 97. *Stroz.* ubi ait, se B *Poggio Vaggiam* dedisse nuptum, & florenos sexcentos dotis nomine. De sua uxore loquens mirum in modum lætus ait, [55] se ætate jam declivi elegisse adolescentulam non solum forma egregiam, sed etiam virtutibus, quæ in mulieribus laudantur, præstantem. Plurimis in locis [56] non sine facetiis, & jocis matrimonium suum memorat, sed obiter. Soli *Juliano S. Angeli* Cardinali integras de hac re literas dedit, in quibus se illi obtemperasse ait, qui ad certum vitæ statum deligendum erat hortatus, seu sacerdotii, seu matrimonii; cumque natura sua ad sacerdotium minime factus videretur, iis præsertim difficul- C tatibus deterritus, quæ recte illud obeuntibus occurrunt, ad conjugium animum applicuisse. *Itaque* (ejus verba referam) *cum ad sæcularem vitam animum induxissem, in ducenda uxore id consilium præcipue secutus sum, quod maxime a doctis, & sapientibus viris laudari solet: non enim divitias, quæ plurimos obcæcant, in deligenda uxore perquisivi, non statum civitatis, ad quem multi anhelant, non potentiorum sustentacula, quibus permulti inhærent, appetivi; sed honestatem, probitatem, virtutem, quam maximam omnium dotem, quæ a parentibus tradi queat, sapientissimi tradiderunt. Cum ergo nota, & perspecta mihi esset adolescentis cujusdam* D *ex nobili familia, quæ nondum decimumoctavum annum excesserat, egregia indoles, pudicitia, atque eæ virtutes, quæ in optima, & probatissima juvene requirantur, mores autem spectatissimi probarentur ab omnibus, ratus hanc esse dotem omnium pulcherrimam, quamvis formosior esset, quam ætas mea postularet; tamen cum scirem ita educatam, atque institutam esse a teneris annis, ut formam honestas, speciem pudor, pulchritudinem virtutes plurimæ antecellerent, duxi eam uxorem, & quidem ex animi mei sententia, in qua ita consolor, atque ita acquiesco in diem magis, ut Deo gratias agam continue, qui cum semper antea mihi plus tribuit,* E *quam delicta mea paterentur, tum vero in hac uxore ita consuluit quieti meæ, ita egregie satisfecit, ut nihil penitus sit quod in ea amplius requiram.*

CAPUT IX.
Romam redit, & pluribus Pontificibus operam navat.

INde *Romam* cum uxore se contulit, ibique filios omnes, excepta *Lucretia*, suscepit. Amicum suum *Carolum Aretinum Florentiæ* degentem de filio *Romæ* sibi nato certiorem reddit, sibique quodammodo plaudit, dum ait: *Septua-* F *gesimum ætatis annum, mi Carole, ingressus Calendis Maji filium suscepi, ceteris quos mihi largi-*

48. Philipp. Labb. To. 12. Concil. ad ann. Christi MCDXVIII. p. 294. edit. Paris.
49. Epist. ad Archiep. Cæsaraugustanum edit. Basil.
50. Lib. I. de Miseria conditionis humanæ.
51. Epist. ad Benedictum Buondelmont. Cod. D. X 992. p. 116. Biblioth. Strozz.
52. Lib. de Infelicitate Principum.

53. Epist. MS. apud me.
54. Archiv. Decimarum Flor. sub ann. 1430.
55. Epist. ad Bildest. Archid. edit. Basil.
56. In Poggii Epistolis ἀνεκδότοις, quæ plures apud me amicorum meorum gratia sunt, præcipue vero Clar. Viri Jacobi Facciolati, qui Poggii Vitam scribere molientem & epistolis, & aliis notitiis ad summum devinxit.

57. In

gitus est Deus, pulchriorem, ac majorem. Quem non alium, quam *Philippum*, ex temporis nota epistolæ inserta fuisse judico. Filiorum haud mediocri numero auctus, defunctoque *Laurentio Mediceo*, qui [57] suam (ut sæpe fatetur) egestatem pecunia sublevabat, a *Nicolao V.* Pontifice opem his verbis petiit [58]. *Sum jam veteranus in curia miles, ut qui eam annos quadraginta fuerim secutus, & certe cum minori emolumento, quam deceat eum, qui non omnino fuit alienus a virtute, & studiis humanitatis. Jam emeritis stipendiis, in Coloniam priscorum more sum ad quietem corporis, ad laborem animi destinandus.* Et revera non ætate tantum, sed laboribus etiam fatigatum fuisse credendum est, cum a secretis fuerit non solum *Innocentii VII.* sed *Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXIII. Martini III.* seu *V. Eugenii IV. Nicolai V.* & *Calisti III.*

Magnum, & singulare præconium, [59] ait Gobellinus de Ænea Sylvio loquens, *nec scio an alteri unquam contigerit, eo gratia Dei unum efferri hominem, ut apud duos Romanos Pontifices, unum Imperatorem, & unum Antipapam secretariatu potiri possit.* Quod si hæc de *Sylvio Gobellinus*, quid mihi de *Poggio* dicendum est, qui *Quinquaginta annis* (ut de se prædicat) ita versatus in Curia est, ut absque ullius offensione carus octo Pontificibus continuo in honore, ac dignitate fuerit? Hoc titulo, quo tot annis usus fuit, reliquo etiam ætatis tempore licet Reipublicæ *Florentinæ* Cancellarius censeri voluit. Legitur enim in [60] actis, quibus emancipat *Petrum Paulum* filium suum die decima Decembris MCDLV. *Egregius & eloquentissimus vir D. Poggius olim Guccii de Terranova*, Secretarius Apostolicus, *& Cancellarius Florentinus constitutus &c. emancipat Petrum Paulum ejus filium legitimum & naturalem majorem annorum decem & septem, sed minorem decem & octo* [61]. Sic paulo infra: *In domo egregii viri D. Poggii* Secretarii Apostolici, *& Cancellarii Dominorum Priorum.* Præ ceteris tamen, quibus inserviit, Pontificibus, *Nicolaum V.* commendat, qui sua beneficentia fecit ut temporum injurias ferre posset; sed cum multis rebus pro tanta filiorum copia indigeret, nec certum aliquem censum haberet, sibi aliunde consulendum esse duxit.

CAPUT X.

Florentiam repetit, ubi & Cancellarius fit, & inter Priores Artium cooptatur.

ROmanam Curiam non sine magna animi molestia reliquit, ut colligitur ex ejus [62] epistola ad *Franc.* Marescalcum *Ferr.* Reliquit tamen anno [63] MCDLIII. ætatis suæ LXXII. mense Junio. Id satis confirmatur tum ex ejus epistola *Nicolao V.* hac de re scripta die XXI. Junii, tum ex libro tertio *Scrutinii* artis sericæ, portæ S. Mariæ, ubi hæc habentur. *D. Poggius ol. Guccii Poggii de Bracciolinis de Terranova civis Florentinus, Doctor egregius, ac Doctor famosissimus, & ad præsens* (nempe anno MCDLIII.) *benemerito Cancellarius Florentinus.* Eo porro in munere Carolo Aretino suffectus est Poggius, quod & Prioristæ, & Pii II. testimonio confirmatur. Ita enim inquit doctissimus Pontifex: *Nos tres in ea urbe* (hoc est Florentiæ) *cognovimus literis Græcis, & Latinis, & conditorum operum fama illustres, qui Cancellariam alius post alium tenuere, Leonardum, & Carolum Aretinos, & Poggium ejusdem Reipublicæ civem.* Satis hinc patet *Poggium Florentina* civitate donatum: id vero contigit anno MCDXIV. ut ipse testatur [64]. *Leonardus* (nempe Aretinus) *civitate, & certa quantitate, quæ in filios manaret, donatus est. Eadem immunitas & Carolo quoque Aretino summa eloquentia, atque sapientia prædito postmodum concessa: postremo quoque & mihi licet in doctorum, aut eloquentium numero minime sim censendus.* Ex his facile intelliges, quam longe illi aberrent a vero, qui *Poggium Florentina* civitate anno tantum MCDLIII. donatum fuisse arbitrantur. Sed ego ad eruditionem potius, quam ad narrandarum rerum confirmationem tum documentum afferam, [65] in quo ann. MCDXIV. hæc habentur: *Pro parte Poggii Guccii de Terranova civis, & notarii Florentini exponitur, quod ipse seorsim a D. Guccio patre suo habitavit, fere sunt anni XXV. vel circa, & gravedines supportavit in vestra civitate;* quas ob res civis effectus est juxta *Florentinam* sanctionem: [66] tum privilegium subjiciam latum die octavo kalendas Novembris ann. MCDXXXIV. Indict. XIII. quod debeo clarissimo viro, neque satis unquam laudato civi meo Apostolo *Zeno*, quo sæpe pro mutua inter nos amoris necessitudine usus sum in hac Vita conscribenda. En ipsa documenti verba: *Intellecta expositione coram eis facta pro parte D. Poggii de Terranova Florentini civis, quemadmodum triginta annis fuerit absens a patria, sequens Romanam Curiam, & cuperet jam eo senescente redire ad patriam, literis operam dare, & ibi quiescere, & cum hæc fieri non possint, si subiret onera, ut alii cives, qui ex mercatura aliisque exercitiis, officiisque publicis lucra, & emolumenta percipiunt, cum velit se literarum studiis totum tradere, & in eis senectutem ducere, concedimus &c.* Ut hoc illi *Florentini* cives indulgerent, auctor in primis fuit *Cosmus Medices Joannis* filius, *qui eruditos viros* (ut ait Benedictus Accoltus Aretinus [67]) *semper opibus, & benevolentia prosequutus est, quos inter Nicolaum Nicolum, Leonardum, & Carolum Aretinos, & Poggium viros doctissimos, & eloquentiæ lumina præcipue coluit, & protinus effecit, ut honores in civitate maximos, immunitates non paucas assequerentur.* Et profecto quid majus deferri *Poggio* potuit, quam ea dignitas, quæ ex præcipuis urbis habetur? Unus ex *Prioribus Artium*, seu ut postea dicti sunt *Libertatis*, renunciatus est sub vexillo Carri, omnibus ultro eam dignitatem deferentibus, qua mirifice functus est. Nec mirandum quod *de Quarterio Sanctæ Crucis sub vexillo Carri* electus fuerit. Licet enim ex *Catastico* anni MCDLXIX. p. 414. constet ejus filios domum habuisse in Quarterio *S. Joannis* sub vexillo Clavis, quam sibi habitandam 490. florenis *Poggius* emerat anno MCDLI. tamen fieri potest, ut ea relicta, in Quarterium S. Crucis transierit.

CAPUT XI.

Poggii Opera.

CUm tanta honorum ac dignitatum parem literarum gloriam *Poggius* conjunxit. Itaque &

57. In Orat. Laur. Medic. edit. Basil.
58. Orat. ad Nic. V. Pontif. Ibid.
59. Joann. Gobell. Comment. Pii II. lib. I.
60. Arch. Gen. Protocol. Ser Andreæ Ser Angeli de Terranova.
61. Ibid.
62. MS. apud C. V. Abbatem Salvinium.
63. Diarium litterat. Ital. T. 9. & 10.
64. Orat. Fun. Leon. Aret. Miscell. Ballutii To. III. Totam vide in fine nostræ Editionis.
65. Liber Reformationum B. 1415. p. 64. Flor.
66. Vid. Diar. literat. Ital. T. IX. art. 3.
67. Dialog. de Præstantia virorum sui ævi.

& multa Latine scripsit, & Græca multa *Latio* donavit. Ex his habemus Xenophontem *de Vita Cyri* [68], *Alphonsi Siciliæ* Regis jussu translatum, *Luciani Sirii* Comœdiam cui titulus *Asinus*, quinque *Diodori Siculi* libros, queis suum nomen inscripsit, & *Nicolao* Pontifici dicavit ea Præfatione, cui initium: *Nullus antea quamvis præclarus.* Adeo vero exarsit in hoc studium, ut *Nicolo* ita scripserit: *Si autem, quod præ ceteris cupio, Guarinus noster istuc venerit hac futura hyeme, vobiscum ero posthabita Curia, ut vacem literis Græcis, quorum desiderio ardeo in diem magis.* Sed Latina ejus opera plura sunt. Epistolas quidem ad omnes fere ejus ætatis doctissimos viros scripsit [69], quarum non paucæ in unum volumen redactæ publici juris factæ sunt, aliæ latent adhuc in MSS. Opuscula itidem quædam edidit, *Præfationem in Luciani Asinum aureum*, *Dialogum adversus Hippocritas*, *libellos de situ Indiæ*, *de officio Principis*, & *de Principum infelicitate*, *Declamationem in detractores*, ac *quinque funebres Orationes* de *Laurentio Mediceo*, de *Nicolao Nicolo*, de *Leonardo Aretino* *, de *Pontifice Nicolao V.* ac demum de *Francisco Zabarella Cardinali Florentino* habitas. Meminit quoque *Raphael Volaterranus* Orationis, qua a *Poggio* ejus discipulo in funere laudatus est *Emmanuel Chrysoloras*, qui *Constantiæ* obiit extremum diem: at falsi *Volaterranum* arguit ipse *Poggius* [70] Epistola ad *Guarinum*, qua hoc supremum grati animi officium magistro optimo ab *Andrea Juliano* Patritio *Veneto* persolutum fuisse narrat. En ipsa verba: *Andreas vero Julianus summe a nobis collaudandus, qui cernens ignaviam nostram, qui nullam ne mortuo quidem pro suis in nos singularibus meritis gratiam referimus, sua opera, suo studio nobis operam navavit, & tarditatem nostram sua diligentia sublevavit. Ergo nomine meo verbis amplissimis gratias agas, & quidem ingentes pro hoc labore, quem suscepit in Manuelis memoria celebranda.*

Alia præter jam dicta nobis reliquit *Poggius*, in quibus admiranda dicendi vis elucet: ejusmodi sunt liber *de Vera Nobilitate*, cui acriter respondit *Laurus Quirinus* Patr. Ven. nec non *Leonardus Chiensis* [71]. Justa profecto *Quirini* fuit in *Poggium* indignatio, ut qui in libro de Nobilitate nimis acriter in *Venetos* feratur. Ceterum *Poggius* in epistola ad *Thomasium Venetum* philosophum ac medicum, suæ hujus mordacitatis caussam in Nobiles quosdam *Venetos* confert, quorum opera *Italicum* bellum excitatum putabat: professus ceteroquin non adversam *Venetis* voluntatem in eadem epistola [72], cujus hæc verba sunt: *Cupiebam civis vester fieri, & domum apud vos parare, quæ filiorum meorum in vestra Republica quies, & receptaculum esse possit. Quod ut assequerer facilius, statueram conscribere. Historiam vestram, & ex antiquis Annalibus eruere memoriam priscarum rerum, ut apud nos fierent recentiores. Sed posteaquam in patriam sum vocatus, & in dignitate atque honore constitutus, illa cogitatio effluxit ex animo, & ad alia mentem converti. Historias convivales* quoque scripsit, pulchrum *de Varietate fortunæ opus*, parvam quandam *Historiam de Avaritia ad Franciscum Barbarum*, Tractatum *de humanæ conditionis miseria*, *Descriptionem Romanæ urbis*, *Quæstionem, an seni sit uxor ducenda*, Librum *de miseria conditionis humanæ*, & *Florentini populi Historiam.* Omnibus his quæ vel impressa, vel manuscripta habentur, adjicies Tractatum *de imaginibus virorum illustrium gentis de* [73] *Bondelmontibus*, quem jam evulgatum esse *Laurentius* ipse *de Bondelmontibus* quodam in Codice sua manu exarato testatur, nec non Clarissimus vir *Joannes Baptista Casottus* [74], sed fortasse periit præclarum hoc opus injuria temporum; quod & accidisse dolendum est præclaris ejus operibus, quæ adversus Concilium *Basileense* conscripsit. *Alberto* enim *Parisio Bononiensi* hæc ab eo flagitanti respondet: *Ego dudum, dum Eugenius vixit, multa scripsi ad varios Principes contra detestandam Basileensium perversitatem. Sed cum ad Rempublicam spectarent, nihil eorum penes me reservavi.*

Ingenii præterea stimulos acuit in *Laurentium Vallam* quinque Declamationibus, quarum quartam in omnibus editionibus omissam, MS. habet Clar. vir *Justus Fontaninus* [75]. Ea potissimum de caussa *Vallam* aggressus est, quod cum plures Epistolas amicorum suasione in unum volumen redegisset, eæque (ut ipse ait) *in manus levissimi, atque petulantissimi hominis Laurentii Vallæ incidissent, multis in locis illas carpens, pro earum vitiis suam ignorantiam expressit.* In *Philelphum* quoque pari labore, sed nimia profecto mordacitate se exercuit, nisi quod provocatus fuit, quod ejus temporis consuetudini, ac fato veluti cuidam tribuendum duxerim; notum enim abunde est, non unum hac in re *Poggium* peccasse, sed omnes illi coævos scriptores eruditis disputationibus non facetiarum sales, sed probra, injurias, & ut plurimum turpissimas calumnias immiscuisse. *Nicolaum Perottum*, qui prior *Poggium* lacesserat, non mitius petiit, & provocatus in arenam descendere non recusavit; quo in prælio cui majoris dicacitatis præmium debeatur, judicium ferre illorum sit, quibus eas declamationes videre contigit, quarum prima *Nicolai Perotti* in *Poggium Florentinum* apud Clar. virum [76] *Renatum Moreau*, altera *Poggii* in Bibliotheca viri memoriæ nunquam interituræ *Antonii Magliabechi* servabatur. Odii hujusce caussam fuisse memorat [77] *Nicodemus*, quod *Poggius Laurentium Vallam Perotti* amicissimum aggressus fuisset. Acerbius etiam exagitavit *Felicem* Antipapam, *Amedeum* scilicet, jam *Sabaudiæ* Ducem: adeo vero in maledicendo fines omnes videtur esse prætergressus, ut [78] *Verrinus* post expositas illius laudes exclamet:

Nimis ab rabidas exarsit in iras.

Neque a jurgiis temperavit, quamvis a *Georgio Trapezuntio* graviter castigatus, qui cum in Theatro *Pompeji*, loco, & die celebri, ubi bullatorum diplomatum censura habetur, sibi maledicentem bis colapho percussit. *Poggii* facetias *Volaterranus* & cum eo *Trithemius*, *Gesnerus*, *Vossius*, & *Erasmus* graviter incusant, opus id igne dignum censentes, quos secutus est præcitatus Historiæ Concilii *Constantiensis* recens auctor [79]. Harum tamen non paucas, & fortasse turpissimas *Poggio* injuria tributas censeo, quod duobus in Co-

68. Panormitanus in Vita Alph. Siciliæ Regis.
69. Edit. Basil.
* Quam nos calci nostræ editionis affiximus.
70. Epist. ad Guarinum MS. in meo codice miscell. 138.
71. Leon. Chiensis in tractatu Apologetico de Vera Nobilit. MS. apud Clar. Vir Jacobum Facciolatum.
72. Epist MS. apud Clar. Viros Abb. Salvinos.
73. Laur. Bondel. in memoriis suæ domus, Cod. MS. Flor. apud ejus hæredes.
74. Notizie Istoriche della B. Vergine dell'Impruneta. p. 75.
75. Invectiva in Vallam.
76. Cod. Ren. Moreau a P. Labbeo relatus N. B. MS. lib. 6. p. 233.
77. Nicod. l. 1. p. 183.
78. Ugol. Verr. de Illustr. Flor. lib. 2.
79 Jacques l'enfant Hist. Conc. Const. lib. 4.

80. E-

Codicibus MSS. accuratiſſime evolutis eas non invenerim. Ceterum adeo excelluit *Poggius* nativo Latinæ linguæ nitore, mira explicandarum rerum facilitate, & ea quam ſermonis evidentiam vocant, ut & breviſſima oratione multa comprehendat, & copiæ tamen laude non careat: de quo proinde Guarinus [80]: *In quo renaſcentis, & priſtini ſæculi floret, & viget eloquentia, virtutiſque theſaurus.* Omnem autem Latinæ linguæ venuſtatem ſe *Ciceroni* debere teſtatur ea in Epiſtola quæ *Dominico Sabino* inſcribitur. *Novi vires meas, & quam tenues ſint, atque imbecilles, in dies magis, cum eas experior, cognoſco; quidquid tamen in me eſt, hoc totum acceptum refero Ciceroni.*

CAPUT XII.

Illuſtrium virorum de Poggio judicia.

SUpereſt, ut quid de eo eruditi viri ſenſerint, ejuſdemque cum iis amoris neceſſitudinem explicem; neque enim eadem uſus mordacitate in omnes, ſed & inimicos habuit, & amicos. Floruit *Poggius* eo ſæculo, quo nullum doctis viris fuit magis refertum, ut ea viderentur renovata tempora, quæ aurea adhuc vocantur, & queis ſane aureos auctores debemus. *Et ut intelligas* (juvat [81] *Benedicti Aretini* verba huc afferre) *tempeſtate illa non defuiſſe ingenia, ſi judiciale dicendi genus exerceretur, recordare a multis citra annis quot eximii Rhetoricæ artis præceptores per Italiam fuerint, & ejuſdem viros doctiſſimos, qui divina eloquentia Orationes, Epiſtolas innumeras, & libros plures ſcripſerunt, & Græcorum volumina venuſtiſſime in latinam verterunt linguam. An tibi videntur Leonardus, & Carolus Aretini, Robertus Rufus, Veronenſis Guarinus, Poggius, Jannoctius Manettus, Ambroſius Monachus, & alii multi, quos fere omnes vidimus, non ſupremi extitiſſe, ſeu eloquentiæ, ſeu literarum, ſive philoſophiæ moralis præcipue peritiam conſideres? quorum aliqui ita hiſtorias conſcripſerunt, ut Livio, ac Saluſtio exceptis, nulli veterum ſint, quibus illi non pares, aut ſuperiores fuiſſe recte exiſtimentur.* Præter relatos a *Benedicto Aretino* viros, conſtat tum floruiſſe *Porcellum Neapolitanum*, *Bartholomæum Facium*, *Fernandum Cordubenſem*, *Antonium Panormitam*, *Franciſcum Barbarum*, *Joannem Auriſpam*, & *Colutium Salutatum*, qui a *Poggio* communis omnium doctorum parens nominatur. His addendi *Leodriſius Cribellus*, *Matthæus Palmerius*, *Leonardus Juſtinianus*, *Nicolaus*, & *Antonius Luſcus*, *Ludovicus Ortanus*, *Andreas Conſtantinopolitanus*, & *Laurentius de Medicis*, qui omnes quanto *Poggium* amore, ac ſtudio proſecuti fuerint, ex ejus aliorumque epiſtolis facillime dignoſcetur.

Omittendos eſſe non reor, quos ſub [82] *Joanne Ravennate* condiſcipulos habuit, nempe *Petrum Paulum Vergerium*, *Omnebonum Scolam*, *Leonardum Aretinum*, *Robertum Roſſum*, *Jacobum Angeli* filium, *Nicolaum Nicolum*, & *Victorinum Feltrenſem*. *Petrum Candidum* Decembrium non ſtudiorum ſocium, ſed a ſecretis collegam habuit. Cum *Philelpho*, *Guarino Veronenſi*, *Laurentio Valla*, & *Thoma Reatino* perpetuæ non fuere ſimultates, neque ullæ fuiſſent, niſi cum illi priores laceſſiſſent. *Nunquam enim* [83] (inquit) *quicquam egi mea ſponte, quod merito cuiquam diſplicere poſſet, nihil unquam ſcripſi contra quempiam niſi laceſſitus, & in meam defenſionem, quod non ſolum in hominibus, ſed etiam in belluis videmus ineſſe, ut natura injuriam propulſent.* Extinctis vero cauſſis cito & ira deferbuit. [84] *Neque enim*, inquit, *disjunctio ſententiarum debet animos disjungere, cum liceat diverſa ſentire ſalvo jure amicitiæ.* Hinc in epiſtolis ſuis excuſat omnibus nimiam mordacitatem, cupitque omnia ſilentio involvi. Ea de cauſſa *Guarinum* jam hoſtem ſuum, ſed ſibi reconciliatum, a quodam tribuli ſuo *Veronenſi* appetitum bono animo eſſe jubet, ſeque pro illo in arenam deſcenſurum promittit [85]. *Habes* (ait) *præterea me vel clientem, vel patronum, qui cauſſæ tuæ non deeſſet, in ea præſertim quæ ad famam, aut honorem minuendum ſpectaret, ut aliis literis ad te ſcripſi.* Maxima plurimis cum Cardinalibus *Poggio* interceſſit amicitia, quos inter Cardinalis *Beſſario* toto orbe clariſſimus ſingulari illum amore complexus eſt. His addes *Æneam Silvium*, cui per literas Cardinalatum eſt gratulatus, atque is eſt, qui Pontifex deinde *Pius II.* voluit appellari; & Cardinalem Dominicum *Capranicenſem*, quem [86] *Baptiſta Poggius* refert in Secretariorum numero a Pontifice *Martino* collocatum fuiſſe, collegamque factum *Leonardi Aretini*, *Cincii Romani*, *Antonii Luſchi*, parentiſque ſui *Poggii Florentini.* Mutua autem conſuetudine adeo crevit inter ipſos benevolentia, ut *Poggio* vita functo, *Capranicenſis Baptiſtam* ejus filium in patris locum ſuffici curaverit, eique hac de re literas Apoſtolicas impetraverit. *Tanta*, [87] inquit Baptiſta, *affectione complexus eſt parentem meum, eumque is omni vita coluit.* Sanctiſſimum quoque virum *Nicolaum Albergatum Bononienſem* Cardinalem Sanctæ Crucis, obſervavit, ejuſque in obitu perelegantem habuit Orationem. Non paucis etiam gratus, acceptuſque Pontificibus, quorum ab epiſtolis fuit; ab eorum vero neſcio quo miſſus eſt in *Hungariam* Legatus, ſi epiſtolæ [88] cuidam fides habenda eſt, quæ *Benedicto Bondelmontio* ab ejus ævi literato viro ſcripta eſt. *Nicolaus Quintus* tantopere *Poggium* dilexit, ut ei palam dicere non dubitaverit: *Rogo ut illi tui amici priſci, quos inter me unum eſſe profiteor, non excidant e memoria.* Præcipuum tamen apud ipſum tenuit benevolentiæ locum *Leonardus Aretinus*, in cujus obitu, ut jam dixi [89], Orationem pulcherrimam habuit anno MCDXLIII. ex qua, ut cetera omittam, hæc tantum verba mutuæ ipſorum benevolentiæ argumentum referam; *Quamvis ejus virtus nullius externa laudationis opera egeat ad ſe ornandum, quippe qui ſibi vivens laudem peperit immortalem; tamen præſtandum eſt a nobis debitum amicitiæ noſtræ officium, quæ jam amplius annis quatuor & quadraginta inter nos ſimilium ſtudiorum curſu cœpta ſemper viguit ſanctiſſime abſque ulla querela, aut benevolentiæ intermiſſione.* Et paulo infra: *Sed noſtra inviolata permanſit animorum conjunctio; & jure quidem inter nos id contigit, ea namque vera, & ſtabilis amicitia, quam optimarum artium ſtudium, & bonorum morum ſimilitudo contraxit, quæ quoniam mutua benevolentia, & officiis fovetur, neceſſe eſt, ut ita ſit firma, & diutur-

80. Epiſt. Egreg. Viro Poggio Flor. 26. Maji 1455.

81. Benedict. Accoltus Aret. in Dial. de Præſt. virorum ſui ævi.

82. Blond. Flav. Ital. Illuſt. de Romand. p. 346. edit. Baſil.

83. Epiſt. ad Albert. Pariſium MS.

84. Epiſt. Poggii p. 353 edit. Baſil.

85. Epiſt. Poggii inedita apud me, Conſtantiæ Idibus Martiis.

86. Joannes Baptiſta Poggius in Orat. Card. Capranicæ Miſcell. Ballutii Tom. 3.

87. Ibid.

88. Cod. D. X. ſub num. 992. a 6. Biblioth. Strozziana.

89. Miſcell. Ballutii To. 3. p. 348. Pariſ. 1680. Sed nos eam totam huic Editioni ſubjunximus.

90. Te-

turna. Quanti vero *Leonardus Poggium* fecerit, patet legenti epistolam quartam libri quarti supra allatam, in qua eum ad librorum investigationem hortatur, laudatque feliciter locatam ab illo operam: quod etiam egit *Franciscus Barbarus* ejusdem sæculi eruditissimus vir, quo cum *Poggius* non solum studia, sed cogitationes quoque communicare consueverat, judicemque designaverat cujusdam Apologiæ in *Guarinum*, quam illi una cum *Guarini* Invectiva Oratione miserat judicandam.

Eruditos hactenus viros, quos singulari benevolentia est complexus, referre placuit, uno tantum ultro omisso, quem scilicet non ut amicum, sed ut patronum, & parentem semper coluit, cui nos quoque quam plurimum ideo debere necesse est, quod ejus hortatu, & auxilio vetusta literarum monumenta perquisierit, & in publicam lucem emiserit. Huic se præ ceteris debere fatetur. *Quem enim*, ait, *patrem habui, cui plus debeam, quam Nicolao?* (Nicoli.) *Hic mihi parens ab adolescentia, hic postmodum amicus, hic studiorum meorum adjutor, atque hortator fuit, hic consilio, libris, opibus semper ut filium, ut amicum fovit, atque adjuvit, hic me ad virtutem, hic ad literarum doctrinam, hic ad bonarum artium studia semper incitavit, denique nihil erga me omisit eorum, quæ vel ab indulgentissimis parentibus filiis, vel a carissimis amicis mutuo amori tribui solent. Quod si humanitas ferret, dicerem me plus Nicolao quodammodo debere, quam iis qui me procrearunt; illi enim ignarum omnium genuere, hic reddidit sua opera doctiorem; illi ut essem effecerunt, hic ut essem cum honore, & dignitate; illi alimenta corporis præbuere, hic animum virtutibus formavit, & recte vivendi institutis: ut quantum ceteri parentibus atque educatoribus suis debent lege naturæ, tantum ego Nicolao nostro, & ejus nomini jure humanitatis pro suis erga me meritis me debere profitear.* *Nicolai* in *Poggium* benevolentiæ illud quoque argumento est, quod inter illustres viros, quorum fidei testamenti sui curam commisit, *Poggius* quoque adscitus est, ut ab ipso testamento colligitur [90]. *Omnes libros suos, tam sacros, quam gentiles, & tam græcos quam latinos, aut barbaros, quos undique magna industria, diligentia, studio ab adolescentia nullum laborem subterfugiendo, nullis impensis parcendo coegit, reliquit, & legavit in illis locis, & penes quos, & eo modo, & forma, & prout, & qualiter admodum infrascriptis honorandis & sapientibus viris videbitur, & placebit.* Enumeratis hic aliquot ex sexdecim, quorum primus fuit *Ambrosius Camaldolensis*, sexto loco ponit *Eloquentissimum virum D. Poggium Guccii Poggii de Terranova summi Pontificis Secretarium, Civem & Advocatum Florentinum.* Libros autem *Nicolai* donatos refert [91] Leopoldus del Migliore Dominicanæ Bibliothecæ S. Marci; quod fortasse *Poggii* opera factum est, cujus filius Dominicanæ familiæ nomen dederat. Hic obiter animadverte, perperam a *Leopoldo* duos tantum *Nicoliani* testamenti curatores afferri, cum sexdecim fuerint, quemadmodum constat ex iis, quæ diximus. Quid quod etiam Regibus *Poggii* doctrina & eloquentia admirationem movere potuit? Audi [92] *Bartholomæum Facium*, qui ejus epistolam *Alphonso Neapolitano* Regi cum legisset, ita scribit: *Legi ac pronunciavi eam in magno*

A *cœtu summorum virorum elata voce, a capite ad calcem, tanta Regis attentione, ut nec oculos a me unquam recitante dimoverit, nec ab aucupibus, qui apparere nescio quas aves clamitabant, quamvis ejusmodi re præter modum delectetur (ut scis) distrahi potuerit. Admirabatur inter audiendum locos, quos ad gloriam optimos excogitasti, & tuam illam tum rerum, tum verborum admirabilem copiam variis exornationibus, quasi luminibus distinctam.* Quid ergo mirum, si quem tanti Pontifices Regesque faciebant, privati homines admirarentur, summisque laudibus efferrent? Audi *Porcellum Neapolitanum* [93].

B *Plaude legens Musas, Orator Maxime Poggi,*
Quo duce vel doctis omnibus ore legar.
Te duce Pierius, duce te mihi sermo solutus,
Et duce te pedibus, te duce liber aro.
Te duce vela dabit, duce te ratis ire per altum
Discat, & in tutos vela referre sinus.
Sume tubam, nostramque velis animare carinam;
Libera seu veniat, seu pede, sume tubam.

Ab illius quoque tanquam numinis sibi propitii invocatione Carolus Aretinus carmen de Nobilitate [94] sic auspicatur.

Quid sit nobilitas, scribere liberis
Tempus quid pedibus, tollere dum cupis
C *Errores hominum? Nunc ego carmine,*
Poggi magna tui gloria sæculi,
Ludam si potero, tum cytharæ modis
Aptabo levior, tu calamo gravi
Personisque libens hinc studiosius
Cures hæc eadem reddere posteris.

Sed ne justo longior sim, tantorum virorum agmen claudam epistola *Donati Acciajoli*, qui suam in literarum studia voluntatem *Poggio* se debere fatetur. Itaque sub finem inquit: *Ego igitur cum in hanc literarum cupiditatem opera tua me videam perductum, non dubitabo te exorare, ut deinceps etiam monitis præceptisque tuis quibuscum-*
D *que rebus poteris (poteris autem plurimis) juves studium meum.* Et paulo infra: *Ego te ducem ex omni copia doctorum hominum solum potissimumque delegi, quem mihi ad imitandum proponerem.* Et revera licet nostris temporibus excultior Latini sermonis usus videatur, non ideo debita laude illi fraudandi sunt, qui opera laboreque suo effecerunt ut excultiores essemus. Renascentis linguæ primordia eo sæculo debemus & *Poggio* præsertim, qui tum ipso ingenio suo, tum veterum auctorum imitatione se aliis quoque imitandum reddidit. Divus certe *Antoninus*, & *Baptista Sacchius* vulgo *Platina* tanti hunc hominem fece-
E runt, ut non sensa modo *Poggii*, sed verba ipsa descripserint, sibique usurpaverint, desperantes, ut opinor, de iisdem rebus scribi posse elegantius. Non huc afferenda sunt omnia, multo vero minus comparanda; sed si quis tamen consulet D. Antoninum *P. 3. tit. 22. cap. 6.* & Platinam *Hist. Mantuanæ l. 6.* facile cognoscet, alterum ex *Poggianæ* Historiæ libro quinto, alterum ex septimo & octavo plurima corrasisse. Neque vero *Poggius* ipse plagii postulandus, qui & ante *Platinam* scripsit, & eo scripsit Latini sermonis nitore, qui ab aspero & salebroso *D. Antonini* stilo facile dignoscitur. Sed de *Poggii* stilo audia-
F mus Alamanum Rinuccinum [95]. *Primus autem Colutius Salutatus paulum se erexit, & elegantius quoddam dicendi genus adumbravit, qui multum profecto laudis meruit, quod tam longis temporibus præ-*

90. Testamentum Nicolai Nicoli ann. 1436. die 22. Januarii.
91. Leop. del Migliore Flor. Illustr.
92. Barth. Facii ad Pogg. Epist.
93. MS. apud Clar. vir. Abb. Salvinos.
94. MS. Biblioth. Strozz.
95. Epist. MS. apud me.

præclusum aditum ad eloquentiam patefecerit, & posteris viam, qua gradiendum esset, ostenderit. Hunc secuti Poggius, & Leonardus Aretinus intermissam, & pene abolitam eloquentiam in lucem revocarunt, qui cum epistolis, tum orationibus, & dialogis scribendis Ciceronianum dicendi characterem sunt imitati.

CAPUT XIII.
De ejus Museo, & Academia.

EAndem, qua in veterum rimandis libris cupiditate solertiaque fuit, ad alia quoque vetustatis monumenta transtulit, variisque undique conquisitis, capitibus scilicet marmoreis, signis, numismatibus, museum construere meditabatur. *Habeo* [96] (inquit) *cubiculum refertum capitibus marmoreis, inter quæ unum est elegans, integrum, alia truncis naribus, sed quæ vel bonum artificem delectent. His, & nonnullis signis quæ procuro, ornare volo Academiam meam* [97] *Valdarninam, quo in loco quiescere animus est.* Non paucis cubiculo huic exornanndo antiquitatis vestigiis adjuvisset *Franciscus Barbarus*, ni pretiosissima quæque ad *Poggium* missa, intercepta fuissent, præcipuisque *Florentiæ* civibus vendita, aut donata, ut ipse conqueritur in epistola ad eundem *Barbarum.* Nec marmoreis tantum signis, aliisque antiquitatis vestigiis, sed plurimis Græcis Latinisque codicibus refertam Academiam ornavit. Ibi scriptores ab antiquitatis ruderibus, ac situ, opera sua erutos collocaverat, fatoque meliori restitutos legebat & osculabatur; ibi & Græcos codices, quos Dominicanæ S. Marci Bibliothecæ supremis tabulis legavit.

Quamplurimum rure delectabatur, cujus in laudem epistolam, seu potius Dissertationem conscripsit. Sæpius illuc, æstivo præsertim tempore, se conferebat, quo Pontifices ipsi, ut intolerandos *Romæ* calores, effugerent migrare solebant, magnamque curarum molem tantisper deponere. *Historiam* [98] ibi *Convivalem* composuit, ubi plures doctos viros colloquentes inducit, qui id temporis prope *Aretium* valetudinis gratia, quod *Florentiæ* pestis grassaretur, se contulerant. Id *Nicolao V.* Pontifice contigisse puto. Inquit enim Poggius [99] *Quo primum anno Nicolaus Quintus pestis caussa Fabrianum Piceni oppidum secessit, cum me ad Terramnovam natalem patriam contulissem, &c.* Patriam suam appellat *Terramnovam*, quantumvis jam *Florentina* civitate donatus. Atque equidem suæ in illam benevolentiæ perpetuum extare monumentum voluit, extructa dicataque *S. Mariæ* Annunciatæ ara in Communis *Terranovani* templo, eique plurimis bonis legatis, quæ multi deinceps meritissimi viri, nunc vero Cardinalis *Franciscus Martellus* Rectoris titulo possidet.

CAPUT XIV.
Poggii mors, & honores mortuo decreti.

F*Lorentiam*, morbi sublato metu, reversus ut studiis vacaret, nec ruris solatio privaretur (longe enim villa ejus aberat) suburbanum prædium emit. *Ego omni negotio vacuus dedo me literis, & rei rusticæ. Emi enim prædium urbi quatuor millibus passuum propinquum, in quo colendo multum operis laborisque impertior magna cum animi voluptate.* Ibi in hoc conscribendæ historiæ opus præsertim incubuisse credibile est. Studia enim hæc animi quietem, tranquillitatemque desiderant. Paucos feliciter transegit annos, queis nec urbi, nec studio, nec ruri defuit donec septuagesimum octavum ingressus annum naturali morbo nonnulla fortasse uxoris caussa, cui magis, quam senem deceat, deditus erat, *quæque illo non invito* [100], ut fatetur, *plurimum temporis sibi vindicabat*, *Florentiæ* occubuit anno MCDLIX. tertio kal. Novembris vir sane immortalitate dignus, quam sibi virtute, & conditorum operum fama comparavit. Et profecto sæculo præstantissimis ingeniis claro, & ad priscam literarum felicitatem proxime accedente *Poggius* vixit, nec ulli in tanta illustrium virorum copia, aut ingenio, aut scribendi elegantia fuit secundus. Tumulatus est *Poggius* pone Chorum Ecclesiæ Sanctæ Cruci dicatæ, ut constat ex *Florentino* Priorista [1] nec non ex memoriis historicis *Florentinæ* urbis a *Nicolao Rodulpho* contextis, licet *Dominicus* [2] *Buoninsegnius Poggii* mortem in vigesimum Octobris diem referat; sed hunc errorem Typographis potius, quam Auctori tribuendum censuerim, cum nota barbara 30. facile Operarum negligentia in aliam hanc 20. mutari queat. Ceterum vel ex hoc intelligi potest, die XXX. Octobris illum obiisse, quod secundo Novembris sepultus est, quo die in libro [3] Reformationum Dominorum Novembris & Decembris hæc habentur. *Concesserunt licentiam filiis, & hæredibus venerandæ memoriæ Poggii Judicis, & Doctoris præmortui honorandi exequias ejusdem, & faciendi funeris impensas de Torchiis, Drappis super Bara, & aliis de quibus, & prout dictis suis filiis, & hæredibus videbitur licite, & impune, solvendo Cameræ Armorum Communis Florentiæ florenum unum, & solidos decem cum dimidio pro taxa.* Defuncto sepultoque *Poggio*, ejus filiis concessum est, ut patris effigiem in publico spectabilique loco ponerent [4]. *Deliberaverunt, quod filii, & hæredes Domini Poggii olim Cancellarii Florentini, & Dominationis prædictæ præmortui possint, eisque liceat pingi facere in Saletta Palatii Dominorum in loco ibi vacuo memoriam, idest figuram, & imaginem dicti olim Domini Poggii olim Cancellarii præfati recordationem, & exaltationem suorum bene gestorum.* [5] His vero adeo curæ paterna memoria fuit, ut singulari [6] *Antonii del Pollaivolo* penicillo *Poggium* immortalem reddere studuerint, apparetque adhuc illius imago eo in loco, ubi id temporis ad jus reddendum de Judicibus, Doctoribus, & Notariis sedendi Proconsuli mos erat unde il Proconsolo a *Florentinis* locus ille nominatus. Qamplurimas Clarissimorum virorum effigies non vulgari artificio pictas eo in loco fuisse testatur *Georgius Vasarius*, quæ nostris quoque temporibus superessent, nisi ad temporis injurias incuria quoque hominum accessisset. Sed *Poggii* gloriæ statua quoque consultum est, eaque & præterea multis Metropolitanæ Ecclesiæ Sanctæ *Mariæ* a *Flore* externa facies, in *Marcellorum* vias spectat, ornata est. Illic diu permansit, donec *Francisco* Magno *Etruriæ* Duci veterem Ecclesiæ faciem in meliorem formam redigere in animo fuit anno MDLX. sed cum res ne-

96. Epist. Roma scripta.
97. Vulgo *Valdarno*, ex quo villam suam Valdarninam Academiam Tulliano more appellat.
98 Edit. Basil.
99. Hist. 1. Historiæ Tripartitæ.
100. Epist. ad Leon Aret.
1. Priorista a Florentia condita usque ad annum 1600.
2. Dominic. Buoninsegn. Hist. Flor. p. 126. edit. Flor.
3. Cod. MS. 1211. a 219. Archiv. Flor.
4. Arch. civ. Flor. Lib. Reformationum.
5. Ibid.
6. Franciscus Bocchius, & Cinellus de Pulchrit. Flor. p. 388. edit. Flor. 1677.

nescio quonam fato ex voto non cessisset, veteri spoliata est decore, nec novo aucta [7]. Marmoreis vero figuris varia sors contigit. Quatuor Evangelistarum signa *Donati* opus, in ea, quæ propius distant ab ara Maxima, sacella translata sunt. Quæ *Davidis*, & *Ezechiæ* Prophetarum fuerant, facta sunt duorum Apostolorum simulacra inter eas, quæ ad latera sunt, januas collocata. Simili, sed magis mira mutatione factum est, ut item in duorum Apostolorum signa converterentur, quæ erant statuæ *Poggii*, *Jannoctiique Manetti*. Hæc ad januas, quibus prope Maximam utrinque est in Templum aditus, posita; quodque olim *Poggii* simulacrum fuit, nunc etiam in Septemtrionali parte conspicitur. His honoribus caritate civium, filiorumque pietate cumulatus est.

CAPUT XV.
De Poggii Filiis.

QUinque *Poggius* suscepit liberos, mares omnes, ætate in senium vergente, *Joannem Baptistam*, *Joannem Franciscum*, *Philippum*, *Petrum Paulum*, & *Jacobum* eruditos omnes sane viros, qui paternam gloriam auxere gloria sua, & patris nomen in totam posteritatem propagantes familiæ cognomen esse voluerunt. Duos tantum filios habuisse literis ornatos memorat *Gaddius*, [8] *Jacobum* scilicet, & *Joannem Baptistam*, sed quanta injuria hos tantum enumeret, infra palam fiet.

Unus *Jacobus* sacris initiatus non fuit, hac una in re fratrum exempla non sequutus, quibus licet ætate, nihil tamen cessit aut ingenio, aut rerum scriptarum gloria. Paternam historiam in *Etruscam* linguam convertit, dicavitque *Federico Feltrio Urbini* Comiti. Item *Vitam Cyri Persarum* Regis, quam pater ex Græca Latinam fecerat, ipse deinde *Italicam* factam *Ferdinando Neapolitano* Regi nuncupavit. [9] *Non enim*, ait ipse, *melius evenire poterat, quod cum Alphonsi patris tui jussu pater meus Latinam ex græco hanc fecerit, ego de latino in Etruscum sermonem commutatam, ut patris mei hæres eam tibi, ut Alphonsi digno successori dicarem.*

Quatuor quoque *Romanorum* Imperatorum vitas *Italicæ* linguæ donavit. [10] *Antonini Pii* XVI. *Marci Antonini* Philosophi XVII. ex *Julio Capitolino*, *Alexandri Severi* XXIV. ex *Ælio Lampridio*, & *Ælii Adriani* ex *Ælio Spartiano*. Neque tantum aliorum laboribus vertendis operam navavit, sed sua quoque edidit; ut [11] commentariolum in Triumphum Famæ *Francisci Petrarchæ*, *Laurentio Mediceo* dicatum, [12] Opusculum de *Origine belli inter Gallos*, & *Anglos*; & *Philippi Scolarii* vulgo *Piponis Spani vitam* Latine scriptam. Hanc quodam amoris gloriæque stimulo edidit, cum ejus mater ex *Bondelmontibus* fuerit, eademque *Scolariorum* sit familia juxta illud [13]

Prisca Bonimontis Soboles, Scolarius idem
Sanguis, & ex uno descendit uterque parente.

Jacobi etiam Cardinalis *Riarii* fuit ab Epistolis, quoad *Pactiani* (non *Bactriani*, ut male scribit *Freherus* [14]) conscius sceleris ex Prætorii fenestra cum ceteris pependit anno MCDLXXVIII. De hoc *Politianus* [15] ait, ejus præcipuam in maledicendo virtutem fuisse, in qua vel patrem maledicentissimum hominem referebat. Alia quoque de ejus moribus, vitaque iniquiora addit, jure vero, an injuria aliis liceat judicium ferre. Huic [16] *Gaddius Joannem Baptistam* addit, qui juris utriusque doctor, & Canonicus *Florentinus* fuit anno MCDXLIX. deinde Canonicus *Aretinus*, & *Laterinensis* Plebanus, Pontificis *Acolytus*, & assistens Cameræ Clericus. *Nicolai Piccinini* inclyti ejus tempestatis ducis vitam, nec non [17] *Dominici Capranicæ* Cardinalis Firmiani Latine laboravit, in qua se *Poggii* filium sæpius vocat. Occubuit anno MCDLXX.

His duobus addam ego *Joannem Franciscum*, qui *Florentinus* itidem Canonicus, & *Laterinensis* Plebanus *Romam* se contulit, ibique Pontificis Cubicularius, & Apostolicarum literarum abbreviator, Canonici Juris peritissimus fuit, ut ex tractatu *de Potestate Papæ*, & *Concilii* ab illo edito colligi potest. Summo in honore apud *Leonem X.* fuit, & illius etiam a Secretis, qua in dignitate mortuus est *Romæ* anno MDXXII. die XXV. mensis Julii, post patris obitum anno sexagesimo tertio, tumulatusque fuit in Ecclesia Sancti *Gregorii* in Cœlio, ubi ejusdem inscriptio legitur a [18] *Scradero* relata. Decipitur hic *Jovius* qui eundem etiam in errorem inducit [19] *Freherum*, aliosque nostrarum rerum non adeo peritos, ut [20] *Sweertium*, & [21] *Aicherum*, *Joannem Franciscum* parentis sui *Poggii* loco sumentes, cum alioquin ex ipsa inscriptione clarissime pateat error, ubi incisum est anno MDXXII. occubuisse, cum *Poggius* pater ante annos tres, & sexaginta decessisset, nempe anno MCDLXIX. ut supra dictum est. Errori caussam præbuit *Poggii* nomen quod cognominis loco cum ceteris ejus Filiis usurpavit *Joannes Franciscus*, cujus inscriptionem inter illas habemus, quæ a *Carolo Strozzio* sub initium sæculi proxime elapsi collectæ servantur in luculentissima *Strozziana* Bibliotheca.

JOANNI FRANCISCO POGGIO
FLORENTINO
ANIMI VIRTUTE, AC CONSTANTIA,
MORUM GRAVITATE,
VITA INTEGERRIME ACTA,
PATERNA, SUAQUE LAUDE
ELOQUENTIÆ, AC LITERARUM,
JURIS QUOQUE CIVILIS, AC PONTIFICII
DIVINÆQUE SCRIPTURÆ CUMULATA DOCTRINA,
RELIGIOSE VIVENTI
RELIGIOSIUS SUPREMA DIE FUNCTO
VINCENTIUS LUCÆ MARTINUS
FRATRIS EJUS GENER,
PARENTIS APUD SE LOCUM SEMPER ADSEQUUTO,
OPTIME MERENTI POSUIT.
VIX. ANN. LXXIX.
OBIIT ANN. DOM. MDXXII.
DIE XXV. MENSIS JUNII.

Laudatur hac inscriptione *Joannes Franciscus Paterna suaque laude Eloquentiæ*, quod sane de *Poggio* dici non posset sine mendacio, qui sua tantum-

7. Ex sepultuario Florentino a Stephano Francisci Roselli exarato usque ad ann. 1657. p. 251. ubi de exteriori facie S. Mariæ a Flore apud Franciscum Rosellium ejusdem filium; ex hoc Leopoldus Melioris in sua Florentia illustrata omnia decerpit, licet aliqua, nescio qua de caussa reticeat.
8. Gaddius de Script. Lugd. p. 215.
9. Biblioth. Strozz. Cod. 331. F.
10 MS. in Biblioth. Gadd.
11. Jacob. Gadd. de Script. To. 2.
12. MS. Strozz. Cod. 67. 4.
13. Ugol. Verinus de Illustr. Flor.
14. Paulus Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum Norimberg. p. 1424.
15. Angelus Polit. in parva Hist. de Pactiana Conjurat. ejus Operibus addita. Basil. 1553.
16. Gadd. de Script. To. 2. Lugd, p. 215.
17. Steph. Baluzii Miscell. To. 3. Paris. p. 263.
18. Monum. Ital. lib. 2. p. 130.
19. Freher. Theat. Vir. Illust.
20. Sweertius in Delitiis Europæ,
21. Aicher. Theat. Epitaph.

22. Chron.

BRA

Cives

S.Ioan

et de Q

Vexillo



CATHARINA
Nupsit An.1410
Chello Dini de Troiana
a quo
D.D.Comites del Maestro.

r. Scriptor. et Abbreviator

montibus.

B
n

LUCRETIA
Nupsit an.1456.
Francisco Nicolai
Cocchi Donati.

IACOBUS
n.an.1441.
Historicus
ob.an.1478.

IO. FRANCISCUS
n.an.1447.
I.C.Canonicus flor. an.1471.
Plebanus Castri Laterinæ
Cubicularius D.Papæ.
Literarum Apostolicar.
Abbreviator.
Ob.An.1522.

MAGDALENA
Nupsit an.1506
Vincentio Lucæ Ser Ioannis
Martini.

ni.

BRACCIOLINI de Terranova.
Cives Florentini: de Quarterio S. Ioannis sub Vexillo Clavium et de Quarterio S. Crucis sub Vexillo Carri.



PODIUS
Vulgo Poggius.

GUCCIUS

N.
Masculus cuius nomen ignoratur.

POGGIUS n. an. 1380
Notarius, Doctor, et Advocatus.
Quatuor Romanorum Pontificum, a Bonif. IX. ad Alexand. V. Literarum Apostolicar. Scriptor. et Abbreviator
Sex itidem Pontificum ab Ioan. XXIII. ad Pium II Secretarius.
Reip. Florent. Cancellarius an. 1453. Unus ex Prioribus Libertatis an. 1455.
Historicus Celeberrimus Uxorem duxit an. 1453 Vaggiam Ghini Manentis de Bondelmontibus.
Obiit an. 1459.

CATHARINA
Nupsit An. 1410 Chello Dini de Troiana a quo D.D. Comites del Maestro.

Bartholomæa n. an. 1425.
Lucretius n. an. 1428.
Guccius n. an. 1429.
Omnes Naturales.

F. PETRUS PAULUS
n. an. 1438
Ord. Prædicatorum an. 1457.
Ob. an. 1464. Prior S. Mariæ Supra Minervam Romæ.

IO. BAPTISTA
n. an. 1439.
Decret. Doctor Historicus
Canonicus Flor. an. 1449
Canonicus Aretinus
Prior Castri Montis Varchii
Plebanus Castri Laterinæ
Acolitus D. Papæ.
Cameræ Apostol. Clericus
obiit An. 1470.

PHILIPPUS
n. an. 1450.
Canonicus Florentinus an. 1470
Uxorem deinde duxit Alexandram Felicis Dei del Beccuto.

LUCRETIA
Nupsit an. 1456. Francisco Nicolai Cocchi Donati.

IACOBUS
n. an. 1441.
Historicus
ob. an. 1478.

IO. FRANCISCUS
n. an. 1447.
I.C. Canonicus flor. an. 1471.
Plebanus Castri Laterinæ
Cubicularius D. Papæ.
Literarum Apostolicar. Abbreviator.
Ob. An. 1522.

VAGGIA
Nupsit an. 1495 Ioanni Lucæ Ser Ioannis Martini.

MARIA
Nupsit an. 1504 Ioanni Fran. Borgianni.

MAGDALENA
Nupsit an. 1506 Vincentio Lucæ Ser Ioannis Martini.







DEO OPT. MAX.
JOANNI FRANCISCO POGGIO
FLORENTINO
ANIMI VIRTUTE, AC CONSTANTIA,
MORUM GRAVITATE,
VITA INTEGERRIME ACTA,
PATERNA, SUAQUE LAUDE
ELOQUENTIÆ, AC LITERARUM,
JURIS QUOQUE CIVILIS, AC PONTIFICII
DIVINÆQUE SCRIPTURÆ CUMULATA DOCTRINA,
RELIGIOSE VIVENTI
RELIGIOSIUS SUPREMA DIE FUNCTO
VINCENTIUS LUCÆ MARTINUS
FRATRIS EJUS GENER,
PARENTIS APUD SE LOCUM SEMPER ADSEQUUTO,
OPTIME MERENTI POSUIT.
VIX. ANN. LXXIX.
OBIIT ANN. DOM. MDXXII.
DIE XXV. MENSIS JUNII.





EPITAPHIUM
JOANN. FRANCISC. POGGII.
Romæ in Templo S. Gregorii.

tummodo claruit eloquentiæ laude, nulla vero Patris, quem nullo alio præterquam Notarii munere functum constat, neque ullam literis operam dedisse. Intelligenda igitur Epitaphii verba de Joanne Francisco, qui *paterna*, hoc est Parentis sui *Poggii*, *suaque laude eloquentiæ* floruit. Hinc corruit illorum sententia, qui temere *Poggio* inscriptionem hanc positam arbitrantur. Hunc errorem illa quoque verba arguunt: *Vincentius Lucæ Martinus Fratris ejus Gener* &c. Notum enim est, Fratrem *Poggii* nunquam uxorem duxisse, ut docet appositum gentis *Poggianæ* stemma, quod ad nos liberaliter transmisit Clariss. vir Abbas *Salvinus Salvinius*. Hic igitur *Vincentius Lucæ Martinus* Fratris Gener appellatur, hoc est *Philippi* gener, qui *Poggii* filius fuit, *Jo. Francisci* frater, & pater *Helenæ*, quæ *Vincentio* nupsit. *Florentinum* Canonicatum ad annum obtinuit *Philippus*, sed in eam dignitatem sequenti anno *Joanne Francisco* fratre suffecto, nupsit *Alexandræ Dei del Beccuto* ex nobilissima tum illius, tum hujus ætatis gente. Ex hac tres filias suscepit. Harum duæ duobus fratribus, nempe *Vaggia Joanni*, *Helena Vincentio Lucæ*, *Martinis* desponsatæ. Ex altera hac *Lucas* ille *Martinus* natus est, qui ex primis Academicis *Florentinis* fuit, & *Benedicto Varchio* adeo familiaris, ut ei lectionem suam de Pictura, & Sculptura dicaverit. *Maria Joanni Francisco Borgiano* tradita. His in Fœminis gens *Poggii* extincta est. Cum enim reliqui *Poggii* filii, *Jacobo* excepto, sacris se addixissent, posteritati consulere non potuerunt. Neque omittendus hic videtur *Petrus Paulus* ipse quoque *Poggii* filius, qui Dominicanæ Familiæ adscriptus S. *Mariæ* ad *Minervam* Prior factus est, quam dignitatem non nisi probatissimi ejus Religionis viri assequi solent. Huic laudando ea tantum referam, quæ ex [22] Chronico MS. PP. Dominicanorum excerpta ad nos humanissime misit nunquam satis laudatus D. Abbas *Salvinus Salvinius*. Adnotata ibi Professionis die, nec non ejus *Romam* itinere, & Prioratu ad *Minervam*, ait. *Tandem die VI. Septembris MCDLXIV. defunctus est, qui animam suam posuit pro fratribus suis, nam cum Fratres peste percussos nimia charitate succensus viseret, gubernaret, & solaretur, ipse morbo eodem sauciatus interiit. Magnum utique sibi lucrum dum vadit ad Christum, Ordini vero, & Fratribus dum ejus privantur solatio, ope, atque consilio, magnum comparans detrimentum. Hic filius extitit illius eruditissimi viri, qui & Scriba Dominationis fuit, & D. PP. Secretarius, quique Doctrinæ, & ingenii sui monumenta plura reliquit.*

Poggius igitur quinque filiorum numero, & splendore auctus neminem tamen ex tanta, & tam præclara stirpe Nepotem habuit, qui gentem hanc, gentisque gloriam propagaret, quod iis rebus contingere plerumque solet, quæ nimia celeritate creverunt. Ego interim, etsi *Poggii* fama nulla externæ laudationis ope indigeat, nihilominus eruditissimo viro officium hoc persolvendum duxi, non ut illum ornarem, sed ut Historiam hanc lecturis, facem veluti quandam præferrem. In quo quidem de mea cura, atque opera nihil dico, quæ nec tanta est, ut multis verbis sit explicanda, & si qua est, malim ut aliis, quam mihi, probata videatur.

22. Chron. MS. PP. Dominic. S. Marci ad Necrologium.

JACOBI POGGII

Florentini,

IN LIBROS HISTORIARUM POPULI FLORENTINI AD FEDERICUM COMITEM URBINATEM

PRÆFATIO.



Lexandrum Macedonem Philippi *filium ferunt, invictissime Princeps, cum in* Sigeum *ad* Achillis *tumulum venisset, ingemuisse, quod illa qua is esset ætate, multa præclara facinora peregisset: quodque egregium virtutum, ac laudum suarum præconium nactus esset; quibus rebus ita suam ignaviam incusare visus est, ut nullo unquam tempore postmodum quieverit, donec non modo illius, sed omnium* Græcorum *gloriam superaret. C. quoque Cæsarem multis post seculis imagine* Alexandri *perspecta ad majora quædam incensum affirmant. Quod si* Achillis *monumentum, & inanis imago tantum roboris, ac virium habuere, ut illos ad maximam gloriam perducerent: quid existimare debemus, eorum quos viderunt, præclaros excellentesque viros facta in animis eorum valuisse? Certe id arbitror, sicuti facta dictis anteponenda sunt, & quæ cernuntur magis movent, quam quæ audimus, aut aliorum scriptis percipimus; sic quæ fieri a præstantibus ingenio viris videmus, multo magis nos acuunt, & ad omnem laudem ut expergiscamur, quibusdam quasi stimulis admonent. Verum cum ita comparatum natura sit, ut suæ tantum tempestatis homines cernere, & intueri oculis liceat, summorum virorum ingenio inventum, & perfectum est, ut literis mandando res gestas, quæ diversis in locis longa rerum serie evenerint, perspici possit. Hinc quantum utilitatis generi humano historia fidissima rerum custos afferat, quantumque omnes, qui haud in obscuro egere, illi debeant, cum ea sola præsentes nobis illos semper faciat, intelligi potest, cujus e cognitione clarissimorum facinorum memoria ad immortalitatis studium excitemur, atque ex aliorum operibus, & uniuscujusque vita, consilia, mores, fortunæ varietates, & incertos bellorum eventus cognoscamus. Quid enim per immortalem Deum* Nino, Semiramidi, Cyro, *ut ab antiquissimis incipiam, tot bella, tot labores, tot exercitus, tot subacti Reges, & Provinciæ profuissent, nisi a scriptoribus eorum gesta essent literis decantata? Quid* Soloni, & Lycurgo *leges?* Miltiadi, Themistocli, Aristidi, Lysandro, Agesilao, Epaminondæ *pro patria innumerabiles angustiæ, nisi extarent, qui scriptis ea omnia illustrassent? Quid* Hamilcar, Hannibal, Camilli, Fabii, Scipiones, Catones, Bruti, *ut ceteros prætercam, tot pericula subiissent, si iisdem ea limitibus, quibus vitam suam, terminatum iri existimassent? Nunquam profecto se tantis vitæ laboribus implicassent, si una cum corpore omnia simul interitura credidissent. Verum cum re ipsa cognoscerent scriptorum virtute & industria omnes, qui multo antea vixerant,* vi-

vigere, & in omnium ore versari, bonos extolli, ac laudari, malos, & de hominum genere pessime meritos deprimi, & exagitari; id egerunt, ut patriam, & se ipsos ab interitu vindicarent. Neque contenti ceteris scribendi materiam præstare, summopere contenderunt, ut doctrina, & dicendi copia excellerent, commentariosque rerum suarum posteris traderent, ne scriptoribus deficientibus non esset unde eorum præclarissima facta intelligerentur. Unde Xenophontem, Herodotum, Thucydidem, Timotheum, Hannibalem, *egregios duces, historias scripsisse apparet;* Q. Fabium Pictorem *militari disciplina posthabita ad scribendum se contulisse;* M. Portium Catonem, L. Syllam, L. Lucullum, Julium Cæsarem, Asinium Pollionem *de victis superatisque hostibus historias edidisse; Divum præterea* Augustum, Hadrianum, Gordianum *seniorem rerum potitos,* Romani *populi gesta eleganti stylo composuisse. Videbant enim summi illi viri id unum esse perfugium vivendi, & proferendæ vitæ modum, si memoriam sui æternam efficerent, animumque immortalem immortali gloria donarent. Quod studium si principibus, & qui a* Theodosio *regnarunt, fuisset, & plurimi bello viri iis pares, quos antiquitas celebrat, viverent, & nos illorum rebus cognitis meliores evaderemus. Tulere enim hæc tempora & rei bellicæ scientia, & literis quamplures summos viros, qui si disertissimorum hominum ingenia sortiti essent, unde omnium virtutum exempla sumerentur, non deessent. Nam ut reliquos omittam, nonne* Albertus Magnus, Thomas, Ægidius, Scotus, Pythagoræ, Zenoni, Chrysippo, & Aristoteli *in philosophia pares esse possunt?* Gufridus Bolionus *maxima* Asiæ *parte debellata, ac primus* Palestinæ, & Judeæ *Rex dictus,* Tamberlanus *potentissimus* Asiæ *Rex,* Federicus Barbarossa, *plurésque alii & rerum gestarum gloria, & exercitus copia, & regionum varietate quas occuparunt,* Nino, Cyro & Xerxi *sunt comparandi? Quis* Braccium Sfortiam, Franciscum *ejus filium* Mediolani *Principem,* Carminiolam, Nicolaum Piccininum, Philippum Hispanum, Johannem Vaivodam, *si* Athenis, *aut* Spartæ *nati essent, non* Leonidæ, Pausaniæ, Pelopidæ, *& summis quibusque imperatoribus coæquasset? Certe in tam corruptis moribus, in tanta rerum omnium perversitate conducto milite, & mercenariis equitibus, cum pro aliorum augendo imperio decertaverint, quid existimamus fuisse facturos, si pro civibus, pro gloria, pro libertate patriæ, pro liberis, divinis denique humanisque rebus omnibus dimicassent? Absit invidia, & livor, hæc nostra quæ præcessit ætas eloquentiam cum re militari ita conjunxit, ut vere affirmare ausim priscæ illi minime fuisse cessuram, si idem exercitationis genus, & eadem præmia artibus fuissent. Quis enim* Dantem, Petrarcham, Boccacium, Leonardum, Poggium, Ambrosium *indignos judicet qui* Ciceronis *seculo conferantur, si in* Romana *Republica nasci contigisset? Vigebat forum, judicia, Senatus, erat usus dicendi varius, quo ingenium natura optimum expolire potuissent; his omnibus sublatis, quod tantum profecerint mirandum maxime est, solaque bonitate naturæ, & ingenii ubertate id assecutos esse, quod præmiis maximis, gloria, & frequenti exercitatione illi consequebantur. Non minori profecto existimatione apud nos essent, quam illi ipsi quos tantopere admiramur, si digna præmia suis virtutibus adepti forent; nam cum virtus tantum laudetur, & deserta jaceat, deterrentur homines, laboremque extremum sine aliquo emolumento fugiunt, qui si Mæcenates nonnullos, ut poeta inquit, cernerent, tanquam e somno excitati emergerent, & ad summam dicendo laudem pervenirent. Conjecturam facere licet his proximis annis in* Alphonso *Rege, divinoque Principe* Nicolao Quinto *Pontifice Maximo doctorum omnium parente, qui cum unicum receptaculum illustrium virorum esset, illosque in honore, ac pretio haberet, id sua liberalitate, & industria effecit, ut omnes ad scribendi studium propositis præmiis se conferrent, longoque postliminio* Græca *lingua in* Italiam *reducta, multa nobis legenda traderentur. Cum quo sanctissimo, ac sapientissimo homine* Latinas *simul &* Græcas *litteras periisse merito dicere non dubitarem; nisi tu post supremum illius diem bonis omnibus deflendum unus extitisses, qui præstanti ingenio viros tuis opibus sustentares, dispersosque, ac tanti viri morte pene attonitos tuis verbis, & cohortationibus bene sperare, ac bono esse animo juberes. Itaque, Illustrissime Princeps* Federice, *cum solus hac nostra ætate sis, qui non modo ingeniis faveas, verum etiam ad rei militaris scientiam, eloquentiam & dicendi copiam addideris, in philosophia tantum profeceris quantum otioso homini vix conceditur, assidueque domi, ac militiæ aliquid scribas, aut legas, historias vero præteritorum temporum ita teneas, ut nihil tibi incognitum esse constet: nequid omnino novum animo tuo sit, optimi parentis vigilias, quibus proximæ ætatis per* Italiam *res gestæ continentur, ad te mittere decrevi. Cui enim illas potius dedicarem, quam ei, qui & familiaritate secum junctus fuit, & doctus ipse doctos colit, & observat?* Poggius *enim ingravescente ætate tanquam emeritis stipendiis, cum* Roma, *ubi magna cum laude vixerat, venia a Pontifice impetrata in patriam revertisset, ut memoriæ tantæ urbis consuleret, inter privata, publicaque negotia, commentaria rerum* Florentinarum *a primo bello cum* Johanne Mediolanensi *Archiepiscopo, usque ad pacem cum* Alphonso *per* Nicolaum *Pontificem factam morte præventus reliquit.*

Mihi vero ut primum per ætatem licuit, ne nostræ Reipublicæ, plurimorumque clarorum virorum memoria deperiret, nihil fuit potius, quam omnia in octo digesta libros summa cum diligentia in unum corpus redigere, ac legenda posteris tradere; quod opus undique absolutum, ac perfectum cum in manibus versaretur, multaque inessent incognita, ac memoratu digna, scripta præsertim ab homine suæ ætatis eloquentissimo, volveremque animo, ac cogitarem ad quem potissimum hos labores destinarem, tu unus occurristi, qui & rerum gestarum magnitudine, & gloria par illis sis, quibuscum toties a nostris est de imperio certatum. Cumque hoc anno tua virtute Volaterrani, *antiquissima* Etruriæ *civitas, montis asperitate, & loci natura freti imperio nostro rebelles sub jugum venerint, tuque industria tua naturam, & difficultates omnes superaris tanta celeritate, ut triumpho, qui tibi ob res bello bene gestas paratus a Senatu nostro est, verissime id adscribi potuerit, ut primum veneris, videris te vicisse, patriamque nostram periculosissimo tempore devictis hostibus quietam reddideris, eaque per te suam dignitatem contra omnium opinionem recuperarit, urbsque inimica, quæ biennio a* Syllano *exercitu post civilem victoriam obsessa, pactione in* Romanorum *potestatem devenerit, paucos infra dies colla submittere in urgente coacta sit, Senatus populusque omnium consensu, & una voce in Rempublicam acceperit, ac civitate donarit, laureaque, & ceteris militaribus insignibus decorarit, nemo vero tam ingratus in patriam Civis fuerit qui non tibi se plurimum debere existimaret: ego quoque pro viribus meis aliquo virtutem tuam munere honestare cupiens, ut testimonium meæ in te, & in patriam observantiæ extaret, hanc Historiam tuo nomini dicare institui, quam urbi nostræ, & Auctori laudem non vulgarem apud posteros allaturam esse pro certo existimo. Eam cum leges, majores tuos, te ipsum denique intueri licebit, cujus auspiciis plurima summa cum laude gesta esse comperies.*



POG-

POGGII BRACCIOLINI, *Florentini*, HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI PRIMI EPITOME.

Florentiæ *Urbis*, *Vicecomitum Gentis*, Guelfæ *factionis*, *&* Ghibellinæ *Origo*. *Vicecomites* Mediolanum *habent*. Mediolanensis *Archiepiscopus* Florentinis *bellum indicit*; *& post varios eventus pax jungitur*. *Archiepiscopus moritur*. Florentini *cum* Pisanis *bellum gerunt*: *multisque præliis superiores sunt*. *Pax fit*. Caroli *Imperatoris in* Italiam *adventus*. Florentini S. Miniatum *obsidione premunt*; *in suam redigunt potestatem*. *Cum Pontifice fœdere inito Vicecomitibus bellum movent*: *iterum post varios belli eventus pax conficitur*.

LIBER PRIMUS.



A scripturus bella, quæ *Florentinus* Populus cum Vicecomitum [1] familia, quæve cum cæteris ad hæc usque tempora paulo centum amplius annos vario marte gessit, operæ pretium fore putavi, initia, variumque urbis nostræ statum usque ad primum cum Archiepiscopo bellum recensere paucis, tum adjicere ejus familiæ primordia, quæ pollens potensque viris, & imperio præ cæteris *Italiæ* principibus fuit. *Florentiam* urbem satis constat initium traxisse a *Romanis* [2] ex ea civium colonia, quam [3] *Lucius Sylla* post civilem victoriam *Fesulas* divisis viritim agris misit. (Ant. Christ. nativ. Anno 40.) Hi montium asperitatem fugientes in plano consedere juxta fluentem *Arnum*, a quo, & *Fluentiam* primum [4], ut *Plinio* placet, positam dixere. Id mihi similius videtur vero, quam quod *Leonardus* [5] *Aretinus* scriptum suis in historiis reliquit, existimans, quoniam inter duo fluenta *Arnum*, & *Munionem* locata esset, *Fluentiam* appellatam. Sed magis *Plinio*, qui hujus urbis origini proximus ætate fuit, & *Munionem* non fluentem, sed torrentem vado sæpius æstate arido appellari docet, credendum videtur. Posteri deinde *Florentiam* paucis, ut fit quandoque, mutatis literis appellarunt. Prioris urbis [6] perpauca supersunt vestigia, ut thermarum rudera quædam novis ædificiis inserta, a quibus & hodie propinquus vicus [7] *Thermæ* vocitatur. [8] Aquæductus quoque lapideus, cujus extra urbem nonnulli arcus apparent, ac templum [9] superstat nobile, quod *Marti* gentilitas dicavit, nunc *Johanni Baptistæ* sacratum; nomen & Capitolii, [10] & propinqui fori instar urbis *Romæ* ad hanc diem perseverat. Ea civibus, opibusque plurimum aucta *Romano* Imperio usque ad *Totilam* [11] *Gothorum* Regem paruit, a quo sexcentesimo [12] fere post eam conditam anno, [13] captam, & eversam tradunt: trecentos deinde circiter annos deserta culto- (*Post Christ. nat. ann.* 552.) (*ann.* 100.)

1. *Vicecomitum* familiam a Vicecomitum dignitate denominatam putat *Bernardinus Corius* Hist. Med. Part. 1. Vicecomites autem dicti, qui Comitis vicem gerebant. Hos eligendi Imperatores, & Arhiepiscopi jus habebant. Sed & Mediolanensis populus Vicecomitem suum elegit anno MCXCVIII. Plura, sed incerta de Vicecomitum origine refert Georg. Merula. *Antiq. Vicec. lib. V.*

2. *Initium traxisse a Romanis.* Romanos Florentiam condidisse quis neget? nec audiendus Joannes Villanus, qui *lib. I. cap.* 38. à Florino conditam dicit, & nominatam. V. notam seq.

3. *Colonia quam L. Sylla.* Leonardum Aretinum sequitur Poggius, & ambo Ciceronem, qui de Catilinæ conjuratione sic habet. *Catilinæ studium eis in coloniis sibi conciliandis positum, quæ a L. Sylla prope Fesulas institutæ fuerant.* Nulla hic Florentiæ mentio. Neque verisimile Coloniam Florentiam a Sylla deductam, cum eandem sub hasta venditam ab ipso Sylla referat Florus *lib. III. cap.* 21. Sed nec à Sylla deductam, nec ab eo venditam satis probat Vincentius Borghinus *de Origine Florentiæ.* Triumviros coloniam Florentiam deduxisse volunt Angel. Polit. *lib. I. Ep. ad Petrum Med.* & Vincentius Borghin. hocque a Julio Frontino *lib. de agrorum mensuris accepere*, ubi ait, *Florentia Colonia a Triumviris deducta, adsignata lege Julia Centuriis.* Hi vero fuere C. Cæsar, M. Antonius, & M. Lepidus. In hanc sententiam ego quoque feror, propterea quia hic duntaxat expressum Florentiæ nomen habetur. Vid. Borg. *de Orig. Flor.* ubi sepulchrali lapide hoc comprobat. Deducta autem colonia est post victoriam Philippicam ann. Romæ DCCXII. ante Christum natum XL.

4. *Fluentiam primum.* Fluentiam aperte vult Plinius antiquitus denominatam fuisse; lego enim in MS. Codice optimæ notæ apud me *lib. III. Cap.* 5. quod est in editis *Caput* 8 hæc verba. FLUENTINI, NUNC FLORENTINI DICTI, PROFLUENTI ARNO APPOSITI. utcunque legerit & senserit P. Harduinus. Accedit Decretum Desiderii Longobardorum Regis apud Grut. in quo antiquum Fluentinorum nomen positum videmus illis verbis, *Palantes FLUENTINOS collegimus*, quod ad Florentinos P. *Harduinus* ipse refert.

5. *Leonardus Aretinus. lib. I. Historiæ Florentinæ.*

6. *Prioris urbis.* Ædificiorum scilicet antiquorum, cum Urbis facies hoc tempore alia sit, & ab antiqua illa valde diversa.

7. *Thermæ.* Ab antiquis Thermis, seu balneis, licet Thermarum nomine quandoque Ædificiorum ingentes moles sumantur.

8. *Aquæductus.* Hunc Macrinus Romanus Senator construendum curavit, ut aquam ex loco septem pass. millia distante in urbem deduceret. Caput aquæ quod corrupto nomine Cappacia nuncupatur, in Therma Vico. Id Joannis quoque Villani tempore extabat, & aquarum collectioni usui fuisse probabile est.

9. *Templum*, Tempore Octaviani Augusti extructum in Camartis loco, Martique sacrum. Ut Ugol. Ver. *de Illustr. Flor. lib. II.*

Nec procul a primis erexit mœnibus ædem
Mavorti, quæ post cessit sacrata Joanni.

Joanni vero sacratum Constantino imperante in Pontificatu Sylvestri.

10. *Capitolii.* Romæ parvulæ nomen inditum Florentiæ, quod similitudine quadam Romæ fuerit ædificata. Vid. Joann. Vill. *lib. I. cap.* 38.

11. *Totilam.* Inepte quidem tum Malespinus *Hist. Flor. cap. XXII.* tum Joann. Vill. *lib. III. Cap.* 1. aliique Totilam cum Attila confundunt, qui centum ante Totilam annos occubuit.

12. *Sexcentesimo &c.* Ante diximus a Triumviris Florentiam Coloniam deductam anno ante Christum natum XL. Hoc igitur convenit temporibus Totilæ, qui cum post Christum ann. DXLII. regnarit, DC. fere anni præterierunt.

13. *Captam & eversam tradunt.* Captam fuisse bene tradunt, non autem eversam, quod aperte negat *Vincentius Borghinus part. II.* qui de Florentiæ eversione fuse disputat p. 252. 260. Quid enim Narseti opus fuerat cum tot arma-

toribus [14], demum a *Carolo Magno* poſt adeptum
imperium [15] reſtituta. Civibus variis in locis a
fortuna diſperſis receptaculum fuit. Ad avitam
urbem reliquiæ civium reverſæ brevi tempore
admodum coaluerunt. Duos initio Conſules,
& centum patres, qui Reipublicæ præeſſent Se-
natum ſibi crearunt. Variis cum *Feſulanorum* no-
væ urbi invidentium, tum aliorum finitimorum
bellis laceſſiti ſub Imperatoribus qui poſt [16] *Caro-
lum* regnarunt, a quorum prætoribus regebantur,
parvos intra fines coacti ſe ſuaque egregie defen-
dentes vixere. *Otho primus* Imperator [17] fines eo-
rum, quos Comitatum appellavit, ad ſex paſſuum
millia protendit, anno reſtitutæ urbis trigeſimo
nono. Imperitantium deinde iniquitas magis ty-
rannorum, quam bonorum Principum more va-
riis urbem injuriis vexantium ad capeſſendam li-
1080 bertatem coegit. Prima illorum defectio cul-
pa [18] *Henrici Quarti* orta eſt *Romano* [19] Pontifici,
cui *Florentini* favebant, hoſtis, centum fere poſt
Othonem annis, Salutis vero octuaginta ſupra
mille, qui tamen haud multo [20] poſt ob auxilia
1095 ſibi a *Florentinis* in expeditionem adverſus *Sarace-
nos* miſſa, fines eorum ad decimum lapidem pro-
tulit. [21] Suffulta civibus, ac viribus urbe, in-
que Tribus quatuor diviſa, cuique Tribui con-
ſul, [22] qui jus diceret, tributus eſt; pauloque poſt
duæ additæ, quæ & ipſæ ſuum conſulem ſunt
ſortitæ. Cum vero tum precibus, tum factione
civium parum juſtitiæ loci eſſet, hominumque
plus, quam legum imperia poſſent, externum
[23] Magiſtratum, quem Poteſtatem appellarunt,
ut jus populi redderet accerſiverunt, [24] pauloque
poſt nobilium [25] exagitati injuriis [26] Capitaneum
ſibi populus, & duodecim ſeniores, ac vexilife-
ros [27] viginti, quorum conſilio Reſpublica admi-
niſtraretur, inſtituunt. Diverſis deinde bellis ci-
vilibus, partim fatigatis, partim pulſis civibus,
ac multorum direptis factionum culpa bonis, Prio-
res [28] artium, qui Rempublicam regerent, anno
Chriſti ſecundo, & octuageſimo poſt mille du- 1282
centos creati ſunt. Hic ordo, licet varie, &
numero, dignitate immutatus, ad hanc diem per-
ſeverat. Nam ad Priores, [29] qui ſex numero e- 1292
rant, decennio poſt [30] Vexillifer juſtitiæ, trigeſi-
moque deinde anno duodecim viri, qui Boni ap- 1322
pellantur electi, & numerus viginti Vexillifero-
rum ad ſexdecim redactus, & duo [31] Priores ad-
jecti, & Civitas in quatuor partes diviſa. Inſti-
tuta præterea Conſilia, ut appellant, duo, alte-
rum populi in quo magna ex parte plebeji ma-
giſtratus ineſſent; alterum Communis, in quo vi-
ri electiores continerentur, quorum ſuffragiis de-
cernerentur ſingula, tum publica, tum privata,
quæ graviori judicio egere viderentur. Primæ
urbis mœnia, ut [32] initio tenui omnia ferme ma-
jora conſtant, parvo ambitu fuere. Secunda
majorem circuitum ſunt complexa. Tertii dein- 1299
de ambitus decimo ſeptimo [33] poſt primos Priores
anno ampliori ſpatio fundamenta, ut quæ quin-
que paſſuum millia occupent, jacta ſunt. Anno
quinto ac vigeſimo ſupra mille trecentos ſua
ſponte [34] quod ſemel tantum accidit, libertatem
amiſit: diutino etenim bello feſſa, ad *Robertum
Siciliæ* Regem, quocum fœdere juncti erant con-
fugiens, ad imperium urbis filium ejus *Carolum
Calabriæ* Ducem in decennium evocavit. Poſt
octo [35] paulo amplius annos cum libertatem reſti-
tuiſſet civibus, *Gualterius* [36] qui cum eo *Floren-* 1326
tiam conceſſerat *Athenarum* dux, quorundam ci-
vium conſilio, ac dolis urbis tyrannidem [37] occu-
pavit, quo poſt decem menſes pulſo, libertatem 1343
ſibi conſciverunt. Hic ſtatus erat rerum *Floren-
tini* Populi, tum [38] armis foris, tum [39] domi ſedi- 1350
tionibus inquieti uſque ad annos mille trecentos
quinquaginta: cum *Johannes* Vicecomes Archie-
piſco-

---

armatorum millibus ad eam accedere, ſi mœnibus dirutis everſa fuiſſet?

14. *Cultoribus*, qui propinquas in urbes confugerant.

15. *Reſtituta*, ſeu iterum ædificata, ut vult Maleſpinus *Hiſt. Flor.* & Joann. Vill. *lib. II. cap.* 23. qui addit Florentinos novam ædificationem a Carolo Magno Romæ degente petiiſſe, & ab eo exercitu adjutos; quod itidem negat præcitatus *Borghinus*. Mirum quidem Maleſpinum *Cap. XLV.* aſſerere ann. DCCCV. Carolum paſchalem diem Florentiæ celebraſſe, cum ann. DCCC. Italia exceſſerit, neque amplius reverſus fuerit.

16. *Qui poſt Carolum.* Septem novit Francos Imperatores ante Arnulphum.

17. *Imperator.* Primus hic ex Germanis Italiæ imperavit.

18. *Henrici Quarti.* Henricus hujus nominis Gallorum Rex quartus, Romanorum Imperator tertius.

19. *Pontifici.* Gregorio VII. cui Florentini erant addicti, injuſtè arma intulerat Henricus anno Chriſti MLXXVIII. Florentini ab eo deſcivere ann. MLXXX.

20. *Haud multo poſt*, hoc eſt anno MLXXXIX. ſic credimus *Joanni Vill.*, qui ab Urbano eo tempore concilium ad Clarum Montem celebratum fuiſſe narrat. Sed Concilium hoc *Sethus Calviſius p.* 642. nec non *Baronius* celebratum aſſerunt anno MXCV. & in eo expeditionem adverſus Saracenos decretam. In qua

Florentina phalanx geſſit felicia bella,
Alta Palæſtina tranſcendit mœnia Sion,
Primaque poſt Regem muris Victricia ſigna
Impoſuit, meruitque auratæ dona coronæ

Ugol. Ver. *de Illuſtr. Flor. lib.* 1.

21. *Civibus.* Feſulanis præcipue civitate donatis, cujus Patriam funditus everterant Florentini *Ammirat. lib. I.*

22. *Conſul.* Quatuor conſules, dum quatuor portas Urbs habuit. Ad ſex portas extenſa, & in ſex tribus diviſa, ſex quoque habuit Conſules.

23. *Externum Magiſtratum.* In pluribus Italiæ urbibus uſus hic invaluit. Cort. *Hiſt. Veron.* Bonif. *Hiſt. Tarv.* & alii alibi.

24. *Accerſiverunt* Gualfredotum Graſellium Mediolanenſem. Ammirat. *lib. I. p.* 68. *Maleſpinus* vero, & cum eo Jo. Vill. *lib. V. Cap.* 32. Gualfredotum Mediolanenſem.

25. *Nobilium* Ubertorum familiæ aliorumque nobilium.

26. *Capitaneum* Ubertum Lucenſem.

27. XX. *Vexilliferos* ſub quibus armatus coiret populus. Horum vexilla refert Jo. Vill. *lib. VI. cap.* 40.

28. *Priores artium.* Primam Priorum creationem non bene aſſignat *Poggius* anno MCCLXXXII. cum anno MCCIV. jam hæc dignitas tribus delata fuiſſet Latino, Janibono, & Guadagnio. Negari tamen non poteſt anno tantum MCCLXXXII. eos dignitate, ac autoritate mirifice auctos fuiſſe. *Scip. Ammirat. lib. I.*

29. *Hic ordo.* Ex hoc ordine Poggium ipſum fuiſſe, in ejus Vita oſtendi.

30. *Vexillifer.* Primus Ubaldus Ruffolus.

31. *Duo.* ut in Anglia, & Gallia.

32. *Initio tenui.* Sic Livius *de Roma. Quæ ab exiguis profecta initiis adeo crevit, ut jam magnitudine laboret ſua.*

33. *Decimo ſeptimo poſt primos Priores anno.* Hoc eſt anno MCCXIC. cum primi Priores anno MCCLXXXII. Magiſtratum obtinuerint ſecundum opinionem Poggii.

34. *Quod ſemel tantum accidit.* Tametſi enim Carolum Ludovici Galliæ Regis fratrem anno MCCLXVII. & Robertum Siciliæ Regem anno MCCCXIII. accivit, non ideo libertatem amiſit. Eorum ſiquidem patrocinio potius, quam imperio uſa eſt.

35. *Poſt octo paulo &c.* Vel ſic intelligendus eſt Poggius, ut Carolus poſt annos octo libertatem urbi reſtituerit, quod ſuſtineri non poteſt, cum vix tres annos regnaverit, hoc eſt ab anno MCCCXXV. ad annum MCCCXXVII. Vel ita explicandus eſt, ut Gualterius poſt annos octo tyrannidem occupaverit: ſed hoc ipſum falſum eſt, cum occuparit anno MCCCXLII. hoc eſt quatuordecim poſt annis.

36. *Cum eo Florentiam conceſſerat.* Melius *pro eo.* nam ante ſuum adventum a Carolo pro Vicario Florentiam miſſum Gualterium conſtat anno MCCCXXV. menſe Majo; Carolum adveniſſe ann. MCCCXXVI. menſe Julio. Joann. Vill. *lib. II.* Ammirat. *lib. VI. p.* 327.

37. *Occupavit.* Delatum illi urbis Imperium refert Ammiratus a Populo, quem ſibi Dux conciliaverat, anno MCCCXLII. menſe Sept. pulſus vero eſt MCCCXLIII. menſe Julio.

38. *Tum armis.* Nil memoria dignum actum eſt. Duo tantum oppida, Colle, & Sanctum Geminianum capta. Plura tamen fœdera cum Senenſibus, Peruſinis, aliiſque inita.

39. *Tum ſeditionibus.* Andreas Strozzius urbis tyrannidem occupare molitus fuerat. Pulſis nobilibus Populus ſibi urbis imperium adſcivit. Ubaldini Florentiam revocati nova tentabant.

40. *Mul-*

piscopus *Mediolanensis* suæ urbis, multarumque [40] 1350 præterea imperio potitus a *Jacobo Pepolo Bononiam* CC. millibus aureis emit, quæ res virum ambitiosum, & dominandi cupidum ad majora impulit, animumque incendit ad appetendum imperium *Etruscorum*, quorum magna pars factionum, quæ in *Italia* vigebant, causa cum eo sentiebat, unde & bellum descendit. Nam cum in *Italia* essent sectæ duæ *Guelforum* scilicet, & *Ghibellinorum* posterioris partes Vicecomites sibi tutandas suscepere. De quibus priusquam ulterius progrediar pauca videntur dicenda. Hanc familiam perantiquam sane, ac nobilem fuisse constat, multisque rebus domi militiæque gestis præclaram. Ea primum originem traxit ab his locis, quæ sunt apud *Verbanum* lacum [41] ubi diutius inter primores claruit. Vulgo ferunt strenuum ex ea gente virum serpentem magnitudinis miræ infantem parvulum deglutientem occidisse, signumque militare ob gloriam gestæ rei serpentem puerulum vorantem sibi sumpsisse. Post *Mediolanum* a *Federico* [42] primo funditus eversam, cum cives, qui cladi superfuerant urbem instaurarent, ejus familiæ Principes *Mediolanum* honoris ampliandi gratia commigrarunt; [43] e vestigioque partis, quæ *Ghibellina* dicebatur, fautores summum tenuerunt apud cives locum. Erat antea *Mediolani* antiqua, ac præpotens familia eorum, qui *de Turre* [44] cognominabantur, princeps factionis quam appellant *Guelfam*: harum [45] partium initia supra trecentesimum annum tempore *Corradi Secundi* ortum duxere. Nam cum *Henricus* ejus filius, *Vilfoque Bavariæ* Dux acie dimicassent, victoriaque penes *Henricum* stetisset; qui *Henrico* adfuere, a vico juxta quem pugnatum est *Vibellini*; qui *Vilfoni* ab eo sunt *Velfi* appellati. Quoniam vero *Corradus Henricusque* infensi Pontificibus fuere, eos, qui pro Imperatoribus steterant, *Ghibellinos*, a *Vilfone*, qui Pontifici hærebat, *Guelfos* posteritas dixit; quæ factio e vestigio in *Italiam* transgressa, tamquam pestilens incendium eam infinitis pene cladibus vastavit. *Ghibellinorum* [46] sectam Vicecomites secuti ejusque defensione suscepta e civitate opera *Ghuidotti de Turre* pulsi [47] sunt; pauloque [48] post *Henrici Tertii Ghibellinis* faventis opera restituti, quo be-

A neficio in suas partes magis incubuere. Ejecta deinde ex urbe adversæ factionis [49] gente omni, civitatem suo nutu regebant, paulatimque imperandi consuetudine urbis Tyrannidem ob favorem partium occuparunt. *Maffeo* [50] seniore mortuo solus *Johannes* Archiepiscopus [51] frater regnavit, multasque præterea urbes suo adjecit imperio, *Papiam*, *Placentiam*, *Brixiam*, *Cremonam*, *Laudum*, *Bergomum*, *Comum*, *Vercellas*, *Novariam*, *Asti*, *Alexandriam*, *Terdonam*. Occupata *Bononia*, cum omnia ejus consilia eo spectarent; ut fines proferret; occasione movendi *Florentinis* belli ex partium defensione, quarum se acerrimum propu-
B gnatorem præbebat, sumpta; *Florentiam* urbem inimicis [52] suis faventem, & tanquam suas partes oppugnantium sedem sibi opprimendam statuit, quo latius evagari imperandi cupido posset, movendo quoque bello, ut aliquam justam causam præferret, litteris *Bononiam* a *Florentinis* quorundam [53] civium opera ad desciscendum sollicitatam questus est. Ut vero quod animo conceperat, ex voto succederet, *Ghibellinæ* sectæ capita, quæ plurima in *Tuscia* erant, in primis sibi conciliavit. Tantas Archiepiscopi vires veriti *Florentini*, *Pratum* [54] oppidum opulentum, ne ex incolarum dissensionibus facultas daretur ad Archiepiscopum
C deficiendi, valido comparato exercitu compulerunt, [55] ut suis militibus receptis ejus custodiendi curam sibi permitterent. Deinde cum propter dubiam oppidanorum fidem parum sibi cautum esse sentirent, a *Ludovico Siciliæ* Rege [56] *Johannaque* Regina Ducis *Calabriæ*, cujus ditionis id oppidum fuerat, hæredibus opera *Nicolæ Acciajoli Florentini*, cujus [57] opes apud Reginam plurimum poterant pretio emptum, dominandi potestate concessa, pro suo deinceps tenuere. 1351 Pulsis deinde urbe *Pistorio Guelfis* cum timerent, ne qui *Pistorii* erant, exulum metu Archiepiscopo se dederent, e vestigio exercitu scripto, in quo ad
D quindecim equitum, peditumqe millia censebantur, urbem obsidione cinxere, quæ paucis post diebus desperato auxilio recepta est. [58] Obstabant hæc Archiepiscopi consiliis, cum videret augeri *Florentinorum* adversæ factionis opes. Accitis igitur *Mediolanum Hetruriæ* omnis, ac *Flamminiæ Ghibellinarum* partium principibus, [59] longiori

---

40. *Multarumque*. Eo enim tempore viginti duæ urbes in ejus ditione erant, quibus, pulso Joanne Pepolo, Bononia adjuncta.

41. *Verbanum*. Lacus Insubriæ vulgo Lacus major, per quem Ticinus triginta millium passuum itinere fluit, distat Mediolano millibus pass. 17.

E 42. *Funditus eversum*. Ann. MCLXII. solum aratro subactum, & sale sparsum *Ann. Suec. &* Tristan. Calcus *Hist. lib. X. Corius* addit XXVI. Martii MCLXII. id contigisse.

43. *Commigrarunt*. Vicecomites tunc non commigrarunt primo, sed iterum, expulsi enim aliis cum civibus ante eversionem fuerant, nam constat Othonem Vicecomitem apud Conradum Friderici Imperatoris fratrem pro patriæ incolumitate orationem habuisse.

44. *De Turre*. De hujus familiæ origine, nobilitate, Corius. *Hist. Med. part. I.* Mediolanum familiam transtulit ex Valsasina Paganus Turrianus a Mediolanensi Populo Dux electus ann. MCCXL. *Idem Corius*.

F 45. *De Guelphæ & Ghibellinæ* factionis origine autores varii, varia narrant. Vid Bartolum *in tractatu de Guelph. & Ghibell.* qui dicit Ghibellinos a Friderici Ghibelli cognomine nomen sumpsisse. Alii eos Pistorii ortum traxisse a duabus familiis, alii a duobus fratribus Guelpho, & Ghibello, inter quos gravissimæ erant inimicitiæ.

46. *Ghibellinorum sectam*. Ut principem in ea locum tenerent, nam Guelpham Turriani tuebantur.

47. *Pulsi sunt* ann. MCCCII. opera Guidoti, deinde vero publica autoritate exilio mulctati.

48. *Pauloque post*. Post novem annos Matthæum Vicecomitem de exilio reduxit Henricus VII. Mediolanum profectus ann. MCCCXI. Vide Merulam *Antiq. Vicec. lib. VI.*

49. *Adversæ factionis*. Guido Turrianus pulsus est ann. MCCCXI. Mense Februario, & ann. MCCCXVII. Matthæus Vicecomes Imperialis Vicarius Principis nomen usurpavit. *Merula* ibid.

50. *Maffæo*. Scribentis errorem puto, nam Jacobus qui historiam hanc Italice reddidit, & omnes coævi Scriptores, *Corio* excepto, Matthæum appellavere.

51. *Joannes Archiepiscopus*. Ann. MCCCL. rerum sacrarum administrationem cum civitatis administratione conjunxit.

52. *Inimicis suis*. Eo confugerant Mediolano pulsi.

53. *Quorundam civium*. Inter hos Jacobus Pepolus, qui Bononiam Archiepiscopo venditam, rursus vendere moliebatur, non tamen Florentinis sollicitantibus.

54. *Pratum*. Hetruriæ oppidum medium inter Florentiam ad ortum, & Pistorium ad occasum. Nunc Civitas.

55. *Compulerunt*. Anno MCCCL. coacto exercitu ex improviso Pratum occupant Florentini.

56. *Hæredibus*. Sponso suo Andreæ Ungariæ Regi mortis illatæ crimine absoluta à Clemente Pontif. & Card Calabriæ hæres declarata Joanna, nec non quorundam in Hetruria oppidorum, inter quæ Pratum, quod a Florentinis Nicolai Acciajoli opera emptum est 17500. aureorum pretio. Matth. Vill. *lib. I. cap.* 7.

57. *Cujus opes*. Non tam opes apud Joannam, quam ejus consilia valebant, quibus Joannæ Regnum servatum est adversus conatus fratris Andreæ Ungariæ Regis demortui. Matth Palmerius *in vita ejusd. Nic. p.* 155.

58. *Recepta est*. anno MCCCLI. Mense Aprili.

59. *Principibus*. Ubaldinis, Interminellis, Ubertinis, Pactiis, Comitibus a S. Flore, Carolino Pistoriensi, aliisque quorum nomina apud Matth. Vill. *lib. II.*

1351 giori oratione suasit *sedem hostium suorum, & tanquam fomentum malorum omnium delendam esse; nullam esse in Italia præter Florentiam Guelforum spem præsidiumque, a qua omnis eorum protectio defensioque oriretur: hanc solam urbem obstare fortunis suis, quæ satis dubiæ essent, nisi ejus civitatis vires deprimerentur. Illam perfugium subsidiumque eorum omnium esse, qui a suis partibus dissentirent, a quibus nulla pax, nulla certa conditio dici posset, quibus de statu suo tuti forent. Providendum esse rebus suis in tempore cum facultas daretur, quoniam sera pœnitentia nihil esset profutura. Delendum* [60] *vel subjiciendum eum locum, qui suis partibus præ cæteris obesset: nunquam Italiam quieturam, dum vigerent, quorum consilio, opibusque cæteri niterentur; semper eam Rempublicam favisse illis, qui contra se armis certassent: nunquam bellorum causam defuturam, donec hi vigerent, in quibus adversariorum consisteret robur: nemini autem fore dubium* [61] *quin capite deleto Guelforum membra omnia facile deficerent: si se Ducem sequi vellent, cito futurum, ut in tuto res eorum staret. Non esse cunctandum, si* [62] *viri, & qua necessitas cogeret mente forent: sibi in animo esse Florentinorum potentiam bello conterere; fore procul dubio ut tot hostium vi belloque undique circumventi vexatique facile subjiciantur, & exulibus (hi plurimi domo pulsi erant) detur redeundi locus. Vel solum se satis videri, ut illos opprimat; quod si eorum, qui plurimi, & prævalidi sunt, vires accedant, nemini dubium fore, quin victoria potiantur: irent igitur, & se auctore* [63] *præsenti animo bellum pararent, ut uno tempore imparatos variis locis aggrediantur.* Ejusmodi hortationibus incensi omnes, Archiepiscopi consilia sequenda decrevere. Huic concilio cum capita factionis, tum eorum, qui adesse non poterant Oratores, & in his *Ubaldini*: *Castrutii* [64] filii: *Lucenses*: *Pistorienses*: *Florentinique* exules affuere. Inito inter eos belli gerendi fœdere, & ut quisque qua regione *Florentinis* propinquus erat, statuto tempore bellum excitaret, quo facilius variis in locis lacessiti, animis viribusque deficerent, domum redire, & copias parare jussit. Universæ ferme *Hetruriæ Ghibellinarum* partium duces præter *Pisanos* (hi pacem [65] servarunt) ad arma concitanda convenere. His constitutis e vestigio Archiepiscopus equites suos peditesque *Bononiæ* convenire jubet: Ducem exercitus *Johannem Aulegium* [66] Vicecomitem, quem nonnulli filium ejus asseverabant, bellum *Pistoriensibus* primum inferre mandat, si quo modo exules in patriam per illos restitui possent. Id quo facilius fieret, arcem *Sambucæ*, quæ *Bononiam Pistoriumque* interjacet, ut inde exercitui commeatus subveheretur, rebus usui belloque necessariis communit. Tum mense Julio celerius omnium opinione cum omnibus copiis dux in agrum *Pistoriensem* profectus quarto ab urbe lapide castra locat. 1351 Biduo tamen *Pistorium* a *Florentinis*, ut urbi præsidio essent equites peditesque ad mille missi. Tentata per hostes oppidi (cujus potiundi per quosdam cives spes oblata erat) expugnatione turpiter rejecti [67] retrocessere. Per idem tempus *Ubaldini* interrupta, quam cum *Florentinis* firmaverant pace, *Florentiolam* nondum muro cinctam occupant: inde ad castellum [68] *Coloreti* profecti, minis, ac terrore arcis [69] custodem, qui *Florentinus* erat, ad deditionem compulerunt, qui cum *Florentiam* rediisset, quo cæteri a simili facinore deterrerentur, capite pœnas dedit. *Petrus* insuper *Sacconus* cum omni *Tarlatorum* gente, quæ *Aretii* principatum tenuerat, multisque oppidis imperabat: ac *Pactii* familia nobilis ac potens in *Valle* superiore *Arni* eas oras, quæ propinquæ *Florentinis* aut parebant, aut fœdere junctæ erant, crebris excursionibus populantur. Magnum hæc tanta belli moles, tam diversis excitata locis terrorem incussit. Comparatis itaque pro temporis angustiis subitariis militibus, qui hostium agmen, si qua incederet, carperent, injuriasque propulsarent, legationem ad *Aulegium* decernunt, quæ diceret: *mirari se summopere nullam ob justam causam, nullamve suam adversus eum, aut Archiepiscopum injuriam, tanquam hostes armis oppugnari, præsertim minime indicto (ut mos est jure gentium) bello. Sed paucis tantum verbis scriptum* [70] *id fieri ob non servatam ab eis pacem: quod cum iniquum videretur (non enim ipsos propriæ causæ arbitros esse debere) petere se, ut abiret finibus suis, bellumque injuste motum juste revocaret.* Responsum est redditum superbia, & contumelia plenum: *ideo arma adversus eos per Archiepiscopum sumpta, quia Hetruriæ pacem, quam ipsi turbarent, appeteret: tum ut æquius, ac justius suis civibus imperarent; non enim æquum esse bonos, & bene de republica meritos cives urbe per factionem* [71] *inimicorum pelli: neque tam avare, tamque impotenter tum cives, tum socios tractari: abirent, & Legatis iram Archiepiscopi, dum veniæ locus esset, placarent: quod maxime fieri posse confidebat: si ei urbem sponte darent, id sibi videri satius, tutiusque fore, quam si inviti facere cogerentur: se enim ad id eos, si recusarent, populationibus, igni, ferro, cladibus compulsurum:* multaque in eam sententiam dixit, quæ magis audacem, ac temerarium, quam aut prudentem, aut temperatum virum decerent. Re infecta cum Oratores [72] rediissent, indignatione tam improbi responsi Civitas commota bellum decernit, militesque ad arcendos, qui undique imminebant, hostes parat. Qui prope *Pistorium* castra posuerant, desperata urbis victoria [73] post Legatorum discessum in agrum *Florentinum* adeo inexpectati usque ad quartum ab urbe lapidem descendunt, ut

60. *Delendum &c.* Huic orationi similem habet *Livius lib. XXVI.* in qua Scipio Carthaginem aggredi parans ait: *Oppugnabitis enim vere mœnia unius urbis, sed in una urbe universam ceperitis Hispaniam. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est*

61. *Capite deleto.* Comparatio metaphorica. Florentia scilicet Guelphorum capite deleto, membra omnia, aliæ nempe civitates deficient.

62. *Si viri.* Sic Livius *lib. II. in Orat. Actii Julii* Volscos in Romanos excitantis, ait: *bellum urbis indictum est magno illorum malo, si viri estis.*

63. *Se auctore.* Ut *in Salust.* videre est, Catilina fautores suos alloquente. *Vel Imperatore, vel milite me utemini* Nec dissimiliter Tacitus *lib. I. Hist. in Orat. Othonis* ad milites: *Vobis arma, & animus sit, mihi consilium, & virtutis vestræ regimen relinquite.*

64. *Castrutii filii.* Hoc est Castrutii Interminelli.

65. *Hi pacem servarunt.* Eo quia Gambacurtæ Pisarum Domini mercaturam exercentes Florentinorum amicitiam colebant, utpote illis profuturam. Matth. Vill. *cap.* 4. *lib. VII.*

66. *Aulegium.* Florentinorum acerrimum hostem, captus enim Lucensi bello injuriam ulcisci cupiebat.

67. *Rejecti.* Anno MCCCLI. prid. Kal. Junias.

68. *Coloreti.* Seu Montis Coloreti â Florentiola parum distantis.

69. *Custodem.* Custos Jacobus à Ciurianis, qui arcem hostibus ea se conditione traditurum promiserat, nisi in triduum auxilia advenissent, obsidemque fratrem dederat. Adveniente vero auxilio, fratri timens, cui capitis pœna ab hostibus indicta fuerat, ab arce Florentinos rejecit, hostesque admisit: unde merito capite multatus. Matth. Vill. *lib. II. cap.* 6.

70. *Scriptum id fieri.* Aulegius Pistorio propinquus per epistolam Florentinis bellum indixerat, causatus quod pacem fregissent, forte quia Pistorio potiti fuerant, vel quia illos Bononiæ defectionem molitos putabat.

71. *Per factionem.* Per oppositam Guelphorum factionem Ghibellinos pelli.

72. *Oratores rediissent.* Florentiam redire coacti fuere, nam cum Archiepiscopum convenire vellent, ab Aulegio itineris venia denegata. Matth. Vill. *lib. II. cap.* 8.

73. *Desperata urbis victoria.* Octo diebus obsessæ.

74. *Vi-*

1351 ut prius hostilem calamitatem senserint, quam venturos arbitrarentur: vicos, [74] *Campi* ac *Peretola*, veluti civitatis suburbia, omnemque propinquam regionem agricolis refertam populantur. Paucis cum liberis, & conjugibus, fortunis suis omnibus adversariorum libidini relictis, militarem impetum effugere concessum. Turba agrestium in urbe confluens magnum tumultum ex insperato excivit, trepidatumque est magis interiori, nequa seditio ex repentino hostium adventu oriretur, quam externo metu. Itaque in primis conciliatis invicem [75] Civium animis, armis sumptis populus omnis patriæ saluti incubuit. Hostes omnis generis præda parta, cum *Pistoriensi* obsidione, labore, atque inopia rerum defessi aliquandiu his in locis quotidie populabundi ad urbis usque mœnia incursantes castra habuissent, ex summa copia in maximam inopiam devenere. Per luxum etenim (ut fit in secundis rebus) commeatu, quem in villis invenerant absumpto, rerum omnium penuria [76] premebantur. Itaque motis castris: cum propius urbem juxta *Bisentium* amnem consedissent, simulantes, ne eorum consiliis obviam iri posset, se ad *Salvianum* Monasterium iter facturos, causam innuere *Florentinis*, ut ad avertendum eo proposito hostem imposito arci *Fesulanæ* præsidio, a subjectis collibus ad mœnia usque urbis fossam mille passuum ducerent. At illi retroversi *Calenzanum* [77] parvum nondum cinctum muris oppidum, nonnullaque alia castella nequaquam munita a se capta incendunt. Inde per *Marinæ* vallem in *Mugellum* [78] proficiscuntur: quo in loco facile impediri transitus potuisset, si nostris idem animus, qui in obsidendo itinere fuerat*, permansisset. Sed ducis [79] ignavia liberi saltus hosti patuere, a quo *Barbarinum* [80] proditione paucorum captum, *Gallianum* quoque, ac *Villanova*, plurimaque finitima loca desperata tutela se hosti tradiderunt. Ibi pluribus diebus ad reficienda corpora cum castra haberent, *Tanus* Montis *Carelli* Comes sperans rem Archiepiscopi superiorem fore, cum a *Florentinis* descivisset, arcem Montis *Vivani* dolo [81] cepit. Hæc nuntiata *Florentinis* impulerunt ad oppidum *Scarpariæ* muniendum, antequam ab hoste cingeretur: quod e vestigio equitum ala, ac peditum [82] cohorte missa valido præsidio firmarunt: aliisque locis, quibus periculum imminebat, extemplo summa diligentia providerunt. Varios insuper equitum præfectos, ut hosti pares essent, ac castra castris conferrent, scripserunt. *Aulegius* ad *Scarpariam* castrametatus, cum pollicitationibus ad deditionem oppidanos cohortatus parum profecisset, minas addidit, præmonens, ne calamitates, quæ expugnatis imminent, experiri vellent: *considerare* ad monet *bonorum direptionem*,

A *suam liberorumque captivitatem: mulierum, ac uxorum ignominiam: verbera, vulnera, cædem, quæ omnia victos fortuna subire cogat. Satius esse salva patria gaudere, quam ea amissa extorres, atque inopes miseram vitam ducere: illis eas haud esse vires, ut tanto exercitui resisti queat; conducere suis rebus, ut potius pacato, quam infesto hoste uti malint, neve experiri cupiant, quid libido, atque ira militaris possit.* Responsum ab oppidanis est, ut triennio post redirent, tunc [83] de deditione consulturos. Jam multi in auxilium *Florentinorum* convenerant: castellumque *Spugnolæ* ac *Montis Jovis* tamquam propugnacula adversus hostes ad reprimendas eo-
B rum incursiones, utque adjiceretur obsessis animus, & simul quo tutior redderetur ora omnis, quæ citra flumen *Sevæ* [84] est, communita erant: cum his præsidiis confirmati omnium animi, diu noctuque castra hostium lacessebant. *Politianum* [85] erat in ea regione præsidio haud satis firmo; quod cum *Ubaldinis* innotuisset, coactis ad mille peditibus oppidum expugnare adoriuntur. Inde cum ignominia repulsi cum iterum rediissent, tentata expugnatione, multis acceptis vulneribus, incensis, quæ circum sitæ erant casis abiere. Dum hæc in *Mugello* summis utrinque viribus aguntur, *Petrus Sacconus* cæterique *Ghibellinarum*
C partium duces [86], ut qui *Florentinam* Rempublicam perditum iri vellent, contractis undique copiis *Vallem Ambræ* hostiliter ingressi eo consilio, ut *Fighinum* præcipue cæteraque *Vallis Arni* Castella expugnarent; cum intelligerent *Florentinos* mature milites apud *Varicum* [87] scripsisse, ducemque eorum una cum *Aretinorum* [88] cohorte *Albertaccium Ricasolanum* declarasse, ut illis apud *Ambram* occurrerent, silentio [89] motis castris, saluti suæ consulentes per varia loca dissipantur. Archiepiscopus interim non contentus tot bellis, quibus *Florentinos* lacessierat, arbitratus undique hostibus circumventos, tantam belli circum ur-
D gentis molem diutius ferre non posse, *Pisanos* ad defectionem, & movenda arma sollicitabat. At illi familiæ *Gambacurtæ* opera, quæ factionis *Guelfæ* erat, & præpotens [90] in Civitate *Florentinorum* partibus favebat, *Mediolanensis* postulatis rejectis, ne tantum Principem omnino contemnere viderentur, legatos e vestigio ad eum mittunt, mandantque, ut tempus verbis terentes, dubitando, ac cunctando animum ejus distineant. Qua re animadversa, vir ad omnia prudens Archiepiscopus existimans plebem omnem in suam sententiam concessuram, iterum *Pisas*, qui populi concionem petant, [91] mittit; quo impetrato
E Oratores bellorum omnium culpam in *Florentinorum* superbiam rejicientes; *Nullam Pisanis adversam fortunam accidisse multis exemplis ostenderunt, cujus origo non ducta esset a* [92] *Florentinis; oppida ab eis* 1351

---

74. *Vicos &c.* Campi scilicet, & Peretola, qui vici erant

75. *Invicem civium animis. Externus enim timor maximum concordiæ vinculum quamvis suspectos infensosque inter se jungebat animos.* Sic Liv. *lib. II. Dec. I.*

76. *Rerum omnium penuria.* Salis & frumenti præcipue; nam commeatus Bononia missi a Pistoriensibus equitibus intercepti fuerant.

77. *Calenzanum.* Ibi enim frumenti aliquantum erat.

78. *Mugellum.* Oppidum, unde Valli nomen.

79. *Ducis ignavia.* Nempe cujusdam ex Medicea familia, cui saltus tuendi cura a Jacobo a Flore demandata fuerat. *Ammir. lib. X.*

80. *Barbarinum* Proditum a Nicolao Barbarino ejus castelli præside. Matth. Vill. *lib. II. cap. 21.*

81. *Dolo cepit.* Expulso plebeio quodam loci custode filio Petri a Papa, introductisque CC. militibus *Vill. Ibid.*

82. *Peditum cohorte.* Equites centum & quinquaginta, pedites trecenti, duce Jacobo a Flore Germano.

83. Illusoria responsio.

84. *Sevæ.* Seva flumen Mugellanæ valli propinquum rivulorum influentium aquis auctum vix Arno cedit, inque eum exoneratur.

85. *Politianum*, seu Mons Politianus oppidum est amœnum in colle situm, Angeli Politiani, & Card. Bellarmini patria.

86. *Cæterique Duces.* Pactii Vallis Arni, Episcopus Aretinus, Urbini Comites, & Ubertini.

87. *Varicum. Monte Varchi.*

88. *Aretinorum cohorte.* Aretina 150. equitum cohors quingentis militibus Ricasolani adjecta.

F 89. *Silentio motis.* Et favore Ricasolani Florentinorum Ducis, qui Saccono cognatione junctus intercludi hostes noluit, ut est apud Matth. Vill. *cap. 18. lib. II. Ammiratus* vero *lib X.* mala fide hoc actum negat.

90. *Præpotens.* Postea Princeps. Jam dixi mercaturæ, & partium causa Florentinis favisse. Cor. *Hist. Med. p. III.*

91. *Mittit.* Id temporis hostes per legatos populum publice alloquebantur: quod non erat e Rep. Plebs enim novarum rerum cupida, & nobilibus aversa facile in oppositum mutabatur.

92. *A Florentinis.* Sed a Pisanis Arcadiæ Populis, ut *Strabo*, & *Solinus.*

1351 *cis capta, agros vastatos, bona direpta, cives* [93] *eorum captos multo sermone, commemorarunt. Si tute vivere, si securi esse cuperent, funditus evellendam esse suarum calamitatum radicem. Id eos facillime consequi posse, si cum Florentia tot variis hostibus opprimatur, ipsi quoque arma secum jungentes ea loca aggrediantur, quæ sola* [94] *tuta a bello relicta sint Florentinis, qui Pisanorum re magis, quam verbis, hostes libertatem tyrannide deteriorem sint absque dubio admissuri: benevolentiam præterea, quæ inter eos, & majores suos earundem qua ipsi partium viros longo tempore viguerit, addiderunt. Merita insuper in cives Pisanos, quorum memoria non esset obliteranda, enarrarunt.* Quamvis plures ea oratio moverit, tamen omnium consensu, cum nihil à *Florentinis* adversus se perpetratum esset, quod violandæ pacis causam præberet, pacem servandam esse respondent. Non tantum icti fœderis, aut sociorum salutis gratia, quam quod maxime addubitabant imperandi libidinem, & hominum [95] cupiditatem animo versantes, ne illis devictis ipsi quoque in discrimen libertatis venirent. Propter antiquum tamen fœdus, quod *Pisanis* cum Archiepiscopo erat, ne spreta omnino ejus postulatio videretur, alam ei equitum [96], qui custodiæ *Mediolani* essent, mittunt; Legatique è vestigio eo indignati responso, omnique spe movendi belli præcisa, domum revertuntur. Oppugnabatur interim continuis præliis, tum machinis, ac ballistis [97] *Scarparia* [98], multaque intus ædificia collapsa erant: cum oppidani vigiliis, laboribus, & continua oppugnatione fessi ad *Florentinos* mittunt [99], qui auxilium petant, denuntientque obsidionem diutius tolerari non posse, ni subsidium mature submittatur. Erat consilium *Florentinis* comparato exercitu, in quo ad duo equitum, peditum vero quatuor millia censebantur, milites insuper octingenti [100] a *Senensibus* missi, cum primum sexcenti equites a *Perusinis* advenirent, castra hostibus opponere, ac signis collatis fortunam belli tentare. Verum cum intellexissent tribus passuum millibus prope *Aretium*, loco qui *Ulmus* dicitur [1], *Sacconi* dolis, atque insidiis, cui alæ equitum duæ ab Archiepiscopo missæ erant, eos nihil hostile timentes interceptos, atque armis equisque amissis magna accepta strage *Perusium* rediisse, sententiam mutare ac alia ratione bellum gerere coguntur. Ea res primum versabat animos, eaque cura mentem incesserat, ut obsessis succurrerent, ac præsidium intromitterent: quæ res cum difficilis admodum manifestique periculi videretur, *Johannes* Vicedomini, magni vir animi, & bellis assuetus, per hostium castra cum triginta militibus oppidum ingressus est; quo percepto *Aulegius* vigiliis duplicatis, ne cui esset deinceps facultas introeundi, castra summa cura observari præcepit. Cum vero haud satis firmo præsidio *Scarparia* esset, continuisque vexaretur præliis, *Johannes Medices* egregii animi, & militaris disciplinæ haud ignarus, operam suam in ferendo oppidanis auxilio ultro pollicitus, centum selectis suo arbitrio peditibus, cum mœnibus propinquaret, [2] re hostibus palam facta, ferro viam faciens, viginti amissis [3] in oppidum penetravit. Jam mensis Octobris principium aderat, cum diffisi victoria hostes varia consilia ineunt. Nam, & finis stipendiorum, quibus militabant, instabat; plures quoque, quamvis suppuderet tam inanis diuturnæque obsidionis apud id oppidum nequicquam factæ, abeundum censebant. Tentanda tamen prius omnia rati, si quo modo daretur admissum [4] dedecus abolere, extremis viribus expugnationem aggredi parant. Igitur omni conatu machinis, ac sagittariis undique dispositis, admotis scalis, oppidum ingenti clamore, ad hæc horrendo tubarum sonitu adoriuntur. Inde fœde repulsi, postridie acto cuniculo ingressum tentant, ad cujus tutelam turrem ligneam, tamquam propugnaculum erigunt, ad murosque producunt, quo facilius, ac tutius cuniculus [5] ageretur. Animadversa re oppidani, & ipsi ex adversum ducto cuniculo repertos hostes pellunt, turrique incensa vim a mœnibus multis illatis vulneribus propulsant. Tertio fortuna oppugnandi tentata, cum fossas arboribus complessent, multisque fabricatis turribus ex propinquo muros invasissent, majori iterum jactura cædeque suorum accepta a prælio destitere. Ita [6] spe omni recipiendi oppidi abjecta, cibique, ac potus penuria premente, cum instaret hyems post sexagesimum oppugnationis diem *Bononiam Aulegius* [7] exercitum reducit. Soluta obsidione, oppidanis concessa immunitas, & militibus duplex stipendium datum; *Johannes* quoque, & *Silvester Medices* ob egregiam eorum in tuendo oppido navatam operam equestris ordinis dignitate [8] donati. Eodem fere tempore cum belli semina in *Hetruria* relicta essent, *Sacconusque* Archiepiscopi armis suffultus in *Perusinos* delatus plura de illis castella [9] ultro se *Mediolanensibus* militibus dedentia recepisset, ex *Tifernati* agro, dum ingenti parta præda se recipit, a *Florentinorum* copiis, quæ ad ferendam sociis opem proficiscebantur, commissa pugna, multis captis, atque occisis funditur, ac fuga sibi consulere cogitur. Eodem anno inter *Florentinos*, *Senenses*, *Aretinos*, *Perusinos* decreto equitum peditumque numero, quem singuli pro communibus fortunis defendendis præstare deberent, adversus Archiepiscopum fœdus est initum. Major 1351

93. *Cives eorum captos.* Una cum urbe Florentinis a plebe prodita. Pristinæ vero libertati a Carolo VIII. Galliæ Rege restituta.

94. *Sola tuta a bello*, hoc est sine præsidio, nulla cum esset a Pisanis suspicio.

95. *Hominum cupiditatem.* Vicecomitum, qui arma posituri non erant, nisi illis etiam subactis.

96. *Alam equitum.* Quæ tamen in Florentinos non pergeret.

97. *Ballistis.* Antiquum bellicum tormentum ad mœnia quatienda. Vide Lipsium *de Mil. Rom.*

98. *Scarparia.* Oppidum sic dictum eo quod in montis pede, vulgo *Scarpa*, sit positum.

99. *Mittunt.* Florentinos facile monere poterant per Germanos milites præsidiarios, qui aliquando cum obsessoribus itidem Germanis commiscebantur. Matth. Vill. *cap.* 21. *lib. II.*

100. *Octingenti.* CC. a Senensibus missos refert *Villanus ibid.*

1. *Sacconi dolis.* Qui montem Ulmo propinquum occupans in castris degentes adortus est. Parum absfuit quin caperetur, nisi ab Aretinis proditoribus adjutus fuisset.

2. *Propinquaret.* Ex Alpium parte, quæ ut impervia ab hostibus haud tenebatur.

3. *Amissis.* Fuga enim dilapsi erant: Matth. Vill. *lib. II. cap.* 23.

4. *Admissum dedecus.* Quod tamdiu in oppugnatione morati fuissent.

5. *Cuniculus*, subterranea excavatio per quam hostes obsessas urbes ingrediebantur.

6. *Spe &c. abjecta.* Nam cum Germani milites rursus spe duplicis stipendii ducti oppugnationem tentassent, noctu scalis admotis, & fœde repulsi fuissent, recedendum esse duxit die XVI. Octobris. Ammirat. *lib. X. p.* 535.

7. *Exercitum reduxit.* In versione Italica Jacobi habetur, Aulegium Bononiam regressum cum XV. militum millibus, quod nostro in Codice non apparet.

8. *Donati.* Non tantum equestri dignitate, sed etiam quingentis aureis. Adde his Jacobum a Flore eodem præmio donatum.

9. *Castella.* Burgum sancti Sepulchri Arrighetti opera scalis appositis occupatum, Englarium, oppidum S. Stephani, Perusinum, &c. Matth. Vill. *lib. II. cap.* 42.

10. Pe-

1351 jor tamen cum belli moles *Florentinis* immineret, ut in quorum cervices præcipue bellum esset motum, augendis vectigalibus dedita opera magnam [10] pecuniæ vim in usus bellorum congregant. Reverso *Mediolanum* cum exercitu *Aulegio*, cum ægre ferret Archiepiscopus non successisse quod sperabat, majoribus viribus bellum instaurare parat. Ad sumptus ministrandos durius tributum a subditis exactum, ita grave fuit, ut plurimi ex
1352 nobilitate multique præterea negotiatores rebus suis sublatis alio migrare cogerentur; quam rem minime probans magno natu quidam nobilis *Brixiensis*, cum propter familiaritatem, quæ ei cum Archiepiscopo erat, variis rationibus suaderet, ut a *Florentinorum* bello abstineret, asserens neminem ad eam usque diem contra eos prospere movisse arma, in iram versus Archiepiscopus, virum egregium, sanique consilii auctorem capite truncari in limine domus jussit: mali exempli res, & plus quam tyrannica: docuit suo damno vir bonus, quanto cum periculo dentur tyrannis, ac principibus sana consilia. Vulgato qui per hostem fiebat belli apparatu, nonnulla *Florentini* castella [11] in *Mugello*, ne hostium sedes fierent, demoliti sunt. *Scarparia* ampliatis fossis, murisque instauratis, validoque firmata præsidio *Ubaldinorum* pene dolis, atque insidiis capta est; nam pro operariis, qui munitionibus [12] intendebant, peditibus intromissis, detectaque fraude multis occisis, aut captis, re infecta abierunt. Interea *Florentini* sociique [13], non satis suis opibus freti, consilio inito, ut *Carolum* [14] *Boëmiæ* Regem, Imperatorem *Romanorum* designatum, in eorum subsidium evocent, Oratores [15] ad eum mittunt, qui his conditionibus fœdus cum eo percutiant, ut ducentis aureorum millibus [16] acceptis in *Italiam* ad compescendos Archiepiscopi conatus quamprimum transcendat. Memores vero injuriarum, quas a *Saccono*, cæterisque *Ghibellinarum* partium fautoribus acceperant, coactis in unum militibus, adversariorum agros late populati sunt, levibusque quibusdam præliis superatis hostibus præterita damna ulti ad sua tutanda revertuntur. A *Lucensibus* interim, ac *Pisanis* in Archiepiscopi gratiam mutatis animis, violato pacis fœdere bellum contra *Florentinos* est motum, factisque in eorum agris incursionibus, cum major belli metus ingrueret, Oratores ad Imperatorem [17] magnis itineribus ire jussi, ut superatis extemplo Alpibus eum in *Italiam* deducerent. Ea æstate ad duo millia equitum, peditumque, qui *Cortonæ* [18] urbe *Florentinis* inimica 1352
residebant, agros invadunt *Perusinos*, *Bettoniumque* per proditionem de improviso capiunt: quo facto moti *Perusini* accitis *Florentinorum* auxiliis oppidum cingunt, eoque paulo post, licet Archiepiscopi milites nequicquam ferre obsessis opem tentassent, potiuntur [19]. Simili fortuna *Florentinorum* exercitus *Lucenses Bargam* [20] obsidentes prælio commisso obsidionem relinquere, ac turpiter fugere coegit. At *Sacconus* per exploratores certior factus *Florentinorum* copias ad *Bargam* profectas, junctis Archiepiscopi suarumque partium militibus omni superioris *Arni* ora pervastata *Fighinum* cum summis viribus frustra oppugnasset, expugnato, direptoque, quod *Tartaliese* [21] dicitur, duobus passuum millibus propinquo, præda onustus ad suos revertitur. Archiepiscopus vir sagax, & prudens expertus res *Hetruriæ* haud satis ex animo succedere, *Caroli* quoque adventum 1353
contra se sollicitari pro explorato habens, ut hostes ab ea sententia revocaret, rebusque suis consuleret, omnem belli curam dissimulans pacem cum *Florentinis*, sociisque per *Lottum Gambacurtam Pisanum Florentinis* amicum [22] æquis conditionibus firmat. Non multo tamen post tempore cum *Genuenses* civilibus agitati discordiis (gens est mobilis, & novarum rerum cupida, & præ cæteris quietis [23] impatiens) se suaque libere Archiepiscopo dedidissent, mutata ex fortunæ indulgentia mente, causam belli movendi quærens, pacem a *Florentinis* non servatam criminando, omnia bello necessaria summa industria parat. Mors per- 1354
opportuna inanes curas illius, & dominandi appetitum diremit; ex pestilentia enim anno quarto, & quinquagesimo supra mille trecentos [24] triduo defunctus est: ex quo quies *Italiæ* paulum est a bellis data. Nepotes reliquit tres, *Maffeum*, *Bernabovem*, *Galeatium*, qui communi voluntate patrui imperium ita partiti sunt, ut *Genuæ* ac *Mediolano* æque omnes imperarent. *Maffeo Laudum*, *Bononia*, *Placentia*; *Bernabovi Cremona*, *Brixia*, *Bergamum*; *Galeatio Comum*, *Vercellæ*, *Novaria*, *Asti*, *Dertona*, *Alexandria* sorte cederent. *Johannes Aulegius*, cum *Bononiam* pro *Maffeo* regeret, ac simultate [25] orta, non multo post Archiepiscopi mortem, urbem suo subjecisset [26] imperio, quinto anno a *Bernabove* obsessus *Firmum Piceni* urbem sibi concedi a Pontifice, qui tum *Avinione* residebat, pactus, *Urbani Quinti* Pontificis Maximi Legato eam tradidit. [27] Erat initio summa inter eos concordia,

10. *Pecuniæ vim.* Publici reditus ad C. aureorum millia aucti, singulis & universis in commune conferentibus. Vill. *lib. II.*

11. *Castella.* Barberinum, Gallianum, & Marcojanum civili magis odio, quam rebus ita postulantibus diruta. *Id.* Vill. *lib. II. cap.* 54.

12. *Munitionibus.* Oppido nempe muniendo.

13. *Sociique.* Senenses, & Perusini paulo ante fœdere juncti.

14. *Carolum Boemiæ Regem.* Ludovici Bavari animum tentasse prius Florentinos Joannis Boccatii legatione narrat Ammirat. *lib. X. p.* 537. Sed ingentia postulans rejectus fuit, & Carolus advocatus.

15. *Oratores.* Quinque, Thomam Corsinum, Pinum de Rubeis, Gerardum Boldonum, Philippum Magalottum, & Ugoccionem Riccium.

16. *Aureorum millibus.* Ad annua stipendia præter decem aureorum millia Carolo donata Aquilejæ.

17. *Imperatorem.* Carolum IV. Boemiæ Regem, ut dictum est, & Romanorum Imperatorem.

18. *Cortonæ.* Cortona, seu Corytona inter Aretium 15. & Perusium 25. mill. pass. posita, a lacu Trasimeno 4. mill. pass. distat.

19. *Potiuntur*, & ad terrorem reliquis incutiendum funditus evertunt, civibus omnibus Perusium missis. *Matth. Vill. lib. III.*

20. *Bargam.* Montem non procul a Sercio Flumine.

21. *Tartaliese.* Fighini vicus appellatus, eo quod parum ab illo distet. Hunc a Petro Saccono noctu incensum narrat Matth. Vill. *lib. III. cap.* 38.

22. *Æquis conditionibus.* Prid. Kal. Aprilis pax Serezanæ firmata. Hujus conditiones vid. in Ammirat. *lib. X. p.* 553. & in Matth. Vill. *Cap.* 59. *lib III.* Cives Florentini in patriam restituti, & sua cuique reddita.

23. *Quietis impatiens.* A Venetis Genuenses ad Lungherium in Calaritano sinu profligatos, ne hostibus parere cogerentur, se Archiepiscopo dedisse refert Matth. Vill. *lib. III. cap.* 86. Sed *Ubert Folieta lib. VII.* civilibus ait agitatos discordiis ne sibi invicem cederent, externum dominum, nempe Archiepiscopum adscivisse ann. MCCCLIV. Vid. Plat. *in Vita Innoc. VI.* & Merulam *Antiq. Vicec. lib. VI.*

24. *Triduo defunctus.* Hoc est tribus diebus ejus exequiis datis, non autem trium dierum morbo defunctus, ut ait Matth. Vill. *lib. IV. cap.* 23. Nam ab Augusto Mense usque ad Octobrem morbus protractus. In templo Sanctæ Mariæ Majoris conditus Mediolani. Ejus sepulcrale elogium refert *Bernard. Cor. p.* 3.

25. *Simultate orta.* Eo quod Maphæus Aulegium Galeatio fratri magis faventem suspicaretur.

26. *Subjecisset Imperio.* Ann. MCCCLV. XX. Aprilis die urbe potitus, cum arcis custodi, qui pro Maphæo erat, filii cædem minitatus fuisset, nisi ultro cederet. Vill. *lib. V. cap.* 22.

27. *Legato eam tradidit.* Prius Florentinis oblatam, ab illis

1359 dia, tum *Venetorum*, quos inter & *Genuenses* acre
bellum erat, tum Imperatoris, quem fama ad *I-*
taliam venturum ferebat, metu. Paulo post Ar-
chiepiscopi supremum diem belli *Pisani* incen-
1360 dium ab eis excitatum est: cui fomentum *Berna-*
bos præbuit, magis in *Florentinos* occulto odio,
quam aperto. Stimulabat magni animi virum,
tum cupido immoderata dominandi, tum etiam
Ghibellinarum partium favor, quarum robur, &
augmentum per *Florentinorum* calamitatem puta-
bat fore. Hujus Principis pollicitationibus, o-
peque elati *Pisanorum* animi variis injuriis, con-
tumeliisque, quibus lacessebant *Florentinos*, occa-
sionem bello movendo quærebant. In primis quo
negotiandi facultas (eo in primis exercitio Civi-
tas regebatur) adimeretur, immunitates omnes
antea concessas abrogarunt, tum nova mercatu-
ris vectigalia, quibus omnis spes lucri auferebat-
tur, addiderunt. Eo decreto compulsi *Floren-*
tini Thelamonis [28] portum cum *Senensibus* pa-
cti sedem mercaturarum sibi in annos decem de-
legere, edicto publico omnibus civibus *Pisas*
adire negotiandi gratia prohibitis: nec ullis de-
inceps oblationibus, quæ plurimæ a *Pisanis* fa-
ctæ sunt, adduci potuerunt, ut decretum id
aboleretur. Ob eam rem commoti *Pisani*, mo-
vendi belli causam quærentes, dolo, fraudeque
cives quosdam sibi fidos proscribebant, [29] qui
in *Florentinorum* propinqua oppida per speciem
metus, & in *Pisanos* odii confugiebant. Op-
portunitate deinde capta, diripienda per prodi-
tionem oppida, tenendaque *Pisanis* tradebant,
a quibus in agros pacatos prædonum more in-
1362 cursiones fiebant. Id cum animadvertissent *Flo-*
rentini, & ipsi quoque iisdem [30] artibus castel-
lum *Petræ Bonæ* de *Pisanis* ceperunt, unde
ad bellum apertum deventum est anno salutis
secundo, ac sexagesimo post mille trecen-
tos. Suscepta belli cura, septem millium equi-
tum, peditumque exercitu comparato, *Bonifa-*
cium [31] *Lupum* Ducem belli declarant: qui acce-
ptis, [32] copiis, populato *Pisanorum* agro, omni-
que pecorum genere abacto ad triginta duo oppi-
da, partim vi, partim deditione de *Pisanis* cepit.
Redolfus [33] deinde *Varanius Camertes*, vir suæ æ-
tatis, & pace & bello clarus illi suffectus, cum
omni exercitu ad mœnia usque urbis profectus
haud procul [34] mille ab urbe passibus castra locat.
Inde populata omni finitima ora, plures post dies
cum omni exercitu ad oppida expugnanda con-

A versus *Pecciolum* primo, haud contemnendum op- 1361
pidum, deinde nonnulla castella, & in his *Toja-*
num, unde campana advecta in palatioque locata
[35], hodie quoque loci nomen servat, expugna-
ta sunt. Sex interim triremes tum ad *Thelamonis*
portum tuendum, tum ad *Pisanum* littus infestan-
dum paratæ, *Gilii* [36] insula capta, *Pisanum* por-
tum ingressæ, direptis nonnullis, incensisque na-
vibus; sublatis quæ eum muniebant catenis, *Flo-*
rentiamque delatis, ac in victoriæ signum ante
templi fores, quod *Johanni* [37] dedicatum est, su-
spensis, turres ad illius custodiam fabricatas de-
molitæ sunt. Fama vulgata erat *Redolfum* satis
B ignave, remisseque [38] bellum administrare. Ideo
successor ei datus *Petrus Farnesius* imperio acce-
pto cum mille quingentis electis equitibus in a-
grum *Pisanum* transiit, hostesque, qui ei occur-
rerant, commissa pugna, superavit: ducem quo-
que [39] belli, ac multos præterea captos insignes
viros *Florentiam* victoriæ testes duxit. Deinde
ad exercitum reversus tribus castellis ad oppugna-
tionem *Bargæ*, quæ *Pisanus* in diversis locis e-
rexerat, captis, omnes qui oppidum obsidebant
profligavit. Hunc præclarum belli artibus du-
cem eadem æstate [40] pestilens [41] morbus absum-
psit. Funus magna pompa celebratum sepultum-
C que: ob rerum bene gestarum memoriam in *Re-*
paratæ templo statua equestri supra portam posi-
ta. In eius locum *Renerius* [42] frater dissimilis 1363
moribus, & virtute suffectus est. *Pisani*, cum
Florentinorum copiæ in stativis essent, *Britannis*,
qui transacto inter *Gallorum*, & *Britanniæ* Reges
bello in *Italiam* transcenderant ad tria millia (ii
erant probati bello viri) pretio [43] conductis, ad-
ditis præterea militibus aliis, adeo ut speciem
exercitus conficerent, agrum *Pistoriensem* nullo
impediente populantur. Inde ad secundum a *Flo-*
rentia lapidem infesto agmine profecti omnia late
præda, atque incendiis miscent: trajectoque *Ar-*
D *no* flumine *Emporium* [44] petentes omni ea ora u-
bere sane, ac referta incolis vastata, multis mor-
talibus occisis, aut captis, *Pisas* [45] revertuntur.
Rursus exercitu *Florentiam* versus misso, per su-
periorem *Arnum* descendentes *Fighinum* expu-
gnant, incolisque in captivitatem abductis dire-
ptum oppidum incendunt. *Florentini*, & ducis
virtute, & militum numero impares, ut qui ma-
jori ex parte externo equite constarent, duce *Re-*
nerio ad *Lancisam* hostibus obviam, ne ad urbem
redirent, profecti, suasore *Pandulfo Malatesta*
(vi-

E lis vero ne pax violaretur rejectam. Recepta est a Legato ann. MCCCLX. post annos decem ab ejus defectione.

28. *Thelamonis portum.* Thelamon oppidulum in maritima parte Senensis agri in Hetruria cum portu ad oram maris Tyrrheni a Thelamone Trojano conditum, seu ut aliis placet, a Thelamone Argonauta.

29. *Proscribebant.* Ex composito cives exulatum abire jubebant, ut a Florentinis in oppido recepti pro temporis opportunitate in eos arma sumerent.

30. *Iisdem artibus.* Joannis Saxi opera qui Florentinorum hostem se dictitabat.

31. *Bonifacium Lupum.* Parmensem.

32. *Acceptis copiis.* Cum veteri superstitione augures consuluissent, die Lunæ XX. Junii, hora XII. tanquam felicissima, Duci signa tradidere. Præceps exercitus se se extra urbis mœnia proripuit, ne hora illa, re infecta, dilaberetur; nec ut alias per Sanctæ Mariæ Portam egressus, quod F cunctæ ejus expeditiones per hanc factæ adversæ fuerant, sed per portam Rubeam. Matth. Vill. *lib. II. cap.* 3.

33. *Rodulphus.* Bonifacio suffectus. Florentini cives Bonifacii justam & tenacem propositi mentem indignati, publicam utilitatem privata invidia oppugnarunt.

34. *Haud procul mille &c.* Quingentis tantum passibus asserit Matth. Vill. *lib. II. cap.* 17. a Pisarum urbe Rodulphum consedisse, & equorum ludum in hostium contemptum celebrasse.

35. *In Palatioque locata.* In Palatio Priorum, ut mercatoribus meridianæ horæ signo pulsata inserviret. Vill. *ibid. cap.* 20.

36. *Gilii Insula capta.* Duce Petro Grimaldo Genuensi.

37. *Quod Johanni dedicatum est, catenis suspensis.* Antiquo more, qui etiam nunc viget, hostilia arma, spoliaque Deorum templis affigendi, ut sæpius in *Virgilio*, ac *Homero*.

38. *Ignave bellum administrasse.* Petiolo potiri poterat, Pisasque propius urgere, ni fœminis tempus & operam dedisset.

39. *Ducem quoque belli* Raynerium de Baschis una cum CL. hostibus cepit Farnesius, qui lauream coronam a Florentinis oblatam magna animi moderatione recusavit. Matth. Vill. *lib. II. cap.* 51.

40. *Eadem æstate.* Ann. MCCCLXIII. XIX. Junii morbo inguinis correptus dum ad S. Miniatum pergeret, nocte occubuit; delatusque Florentiam in S. Reparatæ templo sepultus est.

41. *Pestilens morbus.* Morbus inguinis, qui in Veneta, Illyrica, & Florentina ditione grassabatur. Hoc eodem morbo Matthæus Villanus qui hæc de Farnesio narravit absumptus, cujus desiderium minuit Philippus paternarum virtutum hæres.

42. *Renerius Farnesius.* In grati animi signum fratri suffectus.

43. *Pretio conductis.* De Britannis conducendis Florentinos monuerat Petrus Farnesius, & quidem minori pretio, quam a Pisanis conducti fuerant: sed civium animos amovit Justitiæ Vexillifer. Matth Vill. *lib. II. cap.* 48.

44. *Emporium.* Vulgo *Empoli.*

45. *Pisas revertuntur.* Die XVIII. Julii MCCCLXIII. Alberto Germano Duce.

46. *Pi-*

1364 (viro fidei, ut postea traditum est, dubiæ) castra latiori campo, quam numerus militum pateretur metati sunt. Nota *Florentini* exercitus paucitate, *Pisanorum* [46] dux confisus, ad hæc proditione *Germanorum* equitum alæ, quæ duce *Artimano* [47] simulato timore aufugerat, aggressus castra superior pugna fuit. Quadringenti eo prælio interfecti: dux belli, multique præterea strenui viri [48] capti, impedimenta omnia amissa: *Lancisa* [49] in potestatem hostium radacta, atque incensa. *Britanni* ad duo millia prædandi gratia tribus ab urbe millibus passuum profecti, populatis agris villisque incensis *Fighinum* redeunt. Poterat expugnari facile hostis, si fide integra dux *Pandulfus*, qui capto *Renerio* successerat, fuisset; sed ut compertum est, fallaci spe ductus imperio urbis inhiabat, quod per incommoda civium, & adversa prælia haud dubie sperabat fore. *Pisanorum* milites agrum *Aretinum Casentinatem*que crebris incursionibus infestantes, opulenti præda, qua venerant via *Pisas* concessere. Diminutis *Florentinorum* adverso prælio militibus, cum de supplemento consultarent, exulibus omnibus, qui variis de causis extorres patria erant, Senatus consulto venia data est, si certo tempore propriis sumptibus pro Republica militassent. Ad centum quinquaginta fuere, quorum opera admodum civibus utilis fuit. Exulum ductor fuit *Benghius Bondelmontes* nobilissimo genere natus [50], qui defensioni *Bargæ* intentus, comparatis nonnullis præter eos peditibus castella omnia per *Pisanos* denuo in expugnationem ejus oppidi erecta, captis omnibus, qui custodiæ præerant, incendit. Additis deinde sibi incolis, qui tuto oppidum relinquere poterant, *Britannos* suis opem ferentes commissa pugna superavit. In eo certamine multi capti, interempti vero ad ducenti, & quinquaginta: qua victoria præmia *Benghio* [51] data, & in annum dux exulum factus Altero dehinc anno *Johannes* [52] *Augutus*, rei militaris scientia clarus, & bello assuetus, cum *Britannorum* exercitu a *Pisanis* mercede paratus, primo impetu *Vallem Nebulæ* ingressus, magna potitus præda in agrum *Pratensem* transiit, omnibusque circum populatis agris, omnique regione qua transierat vastata, multis tamen equitibus [53] amissis *Pisas* repetit. *Bernabos* interim Vicecomes occultus *Florentinorum* hostis, sperans eo nutriendo bello aliquem sibi aditum in *Hetruriam* dari, quo suæ opes augerentur, cujus pollicitationibus freti *Pisani* bellum moverant, tria equitum millia in eorum subsidium misit, eo nomine, ut diceret illos *Pisanorum* pecunia corruptos ad inferendum *Florentinis* bellum: quæ res *Pisanis* tamquam explorata victoria auxit animos, bellique reddidit cupidiores. Simulabant tamen per fraudem, quo spe pacis injecta *Florentinos* negligentiores redderent, se quietis avidos esse. Itaque per Legatum [54] *Urbani* Pontificis tentata pax, *Pisanis* consulto iniquas conditiones petentibus, irrita fuit. Non tamen remiserant *Florentini* belli curam, quod petitæ pacis simulatione imminere apparebat; sed exercitu decem millium electorum equitum comparato consilia hostium expectabant. Pace infecta, cum *Britannis*, præsidiisque a *Bernabove* missis, eæ [55] copiæ validum exercitum confecerant, in agrum *Pistoriensem*, *Pratensemque* per *Vallem Nebulæ* prædatum venere, tum per marinam in *Mugellum* progressi præda omnis generis parta, aliquot diebus in ea regione commorati sunt. Missi ad ejus oræ custodiam duo mille equites, majori ex parte *Germani*: cum levibus commissis [56] præliis, quibus victores discessere, docuissent *Britannos* certamine vinci posse, hostes considerantes, & inutilem & minime salutarem in eis locis moram, in agrum *Pistoriensem* redire necessario coegerunt: quo ex loco *Florentiam* versus profecti per oram [57] agri *Fesulani*, quæ urbem respicit, *Ravezanum* usque venere, locisque circum omnibus, cæde, incendio, rapinis pervastatis, *Florentiam* reversi, propius urbem castris positis, propugnacula quædam extra *Bononiensem* [58] portam oppugnavere. Postridie transjecto *Arno* in regiones *Senæ* propinquas, nulla belli crudelitate omissa prædatum profecti, ubi paucos dies ad curandos saucios, qui vulneribus ex variis castellorum oppugnationibus acceptis ad duo millia erant, commorati, *Vallem Arni* superiorem petunt, frustraque tentatis nonnullis prælio oppidis, *Aretino*, *Cortonensi*, *Senensi*que agro populato, in *Pisanorum* fines, qua venerant via revertuntur, ultra sexcentos ex suis ea expeditione desideratis. Interim *Florentinorum* summa diligentia congregatæ apud *Miniate* oppidum copiæ, prope *Pisas* ad *Gradus* [59] posuere castra. Ingressi urbem milites ex citeriori *Gallia* a *Bernabove* missi, cum popularium animos auxissent, *Florentinorum* copias vinci posse arbitrati, *Mediolanensis* viribus maxime freti, castra hostium magno impetu, veluti ex improviso aggressi, cum Ducis prudentia ad subitos intenta casus, ita acies dispositas appareret, ut signis collatis, si res exigeret, ad dimicandum præparati viderentur, tumultu verius quam pugna excitato, ad suos se recipere coguntur. Cum in urbem *Pisani* rediissent, exercitus *Floretninorum Liburnum*, [60] tamquam portus custodem concessit, expugnatumque incendit. Inde cum fama esset *Pisanorum* copias, quæ ex illorum agro onustæ præda redibant, jam in proximo esse, ne interclusus distine- 1364

46. *Pisanorum Dux.* Manettus Lamodajesi filius.

47. *Artimano.* Germano Comite.

48. *Viri capti.* Cum Raynerio Farnesio Joannes Obicius, Joannes Mangiadorus, & Bartholomæus Portigianus capti.

49. *Lancisa.* Seu Incisa Francisci Petrarchæ origine clara.

50. *Genere natus.* De hac præclara familia, quæ his quoque temporibus floret, multa refert Joann. Baptista Casottus *in hist. Deiparæ ab Impruneta*, & Ugol. Verrinus *de Illustr. Urb. Flor.*

Prisca Bonimontis soboles, Scolarius idem
Sanguis, & ex uno descendit uterque parente.
Cum peteret Thuscas Virgo Salùclia sedes,
Sanguine Regali gemines enixa resedit,
Unde genus clarum gemini traxere nepotes.

51. *Benghio data.* Ob bene navatam operam, vexillum enim Pisanum una cum aliis XIII. captum Florentiam miserat. Philipp. Vill. *lib. XI. cap.* 57.

52. *Johannes Augutus.* Anglus eo sermone *Kauchowole* appellatus, quod idem ac *Silvestris accipiter*, eo quod eum mater in silva inter accipitrum venationem genuerit. Ammirat. *lib. XII. p.* 633.

53. *Equitibus amissis.* Tercentis, ut Philipp. Vill. *lib. XI. cap.* 81.

54. *Per Legatum.* Marcum a Viterbio Fratrum Minorum Generalem Florentiam missum.

55. *Eæ copiæ.* Sex millium veteranorum militum.

56. *Commissis Præliis.* Quorum uno triginta Germani milites Duce Henrico Monteforti centum Anglos profligavere. Philip. Vill. *lib. XI. cap.* 85.

57. *Per oram agri Fesulani.* Hoc est per agros Fesulanos Florentiæ propinquos. Fesulæ procul a Florentia 4. pass. mill. Urbs est Episcopalis a Florentinis eversa ann. MXXIV. Colonia perantiqua.

58. *Bononiensem portam.* Per quam ad Bononiam iter, aliter *S. Galli* porta nuncupata.

59. *Ad Gradus.* Nempe ad Sanctum Petrum in Grado.

60. *Liburnum tanquam &c.* Sumit Liburnum pro arce quæ Pisanum portum tuebatur, nunc Liburni nomine, tum arx, tum portus intelligitur; Qui intra palude: prope Montem Nigrum, inter Pisas 13. & Vada Volaterrana ad ortum 20. pass. mille positus est.

1364 neretur, *Volaterras* proficiscitur; *Britanni*, *Germani*que nonnulli corrupti pecunia, cujus avida gens est, derelictis *Pisanis* agrum *Senensem* hostili more ingrediuntur. Deerat dux belli *Florentinis*, qui exercitui, in quo ad sexdecim millia hominum censebantur, præesset; nam antea *Pandulfus* minime Civitati gratus missionem postulaverat. Itaque accitum *Galeottum Malatestam* virum spectatæ virtutis, artibusque imperatoriis insignem exercitui præficiunt. Iis acceptis copiis *Cascinam Pisanorum* oppidum septem millia passuum urbi propinquum perrexit. Erat dux senex admodum, ac valetudinarius, in quo magis animi vires, quam corporis vigerent. Nequid ergo detrimenti caperetur, exercitus curam *Manno Donato Florentino*, viro impigro, bellicisque rebus exercitato demandavit, tribus additis Præfectis, quorum consilio, atque opera saluti castrorum provideretur. *Mannus* præ cæteris egregii Ducis consilio usus, qua ex parte castra debiliora videbantur, munitionibus, stationibusque militum firmiora reddidit. Sparsa per urbem fama, qua majora veris afferebantur, castra hostium laxiori asservari cura, quam disciplina militaris requirat, milites palatos, vagosque ferri, omniaque remisse, ac dissolute agi, *Pisanos* ad castra quam primum expugnanda movit. *Johannes Augutus* dux sagax, quotidie tentari castra lacessentium more jussit, quo in futurum negligentiores fierent, cum totis viribus pugnaretur. Ubi vero post ejusmodi frequentes congressiones tempus [61] adesse visum est, præsenti animo *Britanni*, *Pisani*que cum omnibus copiis hostium castra summa vi adoriuntur. Primo congressu *Mannus* [62] vir strenuus cum quinque cohortibus, & ala equitum facta eruptione a latere hostes invadit, quem cæteri duces remotis castrorum munitionibus magno impetu sequuntur. Acriter, ac diu utrimque pugnatum est. *Britanni* prioribus victoriis elati forti animo certabant; nostri vero, ut acceptas injurias ultum irent, inflammati pœnas ab hostibus expetebant. Clamor ingens utrimque increbuerat, utrinque gladii micabant, summa vi, asperoque marte cominus collato pede certabatur. Multi cadebant, plures vulnerabantur. Tamen cum aliquot horis pugnatum esset, inclinata hostium acie vincuntur. Longo fessi prælio *Pisani*, omnesque in fugam versi, dux cum paucis ad *Sabinum* oppidum, ubi equos reliquerat, effugit. Ad mille homines eo prælio desiderati, duo millia capti; externi milites majori ex parte dimissi sunt. *Pisani* ad unum in custodiis habiti. Censebant plures, si e vestigio oppugnatum *Pisas* iretur, facile fore, ut in tam trepidis rebus, ubi nullus locus consilii esset, in tanta tum captorum, tum interfectorum civium mœstitia, urbs imparata primo impetu caperetur. Raro in tanto terrore consilia expedita esse solere, mœstitiam debilitare animos, tanta præsertim clade perculsos: Alii

A non [63] temere agendum affirmabant, munitam esse urbem, multosque ex acie equites, ac pedites, qui in urbem confugissent superesse, tutiora consilia dubiis esse præponenda. Itaque cum urbis portis obequitassent, atque in tantæ cladis memoriam *Galeottus* nonnullos cives, & in his *Lottum* [64] *Castellanum* equestri donasset dignitate, ad *Miniate* revertitur missis *Florentiam* cum captivis vilioribus, curribus quatuor & quadraginta; digniores equis sunt advecti, quibus omnibus, quamvis acerrimi hostes essent, tamen benigne etiam a mulieribus cibus abunde datus. Ob hanc insignem victoriam statutum est, ut quo die, is
B sancti Victoris fuit, *Pisani* superati victique fuerant, equorum cursu quotannis victori pallium sericium præmio daretur. In agrum deinde *Pisanum* exercitus ductus magnis calamitatibus urbem afflixit, quæ res eos pacem petere coegit, quæ licet ab omnibus civibus improbaretur, ut qui urbem inimicam, & imperii æmulam expugnare, & in servitutem redigere in animo haberent, idque non multo tempore se assecuturos confiderent; tamen cum novum fœdus inire eos cum *Bernabove* omnes prædicarent, illique jam oppidum *Petræ Sanctæ* [65] traditum esse appareret, quo *Florentinis* bellum inferret, majores
C motus veriti, Oratores quinque *Pisciam* [66] miserunt, qui his conditionibus pacem dixerunt, ut *Petræ Bonæ* [67] castellum, quod belli causa fuerat, *Florentinis* traderetur, nonnullaque oppida *Pisani* in finibus eorum sita demolirentur. Insuper centum aureorum millia in decem annos æquis pensionibus solverent, utque priores immunitates *Florentinis*, qui negotiandi causa *Pisas* se contulissent, restituerent. Ita secundo post cœptum bellum anno, quarto vero, & sexagesimo supra mille trecentos pax [68] constituta est; quinquennioque post *Bernabovis* bellum exortum, cujus initia paulo altius videntur repetenda. Con-
D fecta pace, *Johannes Agnellus Pisanus Ghibellinæ* factionis princeps, qui *Bernabovis* auxilio, consilioque, dum *Pisciæ* de pace ageretur, urbis tyrannidem occuparat, [69] haud multo post cum *Lucam* ad *Carolum Quartum* Imperatorem *Urbani* Pontificis exhortatione in *Italiam* reversum venisset, casuque quodam prolapsus coxam [70] fregisset, in exilium a civibus, tumultu populi excitato, ut primum rumor *Pisas* delatus est, agitur, *Petrus*que *Gambacurta* diversarum partium in patriam suorum favore receptus Reipublicæ gubernationem suscepit. *Lucæ* pro Imperatore erat Patriarcha [71] *Aquilejensis*, natione *Germanus*, qui
E oppidum *Miniate*, quod se *Carolo* sponte dederat, Imperii nomine occupans, vicina *Florentinorum* loca novo bello hostiliter invasit, ea mente, ut *Florentinos*, sicuti postmodum accidit, ad redimendam ab Imperatore pacem impelleret; quæ paulo post cum Imperator, qui *Romam* ad Pontificem ierat, *Lucam* rediisset, datis Imperato-

61. *Tempus adesse visum est.* Tempus expectaverat Augutus, quo sol in hostium faciem vergeret, ventusque meridianus pulverem in eorum oculos conjiceret. Philip. Vill. *lib. XI. cap.* 97.

62. *Mannus* Donatus Florentinus, cui post Galleottum belli cura demandata erat.

63. *Alii non temere agendum.* Galleottus Malatesta felicem belli exitum inimicorum fraudi committere noluit; ob locorum enim imperitiam timebat, ne insidiis deprehenderetur.

64. *Lottum Castellanum.* Una cum Petro Ciacciono a S. Miniate, & Bostolino Aretino, uti affirmat Philip. Vill. *lib. XI. c.* 97.

65. *Petræ Sanctæ.* Oppidum in ora maris Tyrrheni positum, olim Feroniæ fanum, a Desiderio Longobardorum Rege Petra sancta dictum ad abolendam prophanæ Deæ memoriam. Briet. *lib. VI. p.* 2. *Italiæ.*

66. *Pisciam.* Urbecula vulgo Piscia, a qua fluviolus Piscia S. Petri Patrimonium ab agro Senensi dirimens.

67. *Petræ Bonæ Castellum.* Pisanis ablatum per Florentinos par pari rependentes; cujus caussa ad arma utrinque deventum an. MDLXII.

F 68. *Pax constituta.* MCCCLXIV. Pridie Kal. Septembris pax firmata, posteriore die Florentiæ publicata.

69. *Occuparat.* Vide Philipp. Vill. *lib. XI. cap.* 10. Truncium *Ann. Pis.*

70. *Coxam fregisset.* Dum super male contextos trabes Imperatoris mimum intentus audiret, dissoluta machina in præceps actus est. *Ann. Pis.* & Corius *p. III. Hist. Med.*

71. *Patriarcha Aquilejensis.* Caroli IV. Imperatoris frater Nicolaus appellatus. Vide Raynald. *Ann. Eccl.* & Matth. Vill. *lib. V. cap.* 20. Decipitur *Truncius in Pisanis Annalibus*, qui huic Aquilejensi Patriarchæ Marquardi nomen tribuit, deceptus fortasse Marquardi Augustani Episcopi nomi-

tori aureorum [72] millibus quinquaginta, secuta est. Non destitit tamen Patriarcha, quin incursiones denuo faceret in agrum *Florentinum* prædandi gratia: & quia jam facta pace Imperatoris nomine nequibat; cum signis militaribus Eccle-
1368 siæ *Romanæ Florentinos* populabatur, ob eamque causam (& id Pontifex [73] cupiebat) Legatum *Romanæ* sedis Cardinalem [74] *Bononiensem* ex *Gallia* oriundum suo nomine Imperator, antequam in *Germaniam* regrederetur, *Senis*, quamvis libertatem adscivissent, ac *Miniati Lucæque* præfecit. Ægre *Florentini* ferebant *Miniatenses* relicto priore cum eis fœdere, Imperatoris ducem, ac milites contra se recepisse. Tentarunt primo eorum animos, si quo modo ad priora fœdera, rejecta Legati potestate, redirent. Ubi ea res nequaquam successit, obsidione oppidum expugnare adorti, tum suis, oppidanorumque exulum, tum sociorum auxiliis oppidum circumsedere. Inclusis opem ferebat Pontificis, qui *Lucæ* morabatur, Legatus, ut qui Imperatoris voluntate id facere præseferret. *Bernabovem* præterea *Florentinorum* hostem ad defendendum oppidum excivit, qui contra [75] fœdus antea cum *Florentinis* contractum, quo cavebatur, ut Vicecomites *Hetruria*,
1369 ipsi *Lombardia* abstinerent, milites subsidio obsessis mittere decrevit: ut tamen injuriæ honestam aliquam præferret causam, litteris *Florentinos* monuit, ut obsidionem relinquerent, utque castella de *Miniatensibus* capta restituerent. Id ne injustum omnino videretur, falso Imperatoris [76] nomine tutabatur, cujus jussu necesse sibi fore affirmabat arma adversus eos sumere, qui illum suaque oppugnarent. Non destitere tamen ab incepto *Florentini*, sed obsidioni intentiori cura incubuerunt, missisque [77] *Viterbium* ad *Urbanum* Pontificem Oratoribus, cum eo contra *Bernabovem*, quem nulla pacta servaturum constabat, fœdus iniere [78], cui *Bononienses*, *Lucenses*, *Pisani*, *Patavinus* [79]; ac *Mantuanus* [80], *Ferrariensisque* [81] Princeps socii accessere. *Bernabos* interim cum *Miniatenses* sua opera defendendos recepisset, primum pedites intromisit, tum *Augutum* a se pretio conductum cum exercitu ad liberandum obsidione oppidum ire jussit, qui castra hostium expugnare diffisus, apud [82] *Cascinam* consedit. *Florentini* præ metu illos castra locasse arbitrati, ducibus, qui exercitui præerant mandarunt, ut *Britannos*, quos paucos esse popularis rumor ferebat, e vestigio aggrederentur. Videbatur id consilium fore admodum periculosum, ideoque certamine abstinebant; at sæpius a summo Magistratu acriter timoris, ac negligentiæ, quod tamquam segnes in castris otiosi sederent, castigati, certam quodammodo victoriam fortunæ arbitrio commiserunt. Temerarium consilium malus eventus secutus est. Inita cum parte exercitus (nam reliqui in obsidione relicti erant) cum hostibus, qui procul a castris aberant, pugna, cum illi timorem cedendo simulassent, nostros effusius sequentes in insidias deduxerunt. Tum *Florentinus* undique circumventus, reintegrata pugna, Duce [83] exercitus, multisque præterea viris fortibus captis, *Auguto* victoriam concessit. Elati victoria hostes *Florentiam* versus profecti, late circum populatis agris, ad portas usque excurrentium more progressi ad quartum [84] lapidem castra posuerunt. Nequaquam adversa pugna territus *Florentinus*, majoribus viribus, nec minori cura obsidioni imminebat, novisque militibus missis, qui oppidum acrius premerent, omnibus rebus postpositis oppugnationem inceptam prosequitur. *Britanni* cum spoliato late *Florentino* agro ad *Miniate* redirent, quidam obscuræ famæ vir *Luparellus* nomine ad ducem [85] exercitus (is *Robertus* erat Comes *Battifollis*) clanculum noctu venit, pollicitus se aditum illis in oppidum daturum: ejus domus cum pro muro esset oppidi, hunc se nocte proxima, cum creta compactus esset, effracturum spondet. Verum ut oppidani ab omni ejusmodi suspicione, curaque averterentur, ab adversa oppidi parte scalas diluculo admoveri, oppugnarique eum locum summis viribus jubet. Ut erat constitutum, ad murum sublato clamore cum accessissent, oppidanis, militibusque ad defendendum oppidum intentis, demolito domus [86] muro *Luparellus Florentinos* admittit, qui ut in forum pervenere, excitato tumultu omnia terrore miscent. Tandem multa utrinque patrata cæde oppido potiuntur. Multi ex *Bernabovis* equitibus viri nobiles [87] capti, reliqui *Lucam* confugere. Recuperato *Miniate* salutis anno [88] millesimo trecentesimo supra sexagesimum nonum, Pontificis Legatus *Lucensibus*, *Florentinorum* exhortationibus proximo anno acceptis aureis, quos *Florentini* mutuo dedere, ad millia vigintiquinque, libertatem [89] restituit. Amisso *Miniate*, *Bernabos*, cum æstuaret animo, veritus ne in *Galliam* a Fœderatis adversus se bellum transferretur (jam enim *Bononiæ* equitum, peditumque cohortes plurimæ convenerant) copias suas in *Hetruriam* traduxit, spe certa proditione *Agnellum* in Tyrannidem restituendum: quæ res secreto cognita *Florentinos* movit, ut trecen-

mine, qui & ipse a Carolo Imperatore Thusciæ præfectus fuit.

72. *Aureorum* 50. & insuper quatuor aureorum millia singulis annis Carolo persoluta Matth. Vill. *lib. IV. cap.* 76. Pax vero XXI. Martii MCCCLXIV. secuta, magnis lætitiæ signis publice datis, sed civibus privatim mœrentibus, quippe pecunia exhaustis.

73. *Pontifex cupiebat.* Urbanus V. Caroli amicus.

74. *Cardinalem Bononiensem.* Guidonem de Bononia Episcopum Portuensem Carolus Roma post coronam acceptam decedens ann. MCCCLXVIII. Vicarium constituit, & Lucæ residere jussit. Bosq. *de Gest. Urb.* V. apud Rayn. *Ann. Eccl. T.* 16.

75. *Contra Fœdus.* Ann. MCCCLX. percussum. Oblitus Florentinorum benevolentiam, qui Imperatori in eum molienti auxilium denegaverant. Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. VIII.* Matth. Vill. *lib. IV. cap.* 81.

76. *Falso Imperatoris nomine.* Se enim ab Imperatore Vicarium constitutum ostentabat.

77. *Missisque Viterbium &c.* Non Viterbium, sed Romam Oratores missi Alexander ab Antella, Ugoccio Riccius, Blasius Guasconus, qui cum Arnoldo Cardinali Urbani Legato fœdus inirent. Ammirat. *lib. XIII. p.* 671.

78. *Fœdus iniere.* Ann. MCCCLXIX. XX. Novembris.

79. *Patavinus.* Franciscus Carrariensis.

80. *Mantuanus.* Ludovicus Gonzaga.

81. *Ferrariensis.* Nicolaus Estensis. Quibus additi Feltrinus Gonzaga Regii Lepidi Vicarius, Nobiles Corriggienses, & Aretini. *Ammirat. p.* 671.

82. *Apud Cascinam.* Pisano in agro decem passuum millibus a Florentinorum exercitu consedit Augutus. Leon. Aret. *lib. VIII.*

83. *Duce exercitus.* Joanne Regiensi; qui Miniatensi obsidioni intentus cum hoste congredi negabat, sed ignaviæ a Florentinis accusatus *Eamus*, ait, *quo inexpertium virorum stultitia nos trahit, sicuti animus non deest, ita nec consilium defuisse constabit.* Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. VIII.*

84. *Ad quartum lapidem.* Ut præ metu a Florentinis exercitus revocaretur, Miniateque obsidio tolleretur.

85. *Ad Ducem exercitus.* Duo exercitus Duces erant, quorum altero capto, alter oppugnationem persecutus est.

86. *Domus muro.* Vid. Corium *p. III.* Leon. Aret. *lib.* 8. & præ omnibus Ammiratum *lib. XIII. p.* 673.

87. *Viri nobiles capti.* Principes defectionis autores, Ludovicus, & Blasius de Ciccionibus, & Philippus de Lazerinis, qui Florentiam ducti, & ab irata plebe pene oppressi, capite tandem mulctati perduellionis pœnas dedere. *Leon. Aret. & Amm. ibid.*

88. *Anno.* Non MCCCLXIX. Sed MCCCLXX. ab ejus defectione a Florentinis ad Imperatorem XVI. transactis annis, defecerat enim ann. MCCCLIV. Matth. Vill. *lib. IV. cap.* 69.

89. *Libertatem restituit.* Detectis Bernabovis insidiis, qui Al-

1370 centos sagittarios, qui saluti illius urbis providerent, *Gambacurtæ* mitterent, quorum opera consilia omnia, & hostium conatus frustra fuere. Nam cum [90] proditorum industria *Bernabovis* pedites jam *Pisana* conscendissent mœnia, a præsidio *Florentinorum* re detecta e muro dejiciuntur. Exclusi vana spe milites, cum agrum *Pisanum* deprædarentur, missis a *Florentia* equitibus retro primum *Serezanam*, tum in patriam cessere. Pulsis *Hetruria* hostibus, *Florentinorum* [91] copiæ, duce *Manno Donato*, qui in bellis suæ Reipublicæ summa cum laude versatus erat, in auxilium Pontificis adversus *Bernabovem* proficiscuntur. Cum *Mutinam* venissent, *Bernabovis* exercitus *Regium Lepidum* obsidebat, castellis [92] quibusdam ad obsidionem urbis erectis. *Johannes Augutus* dux copiarum *Bernabovis*, prædæ cupidus, relictis cum præsidio castellis, in agrum *Bononiensem* transgreditur populandi gratia: oblata occasione *Mannus* una cum *Feltrino* [93] *Regii* tyranno castella hostium, superatis, qui in castra remanserant, expugnat: quo ex labore adeo defatigatus est, ut contracto morbo paucos intra dies expirarit, cujus imaginem *Patavinus Franciscus* [94] senior, ob ejus res & pace, & bello egregie gestas, in *Regia* inter illustres viros egregia pictura locari curavit. Victoria parta, sociorum omnium copiæ, *Florentinorum* duce *Rosso Riccio* in *Manni* locum, suffecto in agrum *Parmensem*, ubi *Bernabos* erat, prædatum transiere. Agebantur in ejus fere conspectu hostium spolia, pecora, captivique utriusque sexus abducebantur: nullum aberat calamitatum genus, quas militaris insolentia patrare consuevit; quapropter mentione pacis injecta eam æquis legibus componi posse in spem ventum est. At *Rossus*, sociique tentandum aliquid laude dignum antequam ab armis discederent, rati, spe seducti *Bargæ*, per proditionem recipiundi, cum ad oppidum pervenissent, vana spe lusi in insidias redeundo præcipitarunt. Capti *Riccius*, sociique, ut paci faciendæ assentiretur, Legatum adegerunt: quæ *Bononiæ* ea in primis conditione, ut captivi ab utrisque dimitterentur, anno supra mille trecentos septuagesimo, quo & *Urbanus* [95] Pontifex diem obiit, firmata est. Electus in Pontificem *Gregorius* [96] *Undecimus* cum *Florentinis*, *Lucensibus*, *Pisanis*, *Senensibus*, *Aretinis* fœdus renovavit. Eodem anno missus *Bononiam* Le-

A gatus Cardinalis *Bituricensis Augutum* paulo post suum adventum ea mente, ut *Mediolanensi* bellum inferret, conduxit [97], *Galeotti Malatestæ Italorum*, qui sub Legato militabant ducis consilio usus, qui terram hostilem armis quamprimum invadendam esse decrevit, ut Vicecomites potius de suorum salute, quam de inferendo cæteris bello animo agitarent. Parato valido exercitu, Legatus fusis primo impetu hostibus oppidum *Johannis* prope *Placentiam* de *Bernabove* vi 1370
cepit. Sequenti anno *Sancti Angeli* [98] Cardinalis, revocato *Bituricensi* [99] cum *Bononiam* Legatus venisset, bellum prosequitur, prælioque apud 1371
B *Brixiam* [100] cum hostibus commisso, *Galeotti* consilio illos fundit, fugatque. *Johannes Galeatius Virtutum* [1] Comes, *Bernabovis* nepos, *Francisci Estensis Ferrariensis* Principis virtute, qui captus fuit, defensus hostium manus evasit. Inde victor exercitus, cujus Dux [2] *Gallus* erat, urbem *Vercellas* [3] cum centum ferme oppidis pugnando
in deditionem recepit. His malis, ac novo metu compulsus *Bernabos Avinionem* Oratores [4] misit, pacem a Pontifice quacunque conditione re- 1372
demptururs. Et quamvis bello Legatus superior 1374
esset, pecunia tamen, atque amicorum preces adeo valuere, ut induciæ darentur, quas sibi redi-
C mendas quocunque pretio *Mediolanensis* censebat, tum ut bellum a se averteret, tum quoniam existimabat equites, peditesque Pontificis stipendio privatos necessario prædandi causa in *Hetruriam* transituros; quæ opinio virum prudentem minime fefellit. Nam publicatis [5] induciis, suasu quoque Legati, iter in *Tusciam* vertere. Erat enim,
& Legati [6], & Pontificis consilium *Florentiam* 1375
imparatam armis, inopia præterea frumenti, quæ maxima erat, urgente, urbi fame belloque oppressæ facile libertatem adimi posse. Qua inani spe ductus Legatus cum id sæpe ab eo postulatum esset, & ad Pontificem usque missum pro
D frumento subministrando, ne quid commeatus ad illos importaretur, mandarat: cumque omnia illorum causa Legatus, & Pontifex se facturos publice prædicarent, frumentumque missuros, tamen secreto summa cum diligentia, ne ad eos deferretur, providebant. Existimabat enim homo levitatis *Gallicæ* populum, fame cogente, arma adversus civitatis principes sumpturum, & eam fore causam, ut bello etiam, ac seditione fa-

Alderici Interminelli opera Lucam occupare moliebatur, cumque sibi & urbi timeret Legatus, acceptis 25. aureorum millibus civibus libertatem restituit, quam anno MCCCXIV. amiserant. Corius *p. III.* Leon. Aret. *lib. VIII.* qui addit Florentinos Lucam ad Rempublicam firmandam missos.

90. *Proditorum industria.* Quos inter præcipui Marcus Travalda Pisanus, & Neapolitanus quidam, qui variis cruciatibus affecti, capite demum mulctati sunt. *Ann. Pis. ad ann. MCCCLXX.*

91. *Florentinorum copiæ.* Bononiam Ægidio Tusculani Episcopo juxta sancitum cum Pontifice fœdus octingenti equites auxilio missi. Leon Aret. *lib. VIII.*

92. *Castellis quibusdam.* Ligneis, e quibus ignis saxaque in urbem conjicebantur.

93. *Feltrino.* Gonzaga Ludovici Mantuæ Principis fratre Rayn. *Ann. Eccles. ann. MCCCLXX. To. XVI. Col.*

94. *Franciscus.* Carrariensis Mannum qui curandæ valetudinis causa Patavium se contulerat, ibique obierat, summo honore est prosequutus. Leon. Aret. *lib. VIII. Hist. Flor.*

95. *Urbanus Pontifex.* Patria Lemovicensis, Guillielmus Grisant antea vocatus, octavo Pontificatus anno, mense 4. dum in Galliam proficisceretur mortuus est. Plat. *de Vit. Pont.* & Mass. *in Urb. Vita.*

96. *Gregorius XI.* die penultima Decembris ann. MCCCLXX. ut ex ejus litteris. Vid. *Greg. ann. 6 ep. cur. p.* 17. Hunc Lemovicensi Patria fuisse nonnulli asserunt. Petrum Belfortem appellatum vult Plat. sed alius ejusdem vitæ auctor Petrum Rogerii vocatum affirmat, cujus Pater Guillielmus Comes Bellifortis, ex quo in errorem inductus forte fuit Platina, ab oppido ejus ditionis familiæ cognomen ducens. vid Rayn. *Ann. Eccl. To. XVI.* Ita ipse *Baptista Sacchius* a Vico Platina, *Platina* denominatus.

E 97. *Conduxit.* Descivit a Bernabove Augutus ob imminuta stipendia, cum falsò a Galeatio ejus filio accusatus fuisset, quod in Astæ prælio officio defuisset.

98 *Sancti Angeli Cardinalis.* Guillelmus de Novelleto.

99. *Bituricensi.* Petrus appellatus tit. S. Mariæ Transtiberim. Rayn. *To.* 16.

100. *Apud Brixiam.* Scilicet ad Ruberiam. Rub. *Hist. Rav. lib. VI*

1. *Virtutum Comes.* Sic dictus a Comitatu Virtutum, quem dotis nomine una cum quingentis aureorum millibus illi dederat Isabella Caroli V. Soror. Pigna *Hist. Princip. Atest. lib. V.*

2. *Cujus Dux Gallus erat.* Hunc Hahuvevod fuisse adnotat Pigna *Hist. Princ. Atest. p.* 319. sed idem est ac Augutus.

3. *Vercellas cum centum &c.* Vercellæ Episcopi Othonis Flisci opera a Bernabove defecerunt. Cor. *p. III.* Ipse Gregorius Philippo Constantinopolitano Imperatori scribens *To. 3. ep. secr. pag.* 58. apud Rayn. *infra duos menses* (inquit) *ultra centum castra per rebellionem, & alios modos dictorum perfidorum* (scilicet Vicecomitum) *tyrannidi subtracta.*

F 4. *Oratores.* Tres, quorum princeps Paulus Christianus.

5. *Publicatis induciis.* Bononiæ a Guillielmo S. Angeli Cardinali, cui auctoritas concessa fuerat. Rubeus *Hist. Raven. lib. VI. To. 4. Epist. secr. p.* 160. apud Raynaud.

6. *Et Legati, & Pontificis consilium.* Suspicati sunt Florentini ex composito Augutum dimissum, ut eorum agros popularetur, & jam laborantibus fame venturæ segetis spem auferret. Sic Leon. Aret. *lib. VIII. Hist. Flor.* Cor. *Hist. Med. p.* 3. Addit præterea *Aretinus*, & Plat. *in vita Greg. XI.*

1375 fatigata urbs in ditionem suam veniret. Sed civium [7] prudentia occultorum hostium nequitiam superavit: quorum tanta fuerat, non solum spes, sed stultitia, Legati præsertim, ut nonnullos architectos *Florentiam* mitteret, qui locum conden- A dæ arci ad continendam in fide urbem designarent: quibus rebus permoti omnes una mente ad tuendam libertatem, insanæque cupiditati obsistendum vehementius exarsere. 1375

XI. in Pontificem commotos Florentinos eo quod Pratenses ad desciscendum impulisset, quod diluit Rayn. *To. XVI. epistola Greg. XI. Senensibus scripta*, & aliis insuper quas Gregorius Lucensibus, & ipsis Florentinis scripsit, quarum prima prid. *Idus Apr. ann. V. Avin.* 2. *apud Villanovam Avin. Diœcesis eodem anno.*

7. *Civium prudentia, occultorum hostium.* Nempe Pontificis & Legati qui occulte cum Joanne Auguto ad Florentini agri devastationem convenerant. Florentini cum vim vi repellere non possent, pecunia Augutum ex hoste amicum fecerunt. Vid. Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. VIII.*

POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI SECUNDI EPITOME.

Florentini, *fœderis conditionibus a Legato violatis, Vicecomitis auxilium contra Pontificem implorant.* Bononia, *multaque præterea oppida ad* Florentinos *deficiunt: unde excommunicationis sententia in eos lata. Duo* Florentini *milites Britones duos singulari certamine prosternunt. Oppugnatur* Bononia, *non tamen expugnatur.* Cæsena *barbare & crudeliter diripi-* B *tur.* Vulscinenses *Pontificis imperium abjiciunt; sed eorum oppidum proditione captum igne ferroque vastatur. Pontificis in* Italiam *adventus, qui post varios eventus occumbit.* Urbanus Sextus *in Pontificem electus a censuris* Florentinos *solvit, pacemque æquis conditionibus facit.*

LIBER SECUNDUS.



BELLUM inde difficile, ac periculosum anno quinto, ac septuagesimo supra mille trecentos secutum est, triennio ferme inter *Florentinos*, & præsides *Gregorii* Pontificis gestum, quod ab immensa, immoderataque aliena occupandi, tum Pontificis, tum Legati [1] qui *Bononiæ* præerat, ambitione profectum est. Erat *Florentiæ*, qualis nunquam antea, frumenti caritas: quod sciens Legatus, cum interdixisset, nequid annonæ ex *Flaminia*, *Bononiensi*que agro ad *Florentinos* comportaretur, speransque, ut fames, & bellum (duo ingentia mala) cives ad deditionem compellerent, tentata prius oppidi *Prati*, [2] proditione, eo *Augutum* exercitus Ducem, tamquam emeritis stipendiis liberum, ad capiendum oppidum misit. At ejus opera qui *Florentinis* occulte [3] favebat, & Pontificis Præfectis ob eorum dolos erat infestus, re detecta, proditores [4] supplicio affecti sunt. Fuerat præterea illi mandatum, ut agrum *Florentinum* ad annonam intercipiendam (& jam messis instabat tempus) longe lateque vastaret, quo majori fame populus vexaretur. Abbas [5] insuper *Montis Majoris*, qui *Perusiam* pro Pontifice tenebat, orta inter *Senenses*, C & *Cionum Salimbenum* eorum civem nonnullis oppidis, quibus imperabat fidentem, discordia, contra *Senenses* auxilia equitum peditumque subministravit, fretus cum vires eorum contritæ essent, se ejus urbis imperio potiturum; quod procul dubio accidisset, nisi *Florentini* animadverso Abbatis consilio rem *Senensem* defendissent. Timebant enim, ne cum *Senas* expugnasset, Legati consilia imitaretur. Intenta ne quid Respublica detrimenti caperet civitate, cum suis diffideret opibus, erat primorum consilium, tentandum *Bernabovis* esse animum [6], in amicitiamque, ac fœdus recipiendum, si quo modo id fieri posse D spes daretur; quod facile factu esse existimabant, cum semper Legati vires minuendi desiderium præsetulisset, induciasque pretio impetratas haud satis firmas esse crederet, arbitrantes quoque, etiamsi nihil auxilii in eo poneretur, tamen aliquid profuturam ad opinionem belli, ejus Principis societatem. Missis præterea ad Legatum Oratoribus, qui de injuriis expostularent, pluribus verbis: *Se indignos esse, cum semper Patribus Ecclesiæ favissent, ut iniquo bello appeterentur*, docuerunt. *Nullam esse causam, cur amici, & paulo ante [7] juncti fœdere, armis oppugnarentur, ne mi-* E *nima quidem injuria ab eis orta, quæ Pontificis erga se*

1. *Legati.* Nempe Guillielmi S. Angeli Cardinalis, ut dictum est.
2. *Prati proditione.* Petri Puccii a Caneto, & cujusdam Monachi opera. Ammirat. *lib. XIII. p.* 693.
3. *Occulte favebat.* Pecunia emptus Augutus Florentinis Prati proditionem detexit.
4. *Proditores.* Supradicti. Sed Petrus a Caneto, ut primus proditionis auctor ferreis catenis currui alligatus, candenti forcipe percussus, inverso capite ad genua usque terra obrutus est. Id constat ex processu qui in Fiscali camera habetur, cujus exemplum in Strozziana *L.* 1210. *a* 132. Ex quo non Presbyterum, ut Ammiratus, sed Notarium Petrum fuisse colligitur.
5. *Abbas Montis Majoris.* Gerardus natione Gallus, Pellinus *Hist. Per. p.* 1. *lib. VIII. p.* 1113.
6. *Animum.* Donato Barbadoro, Philippo Bastario, Nardo Andreæ, Simone Ritasè, & Ugolino Lapi Oratoribus missis. Amm. *lib. XIII. p.* 693.
7. *Juncti fœdere.* In Bernabovem ann. MCCCLXXI.

1375 *Bernabovis*, ac *Florentinorum* auxilio, quorum favore præſidiiſque omnes hæ civitates ſervitutem rejecerant, tenuit. Arx *Aſculana*, cui *Gometius* [33] *Hiſpanus*, urbique præerat, quamvis ſumma vi oppugnaretur, tamen, quia haud parvo præſidio, frumentoque munita erat, ad decem menſes obſidionem pertulit. Ei cum *Johanna* [34] Regina, in gratiam Pontificis, auxilium tuliſſet, ſuperati ab ea miſſi equites domum rediere, tandem arce reddita, obſeſſis cum rebus ſuis abire permiſſum eſt. Mirum videbatur, adeo o-
1376 mnium quibus Pontifex imperabat populorum, ob impotentem dominatum, immenſamque Præſulum avaritiam, unum animum, unamque eſſe mentem, ut vel perire, quam ſubjici eis mallent: & cum ſingulæ [35] urbes ac provinciæ ad defectionem ſpectarent, non tamen omnibus, licet idem optantibus, eadem deficiendi dabatur occaſio. Parvo tamen tempore univerſorum animi ad capeſſendam libertatem converſi ſunt. Videns *Gregorius* Pontifex omnia *Florentinis* ſecunda eſſe, nec prudentiam a fortuna ſejunctam, veritus ne *Bononienſes* aliorum exempla imitarentur, *Britonum* ad decem millia equitum, peditumque, qui vagi, abſque ſtipendio in *Gallia* populabundi in armis erant, conduxit [36]. Hos ſua conſuetudine, fortitudiniſque jactantia, ac propriis viribus fretos omnia pollicentes, cum ex eis peterent, an *Florentiam* ingredi ſperarent, ſuperbe nimium reſpondiſſe ferunt, non dubitare ſe, quin quo ſol ingrederetur, & ipſis quoque penetrandi facultas eſſet. *Gallica* profecto arrogantia, & faſtu plena, in *Alexandro* aut Cæſare non ferenda. At ii cum poſtmodum Alpes tranſiſſent, ne agrum quidem [37] noſtrum conſpexere. *Florentiam* deinde Pontifex Oratores [38] miſit, pacem pollicitus, & *Peruſii*, *Tifernique* libertatem, modo ab armis, ſollicitandiſque populis abſtinerent. Verum cum variæ Senatum diſtinerent ſententiæ, diemque ex die reſpondendo ducerent, *Granaroli* [39] *Bononienſis* agri oppidi, defectio Legato nuntiatur; ad quod recuperandum, dum *Augutus* cum ſuis proficiſcitur copiis, *Bononienſes* [40] a Legato *Florentinorum* opera deſciſcunt: quibus cognitis Oratores re infecta *Avinionem* redeunt. *Augutus*, cum nec oppidum ſummis viribus oppugnatum recipere potuiſſet, *Bononiam* vero redeundi nulla ſpes foret, *Faventiam* [41] Pontificis oppidum nil tale veritum occupat: hoſtilemque in modum direptum, ac civibus fortuniſque omnibus ſpoliatum *Nicolao Eſtenſi* Principi *Ferrarienſi* [42] tradit, qui dirutam urbem (cujus imperio *Aſtorgius Manfredus Florentinorum* opera poſtmodum potitus eſt) paulum inſtauravit. *Florentini Bononienſium* rebellionis culpam, ac doli crimen non evitarunt. Nam cum pax offerretur, & urbium nonnullarum libertas, rectius, tutiuſque videbatur honeſtæ pacis, quam inutilis belli conſilia ſequi. Fraus præterea viſa eſt, ac dolus, cum de pace ageretur, tantam urbem ad defectionem ſollicitare: ſed plus ad ſalutem [43] amiſſa *Bononia*, quam oblata pax nonnullis, quibus natura inſitum eſt, ut privata ſtudia publicæ utilitati prævertant, conducere viſa eſt. Hinc indignatio Pontificis ſe deluſum exiſtimantis, iraque in *Florentinos* incenſa eſt, qua motus, & *Britones*, gentem natura immitem, ac crudelem, in *Italiam* adverſus *Florentinos* tranſcendere juſſit, & jure Pontificio contra ipſos cenſuit agendum. Moris eſt *Romanorum* Pontificum, cum in quempiam ob commiſſum facinus animadvertere volunt, ut eum per Viatorem, ad criminis defenſionem vocent. Fiſci Procurator in [44] publico in frequenti Cardinalium ſenatu, circumſtante undique denſiſſima ex omni hominum genere corona, illius injurias, & delicta, in quem ſententia ſit ferenda exponit. Tum petit, ut lectis ad id Judicibus cauſa diſcutienda mandetur; deinde ut citetur reus, ut cauſam dicat, quæ omnia a Pontifice ſunt [45] ſervata. Nam & ejus in *Florentinos* enumerata [46] ſunt beneficia, & multis capitibus, de injuriis in Pontificem diſputatum. Decreta citatio, in qua omnes ferme Magiſtratus nominabantur, omnes inſuper narrabantur cives, qui belli auctores fuiſſent, quique ad id favorem, auxiliumque præſtitiſſent, præſcripto tempore, quo ad ſe defendendos venirent, *Florentiam* delata eſt. Magnum ea res in populo motum fecit, variuſque ſermo ferebatur, tum contra Pontificis Præſides, tum adverſus cives, qui bellum paci prætuliſſent; tandem multis diſceptationibus habitis placuit Oratores duos ad Pontificem, qui cauſam Civitatis tuerentur, mitti. Ii fuerunt *Donatus Barbadorus* [47] Juriſconſultorum eloquentiſſimus, & *Scriba Dominicus Sylve-*

33. *Gometius Hiſpanus.* De Bernotiis, vel potius de Albernotiis, Princeps Spoletani Ducatus, arciſque Aſculanæ, quæ ab eo defecit anno MCCCLXXV. menſe Febr. Ipſe in arce obſeſſus eam Decembri Florentinis ceſſit. Cor. *p. III. Hiſt. Med.*

34. *Johanna Regina.* Siciliæ utriuſque.

35. *Singulæ Urbes.* Ortona, Narnia, Civitas Vetus, Urbinum, Firmium &c. Cor. *Hiſt. Med. p. III.*

36. *Conduxit.* Duce Roberto Gebennenſi, Genevenſis Comitis fratre, Baſilicæ XII. Apoſt. Card. Flaminiæ, Piceni, aliorumque Provinciarum Legato. Rayn. *To. XVI. Ann. Eccleſ.* Hunc infra Antipapam videbimus Clementis nomine.

37. *Ne agrum quidem &c.* Cum enim Bononia eo tempore defeciſſet, ad ſua recuperanda intentus Legatus, in Florentinos ſe ferre non potuit.

38. *Oratores miſit.* Nicolam Spinellum, a Juvenatio, Seneſcalcum Provinciæ, & Bartholomæum Jacobi, Januenſem J. C. Ammirat. *lib. XIII. ad ann. MCCCLXXV.* & Matthæus Vaira *de Vita, & Geſtis Nic. Spinelli p. I lib.* 1.

39. *Granaroli Bononienſis agri.* Agri Faventini Caſtellum fuiſſe ait Platina *in Vita Greg. XI.* Pertinere ad Ravennatem Eccleſiam refert Rub. *Hiſt. Rav. lib. VI.* & a Lugo Ravennatis Eccleſiæ oppido millia ferme paſſuum abeſſe. Hujus defectio Aſtorgii Manfredi Faventini Reguli opera ſecuta eſt. Ex quo Faventinæ ditionis fuiſſe puto. Vid. Rub. *Hiſt. Rav. lib. VI.*

40. *Bononienſes a Legato &c. deſciſcunt.* Florentinis ſuadentibus, & auxiliantibus: nam duo equitum millia, & quingentos pedites una cum libertatis vexillo miſere. Girard. *Hiſt. Bon. lib. XXV.*

41. *Faventiam Pontificis oppidum.* Augutus cum Bononiam regredi nequiret, unde ut Granarolum recuperaret diſceſſerat, Faventiam ingreſſus, iram in Pontifici fideles populos evomuit. Leon. Aret *lib. VIII. Hiſt. Flor.* & Rub. *Hiſt. Rav lib. VI.* Addit vero ab Epiſcopo Oſtienſi, urbis præſide verito ne aliarum exemplo Faventia quoque deficeret, Augutum appellatum Britoneſque intromiſſos templa domoſque diripuiſſe.

42. *Ferrarienſi tradit.* Quadraginta, vel ut alii, quos inter Plat *in Vita Greg XI.* viginti ducatorum millibus acceptis.

43. *Ad ſalutem.* Florentiæ.

44. *Fiſci Procurator.* Vulgo Fiſcalis, qui tunc temporis erat Jacobus Cecca, Florentinis infenſiſſimus. Ammirat. *Hiſt. Flor. To. 2. lib. XIII p.* 697.

45. *Omnia a Pontifice ſunt ſervata.* Nam Petro tit. S. Laur. in Lucina Presb. Card. cura, ut de re inquireret, fuit demandata; ac Pontificiis litteris Florentinorum Magiſtratus, omneſque, qui operam ſuam contra Pontificem navarant, fruſtra jam admonitos ad Avinionenſia ſubſellia compelleret, die ultima Martii cauſſæ dicendæ conſtituta Rain. *Ann. Eccl. T. XVI.*

46. *Enumerata ſunt beneficia.* inter quæ præcipuum, quod eis Carolum IV. multa benevolentia, & ſollicitudine conciliaſſet. *Vid Rayn. ibid.*

47 *Donatus Barbadorus.* Cum Donato Barbadoro Alexandrum ab Antella conjungit Leon. Aret. *lib. VIII. Hiſt. Fl.* Sed nulla apud illum de Scriba mentio. Diſcrepantiam vero Aretini, & Poggii tollit Junior Ammiratus *lib. XIII. p.* 697. inquiens Legatos fuiſſe Donatum Barbadorum, & Alexandrum ab Antella, iiſque additum Dominicum Sylveſtri, quaſi in conſilium.

48. *A-*

1376 vestri filius, qui cum *Avinionem* [48] appulissent, tandem data publice loquendi potestate, *Donatus* apud Pontificem, & *Romanæ* Ecclesiæ primores, qui ad audiendum convenerant hujusmodi orationem dicitur habuisse. *Si æquis auribus (neque jam ut videor, præjudicata re* [49] *nos auditurus esses) Beatissime Pater, aut æquo jure disceptari liceret, non minore virtute animi, nec minore legum fiducia meorum civium causam tuerer, quam ipsi libertatem suam fortitudine, & prudentia defenderunt. Nam facilis esset defensio, quæ divino, & humano jure nititur, nisi plures cupiditate* [50]*, quam ratione ducerentur. Testarer* [51] *quippe nullam belli gerendi justiorem videri causam, quam ea, quæ sumitur pro repellendis injuriis, & libertate servanda; dicerem magis in culpa esse, magisque a recta via declinare, qui alteri inferunt injuriam, quam qui propulsant illatam; dicerem justissimam illorum esse rationem, qui pro suæ libertatis, pro sui status tutela, pro patria defendenda arma suscipere cogerentur, iniquissimam vero eorum, qui pro rerum alienarum appetitu, pro imperii cupiditate socios, atque amicos iniquo lacesserent bello. Verum quoniam tempora* [52] *nobis sunt, & apud multorum infestos animos mihi dicendum est, utar ea defensione, quam ipsum Deum primo, tum omnes homines, in quibus modo recta insit ratio, comprobaturos esse confido. Neminem sanæ mentis esse arbitror, Sanctissime Pater, quin libertatem natura appetat: qui partam, & tuendam sibi, & conservandam putet: quin illam existimet omnibus, quæ homini fortuna bona dederit, præferendam: quæ si dulcis, si jucunda, si exoptanda cuiquam videri debet, illis jucundior, dulcior, optabilior sit necesse est, qui diutina in libertate vixerunt. Nos annos paulo minus quadringentos libertate potiti sumus, quæ ita nobis natura jam insita est, & infixa cordi, ut pro illa servanda, si opus sit, noster populus mortem appetere sit paratus. Imitari enim conantur cives nostri Romanorum in ea re virtutem, a quibus originem traxere, quos legimus pro communi libertate sæpius summa cum gloria occubuisse. Hujus retinendæ voluntas nos compulit, ut quod natura ipsa suadet, vim vi repellentes, servitutem rejiceremus, rem nostris moribus maxime adversantem. Quod si belluis ratione carentibus a natura concessum videmus, ut corporis salutem, qua possint re tueantur, servitutemque naturali quodam munere horreant; quanto magis viris, ratione, & animi præstantia præditis infixa salutis, libertatisque debet esse cupido? Et his præcipue, qui longo tempore in libertate consenuerunt. Sua cuique salus cara esse consuevit, at libertas debet esse carissima, sine qua ne vita quidem videtur esse viris bonis, & fortibus expetenda. Etenim cum pluribus de causis bella suscipi soleant, nulla tamen justiora, nulla probabiliora esse possunt, quam quæ geruntur pro defendenda patriæ libertate, in qua domus, liberi, uxores, fortunæ, templa, divina, & humana omnia continentur. Itaque si ad tuendam adversus appetitum tyrannicum tot seculis possessam libertatem, non voluntas, sed necessitas nos coegit, non a tua sapientia accusandi videmur, sed laudandi; non a te oppugnandi, sed defendendi sumus; non odio a te aut malevolentia, sed amore, & caritate tractandi. Id enim egimus, quod ad viros fortes, & patriæ amatores pertinere sapientes volunt. Id quæsivimus, ad quod consuetudo, leges, jus gentium,*

A *ipsa naturæ vis, amor patriæ nos hortari, & impellere videbatur. Non arma contra tuum statum movimus, sed repulimus contra nos mota: non lacessivimus bello tuos, sed obstitimus lacessenti. Multis injuriis provocati, multis tentati* [53] *dolis salutem nostram tutati sumus: & id quod etiam bestiis est innatum, vitæ discrimen aufugimus, & miseram servitutem. Tulit anno præterito temporum conditio, ut fame premeretur populus noster: ad hanc sublevandam Legatum tuum Bononiensem, tamquam benevolum nobis, & amicum, sicuti palam ostentabat, summis precibus oravimus, ut ex agro Bononiensi, ex Flaminia, quæ loca frumento referta dicebantur, annonam ad nos devehi pateretur. At ea res, quæ il-*
B *lum ad pietatem, ad misericordiam, ad subveniendum necessitatibus nostris impellere debuisset, ad crudelitatem, ambitionem, impietatemque provocavit. Nam cum palam, quæ postulata erant, promisisset, occulte gravi edicto prohibuit aliquod egestati nostræ subsidium ferri: malis usus consultoribus, inanique spe motus e vestigio adjecit animum per famis occasionem posse populum nostrum, si quo insuper bello urgeretur, ad urbem ei tradendam compelli. Quod nos suspicantes, hoc ipsum suppliciter a Sanctitate tua petivimus; idque facile impetratum est. At bona verba malum opus est consecutum, & oblata a te spes in desperationem versa. Tu ipse optimus es testis, lite-*
C *ris te mandasse Legato, ut nostrum populum annona mittenda sublevaret. At is spe nostræ civitatis subjiciundæ, pro frumenti subsidio armatos in nos misit: pro veteri amicitia nova inimicitia ostentata est: pro copia rerum, quæ sperabatur, summa nos inopia affligere curavit. Exercitum duce Auguto in agrum Pratensem, cum spes esset ejus oppidi per proditionem recipiundi, ire jussit, & simul mandatum, ut segetem omnem ex agris nostris raperet, ac pervastaret, quo majori fame populus urgeretur; ut merito dicere possimus nos ab eo pro amore odium reportasse. Non erat hæc spes nostrorum civium, ut eorum libertas fame urgente*
D *appeteretur: non eorum erga Romanam Ecclesiam merita postulabant, ut pro beneficiis, quæ multa in Pontifices extiterunt, eis maleficia redderentur. Nam quæ major crudelitas, quæ major immanitas esse potest, quam fame, re omnium crudelissima urgere homines ad servitutem? Misericordia, & pietate digni sunt famelici, non impietate, ac crudelitate, etiam adversus belluas improbanda. Feræ bestiæ, & immanis asperitas fame domari consuevit: liberi vero populi servitus nequaquam fame est appetenda. Quod si quos misericordia, & pietate uti decet, ad illos potissimum id opus spectat, quos Deus ministros, & opifices misericordiæ instituit, qui astringuntur ar-*
E *ctius ad obtemperandum summi Dei præceptis majori ex parte in caritatis beneficio constitutis: omnia Dei mandata sunt salutaria, sed nullum tantopere servari jussit, quam caritatem, in qua & misericordia, & legis mandata omnia continentur. Quod est autem majus misericordiæ officium, quam cibo famem sedare? Humiliter petentibus cibum dare? Ipsa nos hortatur natura, atque impellit ad beneficentiam, & humanitatem, & ad communem vitam animantium conservandam. Ea efficit, ut non solum deprecantibus hominibus, sed canibus etiam gestu blandientibus præbeatur cibus. Petet aliquis forsan, nunquid a nobis aliqua in re offensus, numquid ullo errato nostro, nunquid nostra culpa irritatus contra nos esset Legati a-* 1376

48. *Avinionem appulissent.* Prid. Kal. Apr. hæc enim præscripta citationis dies fuerat.

49. *Præjudicata re.* Hoc est animo occupato, & in contrariam partem inclinante.

50. *Cupiditate* ulciscendi. Referendum hoc ad Cardinalem Bituricensem, & Card. S. Angeli.

51. Ab honestate causæ.

F 52. *Tempora nobis sunt.* Intelligendum infesta, seu contraria.

53. *Multis tentati dolis.* A Guillielmo Cardinali S. Angeli, Bononiæ Legato, qui Augutum occulte ad Florentinum agrum populandum miserat, Pratumque ad defectionem sollicitaverat, quod non sine noxa fieri potuit. Leon. Aret. lib. VIII. Hist. Flor.

1376 *animus? nihil minus: summa vigebat inter nos concordia* [54], *summa animorum conjunctio videbatur, summa ostendebatur benevolentia, neque ulla minor in nos suspicio descendere poterat, quam nostram civitatem ab eo tam iniquis facinoribus esse oppugnandam: primum annona concessa verbo, re denegata est, ut fame destineremur: tum exercitus in nos velut hostis traductus est: oppidi* [55] *proditio tentata, postremo militibus mandatum, ut messis, quæ adhuc in agris erat, corrumperetur, quæ eo spectabant, ut tamquam jumenta fame domita servitutis jugum subiremus. Hæc tanta pericula cum nobis imminerent, quid agere debuimus Pater Sancte? an cervices præbere nos jugulare cupienti? quod tu nobis, si te consuluissemus, tamquam universorum Patrem, consilium dedisses? Quam nobis salutis ostendisses viam? fame urgetur civitas Florentina, subsidium in te denegatur: ab his quos minime oportuit oppugnamur. Crudele id etiam in hoste esset, ne dum in eo, qui se amicum profitetur. Exercitus contra nos destinatur; idest contra eos, qui minime tantum facinus suspicabantur. Hæc immanitas non ferenda. Proditione tentantur oppida nostra, ut propinquo bello defatigaremur. Quæ omnia cum hostis crudelissimi opera existant, nulli dubium est, quin arma pro salute propria sumere cogeremur. Iniqua sunt hæc, quæ retuli, & præter officium Deo dicati. Sed quod sequitur multo iniquius. Mandatur duci exercitus* [56], *ut frumenta ex agris rapiat, ut segetem omnem perdat, quo famis malo coacti Legatum nobis dominum constitueremus. At hæc, tot tantaque etiam adversus barbaros Christi hostes acerrimos essent penitus improbanda. Num hæc igitur adversus nos molita, aut dissimulanda, aut patienda videbantur? non a te Pastore Ovium Christi potius vindicanda? Tu Legati tui cupiditatem in sanam, tu dominandi libidinem immoderatam comprimere, tu ignem excitatum extinguere, tu filiorum tuorum libertatem tueri, tu beneficiorum* [57] *erga Pontifices nostrorum memoriam sumere, tu causam eorum vel solus defendere debuisti. Num igitur nos, quos quies, ac libertas a tuo Legato lacessita, appetita, & procurata est, subimus belli culpam, cum certemus pro patria, pro uxoribus, pro liberis, pro libertate; an tuus* [58] *Legatus, a quo malorum omnium initium est profectum? Certe Sanctissime Pater, si recte advertere, si Vicarii Christi mentem, aut officium sumere voles, nullam hujus belli in nos culpam referes, nullum nostrum delictum judicabis. Nos quippe paruimus necessitati, quæ etiam desides excitat, atque ignavos; arma extorsimus de manu odientium nos, ne periclitaremur. At multi ab Ecclesia defecerunt: fatendum idem; sed superbia id tuorum præsidum, & avaritia, qui provinciis impe-*
A *rabant, quibus nihil nefas esse videtur, contigit.* 1376 *Neque ii a te, sed a ministris iniquis desciverunt; quibus si ad nos miseria sublevandos paulum favimus, nequaquam videmur errasse: nisi forsan, qui ultro porrigendum caput censet cum gladio occursanti, aut minitanti ferro tradendam sponte libertatem. Nihil nos contra tuam dignitatem, nihil contra auctoritatem egimus, Pater Sancte, nihil contra Romanam Ecclesiam moliti sumus. Tollere quærentibus salutem nostram, auferre libertatem volentibus, veluti fræna conjecimus, quibus eorum impetus tardaretur. Suscipe nos igitur tuendos, ut filios, Pater Sancte, & tuæ pristinæ pietatis in mentem veniat.*
B *Recordare miserationum, quæ in Pontifice esse debent. Subeat memoria, nos olim contra Imperatores, contra Reges, contra Tyrannos arma cepisse, quibus Romanam Ecclesiam tueremur, & Romanorum Pontificum status a viribus impugnantium validior redderetur. Tibi vero persuadeas oro, nos invitos ad hoc bellum descendisse, in quo sola libertatis tutandæ ratio quæsita est, idque solum actum, ut patriam defenderemus. Quod si qua nos graviori censura, prout adversarii nostri quærunt, ac dictitant, notari voles, feremus æqua mente, quoad facultas erit, & ad illius auxilium confugiemus, qui non deserit* [59] *in se sperantes, quique oppressorum causas*
C *tamquam justus patronus suscipere consuevit.* His dictis varium murmur inter adstantes exortum est, partim adversantium [60], partim faventium *Florentinis*; multi tamen ex majoribus animum Pontificis incendebant, qui cum turbatus indignitate pristina, se contra eos jure acturum respondisset, tum versus ad Christi simulacrum, quod cruci affixum pendebat, *Donatus* [61], *Provoco ad te*, inquit, *omnium Pater omnipotens, qui rectus es judex, nec falli potes, postquam humana desunt suffragia, testorque nos immeritos iniquo judicio opprimi. Sed tu veram in extremo judicio sententiam feres.* Multas tandem post disceptationes [62] da-
D mnati [63] *Florentini*, ac extra Christianorum consortium ejecti, interdictumque aqua, & igni, ipsi quoque, & eorum bona in servitutem, & prædam condonata: qua ex gravi censura id *Florentina* Respublica consequuta est, ut maximo rerum suarum incommodo, omissis mercaturis quas variis in Regnis exercebant, multisque deperditis [64] bonis, redire omnes in patriam compulsi sint, & multorum amplæ fortunæ amissæ. *Avinione* insuper, in qua *Florentini* ultra quingentos negotiandi gratia erant, certa præscripta die jussu Pontificis pulsi. *Britones* interim a Pontifice conducti, Transalpinæ *Genuæ* Cardinali [65] duce, Alpes trangressi, in agrum *Astensem* descendunt. In-

---

54. *Inter nos concordia.* Confœderati enim cum Pontifice fuerant Florentini in Bernabovem, ut jam vidimus in primo libro.

55. *Oppidi.* Nempe Prati.

56. *Duci exercitus.* Joanni Auguto.

57. *Beneficiorum erga Pontifices.* Fuse Leon. Aret. *lib. VIII. Hist. Flor.* beneficia enumerat: Florentinos scilicet a Friderico Primo, & Henrico ejus filio armis appetitos, eo quod pro Pontificibus starent. Idem passos a Friderico II. qui Romam nunquam reversuros Pontifices dixit, quandiu illis Florentinorum deesset auxilium. Manfridum Siciliæ Regem a Florentinis cæsum ad Beneventum, & hinc Ecclesiæ pacem restitutam. Addit insuper Ludovico Bavaro Romam vexanti solos pene ex omni Italia Florentinos obstitisse, ejusque Antipapam Petrum de Corbaria rejecisse, Joannique firmiter adhæsisse. Vide insuper Ammirat. *To. II. lib. XIII. p.* 697. & Ugol. Ver. *lib. I. de Illust. Flor.*

Sæpeque Sarmatici contempsit Cæsaris arma,
Pontificum dum Sacra piorum, arasque tuetur
Theutonicis obsessa diu Florentia turmis,
Exitium frustra minitantem sprevit Othonem.
Compulit infectis discedere rebus utrumque;
Sic primum, & pariter Federicum invicta secundum
Ausoniæ cladem Tuscis dejecit ab oris.

E 58. *Tuus Legatus.* Guillielmus Card. S. Angeli, ut supra.

59. *Non deserit in se sperantes.* Juxta illud: *Sperantes autem in Domino misericordia circundabit.*

60. *Adversantium, partim faventium.* Adversabantur Galli, favebant Itali omnes, nonnullosque ex adstantibus ad lacrymas Florentinorum oratio compulit.

61. *Donatus.* Barbadorus coram Pontifice Orationem his verbis clausit: *Respiciat me Deus salutaris meus, adjutor meus esto, ne derelinquas me, quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me.* Ad quæ conversi Gallorum nonnulli ridentes, pedibus tanquam stultum petere ausi sunt. Ammirat. Junior. *To. 2. primæ partis lib. XIII. p.* 699.

62. *Post disceptationes.* Pontificis Donato respondentis, ut videre est in Leon. Aret. *lib. VIII. Hist. Flor.*

63. *Damnati Florentini.* Fusius Rayn. *Annal. Eccl. To.* 16. Leon. Aret. *lib. VIII.* Ammir. *To.* 2. *lib. XIII.* Briet. *Annal. Mundi p. III. To.* 2.

F 64. *Deperditis bonis.* Florentinorum damna refert vitæ Gregorii scriptor. *Gest. Greg. XI.* apud Bosq. relatus a Rayn. *To.* 16. *Ann. Eccl.* Walsinghamus *Hist. Angl.* addit Florentinos in Gallia non solum bonis spoliatos, sed Turcarum more in servitutem redactos.

65. *Cardinali Duce.* Roberto Gebennensi, Genevæ Comitis fratre, de quo supra.

66. *Haud*

1376 Inde *Alexandriam*, *Terdonam*que petentes, *Ferrariam* veniunt, ut magnis itineribus confecti milites curatis corporibus, quæ ad bellum necessaria essent providerent. At *Florentini*, cum pro explorato haberent, Cardinalis consilium esse *Bononiam* obsidione cingere, milites haud parvo [66] numero, duce *Rodolpho Camerte* [67], eo mittunt: qui urbem ingressus, re frumentaria, ac omnibus quæ ad defendendam urbem necessaria videbantur, comparatis, loca quæ facilem in *Etruriam* aditum hostibus præbere possent, summa ope intercisis itineribus munit. Frumenta ex agris, villisque in oppida comportari jubet. Publicata [68] *Florentiæ* tam acri Pontificis censura, populorum omnium consuetudine, magis de pace, quam de bello sollicita Civitas ad eam procurandam ad *Galliæ* [69], *Pannoniæ*que Regia *Gallorum* [70] stirpe oriundum, Reges, tum ad *Johannam Siciliæ* Reginam Legatos [71] misere. *Britones* vero, cum *Bononiam* circumsedissent, sacerdotis unius proditione *Montis* [72] *Georgii* castellum capiunt, ac diripiunt: & quo terror cæteris injiceretur, oppidanos omnes, nulla sexus, aut ætatis habita ratione, ad unum interficiunt. Capto oppido, dum apud *Bononiam* essent, *Galli* duo data fide in urbem profecti, cum in cœtu militum jactabundi in *Florentinos*, ut ignavos imbellesque, & in nullius rei usum verbis admodum contumeliosis asperius invecti essent, orta cum adstantibus verborum concertatione, multo insolentius sunt locuti ad provocationem usque desilientes, si qui respondere vellent. Tum *Bettus Biffolus Florentinus*, & *Guido* [73] *Astianensis* fraterna juncti amicitia in medium prodeuntes se ob honorem, decusque patriæ contra provocantes certaturos profitentur. Die præstituta cum extra urbem ambo in campum descendissent, tandem in aciem prodeunt, in Legati [74], totiusque exercitus conspectu. *Biffolus Britonem* adversarium ex equo dejicit: inde pedestri marte ad terram prostratum superat. Legato victi vitam postulanti donat. Idem & *Guidonis* decus fuit; nam superatum *Gallum* concessa vita tamquam victoriæ munus Legato largitur. Qua ex re præter verborum actas gratias, dona quoque a Legato egregia, & equi armaque eorum, qui victi erant, data. Ita insolentia hostium repressa, & *Florentinorum* animi in spem erecti. Hoc duellum *Rodolphi* secutum est prudens responsum: nam cum hostes proditione potius, quam prælio urbem tentarent, *Rodolphus* ad omnia pericula propulsanda sollicitus, timensque *Bononiensium*, quorum animi sunt natura mobiles, parum tutam fidem, intra mœnia se continebat, intentus diurnis, nocturnisque vigiliis, ne qua intestina conjuratio, cujus fama occulta ferebatur, incautum opprimeret. Grave videbatur Legato sua consilia incassum verti; per caduceatorem igitur *Rodolphum* interrogavit, *cur tamdiu otiosus portas non egrederetur:* Cui *Rodolphus* suo nomine renuntiari jussit, *ideo eum non egredi urbem, ne ipse ingrediatur.* Conjuratione [75] autem per unum ex conscii detecta, defectionis auctores capitis supplicio mulctati. Spe omni per fraudem recipiendæ urbis præcisa, *Bononiam* ab Legato Oratores missi, qui deditionem populo suaderent, pollicerenturque data publica fide, omnium quæ hactenus patrassent veniam: quod magis ad irritandos animos popularium est actum, quam ut speraret, id quod petebat persuaderi civibus posse. Auditis Oratoribus, tantus amor libertatis retinendæ fuit, ut contempta eorum oratione, quæcunque indigna se passuros potius affirmarent, quam in eorum ditionem redirent, quorum insolentiam, avaritiam, fastidium, arrogantiam, superbiam diutius experti forent. Eo responso indignatus Cardinalis, se non inde antea abiturum minatus est, quam eorum sanguine & manus, & pedes lavisset. Quæ verba etiam in *Phalaride* tyranno, aut quovis immani barbaro execranda, & digna odio extitissent. Irritati, offensique his dictis *Bononiensium* animi acrius, diligentiusque tuendæ libertati incubuere. Ita potiundæ urbis desperatione Legatus permotus, ab ea quoque spe dejectus posse se in *Florentinorum* agrum prædatum transire, saltus [76] enim undique fossis, armatisque occupati erant, cumque instaret hyems, exercitum in hiberna *Cesenam* deduxit, expectaturus rei gerendæ tempus, & Pontificis voluntatem. Ibi facinus infandum, & in *Nerone* horrendum Legati scelere commissum est: ut nequaquam mirum videatur, oppida Pontifici subjecta a suorum Præsidum crudelitate descivisse. *Britones Cesenam* ingressi, tamquam in urbe ex hostibus vi capta, omnia sacra, profanaque pro libidine diripiunt. Non virginum pudicitia a militari luxuria tuta erat. Nullus pudori locus, nullum ætatis, aut sexus discrimen, nulla pietas, nulla venia. Omnia militari crudelitate, & avaritia agebantur. Neque hæc, cum cives apud Legatum quererentur, ullo jure coërcebantur, sed in dies major sceleribus dabatur licentia. Tandem cum sæva tyrannide oppressa civitas grassantium militum acerbitatem ferre nequiret, sumptis armis, commissoque certamine, *Britones* [77] magna cum cæde urbe ejecit. Deinde cum ultionem veriti cives in armis essent, suasione *Galeotti Malatestæ*, jurejurando quoque Legati confisi, pollicentis se omnis injuriæ oblitum eis ex animo parcere, cædisque culpam in suos rejicere affirmantis, arma deposuere. At is, cui ca- 1376

66. *Haud parvo numero.* Duo equitum millia, & quingentos pedites missos asserit Girardacius *Hist. Bonon. lib. XXV.* Duo millia equitum, quorum quingenti a Bernabove (Comite Lucio ejus Genero Duce) Bononiam missos refert Cor. *p. III. Hist. Med.*

67. *Rodulpho Camerte.* Varano.

68. *Publicata Florentiæ tam acri censura.* Mense Aprili qua urbs a Sacris interdicta fuit, bona civium occupantibus concessa, personæ capientibus jure servitutis traditæ, aliaque, quæ videre erit in Rayn. *Ann. Eccl. To.* 16.

69. *Galliæ Rex.* Tum Carolus V.

70. *Gallorum stirpe oriundum.* Ludovicus I. Ungariæ prius, dein Pannoniæ Rex, Caroli Martelli Galliæ Regis ex patre nepos. Abraham. Barschai *Chron. de Reg. Hungaricis p.* 915.

71. *Legatos misere.* Horum nomina non apponit Ammiratus, addit vero ad Pontificem rursus Legatos missos qui pacem quocunque modo inirent; sed Pontificis explorato infenso animo, re infecta rediisse. Hi autem fuerunt Pacinus Strozzius Eques, Alexander ab Antella, Michael Castellanus. Ammirat. *lib. XIII. p.* 699.

72. *Montis Georgii Castellum.* Bononia 15. pass. mill. distantis.

73. *Guido Astianensis.* Senensis, & Bettus Biffolus Florentinus jactis in terram galeis, quod Britones antea fecerant, quisque adversario galeam imposuit, quod pro statuti certaminis signo habitum fuit. Ammirat. *To.* 2. *lib. XIII. p.* 701.

74. *In Legati &c. conspectu.* Legatum increpat S. Antoninus *p.* 3. *tit.* 22. *cap.* 1. §. 4. *cum duellum*, inquit, *sit prohibitum lege non solum Canonica, sed etiam Divina, quia hoc est Deum tentare, ut dicitur* 2. q. V. Monomachiam; *non catholice, nec juste Legatus permisit ipsum Duellum, & præsens adstitit.*

75. *Conjuratione &c. detecta.* Die XII. Sept. MCCCLXXVI. & quinque ex conjuratis, qui portam Cardinali tradere moliti fuerant, Bononiensibus ipsis annuentibus, capite mulctati. Ammirat. *lib. XIII. T.* 2. *p.* 703.

76. *Saltus &c. occupati erant.* Timentes enim Britonum adventum octoviri exercitum 1400. lanceis, 200. equitibus, 1000. peditibus auxere; corruperant insuper auro Joannem Malastrettam, & Franciscum Budam Legati Duces, ne in Florentinorum agrum descenderent.

77. *Magna cum cæde.* Octingentis obtruncatis.

1376 cariora omnia, quam fides, & jusjurandum e-rant, milites in urbem juſſit irrumpere, pœnamque de ſociis inique trucidatis a civibus ſumi. Hi improviſo oppidum nil minus veritum, ſed promiſſis, ſacramentoque Legati fretum ingreſſi, omnia crudeli, ac miſerrima cæde complent; a nulla [78] crudelitate temperatum eſt. Viri pariter, ac mulieres, pueri, & infantes in cunis reperti cæduntur, in vicis, in plateis, in domiciliis, in templis ſævitum. Sanguis indigna cæde peremptorum manabat undique. Virgines quoque Deo dicatæ ad ſupplicium raptæ; matres parvulos complexæ filios una cum liberis ſtratæ conſpiciebantur, etiam ſuper altaribus pueruli, qui eo confugerant, interempti. Non *Sagunti* [79] excidium crudelius fuit: ad unum omnes, niſi qui in primo [80] tumultu ex urbe effugerant, fœda morte perierunt. Occiſorum [81] numerus ad quinque millia traditur fuiſſe. Legati quos ad Pontificem miſſos retulimus, infecta pace redierunt, minante Pontifice ſe ad eos caſtigandos in *Italiam* venturum, ſumpturumque de hoſtibus ſupplicium, qui tam inique *Romanam* Eccleſiam propria hereditate ſpoliaſſent. Neceſſaria Reipublicæ defenſio cum civibus videretur, prorogatum [82] Octoviris imperium eſt, juſſique, ut e Republica cenſerent, forti animo de pace belloque agerent: qui cognito rurſus infeſto Pontificis ad bellum animo, ſignis militaribus conſtitutis, in quibus ad communem exhortationem omnium, qui ſe dignos libertate judicarent, libertatis nomen inſcriptum erat, ea *Rodolpho* duci, cujus opera [83] egregia ante fuerat, ſummo populi conſenſu dedere. Pontifex interea mentem in *Florentinos* hoſtilem gerens, mare ingreſſus [84] claſſe, quæ adverſo vento in varia loca diſperſa eſt, poſt quartum ex quo *Maſſilia* ſolverat menſem *Corne-*
1377 *tum* [85] appulit. Inde per oſtia [86] *Tiberis* in urbem invectus eſt. Eo rurſus Oratores [87] a *Florentinis* ad componendam pacem miſſi, cum fruſtra omnia tentata renuntiaſſent, ſummis utrinque viribus neceſſaria ad bellum parantur. *Vulſinienſes* [88] primi poſt adventum Pontificis, ſignum libertatis ſecuti opera *Johannis* Præfecti urbis rebellarunt. *Augutus* interea cum quatuor millibus ho-

A minum cum *Florentinorum*, ac *Bernabovis* pollicitationibus, tum pecuniis [89] allectus ad eorum partes tranſiit, ex quo ſociorum opes adauctæ ſunt. *Rodolphus* [90] vero, qui exercitui præerat, vir, ut ipſemet fatebatur, mobilis animi, *Fabriani* oppidi recipiendi ſpe injecta tranſitionem fecit. Qua ex re, ut moris eſt eorum, qui fidem frangunt, capite inverſo *Florentiæ* publicis in locis depictus [91] eſt. Is ſumptis a Pontifice *Britonibus*, in *Piceno* eos, qui *Florentinorum* partibus favebant, perſecutus eſt. Ad ea loca miſſus *Lucius Germanus* Comes, ut ſociis opem ferret, acie inſtructa *Rodolphum* ſuperavit, qui victus ſalutem fuga petens, B ferme ſolus *Tolentinum* [92] pervenit. Capti ex ejus exercitu ad mille hominum ſunt: ducenti interfecti. Signa militaria complura ex hoſtibus capta, *Florentiam* delata. *Gregorius*, quod viribus, aut conſilio deſperabat, aſſequi aſtu, calliditateque ſe conſecuturum putans, *Florentiam* Oratores [93] miſit, tentatum ſi quo modo poſſet, quod vi nequiverat, civili fieri diſſenſione. Quo poſtquam venere, cum ſibi mandatum dicerent, ut ad Populum verba facerent, data magiſtratuum omnium, & primorum, qui plurimi convenerant, concione, longo ſermone paternam benevolentiam, ſingularemque caritatem, quam Pon- C tifex in *Florentinum* populum habuiſſet, explicarunt, quem certe noſſet nunquam declinaſſe a ſummorum Pontificum voluntate: *Scire ſe non civitatis culpa quod vigeret, bellum exortum eſſe, ſed quorundam* [94] *opera, quibus magis diſcordia externa, quam pax, & quies civium quæſtui eſſet; non publicam, ſed privatam quæri utilitatem, & qui bello gerendo præfecti eſſent, ab his bellum per privatum commodum trahi, impedirique pacem, quæ facile componi poſſet, ſi per illos liceat, qui libertatem verbo præſeferentes revera in ſervitute cives tenere velint: nunquam defuturam bellorum materiam, dum ſuas opes ex aliorum calamitate augerent: multos eſſe,* D *qui libertatis ſpecie, quæ dictu pulcherrima videatur, non liberos, ſed ſervos eſſe cupiant cives ſuos: non bellum, non arma, non ſeditionem, non eorum ſervitutem a Pontifice quæri, ſed pacem, concordiam, otium, cum his præſertim, quos non voluntas, ſed potentiorum timor invitos ad arma compuliſſet: cupere-*

78. *A nulla crudelitate &c.* De qua S. Antonius *p. III. tit.* 22. *nedum Prælatum Eccleſiaſticum vices tenentem Vicarii Jeſu Chriſti, ſed Herodem, & Neronem dedecuiſſet tam ſæva, ſceleſtaque vindicta.*

79. *Sagunti excidium.* Ab Annibale dirutum, incolis omnibus igne ferroque abſumptis. Tit. Liv. *Dec.* 3. *lib. I.*

80. *Primo tumultu effugerant.* Angli rapinæ potius quam cædis cupidi Cæſenates ut ſe a Britonum ira eriperent, hortati ſunt. S. Ant. *p. III. tit.* 22. *cap.* 1. § 4.

81. *Occiſorum numerus &c.* Tantæ cædis culpa Galeotto Malateſtæ etiam inferenda; ſperans etenim ſe urbe civibus vacua facilius (ut accidit) potiturum, milites continere noluit. *S. Anton. ibid.*

82. *Prorogatum Octoviris imperium.* Qui vulgo *gli Otto Santi* appellabantur.

83. *Opera fuerat ante egregia.* Nempe in Bononia defendenda.

84. *Mare ingreſſus Pontifex.* Paratis in Rhodano una & viginti triremibus, alio iter ſimulans, ne a Gallis (queis Pontificis curia emolumento erat) detineretur, die XIII. Sept. MCCCLXXVI. Avinione diſceſſit, Januamque appulit XVIII. Octobris. *Plat. Ammirat.* & Ubert. Fol *Hiſt. Gen. lib. VIII* ubi etiam ejus navigatio deſcribitur fœda tempeſtate, multorumque naufragio miſeranda. Itinerarium Greg. fuſius deſcripſit *Petrus Amelius Alectenſis Epiſcop. Senogal.* & Rayn. *Ann. Eccl. To.* 16.

85. *Cornetum appulit.* Poſt quartum. quo Maſſilia ſolverat, menſem, & Natalis Domini feſtum ibi celebravit. Sic *Rain. ibid* Anconam appuliſſe, non vero Cornetum nonnulli referunt, quos confutat *P. Eldovinus.* Inde erratum exiſtimo, quod Pontifex triremem Anconitanam conſcenderit, ut ſcribit Julianus Saracinus *Hiſtor. Anc. p. II. l.* 9.

86. *Per oſtia Tiberis.* Corneto ſolvit Pontifex XIII. Januarii MCCCLXXVII. Oſtiamque delatus per Tiberis alveum XVII. ejuſdem Menſis Romam Pontificiam ſedem retulit poſt ann. LXX. & duobus menſibus queis in Gallia exularat. Ciaccon. *in Greg. XI.* Romam ingredientis pompam accuratis ſed incomptis verſibus deſcribit *Petrus Amelius*, ſeu *Æmilius Alectenſis Senog. Ep.* apud Maſſon. *de Rom. Pont. lib. VI.* & apud Rayn. *To.* 16. *Ann. Eccl. p.* 551.

87. *Oratores.* Pacinus Strozzius, Alexander ab Antella, & Michael Caſtellanus, qui Avinionem eum adierant.

E 88. *Vulſinienſes.* Vulgo *Popoli di Bolſena.* Vulſinium urbs eſt ex 12. primis Thuſcorum Coloniis. Cum in Pontificiam ditionem conceſſiſſet, patrimonio Sancti Petri addita eſt. Brietius Paral. *Geog. append. ad To.* 2. & de his populis *Juven. Sat.* 3.

Aut poſitis nemoroſa inter juga Volſiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce.

89. *Tum pecuniis allectus.* Stipendia enim 250. Florenorum millia a Florentinis oblata.

90. *Rodolphus vero.* Varanus Camertes a Florentinis ad Pontificem defecit. Ad hoc forte inductus, quod cum Fabrianum cepiſſet, privatique juris facere vellet, Florentini prohibuerunt, ut refert Leon. Aret. *Hiſt. Flor. lib. VIII.* Vel ex eo motus ad deſciſcendum, quod Florentini Augutum ad ſua ſtipendia evocaſſent, eique magis blandirentur, unde invidiæ cauſſa. Sic Scipio Ammir. *lib. XIII. Hiſt. Flor.* F *p.* 705. Aurum quoque Pontificis plurimum apud illum valuiſſe credendum.

91. *Depictus.* Et Civitate qua donatus fuerat, privatus. Leon. Aret. *lib. VIII.* Ammirat. *p. I. Tom.* 2. *p.* 705.

92. *Tolentinum.* Urbem Piceni, nunc Marchiæ Anconitanæ.

93. *Oratores.* Religioſos Viros, quorum unus ex S. Auguſtini, alter ex Fratrum Minorum familia. Ammirat. *p. I. To.* 2. *l. XIII.*

94. *Sed quorundam opera.* Nempe Octovirum *di Balia.*

95. *Por*

1377 *re Pontificem, ut qui materiam bello subministrent, ad sanam redeant mentem, & ut civium saluti quandoque consulant: offerre se pacem quacunque velint conditione; proinde uterentur in decernendo illa, pro qua se pugnare dicerent libertate: & ad Parentem, qui passis manibus, & grato animo eos sit recepturus, redire velint, & pace oblata frui: belli suasores ab eis esse rejiciendos, neque permittendum, ut per continuationem* [95] *magistratus potentiorum animi irritentur ad opprimendum Populi libertatem; eo enim modo facile in tyrannidem, ut sæpius multis contigit, descendi posse, quam non solum non cupiat, sed maxime horreat Pontifex.* His dictis decreto publico responsum est Oratoribus: *Florentinos semper summa fide erga Romanos Pontifices extitisse, observantiam eorum in Romanam Ecclesiam nunquam sua culpa ad eam diem intermissam. Beneficia variis in rebus, & tempestatibus in illos collata commemorata sunt: belli culpa in suos relata Præsules, qui ad Italiam missi ambitione, & tyrannide æstuarent. Iniquitas eorum, cupidoque dominandi insana, & simul illorum injuriæ ad id tempus explicatæ. Ingratus illorum animus etiam patefactus est, qui tot immemores beneficiorum, per simulationem, ac dissimulationem Florentinos velle pessundare manifesto sint deprehensi. Necessario eos pluribus injuriis, dolisque* [96] *provocatos ad Rempublicam defendendam cepisse arma, id absque eorum damno, qui bellum excitarint, haudquaquam fieri potuisse: quæ res si molesta Pontifici foret, non sua qui pacem semper appetissent, ac postulassent, sed suorum Præfectorum causa accidisse. Rogare eos, deprecarique, ut Pontificem ad pacem hortarentur, quam, si æqua daretur, nunquam recusaturos testati sunt.* Reversis *Romam* Legatis, quæque egerant expositis, irritatus Pontifex, cui minime ejusmodi consilium [97] cessisset, quotidie indignatioris animi edebat signa, tum sententias in *Florentinos* populorum auribus replicando, tum movendo, ac sollicitando *Italiæ* urbes, ut publice eorum cives expellerent; quarum plurimæ suis decretis, quoniam iniqua videbantur, minime paruerunt. *Vulsinienses* interim, qui post defectionem in societatem venerant, quorundam oppidanorum proditione a *Britonibus* capti, omnis generis præda in avaritiam militum concessa, magis quam hostili odio cruciantur. Stupratæ mulieres virginesque, viri in captivitatem ducti, ædificia incensa, mœnia eversa sunt. At in *Gallia Galeatius Bernabovis* frater, urbem *Vercellas* [98], quam in Pontificis potestatem ante bellum redactam scripsimus, a *Gregorio* data pecunia recepit; quod in *Bernabovis* contumeliam propter fœdus cum *Florentinis* initum, factum esse omnes arbitrati sunt. Pontificis in *Italiam* adventu non solum non auctæ sunt, sed ejus diminutæ vires. Crudelitas *Britonum*, quorum barbaries sanguine humano grassabatur, multos ad defectionem in *Piceno* excitavit. Ad has *Florentinorum* ulciscendas injurias Pontifex *Ramundum* nepotem contra eos cum parte exercitus per agrum *Senensem* maritimum ire jussit, qui castris positis *Grossetum*, quod præsidio valido tenebatur, diutius oppugnavit. Verum cum *Augutum* auxilio illi adventare præsensisset, tanti Ducis timore motus, relicta oppugnatione, retrocedens ex *Senensium* finibus discessit. *Augutus* vero *Perusiam* cum exercitu contendens, agros propinquos hostili more populatur. Inter hæc *Ananiam* urbem *Campaniæ* ad Pontificem tertio Legati missi, quærentes si quo modo cum eo de pace agi posset: cum multis dictis, tentatisque, re infecta reversi *Florentiam*, retulissent, mentem Pontificis a pace aversam, intentamque bello; communi consilio obsistere tam iniquo hosti decernunt. Octoviris in annum pacis, bellique gerendi imperium prorogant, stipendio [99] insuper, & supplemento exercitus summo studio intendunt. Cum infensa Pontificis mens acriter nimium *Florentinos* persequeretur, observatæ autem ad eam [100] diem ejus essent censuræ, sententia omnium fuit, ut nulla auctoritate ejusmodi haberentur Interdicta, sed palam omnibus in locis sacris cerimoniarum pristinus servaretur cultus. Tepescere enim erga Deum pietas videbatur, si supplicationes, & sacra negligerentur; neque iniquas sententias adeo verendas dicebant, ut Christi fides ablegari ex hominum mentibus videretur: parendum esse Pontificum censuris, cum illius præcepta, ac vestigia sequerentur, cujus in terris Vicarios esse profiterentur. Non enim de Religione, sed perfidia injuriisque Pastorum Ecclesiæ certamen esse. His rebus cognitis Pontifex, cum victoriam desperasset, remissa paulum acerbitate animi in mitiorem sententiam conversus, paci quærendæ animum adjecit, missoque Oratore *Florentiam Urbinate* Episcopo, se ejus componendæ arbitrum lecturum ait *Bernabovem* eorum socium. Non caruit ea *Bernabovis* nominatio suspicione fraudis dolique, qui subesse videbatur. Multi periculosum putabant fore tantam rem credi homini ambitioso, & nuper hosti, quem non erga ipsos benevolentia, sed odium in Pontifices ad coeundam cum *Florentinis* societatem coegisset. Dubitabatur, ne & Pontificis gratiam vel iniqua pace inire, & *Florentinorum* opes debilitari, ut suæ augerentur, vellet. Multi quoque in posterum providentes suspicabantur, non pacis cupiditate, sed ut *Bernabovis* voluntatem sibi conciliaret, eum virum belli componendi auctorem lectum, & videbatur haud dubia suspicio apud illos qui habebantur prudentiores. Sed cum veluti certa spes pacis fesso bellis populo ostenderetur, & *Bononienses* [1], quorum gratia magna ex parte trahebatur bellum, armis positis in gratiam Pontificis rediissent, omnium animi [2] in ejus quoque modo quærendæ curam conversi sunt. Igi- 1377

95. *Per continuationem Magistratus.* Octovirum, quibus toties prorogatum imperium fuerat. Scip. Ammirat. *To.* 2. *lib. XIII. p.* 706.

96. *Dolisque provocatos.* Ut sæpius diximus a Guillielmo Cardinali S. Angeli, Bononiæ Legato, qui frumenti inopia laborantes, tametsi antea promisisset, non sublevavit, sed in eos dolose Augutum ad messis devastationem misit.

97. *Ejusmodi consilium cessisset.* Discordias ferendi populumque in Octoviros irritandi.

98. *Vercellas &c. data pecunia recepit.* Nullatenus pecuniam dedisse Galeatium ait Corius *p. III. p.* 194. sed cum Vercellis potiri Sabaudiæ Comes tentasset, Joanne Flisco Vercellensi Episcopo per fraudem in vincula conjecto, indignantes cives Galeatium ad urbis imperium advocasse.

99. *Stipendio insuper &c.* Pecunia exhaustos Florentinos a Clero Civitatis, Diœcesisque Florentinæ auri vim magnam extorsisse, & Ecclesiasticorum bona publicasse, ut bellum in Pontificem gererent, refert Rayn. *Ann. Eccl. To.* 16. *p.* 543. Sacros etiam apparatus venditos addit Corius *p. III.*

100. *Ad eam diem.* Ad menses decem, & septem censurarum jura inviolata fuerant. Sed XXII. Octobris die Ecclesiasticis omnibus indictum, ut priori intenderent cultui, pœnaque pecuniariæ absentibus Episcopis intentatæ. Scip. Amm. *Hist. Flor. p. I. To.* 2. *p.* 709.

1. *Bononienses &c.* Primores Raspantis factionis Pontifici infensos Bononiensis Populus ad concordiam evocatos partim ferro absumit, partim in vinculis habet. Inde Joannem de Lignanis, Ugolinum Gallucium, & Sanctum Danetium una cum Francisco Foscarara mercatore ad Pontificem de pace mittunt, quæ Guidonis Monachi opera constituta est. Gerardacius *Hist. Bon. lib. XXV. p.* 363.

2. *Omnium animi.* Mirum quidem ad id inductos in Pontificem adeo efferatos animos, ut B. Catharinam Senensem pacem cum Pontifice jam suadentem pene obruerint, gladium ignemque minitati, licet pro Florentinis ad Pontificis animum leniendum Avinionem usque pergere non re-

1377 Igitur miſſi ad *Bernabovem* Legati, qui peterent, ut ejus ſtatuendæ auctor eſſe vellet, *Serezanum* [3] eum perduxerunt, quo, & Cardinalis [4] *Ambianenſis* appulerat Pontificis Legatus. Convenerunt eo *Gallorum* Regis, ac *Johannæ* Reginæ, *Venetorum*que, ac *Florentinorum* concordiæ firmandæ gratia Oratores. Pacis conditionum, quæ *Florentinis* graves admodum videbantur, & bello deteriores, auctor *Bernabos* dicebatur, ut ſociorum damno receptum ad Pontificis gratiam, cujus antea hoſtis fuiſſet, haberet. Petebantur inter cætera octingenta florenorum millia, quæ ob ſumptus in id bellum factos Pontifici darentur; horum altera pars a *Florentinis*, altera a ſociis danda erat. Multa præterea adjiciebant, quibus palam erat *Bernabovis* animum haud recta ſentientem partibus Pontificis favere, quæ quamvis aſpera, ac difficilia civibus eſſent, pacem tamen bello & iniquis conditionibus præferendam plures cenſebant. Erant frequentes excubiæ, dum hæc agerentur, ad portam [5] civitatis *Piſanam*, expectantes noctu ſi quid ab Oratoribus afferretur. Ad ſextum ka-
1378 lendas Aprilis anni octavi, & ſeptuageſimi ſupra mille trecentos, hora noctis ſecunda, pulſata [6] magno impetu porta, cum peteretur, & quis eſſet, & quidnam afferret novi; ut aperirent quam primum reſpondit, quoniam civitati ſalutaria, & olivum victoriæ inſigne deferret. Reſerata ſtatim porta, vigiles inter ſe vociferantes proſpera allata, olivum advectum, pacem factam eſſe; neminem qui id dixerit invenerunt. Hæc verba paulatim per loca portæ propinqua, deinde per urbem confeſtim vulgata: adeo mentes hominum excitarunt, ut domo exeuntes, congratulanteſque invicem pacem firmatam, accenſis in ſignum lætitiæ ignibus, nullo certo auctore moti feſtam noctem agerent. Ibant plurimi ad ſummum magiſtratum ſciſcitantes nunquidnam adveniſſet certi, & unde hæc prodiſſet fama; nullo nuntio præter verba portam percutientis invento, domum quiſque, ſpei tamen plenus rediit. Eadem poſtmodum [7] hora, dieque compertum eſt, *Gregorium* exceſſiſſe e vita, cujus mortem pax ſubſecuta eſt. Hoc, quod loco miraculi habetur, ſæpius accidiſſe, ex antiquis hiſtoriis compertum eſt. Ego autem [8], qui *Romæ* ad ſecreta *Joannis* XXIII. Pontificis eram, idem contigiſſe verum teſtimonium ferre poſſum. Bellum

vigebat [9] inter ipſum, & *Ladiſlaum Apuliæ* Regem, miſeratque ſuas, tum equitum, tum peditum copias cum *Ludovico Andegaviæ* Duce, 1378
quem *Siciliæ* Regem declararat, contra *Ladiſlaum*; quæ cum flumen [10] *Lyrim* (id eo loci Pontificis terras a regno dirimit) tranſiſſent, caſtraque prope Pontem curvum in *Aquinatis* agri finibus poſuiſſent: *Ladiſlaus* vero cum exercitu obviam profectus caſtra ex propinquo metatus eſſet, commiſſa poſtridie ante meridiem pugna, *Ladiſlaus* magna ſuorum ſtrage pluribus amiſſis, aut captis, victus fugatuſque [11] eſt: quæ victoria eadem hora Pontifici *Romæ* nuntiata eſt. Nam cum pranderet, ſecretioriſque cubiculi porta gravi ictu ſæpius percuſſa eſſet, admiratus vero Pontifex hominis temeritatem, quiſnam eſſet, petitum miſiſſet, apertis foribus, humana effigie vir adſtans *Johanni* referri juſſit *Ladiſlaum* victum, fuſum, ac fugatum eſſe. Re ad Pontificem delata, juſſuſque intromittere hominem, cum ad portam rediiſſet, neminem comperit; petens nominatim ex janitoribus, qui ædium fores obſervant, quiſnam ingreſſus eſſet, neminem omnino ſe vidiſſe reſponderunt. Illa & poſtridie hora certior Pontifex factus eſt ſuos commiſſo prælio victoria potitos. Triduo poſt diffuſam pacis famam *Gregorii* morbus veſicæ [12] dolore contractus literis nuntiatus, primum ut Oratoribus mandaretur, effecit, ne pacem firmarent, verbiſque tempus protraherent: quod *Bernabovis* animum maxime ad iram promptum propemodum incendit; tum illius obitus ſignificatus, *Bernabovem*, cæteroſque [13] ad proprios quemque lares re infecta redire coëgit. Electus in Pontificem *Urbanus* [14] *Sextus*, nullo odio in *Florentinos* uſus. Sublatis *Gregorii* [15] cenſuris, ſolutioneque [16] non parva pecuniæ infra certum tempus promiſſa, qua poſtmodum *Alexander* [17] *Quintus* Pontifex in *Piſano* Concilio illos donavit, pacem eis æquis conditionibus dedit. Quieta ab externis bellis civitate, pax in diſſenſiones domeſticas verſa eſt. Nam civiles diſcordiæ e veſtigio civitatem invaſere: quæ peſtis omni externo bello pernicioſior eſt; inde enim & Rerumpublicarum interitus, & urbium ſequitur everſio. Ferebatur a multis id divino judicio fieri, quo civitas hoſtis Pontificum, & belli impii auctores plecterentur. Alii Rerumpublicarum mores, naturamque aſſerebant, ut civili quandoque diſſidio vexentur: ne-

---

cuſaverit. S. Anton. *p. III. tit.* 23. *p.* 24. §. 16. Rayn. *To.* 16.

3. *Serezanum.* Urbs in limine Liguriæ prope oſtia Macræ fluvii, quæ Bernabovi parebat.

4. *Cardinalis Ambianenſis.* Otho Bruniſincenſis. Cor. *p. III.*

5. *Portam Civitatis Piſanam.* Unde Piſam iter, ſancti Friani aliter appellata.

6. *Pulſata magno impetu porta.* Hoc ab antiquo hiſtorico confictum ſuſpicatur, nec immerito Scipio Ammirat. *To.* 2. *lib. XIII. Hiſt. Flor.* atque ex eo arguit, quod ille réferat eodem die XXVII. Martii urbis portam pulſatam, Avinione Pontificium Palatium pene medium combuſtum, a mercatoribus Florentinos de Gregorii morte admonitos; ſed poſtea ſui immemor ſecum ipſe pugnet, narretque Pontificem die VIII. Aprilis deceſſiſſe.

7. *Eadem poſtmodum hora dieque, &c.* Nempe ad ſextum kal. Aprilis. ſic Briet. *Ann. Mundi part. III. To.* 2. Plat. *in Vita Greg.* quinto kal. ejuſdem menſis. Alii vero pene omnes auctores die XXVII. Martii occubuiſſe teſtantur. Sic *Ciacon. Panvin. Girardacius, Seth. Calv.* & *Rayn. To.* 16. qui nonnullos alios id ſentientes adnotat.

8. *Ego autem qui Romæ ad ſecreta &c.* In Poggii vita quadraginta annis Pontificum a ſecretis Poggium fuiſſe diximus, ut & ipſe *Invect.* 3. *contra Philelph.*

9. *Bellum vigebat.* Ann. MCDXI. in Ladislaum, quem uti Angeli Corrarii fautorem Joannes XXIII. Siciliæ Regno privarat. Rayn. *Ann. Eccl. To.* 17. & Theod. Niemus *in vita Joannis XIII.*

10. *Flumen Lyrim.* Campaniæ, juxta cujus ripas Ladislai copiæ profligatæ.

11. *Fugatuſque eſt.* Et pene captus, ni fuga Rocaſiccam vicinum caſtrum altiſſima in rupe poſitum perveniſſet. Leon. Aret. *lib. VIII. Hiſt. Flor.* Collen. *Hiſt. Neap. lib. V.*

12. *Veſicæ dolore.* Seu *male di Pietra*, ut Leon. Aret. *lib. VIII. Hiſt. Flor.*

13. *Cæteroſque ad proprios quemque lares.* Quos inter Cardinalis Ambianenſis una cum Narbonenſi Epiſcopo Pontificis conſanguineo, qui Serezanæ de pace acturi convenerant, Romam ad novi Pontificis electionem ſe contulerunt.

14. *Urbanus Sextus.* Antea Bartholomæus Butillus Archiep. Barenſis Neapolitanus. Briet. *Ann. Mundi par. III. To.* 2. Plat. *de Vit. Pontif.* Rayn. *To.* 17. *Ann. Eccleſ.* Scip. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XIII.* additque fuiſſe Bartholomæum a Perignano, ita nuncupatum ab oppido Perignano Piſanæ ditionis, unde ejus avus originem duxerat.

15. *Sublatis Gregorii cenſuris.* Legatos ſex veniam petentes Romam ad Urbanum miſerant Florentini; Pontifex vero Simeoni Volaterranenſi Epiſcopo, & Franciſco ab Herbano ex S. Auguſtini familia cenſuræ tollendæ facultatem dedit, de quo gratiæ Deo actæ Florentiæ die XXIX. Octobris. *Ammirat. ibid.* Prædictam fuiſſe a Chriſto S. Catharinæ pacem, illique inhibitum ne Florentia, pace infecta, diſcederet, refert *Raymundus Capuanus* in ejus Vita.

16. *Solutioneque non parva pecuniæ.* 150. Florenorum millibus Florentini mulctati, ut Ammirat. *lib. XIV.*

17. *Alexander Quintus.* Ex eo putandum Florentinos ſolutione liberatos, ſive quod pro Pontifice in Ladislaum arma laturos ſe promiſiſſent: ſive quod armis ſuis Paulo Urſino conjunctis Romam Alexandro reſtituiſſent. Ammirat. *Hiſt. Flor. part. I. To.* 2. *lib. XVII.* Rayn. *Ann. Eccl. To.* 17.

18. *Ma-*

1379 neque mirandum esse, id *Florentinam* urbem passam, quod maximis [18] quondam Rebuspublicis accidisset. Duodecim [19] ferme anni inter *Gregorii* mortem, & initium primi belli, quod cum *Johanne Galeatio Virtutum* Comite gestum est, intercessere: in quibus raro ab intestinis discordiis cessatum est. Quatuor ferme annos vario Reipublicæ statu cives conflictati sunt, multaque [20] cum cæde civium, tum exilio [21] res transacta. Nam tum optimates [22], tum plebs infima, tum mixti ex omni civitatis ordine urbem regebant: donec composito in melius rerum statu civitas certo regendi ordine quievit. Illud vero animadversum memoratu dignum, seu justum, seu injustum cum *Gregorio* bellum susceptum fuerit, Octoviros, qui bello gerendo præfuerunt, parvum infra tempus post illius mortem defunctos [23] esse omnes, genusque eorum [24] majori ex parte deletum. Convenerant post factam pacem in *Umbria*, *Piceno*que agro ad sex millia hominum mi-

A litarium, in quis *Carolus* [25] *Bernabovis* filius, & *Antonius* [26] *Scala*, pulsi patria erant, ad belli societatem egestate compulsi, qui ex bellis præteritis otiosi supererant, prædæ, & latrociniis intenti. Hi communes omnium hostes, cum singulis civitatibus adversarentur, *Perusinos*, *Cortonenses*, *Senenses* populati ad redimendam [27] pacem 1385 compulere. Data est quoque a *Florentinis* haud parva pecunia, ne suos fines vastarent. Verum cum gravius instarent, multosque in dies terrerent minis, inter *Galeatium* [28], *Florentinos*, *Bononienses*, *Lucenses*, *Senenses*, *Perusinos* pro communi adversus hos prædones salute novum fœdus B est initum, edito decreto, quibus sumptibus, quibusve copiis imperium tutarentur. Exercitus dux *Bartholomæus* [29] *Severinas* vir prudens, & rei bellicæ expertus declaratus est: militaria exercitus signa anno sexto, & octuagesimo post mille 1386 trecentos nomen [30] pacis literis aureis in vexillis scriptum esse voluerunt.

---

18. *Maximis quondam Rebuspublicis.* Romanæ præsertim, quæ civilibus discordiis tandem eversa.

19. *Duodecim ferme anni a morte Gregorii.* Mors Gregorii incidit in annum MCCCLXXVIII. bellum cum Virtutum Comite inceptum MCCCLXXXX.

20. *Multaque cum cæde civium.* Horum præcipui capite mulctati fuere, Petrus de Albicis, Jacobus Sachettus, Cyprianus Mangionus, Bartholomæus Siminettus, & Donatus Barbadorus, cujus in Florentinos merita superius narravimus. Scip. Ammir. *lib. XIV p.* 747. Quibus adjunctos fuisse Thomam Strozzium, & Benedictum de Albertis asserit Leon. Aret. *lib. IX. Hist. Flor.* Philippum vero de Cosis, Rubeum Riccium, Gregorium de Cardinalibus aliosque nobiles plebejo impetu occisos.

21. *Tum exilio.* 31. cives ab urbe dimissi, aliique 36. absentes ad judicium vocati; sed cum minime paruissent, bonis spoliati & in exilium missi sunt. Ammirat. *lib. XIV. p.* 733. Melchior Stephanus 76. civium nomina enumerat, quorum 53. Florentia pulsi, cæteri pecunia mulctati.

22. *Tum optimates, tum plebs infima.* Sortis ultimæ Confalonerius electus Michael Lando. Priores vero Joannes Capponius lanarius, Leonardus Franciscus, Silvester Campiobesus, Joannes Bartolus, Silvester Joannis, aliique ab Ammirato relati artifices sellularii. Creati deinde a populo 64. equites ex optimatibus, duobus tantum plebejis immixtis. Ammirat. *lib. XIV.*

23. *Defunctos esse omnes.* Quid mirum, cum pene omnes senes essent?

24. *Genusque eorum majori ex parte deletum.* Joannes Magalottus ann. MCCCLXVII. sine filiis defunctus. *Ut Joann. Baptista Ciai. in suo M. S.* Andreas Salviatus anno circiter MCCCLXXXVIII. extinctus, ejusque familia cum

eo collapsa. *Istor. Geneal. fam. Salv. MS.* apud Can. Thomam Salviatum. Joannes de Mone ab exulibus Florentinis Aretii occisus, successoribus caruit. Mem. hist. *Nicolai Rodulph. MS.* apud Can. Ghirardinum. Andreæ de Bardis incertus exitus; certum tamen, illum sine prole decessisse. *Nic. Rodulph. ibid.* Simon Perrucius Magalotto suffectus (qui ann. MCCCLXXVII. occubuerat) nec ex se, neque C ex fratre masculam prolem reliquit. Alb. *Geneal. Bern. Benr. Arch. Segr. Hetruriæ Principis.* Reliquorum familiæ, nempe Guccii Guccii, Matthæi Soldi, Joannis Dini, & Thomæ Strozzi diu perdurarunt, quorum aliquæ nostra quoque ætate florent.

25. *Carolus Bernabovis filius.* Bernabove a Galeatio in captivitatem redacto, Carolus, Crema, Parma, aliisque quæ illi paterna divisione obvenerant locis spoliatus, Mediolano quoque pulsus fuit. Angeli *Hist. Parm. lib. II. p.* 201.

26. *Antonius Scala.* A Francisco Carrariensi una cum Brunoro captus, ac in Montis Silicis arcem custodiendus missus fugam arripuit, ac patria exul latronum more in omnium agros irruit. Hieron. Corte *To.* 2. *lib. XIII. p.* 248.

27. *Ad redimendam pacem.* Octo florenorum millibus. Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.*

28. *Inter Galeatium &c.* Kal. Septembris in Vico Lignani Mediolanensis ditionis ad quinquennium fœdus firmatum. D Fœderis conditiones videre est apud Malavolt. *lib. IX. Hist. Sen.* Gerard. *Hist. Bon. To.* 2. *lib. XXV.* & Ammir. *To.* 2. *lib. XV. p.* 775.

29. *Bartholomæus Severinas.* Hoc est Bartholomæus Smeduccius a Sanseverino. Pompejus Pellinus *Hist. Per. p. I. lib. IX.*

30. *Nomen pacis &c.* Non libertatis, ut in bello contra Gregorium XI.



POG-

POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI TERTII EPITOME.

Joannes Galeatius *Vicecomes* Bernabovem *patruum dolo circumventum veneno absumit*, Mediolanique *dominatum occupat.* Veronensem, *ac* Patavinam *ditionem*, *dominis expulsis*, *suo adjungit imperio.* *Orto* Florentinos *inter*, *&* Senenses *bello*, *his favens* Galeatius *in* Florentinos *arma convertit*; *sed ab iis repulsus sua defendere cogitur*, *magnisque modo adversæ*, *modo variantis fortunæ casibus agitatur.* Genuensis *Ducis opera pax conficitur.* *Novum postmodum insurgit bellum*, Mantuanoque *in agro pessime Vicecomes habetur.* *Cum* Florentinis Veneti *fœdus ineunt*, *quorum opera induciæ cum Vicecomite in decem annos factæ.* *Pisæ a* Galeatio *magna auri vi emptæ.* Perusia Senæque *ab eo cum multis* Hetruriæ *locis occupatæ.* Robertus *Imperator in* Italiam *a* Florentinis *evocatur*, *qui adversa fortuna usus in* Germaniam *revertitur.*

LIBER TERTIUS.

1386 UIETIS tum [1] a bello, tum a civili dissensione [2] cibus, Reique publicæ statu rite composito, pacem totius ferme *Italiæ* *Johannes Galeatius* turbavit, qui tum *Virtutum* Comes, tum Tyrannus appellabatur, quoniam nullo jure *Mediolani*, cæterarumque *Galliæ* urbium, quas Vicecomitum familiæ paulo ante possederat, imperium tenebat: hujus ambitio nimia, & imperandi libido bellum contra *Florentinos* excivit gravissimum omnium, quæ civitas antea pro libertate susceperit. Nam & cum tyranno præpotente res ei fuit, & in duodecim [3] annos summis utrinque viribus bellum potractum. Urbs quoque id temporis florebat viris egregiis, opibusque, neque in gerendo bello animus, aut consilium, aut pecunia deerat; de quo priusquam scribere aggrediar, paulum ab instituto digrediendum videtur, quo vita moresque *Johannis* usque ad belli primordia recenseantur. Solus cum [4] *Bernabove* patruo *Mediolanum* tenebat *Galeatius*, urbesque omnes a patre relictas. Timebat autem illius potentiam, filiorumque [5], qui plurimi erant ætate adulta, & paternas urbes regebant. Quapropter suspicionem ampliora cupiendi simulato metu fugiens [6], tamquam rerum humanarum pertæsus humilitate vitæ, rerum comtemptu, veste vili, victu haud sumptuoso, boni viri, & fortunæ bona contemnentis famam quærebat. Quo vero ab insidiis, quæ suæ vitæ parari in diem dicebantur, tutiorem redderet vitam, uxorem duxit *Bernabovis* [7] filiam, tamquam salutis pignus firmum, ac stabile, & ab insidiis tutum. Summa benevolentia, & humanitate in omnes erat, semper patruum ore habens, & ad eum rejiciens, si qua in regenda urbe graviori consilio egerent. Sed vir callidus, majora quam quæ ostentarentur agitabat animo, quod postea suo tempore patefactum est. His anxius curis *Galeatius*, cum referretur sibi insidias veneno parari; sive verum id erat, seu ad tegendum scelus confictum, & ipse Socerum dolo capere statuit. Finxerat antea quandam vitæ religionem, qua parvi facere, quæ cœteri appetunt, existimaretur, & apud vulgus sanctitatis cujusdam contraxerat fidem: regimen *Mediolani*, quod commune erat Patruo, quem semper patrem appellare solitus erat, *Papia* [8] sibi urbe ad habitandum electa, permiserat. Cum tempus [9] rei gerendæ constituisset, simulavit voti solvendi gratia se ad certum Religionis templum [10], id est ultra *Mediolanum*, velle proficisci, & cum prope mœnia transiturus esset, *Bernabovem* rogavit, cum illius videndi esset cupidissimus, ut sibi obvius procederet. Ille nil mali veritus, cum duobus [11] majoribus natu filiis, magnoque civium numero extra urbem Nepoti [12] occurrit, cujus jussu (ita enim composita res erat) ab ala equitum, ad id tectis armis parata, circumventus cum filio [13] majori (nam alter inter tu-

1. *Quietis tum a bello.* Quod ad Aretium recuperandum gesserant Florentini, ut Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. IX.* recuperatum autem est 40. millibus aureis Conciaco solutis. Ammirat. *To. 2. lib. XV.*

2. *Tum a civili dissensione.* Plebeja enim factio vulgo *de Ciompi*, quæ adeo urbem ab ann. MCCCLXXVIII. usque ad ann. MCCCLXXXIII. vexaverat, penitus eversa.

3. *In duodecim annos.* Nempe ab ann. MCCCXC usque ad ann. MCDII.

4. *Solus cum Bernabove patruo.* Nam Actius Joannis Galeatii frater occubuerat ann. MCCCLXXXI. Campi *lib. III. Hist. Crem.*

5. *Filiorumque, qui plurimi erant.* Quinque *Corius p. III.* enumerat, Marcum, Ludovicum, Carolum, Rodulphum, & Mastinum ex Regina Scaligera ejus uxore susceptos, queis si fœminas, & liberos aliunde susceptos adjicias, 32. invenies secundum *Ammiratum.*

6. *Fugiens.* Papiam profectus est Galeatius, Mediolano patrui curæ concredito. Jacobus Poggius *in hujus Hist. versione.*

7. *Bernabovis filiam.* Nempe Catharinam secundis nuptiis ascivit post Isabellæ primæ uxoris obitum. Cor. *p. III.* Campi *Hist. Crem. lib. IV. p.* 90.

8. *Papia.* Olim Ticinum a Ticino fluvio urbis mœnia prætergrediente, a Liguribus, Levis, & Maricis ante Mediolanum ædificata, a quo in Austrum distat 20. mill. pass. *Strabo* autem *lib. V. Geograph.* ab Umbris Ticinum ædificatum asserit.

9. *Cum tempus &c.* Ad Idus Majas.

10. *Ad certum Religionis Templum.* Deiparæ dicatum in Varesii vico.

11. *Duobus majoribus natu filiis.* Ludovico, & Rodulpho.

12. *Nepoti occurrit.* Usque ad Hospitale S. Ambrosii. Cor. *p. III.* Pellin. *Hist. Per. T.* 1. *lib. IX.*

13. *Cum filio majori.* Cum duobus filiis captum testantur Corius *p. III.* Ammirat. *To. 2. lib. XV.* Non ideo tamen Poggius castigandus. Potuit enim primum cum Bernabove major filius capi, deinde vero aliquo post tempore etiam Rodulphus. Constat enim ex iisdem scriptoribus, duos prætere a

1386 tumultum evaſerat) capitur, inque caſtellum, quod portæ urbis imminet, perductus in carcerem [14] conjectus eſt. Reliqui filii, qui plures erant, in ſuam quiſque [15] urbem diffugere. Prædictum ei fuerat, comitatum Nepotis nil minus redolere, quam religionem, cum plurimus eſſet, & armatus. At ille nil adverſi ab nepote metuens, fatis volentibus [16] præteritæ vitæ (admodum enim crudelis, & impotens moribus fuerat) pœnas dedit. Ob hoc tam ſubitum, tamque atrox facinus, haud parvo in urbe tumultu oborto, atque ad rei novitatem ſingulis animo ſuſpenſis, *Johannes* ad ſedandam aliquo plebem pabulo, domum [17], reliquaque tum *Bernabovis*, tum filiorum quæ in ædibus erant, fortunas omnes populo conceſſit, qua præda favorem popularium ſibi conciliavit. Utque vero futuras tolleret ſe-

1387 ditiones, patrem, filiumque [18] veneno ſuſtuliſſe dicitur. His & ſororis mortem [19] pro marito, qui patrui filius erat, lacrymis orantis, ut ſe ab ea moleſtia eximeret, adjecit. Omnes deinde urbes ad quas *Bernabovis* liberi confugerant, illis pulſis recepit, quorum pauci mortem evaſere. Ita trium [20] potentia ad unum redacta eſt. His regnandi initiis ſecunda fortuna uſus *Galeatius*, e veſtigio majora ſecum agitare cœpit, & ætate, majorumque gloria animum imperandi cupidine æſtuantem in dies ſtimulante, non contentus urbibus, quas nullo jure tenebat, cum animo conceпiſſet *Patavini* [21], ac *Veronenſis* [22] Principum diſcordia facile eorum urbes ſuo ſubſidere imperio poſſe, id vero aperto marte multis de cauſis aſſequi deſperaret, mentem ad dolos, & priſtinas calliditates convertit. Cumque inter eos ſumma pax vigeret, ac concordia: legatis ad utrunque clam mittendis, ſerendiſque invicem calumniis, ac maledictis, præterita quoque odia refricando, aſſerendoque alterum alteri inſidias occulte moliri: brevi perfecit, primum ut ſimultas oriretur, deinde aperto odio utrinque incenſis animis ad arma, & bellum ambo Principes, ignari quem finem datura eſſent fata, proſilirent; & cum diutino, quod a *Galeatio* nutriebatur bello nunc hortando, nunc ſubſidia ſeorſum pollicendo de-

A feſſi eſſent, ambos bello fatigatos, pecuniiſque, ac viribus exhauſtos oppreſſit: primo *Veronam Antonio* [23] *Scala* Principe in exilium, ne in manus hoſtium perveniret, profecto: tum *Patavium*, capto *Franciſco* [24] *Carrario* ſeniore (quem in carcerem, ubi & mortuus eſt, tradit) in poteſtatem redegit. Mirantibus vero cunctis *Italiæ* populis, querentibuſque harum opulentiſſimarum urbium expugnationem, haud injuſte id bellum *Galeatius* a ſe ſuſceptum aſſerebat, proculque ab ſe omnem injuriæ ambitioniſque culpam rejiciebat, pacem præſeferens, & in illa afferens ſe permanſurum. Quo vero magis ſua occultarentur B conſilia, utque omnem regnandi cupiditatem diſſimularet, majorem natu [25] filium *Florentinos* ſacro de fonte, ut moris eſt, levare voluit: quæ res ſingulis perſuaſit *Galeatium* ſibi finem ſtatuiſſe cupiditatis, & id tamquam novum fœdus pacis ſervandæ fore. Omnia ab eo agebantur, quibus ſuſpicionem ampliora petendi ex animis hominum amoveret, perſuaderetque ſe otium cupere, & quietem, ſed unum volvebat lingua, alterum pectore verſabat. Orta, ut fit, ex *Florentinorum* rebus ſecundis invidia, *Senenſes* ad odium poſt captum *Aretium* excitavit, æſtimantes quantum ſociorum opibus adjiceretur, tantum detrahi viri- C bus ſuis, quod multarum calamitatum cauſam præbuit, & belli futuri ſemen. Anno ante *Bernabovis* obitum, qui fuit quartus, & octuageſimus ſupra mille trecentos, urbem *Aretinam* ceperant *Florentini*, cujus agri juriſque erat *Lucinianum*, a *Senenſibus Aretinorum* bellis civilibus antea occupatum: quod oppidum *Florentini*, ut ſuæ ditionis cum repeterent, *Senenſes* vero ſe reddituros negarent, integram rem omnem *Bononienſibus* judicandam permittunt; qui auditis Oratoribus, reſtituendum eſſe, pecunia [26] a *Florentinis* recepta, decernunt. At illi eo judicio [27] minime paruerunt, ex quo occulta eorum odia in *Florentinos* D cœpere, quæ tandem apertum bellum inter *Galeatium*, & *Florentinos* excitarunt. Sumpta eſt belli gerendi occaſio a *Politiano*, quod ob injurias a *Senenſibus* illatas ultro ab eodem fœdere deficiens, ſponte poſtmodum in populi *Florentini* po-

---

terea ejus nothos Sacramorum, & Galleotum, non tamen eodem die, captos fuiſſe. *Pellinus ibid.* Campius *lib. III.* Girardaccius *lib. XXV.*

14. *In carcerem conjectus eſt.* Perductus poſtea cum Ludovico Tretium ad Abduam munitiſſimum oppidum, quod ab illo conditum fuerat ann. MCCCLXX. *ut* Briet. *Parall. Geog. in append. ad Tom.* 2. & Rodulphus in S. Columbani oppido clauſus.

E 15. *In ſuam quiſque urbem.* Hoc eſt in eam, quam quiſque a patre acceperat.

16. *Fatis volentibus.* Plura in ſuperſtitionem accepta narrat Petrus Azarius Novarienſis Notarius *in codice MS.* apud me, obſervatque in domo Geminorum eo tempore, quo Bernabos captus fuit, Saturnum, Jovem, & Martem conjunctos fuiſſe. Addit Corius *p. III.* Lapideum anguem in Rodulphi domus culmine poſitum ictu fulminis collapſum octo circiter ante diebus, & per idem pene tempus Vercellinam portam comitantibus filiis Bernabove ingreſſo ligneum pontem, vix illis præteritis, diſſolutum, magna ſequentium equitum clade.

17. *Domum reliquaque, &c.* Non tamen hæc populo diripienda conceſſit, quin prius cælati argenti ſex currus, aureorumque ſeptuaginta millia ſibi reſervaſſet.

F 18. *Patrem filiumque.* Bernabovem, & Ludovicum veneno epulis infectis. Cognita illapſi veneni vi, Bernabovem tanta pœnitentia ductum teſtantur, ut ne lacrymis quidem efferatus cœteroquin animus pepercerit. Cor. *par. III.* & Girard. *Hiſt. Bonon. lib. XXV.*

19. *Et ſororis mortem.* Violantidis quam primum Leonoro, ſeu Leonello Clarentiæ Duci, Britanniæ Regis filio deſponſatam refert Comes Blandrates Eques Hieroſol. *Hiſt. Marchionum Principumque Montisfer.* Inde a Leonello relictam Joannis Montisferrati Marchionis filio nupſiſſe. Hoc vero a domeſtico quodam interfecto, tertio conjugii vinculo patruelis ſui Bernabovis filio colligata eſt; Ut *Donatus Acciajolus* Florentinus teſtatur, utcunque ſentiat Campi *Hiſt. Cremonæ lib. III. p.* 73. Viridis alterius ſororis nomen pro Violantide perperam uſurpans.

20. *Ita trium potentia.* Nempe Matthæi, Bernabovis, & Galeatii, quos inter defuncto Joanne Archiepiſcopo diviſum Imperium fuit.

21. *Patavini.* Franciſci Carrarienſis.

22. *Veronenſis.* Antonii Scaligeri.

23. *Antonio Scala, &c.* Sibi timens Antonius navim conſcendit, quam ad omnes eventus paratam prope oppidum habebat, & una cum filiis, & uxore per Atheſim Venetias petiit anno ætatis ſuæ 25. duodecimo vero ejus imperii. Corte *Hiſt. Ver. To.* 2. *lib. II. p.* 207.

24. *Capto Franciſco Carrario ſeniore.* Senior dictus, quod filium haberet ejuſdem nominis. Dum, ut Galeatium adiret, Mediolanum verſus iter faceret; Comenſi in urbe captus, ac in Meodoviæ oppidum conjectus exceſſit anno MCCCXCV. Scardeonius *lib. III. Claſſe XIII. de Patavinis pace, vel bello claris p.* 285. *& lib. II. Claſſ. IX.*

25. *Majorem natu filium.* Cui Joanni Mariæ nomen ex voto impoſuerat. Natus eſt non. Sept. MCCCLXXXVIII. Abbiatæ, ut *Corius p. III.* prope finem.

26. *Pecunia a Florentinis recepta.* Octo aureorum millibus, quæ a Raynaldo Janfiliatio Bononiæ perſoluta. Malavolt. *p. II. lib. IX. p.* 159. *Hiſt. Sen.*

27. *At illi eo judicio minime paruerunt.* Temere hoc Poggius refert, ut ex aliis ſcriptoribus conſtat, aliæque, & ſatis notæ fuere belli cauſſæ. Bononienſium judicio paruiſſe Senenſes, aſſerunt Leon. Aret. *lib. IX. Hiſt. Flor.* Pellinus *Hiſt. Peruſ. lib. IX.* Malavoltus *Hiſt. Senen. p. II. lib. IV.* quin immo Scipio Ammiratus *p. I. Tom.* 2. *lib. XV.* aſſerit anno MCCCLXXXVII. menſe Decembri, Confallonerio Petro Oricellario, Lucinianum Raynaldo Janfiliatio equiti traditum Florentinorum nomine.

1387 potestatem concessit. Ejus oppidi incolæ, ut sui arbitrii homines, aliquandiu *Senensibus* tamquam Patronis hæserant, ut eorum auctoritate ab *Aretinis*, cæterisque finitimis populis tutiores essent. Verum cum *Senenses* [28] ultra quæ fœdere permitteretur, in eos juris sibi vindicassent, superbe nimis, contumeliosеque imperabant: quo factum est, ut cum sæpius *Florentinorum* opera initæ inter eos conventiones minime a *Senensibus* servarentur, avareque præterea, ac injuste in illos imperia exercerentur, fœdere, & societate eorum posthabita, se, suaque libere *Florentinis* dederent. Recusata [29] tunc est ab eis ea deditio, paci sociorum, & concordiæ consulentibus, Oratoribusque ad utrosque missis, componendis [30] discordiis operam impendunt. At *Senenses* arbitrantes iisdem auctoribus omnia excitata; tamquam bellum ultro appetentes, Legatis irarum pleni, *Mediolanensis*que promissis ad *Tusciæ* imperium anhelantis onerati, contumeliosius respondent, missaque [31] extemplo legatione, fœdus cum eo conditionibus [32] admodum homini acceptissimis, ut *Floren-*
1389 *tinis* bellum inferat, ineunt. Hac re *Florentinis* nota, Oratores denuo *Senas* missi, si quo modo possent illorum animi ab ea cogitatione averti. Verum arrogantius quam antea responso dato, non esse sui juris aliquid cum *Florentinis* pacisci, cum se jam in *Galeatii* clientelam contulissent, re infecta reversi sunt. Comes veluti ejusmodi rerum inscius *Florentinis* obtulit de compositione acturum se, & si opus foret, auxilio futurum. Testatus [33] quoque palam est, neque deditionem ullam fecisse *Senenses*, neque etiam, si eam obtulissent, ne bello cum *Florentinis* antiquis sociis decernere cogeretur, accepturum fuisse. Hortabatur vero, ut *Politiano* [34] abstinerent, quo in potestatem *Senensium* rediret: quæ res cum agitaretur, adeo duræ fœderis leges imponebantur, ut tamquam iniqua servitus recusarentur: quo accidit, ut incursiones crebræ, populationesque (jam enim equites [35], peditesque permulti *Senas* convenerant) in agrum *Politianensem* hostili more fierent. Interea *Bononienses*, *Pisani*que, qui socii erant, prospicientes quantum incendium excitatura esset futuri belli flamma, ad quam augendam

haud parvum a *Galeatio* fomentum subministratum iri homines, sicuti postmodum fecit, arbitrabantur (jam enim belli materiam quærens, equites [36] sexcentos *Senensibus*, veluti mercede ab eis conductos, ut propriæ saluti consulerent, miserat) *Florentinos*, ut una suos quoque Oratores pro pace inter eos, & *Politianenses* reintegranda *Senas* proficisci vellent, per Legatos hortantur: quo impetrato, *Senas* mature profecti pacem [37] æquis legibus faciunt. At *Galeatius*, cum pacis cupiditatem præsetulisset, tandem ardore belli gerendi victus, *Florentinos* omnes rupto [38] fœdere, eam præferens causam, quod tamquam exploratores sua consilia exteris nota facerent, quodque suos hostes pecunia juvissent, suis [39] finibus abire jussit; a quibus contrarium edictum manavit: publice namque decretum est, ut in septennium omnibus, qui illius imperio parerent, *Florentiam*, ad aliasque eorum urbes, & loca libere veniendi, morandique data immunitate, jus potestasque esset. *Petrus* vero *Gambacurta*, qui *Pisis* præerat, vir prudens, & pacis cupidus, belli pericula animadvertens, concordiæ [40] curam suscepit, accitisque dissidentium [41] Legatis inter *Galeatium*, *Senenses*, ac *Malatestas*, *Florentinos* vero ac *Bononienses*, ea lege novum ad triennium fœdus composuit, ut neque *Mediolanensis* in *Tuscia*, neque reliqui in *Gallia* quicquam novi juris, aut imperii sibi quærerent, aut vendicarent; additumque ut ex eo nihil priori fœderi, in quo *Pisani*, *Perusini*que [42] socii ascripti erant, derogaretur. Jusserat, dum hæc agerentur, *Galeatius* contra jus gentium, & datam fidem, *Johannem Actium Ubaldinum* egregium ea tempestate belli ducem cum mille equitibus *Senas* ire, tamquam id postulantibus sociis ad tutandos eorum, si qua in re opus esset, fines: qui cum per *Flaminiam* iter faceret, *Perusiam* veniens, eam auctore *Biordo* [43], qui illius tyrannidem usurparat, a *Florentinorum* societate avertit. *Senas* inde profectus, ac Dux belli factus, quæ ad ejus curam pertinerent paratis diligenter, agrum *Politianensem* adversus [44] contractæ pacis leges populabundus ingreditur. Multa itaque in dies, cum conspicerentur a *Galeatio* fieri, tentarique, quibus manifesto com-

28. *Cum Senenses, &c.* Nulla Senensium injuria Politianenses ad defectionem compulsos testatur Malavoltus *Hist. Sen. lib IX p. II.* & Spinellus *Hist. Politiani lib. III.* sed ex civili discordia inter duos de Pecora, quorum in partes divisi confluxerant oppidani. Potior pars Joannem secuta Girardum ejecit; advenientemque ad res componendas Senensium Legatum armis excepere. Pœnitentia autem ducti, ne pœnas luerent, Florentinis per Legatos se dedere.

29. *Recusata est ab eis deditio.* Amice nimis egerunt Florentini, poterat enim inviolato fœdere Politianum ultro se dedens retineri. Sic Romani, etsi Campanis in Samnites auxilium petentibus denegassent, cum Samnitibus enim fœdere conjuncti erant, Campanos tamen se dedentes acceperunt, & contra Samnites Valerium, & Cornelium Consules cum exercitu misere. *Livius lib. VII.*

30. *Componendis discordiis.* Concordiam inter Senenses, ac oppidanos a Florentinis conciliatam die XXIX. Octobris MCCCLXXXVII. asserit Ammirat. *p. I. Tom. 2. p.* 796.

31. *Missaque extemplo legatione.* Quinque Senenses Mediolanum missi, quorum princeps Orlandus Malavoltus. Malavolt. *Hist. Sen. lib. IX p. II. p.* 163.

32. *Conditionibus homini acceptissimis.* Fœdus iniere die XXII. Septembris, & Galeatio jus belli pacisque datum, quod quidem nonnisi illi acceptissimum esse poterat.

33. *Testatus &c.* Carrariensi bello Vicecomes implicitus, ne a Florentinis mora illi injiceretur, Senensibus se minime adhæsurum pollicitus est, eorumque Legatos qui apud eum convenerant, non alia de causa quam firmandæ cum Florentinis pacis detineri ostentabat.

34. *Politiano abstinerent.* Politianenses a Senensibus ad Florentinos rursus defecerunt, ditionique Florentinorum Politianum in Camerali libro adscripserunt: vigebat enim lex, ne nisi totius populi consensu ea alienare liceret, quæ in hoc libro descripta fuerant. Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. IX.* S. Antonin. *tit. 22. cap. 3. §.* 20.

35. *Equites, &c.* A Vicecomite Paulus Savellus cum tercentis militibus missus. *Corius p. III.*

36. *Equites sexcentos.* Joanne Ubaldino Duce. Girardacius *p. II. lib. XXVI.*

37. *Pacem æquis legibus faciunt.* Nemini magis quam Bononiensibus pax hæc curæ erat? Vicecomite enim Bononiam magno cum exercitu adventante, verebantur, ne memoria veteris dominii excitus ad sua repetenda animum intenderet.

38. *Rupto fœdere.* Justa de causa ruptum fœdus. Florentini enim Franciscum Carrariensem Vicecomitis captivum Astæ detentum ad fugam excitaverant, inque urbem receptum opibus adjuverant. Ammiratus *p. I. To. 2. lib. XV.*

39, *Suis finibus abire.* Octo dierum spatio.

40. *Concordiæ curam suscepit.* Cujus firmandæ gratia, Florentiam primum, deinde Mediolanum profectus Joannem Galeatium suam in sententiam perduxit. Pellinus *Hist. Per. p. I. lib. IX.* Truncius *Ann. Pis. p.* 169.

41. *Dissidentium Legatis.* Horum nomina apud Malavolt. *Hist. Sen. p. II. lib. IX. p.* 165.

42. *Perusinique socii.* Nullo a scriptore hoc in fœdere Perusinos commemoratos asserit Pellinus *Hist. Perus. p. I. lib. IX.* licet Leon. Aret. *lib. IX. Hist. Flor.* Malavolt. *Hist. Sen. p. II. lib. IX.* & Ammirat. *p. I. To. 2. lib XV.* oppositum referant.

43. *Biordo qui illius tyrannidem occuparat.* Biordus, seu Bigordus Michellotus Tuderti, Ascisii, aliarumque urbium Dominus, Perusium quoque ab Ecclesia deficiens sibi adscivit, cujus postea, pace facta, Vicarius a Pontifice electus est. S. Antonin. *p. III. Tit.* 22. & Cæsar Crispoltus Perusinus *lib. III. p.* 287.

44. *Adversus contractæ pacis leges.* Quas inter, ne nihil in Tuscia hostile ageret, ut supra.

45. *Pe-*

1389 comprehenderetur illius animum ad fallendum, & bellum gerendum promptum esse, pararique audirentur majores, quam ratio pacis requireret, equitum copiæ, varia civium sententia animos futuri incertos versabat. Prudentiorum tamen erant consilia, bellum cum tyranno quamprimum suscipiendum esse: facilius coalescentes vires conteri posse, quam cum robustiores factæ essent. Tutius videri teneris adhuc tyranni opibus obsistere, quam inveteratis: ardere illius animum imperandi cupiditate. Jam *Senensium* patrocinium, vel potius imperium contra jus fœderis usurpasse: jam *Perusinos* ex amicis hostes reddidisse: jam in *Etruria* præter conventa, quæ nunquam servarit, suas vires protulisse, omniaque illi fide & jurejurando esse potiora: jam multos pecunia [45], promissis stipendiis corrupisse: non esse expectandum adeo illum potentem reddi, ut eis, quod jam cupiat, leges, ut victis imponat: Forti & elato animo obstandum tyranno, libertatemque tuendam: imploranda cæterorum auxilia, quibus eadem belli pericula imminere videantur: scribendos novos milites, exercitum parandum, quo & sua defendi, & aliena oppugnari queant: fauturum Deum justæ causæ, & populum a servitute tyrannica exempturum: animi tantummodo adsint, consilia, & vires non defuturas. Concio post hæc electorum [46] civium habita, in qua aliquibus dictis sententiis *Johannes Riccius* Jurisconsultus in hunc modum orationem habuit, egregiam, & Reipublicæ salutarem. *Si quis forte vestrum dubitet præclarissimi cives, qua mente sit erga nos Johannes Galeatius Virtutum Comes, is profecto omnem abjiciat dubitationem necesse est, si illius ad hanc diem vitam considerabit: ea enim mentis, & animi ejus verum testimonium præbet. Verum, ut quæ occultiora sunt, forsan multis tamquam oculorum conspectui subjiciantur, evolvenda paucis nobis est ejus præterita vita, & ex ea futurorum conjectura capienda. Scitis olim hunc hominem cum quandam sanctitatis speciem verbis, & habitu vestium præsetulisset, primum ejus pietatis opus ob insanam dominandi cupiditatem in capiendo, necandoque Bernabove extitisse: & quem ipsa naturæ lex, & vis sanguinis ad amorem, ac pietatem, & decus tantæ familiæ impellere debuisset, hunc ambitio res pessima inter mortales ad impietatem compulit, & crudelitatem. Et nedum patrui, sed ne sororis* [47] *quidem pro viro deprecantis misertus est, illorumque funera morte sua cumulavit, patruique filios præter unum omnes sustulit, ne qui superessent paternæ cædis ultores. Neque his contentus, cum trium fratrum* [48] *imperium ad se redegisset, majori quam antea siti flagrans dominandi superioribus flagitiis alia addidit minime contemnenda. Veronæ, ac Patavii Principes, serendis occulte, nutriendisque per internuncios discordiis, dolo, & inanibus pollicitationibus deceptos ad inimica arma compulit: & cum seorsum utrique favere se simularet, adeo vires eorum diutino bello contritæ sunt, ut ipse utrunque novis armis facile debilitatum superarit. Hac fide, atque adeo summa perfidia amborum Principum urbes in suam ditionem parvo negotio redegit. Sed quo pluribus dominabatur, eo major incesserat imperandi appetitus: & cum non essent finitimi, adversus quos auderet armis* [49] *certare, animum ad Etruriam ad-*

A *jecit, expectans si qua ex tempore novandi occasio daretur. Ecce Senensium levitas est exorta, quæ tamquam ansam dedit illi ad arma in Etruriam promovendi, quam ille e vestigio nonnullis levibus innixus causis, sed quæ facillime confutarentur, contra jus gentium violato fœdere arripuit. Quid enim rei est sibi in Etruria a suis finibus admodum remota? quid est illi negotii pro Senensibus quos nemo lacessit, contra socios suos arma sumere, cum nulla in re a nobis fuerint violati? Sed cum immoderata dominandi libido præcipitem agit, ut nullum fœdus, nullam fidem, nullum jusjurandum, nullam societatem sibi, modo imperium augeat, servandam ducat, & quod* B *jure nequit, vi, atque injuria consequatur. Quibus artibus, quibus calliditatibus, quo astu usus sit, ut nos imparatissimos opprimat, considerate. Primum Senensium animos contra nos irritavit, atque incendit; conceptam malevolentiam multis promissis fovit, si bellum excitaretur: fœdus deinde cum eis iniit, in quo id primum ejus opera est adscriptum, ut bellum nobis inferret: deinde ad sopiendas mentes nostras tamquam pacis cupidus de concordia cum Senensibus se acturum spopondit, missisque Oratoribus, non pacem, sed belli semina dispersit. Quo secutum est, ut ei Senenses ultro se se dederint: quod cum vobis permolestum esse, & præter fidem ostenderetis, literisque* C *id graviter ferre videremini, ille suis utens artibus aperte negavit ullam per Senenses factam deditionem, & si quam facerent, se irritam habiturum. Missi deinde Senas equites sexcenti, tamquam eorum fines tutiores reddituri: quæ res supervacanea visa est, cum nondum ulla arma essent mota. Sed cui nota erant consilia sua, cuncta, quæ ad prolatandum imperium utilia sibi existimabat, præparabat. Facta est insuper per Petrum Gambacurtam inter Comitem* [50]*, Senenses, ac Malatestas idem sentientes, ac nobiscum, & cum Bononiensibus nova pax jurejurando firmata: quam ille nequaquam servavit, sed ardore nobiscum decertandi, iniquo edicto Florentinis omni-* D *bus suo imperio interdixit: pauloque post Johannem Actium Ubaldinum virum bello insignem cum equitibus mille Senas ire jussit: qui ut primum Perusiam pervenit, urbem amicam, & nobiscum fœdere junctam fide posthabita secum sentire* [51] *persuasit. Senas cum appulisset, in agrum Politianensem incursiones fecit. At ille quæ gesta erant se inscio facta asseverans, singula ejus consilia ad nos fallendos dirigit. Quid igitur amplius expectamus viri prudentissimi? Quid fidem ejus amplius experiundam ducimus, quæ nulla neque literis, neque verbis, neque Oratoribus est habenda? Ludus jam est ei dolis, & perfidia nos fallere. Plura insidiis ab eo, quam aperto marte* E *videtis agi: & non quid loquatur, sed quid moliatur est advertendum. Itaque abjiciendas moras omnes inutiles censeo, & spem omnem servandæ ab eo pacis desperandam. Satis diu ab eo delusi sumus: prædicat pacem, bellum tractat. Viribus igitur Galeatii fraudibus, & iniquæ ambitioni obviam est eundum, parandaque singula ad arma, & defensionem spectantia. Adsunt nobis vires, adsunt consilia, omnia, modo adsit voluntas vestra, & consensus omnium, ad Rempublicam conservandam abunde nobis sunt. Multa dies afferet, quibus poterit hic ambitionis impetus tardari: sperandumque Deum optimum maximum rupti fœderis* [52] *vindicem affuturum, victoriamque justissima, & pro tuenda libertate gerentibus bella daturum.* 1389

His

45. *Pecunia.* Joannem Bonacursium Florentiæ Confalonerium scutatorum millibus a Galeatio corruptum constat. Quo cognito fugientem Florentini proditionis ignominia notarunt, ac publice pingi jusserunt.

46. *Electorum civium.* Seu in concilio electorum civium, vulgo *de Richiesti.*

47. *Ne sororis quidem.* Violantidis Bernabovis filii uxoris.

48. *Trium fratrum.* Matthæi, Bernabovis, & Galeatii.

F

49. *Adversus quos auderet armis certare.* Venetos enim extimescebat.

50. *Inter Comitem* Galeatium, qui Virtutum Comes etiam appellabatur.

51. *Sentire persuasit.* Auctore, ut dictum est, Biordo.

52. *Rupti fœderis.* Per Petrum Gambacurtam Pisarum Dominum firmati.

1389 His multorumque adhortationibus civitate commota, omnium consensu bellum suscipiendum esse decernitur: Decemvirique [53] sine provocatione, quibus cura belli demandatur, creantur. Qui cum Magistratum iniissent, magno animo, nec minori prudentia exercitum summo studio com-
1390 parant, Legatosque [54] quatuor in ulteriorem *Galliam*, qui auxilium a Rege petant, mittunt: quorum duo in itinere positis insidiis deprehensi sunt, jussuque *Galeatii* contra jus gentium in carcerem trusi: reliqui ad Regem [55] perveniunt. Eodem ferme tempore per *Johannem Ubaldinum Miniatis* proditio tentata est, cujus nonnulli oppidani præmiorum spe corrupti auctores erant. Sed ea per conscios [56] detecta, sontes supplicio affecti sunt: multa insuper castella [57] *Senensibus* finitima, ut ab iis, qui jam cogitationes omnes ad bellum destinassent, variis nequicquam tentata dolis. *Mediolanensis* vero, ut a se omnem belli culpam averteret, eamque in *Florentinos* rejiceret, palam questus est se ab eis [58] veneno appetitum, inque suam necem conspiratum esse. *Bernabovis* [59] quoque filios adversus sollicitatos: ignominiæ præterea causa, ut infidum, & fraudulentum in concionibus, *Riccii* [60] præsertim oratione notatum: quæ cum variis [61] literis, ac sermonibus divulgasset, singula optimis argumentis, & epistolis, & verbis confutata sunt, ita ut palam esset diverticula ab eo ad subterfugiendam belli per injuriam illati infamiam quæri. Ad *Florentinos* [62] quoque literas dedit, quibus tamquam pacis cupidus bellum indixit, & veluti invitus ad suscipiendum bellum coactus, quæ eodem pacto ut mendaces ejus opera reprobatæ sunt. Ut vero *Pisanos* in suam societatem traheret, Oratoribus ad eos missis, confictis mendaciis quo procul a belli culpa videretur, non servari a *Florentinis* pacem criminabatur, & simul ut secum sentirent postulabat. At illi [63] in fide perstantes nunquam se pacis violandæ auctores futuros respondent. Varii qui per hostem fiebant belli apparatus *Florentinos* compulere, ut & ipsi omni ope necessaria ad bellum pararent: neque solum, ut vim vi repellerent, sed ut ultro armis extra *Hetruriæ* fines hostem lacesserent. Itaque *Augutum* ex [64] *Apulia* accitum, mortuo in itinere, dum ad exercitum veniret,

A *Renaldo Ursino* [65] belli duce, cum sex equitum millibus in *Galliam* contra *Galeatium* mittunt, ut tecta uri, populationes agrorum fieri, incendiis omnia fumare, defectiones populorum, cæterasque belli clades, castra hostium *Mediolani* portis potius imminere videat, quam insatiabili imperandi cupidine *Hetruriam* semper armis sollicitam reddat. *Loysium* [66] vero *Capuanum* in *Senensium* agros adversus *Ubaldinum* decernunt; solique nullis externis viribus præterquam *Bononiensium* freti, qui pro communi defendenda salute sumptus suppeditarunt, & *Cortonensium*, qui in amicititia perseverarunt, bellum omnium maximum, B quod ad eam diem gesserint, suscipiunt: cum diversæ factionis Principem *Perusini*, *Senenses*, *Malatestæ*, *Ferrariensis*, *Pupii*que Comes, ac plures alii sequerentur. *Galeatius* contra se exercitum proficisci animadvertens (nam *Augutus* cum suis copiis *Bononiam* [67] missus erat, cumque eo *Carolus Bernabovis* filius, & *Luchinus* patrio pulsi imperio) *Ubaldino*, apud quem plurimi equites *Senis* convenerant, mandat bello quam posset aspero *Florentinos* incesseret, ut potius se, suaque a propinquo validoque hoste tueri, quam de transferendo in *Galliam* bello cogitare cogerentur. *Senenses* e vestigio in proximam regionem, quæ C *Chiantia* appellatur, excursiones fecere, prædaque abacta confestim, ut *Florentinorum* milites propinquos jam adesse intellexerunt, abiere. Eodem tempre *Politianum* ultro se dedens receptum est. Duæ in eo [68] factiones erant: cum ad arma ventum esset, quæ *Senensibus* [69] favebat pulsa, *Senas* profecta odia eorum in *Politianenses* renovavit; altera [70] factio missis Legatis se dederat *Florentinis*. Eo plures equites missi sunt, ut *Senensium* agros vastarent: est enim oppidum inter hostes situm, ex quo usque ad propinqua *Senensibus* loca incursiones fieri, prædæque abduci possunt. His itaque initiis nonagesimo post D mille trecentos anno, cum bellum, quod in duodecim annos protractum est, cœptum esset, variis vero utrinque præliis, ac rapinis animi irritati, belloque intenti essent, dux *Senensium* [71] cum tribus equitum millibus, peditibus mille in *Vallem Arni* superiorem transcendit, nonnullorum spe, promissisque, qui *Johannis* [72] oppidum ei,

53. *Decemvirique.* Creati mense Octobri. adi Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.*

54. *Legatosque quatuor.* Plures a Florentinis Legatos missos testatur S. Anton. *Tit* 22. & Leon. Aret. *lib. IX.* sed nomina silent, non sic alii Scriptores, qui Philippum Adimarium, Philippum Corsinum, Cristophorum Spinum, & Matthæum Arrighium commemorant, quorum duo a Galeatio intercepti non nisi post pacem Pisis firmatam patriæ restituti. Nullo autem fundamento hoc asseri testatur solers Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XV. p.* 796. qui publicas scripturas perlustrans nullam nisi de Adimario mentionem factam testatur.

55. *Reliqui ad Regem.* Galliarum Carolum VI.

56. *Per conscios detecta.* Per Bernardum, & Ludovicum de Guizzis.

57. *Castella.* Quæ inter Anglarium, ut S. Anton. *p. III. Tit.* 22. *cap.* 3.

58. *Ab eis veneno appetitum.* De Florentinis hoc suspicatus fuerat, quod jam de Antonio Scaligero innotuerat. Deprehensus enim Placentiæ Antonius quidam Ortonensis ob venena, quæ secum deferebat, tormentis adactus, ea se parasse jussu Scaligeri fassus est, ut Galeatii puteum inficeret. Cor. *p. III.*

59. *Bernabovis quoque filios*, &c. Carolum, & Luchinum qui Florentinorum stipendiis militabant.

60. *Riccii præsertim.* Joannis Riccii oratione, in qua Galeatium dicebat, *Aliud fronte simulare, aliud corde sentire.*

61. *Cum variis literis divulgasset.* Venetis, Januensibus, Pisanisque scripsit; sed omnia a Florentinis refutata sunt. S. Anton. *Hist. Flor. P. III. Tit.* 22. *cap.* 3. §. 4.

62. *Ad Florentinos.* Diffidatoriam, ut appellant, Florentinis scriptam videre est in *Leon. Aret.* in fine *lib. IX.* adjecta etiam Florentinorum responsione.

63. *In fide perstantes.* Non fidem tantum servarunt Pisani, sed a bello Galeatium amovere conati sunt, Legatumque Joannem de Lanfranchis Equitem ad Florentinos miserunt, qui eos de omnibus certiores redderet. Truncius *Ann. Pis.* E & Ammirat. *To.* 2. *lib. XV. p.* 800.

64. *Ex Apulia.* Melius ex Campania: Cajetam enim Campaniæ urbem esse, tum ex *Baudrando*, tum ex Brietio *To.* 3. *Parall. Geog.* satis constat. Cajetæ degentem Augutum, indeque accersitum asserit Amm. *lib. XV.*

65. *Mortuo Renaldo Ursino.* Aquilæ ejus ditionis urbe in Regno Neapolitano. Ab iis ipsis, quos beneficiis cumulaverat, Ursinus occiditur, dum Florentinis opem ferre cum quadringentis militibus molitetur. *Leon. Aret. lib. X.*

66. *Loysium vero Capuanum.* Sibi fidum eum esse putantes Florentini, quod Florentinam matrem, Nicolai Acciajoli sororem habuisset.

67. *Bononiam missus erat.* Bononiam missus Augutus ut sociis auxiliaretur, in quos a Galeatio Jacobus Vermius cum septem millibus, & octingentis militibus missus erat, cui adhæserant Albertus Gallujus, Gens de Pepolis, & de Panico. Girardaccius *Hist. Bon. To.* 2. *lib. XXVI.* F

68. *Duæ in eo factiones.* Una uni, altera alteri fratri faventes.

69. *Quæ favebat Senensibus.* Duce Girardo de Pecora.

70. *Altera factio.* Duce Joanne de Pecora Girardi fratre Vide Spinellum Bencium *Hist. Montispolitiani lib. III. p.* 34.

71. *Dux Senensium.* Actius Ubaldinus.

72. *Johannis oppidum.* Nempe Joannis Tedeschi oppidum, Principis nomine nuncupatum, quo expulsus a Florentinis in bello Aretinensi, nunc Ubaldino favente per amicorum proditionem recuperari posse sperabat. Leon. Aret. *lib. X.*

73. *Die*

1390 ei, ſi circa ortum ſolis die propoſita [73] advenisſet, ſe prodituros polliciti fuerant. Hi pridie quam tempus ſtatutum erat, oppidum (nam noti, domeſticique erant) abſque ſuſpicione ingreſſi, ſibi portæ unius poſtridie (& jam hoſtium timor inceſſerat) cuſtodiam popoſcerunt, qua impetrata (nihil enim ineſſe doli ſuſpicari poterant) intenti mane expectabant hoſtes. Saluti fuit eorum adventus tardior quam compoſitum fuerat. Nam cum cuſtodes, tamquam ſuſpenſi animo muros, turrimque ſæpius aſcenderent, ſpeculantes nunquid hoſtes adventarent, & ob id nonnulla in eis fraudis ſigna conſpicerentur, orta palam ſuſpicione oppido pulſi ſunt. Dux paulo poſt cum equitatu adveniens, re palam facta, ab oppugnatione deſtitit. Incurſionibus tamen late longeque in vicina regione [74] nil hoſtile timente factis, ac ſubito incurſu captis pluribus, magna parta præda *Senas* rediit. Conſtans fama eſt, idque ab omnibus dictum audivi, ſi paulo ante patefactum dolum acceſſiſſet hoſtis, eum procul dubio incolis nil mali ſuſpicantibus oppido fuiſſe potiturum. Rei [75] proditionis exilio mulctati, publiceque in foro ad ignominiam ſceleris depicti. Favit in ea re fortuna admodum *Florentinis*; nam ſi ea ſucceſſiſſet fraus, facile futurum erat, ut hoſtis *Aretio* potiretur. Interſepta enim erat via qua illi urbi ſuccurri poſſet, & *Johannes* cognomento *Tedeſcus* ex familia *Petramalæ*, quæ *Ghibellinæ* factioni favebat, tamquam hereditariæ [76] urbis imperium affectabat. Quod haud magno negotio in oppido undique hoſtibus clauſo, & adhuc partium [77] memoria recenti eventurum fuiſſe putabant. Cum hæc parum proceſſiſſet, alterius oppidi proditio & tentata, & perfecta eſt. *Lucinianum* diximus antea *Aretini* agri *Bononienſium* ſententia *Florentinis* adjudicatum, ac vi recuperatum eſſe. Quidam ejus loci incolæ pretio corrupti, quorum domus pro muro oppidi erant, re antea compoſita noctu effracto muro *Ubaldinum* [78] cum equitibus admittunt, oppidumque *Senenſibus* reſtituunt. Oppidani conſciis proditionis exceptis ad unum omnes ſpoliantur. Ita dolo [79], fraudeque *Senenſes Lucinianum* uſurpant. Inde in *Politianenſes*, *Aretinoſ*que excurſiones quotidie factæ, & ſegetum corruptio ſecuta, ut magis quam hoſtili furore, ſuaſione *Senenſium* in hoſtium fines militaris licentia graſſaretur. Cum plura deinceps loca, partim fruſtra oppugnata, partim vi proditioneque, in quibus arx [80] *Baptifollis* tribus paſſuum millibus *Aretio* propinqua, & *Sancti Juſti*, *Pancratii*que [81] caſtella fuere, ab hoſtibus capta forent, *Senas* dux [82] reverſus in morbum incidit, ex quo & defunctus eſt, magnoque honore, & pompa funus [83] celebratum. Vir nobilitate generis clarus, & ſcientia rei militaris ſuæ ætatis peritiſſimus, ut qui ab *Auguto* cæteris *Italiæ* ducibus prudentia, & bellicis artibus præferretur. Huic ſuffectus *Johannes Tedeſcus* dux belli egregius, magnique animi, & partium ſtudio *Florentinis* hoſtis acerrimus, acceptis a *Senenſibus* copiis *Marcianum*, incolarum defectione, & ſimul præſidium, quod in eo erat, cepit: Cuſtos [84] arcis ad dolos parum cautus, & ipſe fraude arcem amiſit, ex quo poſtmodum capite punitus eſt. *Michelottus* [85] vero *Peruſinus* factione pulſus domeſtica ſub *Florentinis* cum ſexcentis equitibus ſtipendia faciens in *Peruſinos* profectus, cum capto caſtello, quod *Rutinam* dicunt, noctu cum paucis urbem data a multis fide, qui ad ſe deſcituros polliciti erant, ingreſſus eſſet, tandem majora viribus auſus, cum omni ope deſtitueretur ſociis omnibus ad unum deſideratis interficitur [86]. Dum hæc in *Etruria* geruntur, *Augutus* ex *Bononienſi* agro cum parte exercitus in *Mutinenſes* profectus omnis generis præda parta, equitibuſque ad urbis cuſtodiam miſſis, qui ei occurrerant, aut cæſis, aut captis, militem onuſtum in caſtra reducit. *Franciſcus* quoque *Carrarius*, illius filius, quem amiſſo *Patavio Galeatius* in carcere tenebat, *Florentinorum* [87] auxiliis, ad quos capto patre confugerat, fretus, ad mille hominibus coactis ex improviſo, conſpirantibus in hoc civibus, urbem paternam [88] recuperavit, cunctaque ditionis *Patavii* oppida, atque ipſam urbis arcem [89] admodum munitam vi recepit: omnibus, qui illius præſidio erant, quoniam ita in deditione convenerat, dimiſſis: quæ res, & *Venetis* vicinum *Galeatium* timentibus, & *Florentinis* ſummo gaudio fuit. Horum exemplum ſecuti *Veronenſes*, ſed non eandem fortunam experti ab eo deſciverunt. Diſcordia namque [90] poſt defectionem inter cives orta, partim antiquam li- 1390

73. *Die propoſita.* XXV. Aprilis.

74. *In vicina regione.* Nempe in Aretina, & in Valle Ambræ.

75. *Rei proditionis.* Antonius ab oppido S. Joannis antea Dominicanæ familiæ adſcriptus, tunc vero Ubaldini Cancellarius; & Ciampolus Ricaſolanus, ut Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XV.*

76. *Tamquam hereditariæ urbis.* Non enim alii quam ſibi, quippe nepoti Petri Sacconi, olim Aretii Domini, urbem illam deberi aſſerebat.

77. *Partium memoria.* Ghibellinæ ſibi faventis.

78. *Ubaldinum.* Non Ubaldinum, ſed Joannem Tedeſcum admiſſum vult *Ammir.* ut in ſequenti annotatione.

79. *Ita dolo fraudeque.* Joanne Tedeſco de Petramala curante, qui ab oppidanis auro corruptis admiſſus mille peditibus, & 300. equitibus Luciniano potitus fuit. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XV.* Aliter rem narrat Malavolt. *Hiſt. Sen. p. II. lib. IX.* qui Lucinianum in Senenſium deditionem ultro veniſſe narrat, Legatorumque nomina Senas profectorum addit.

80. *Arx Baptifollis.* Egreſſis oppidanis ad meſſem colligendam Presbyter quidam arcis cuſtodem ad epulas accitum comprehendit, hoſteſque introduxit. S. Antonin. *p. II. Tit.* 22. *cap.* 3. §. 7.

81. *Pancratii Caſtellum.* Ab oppidanis Senenſibus proditum una cum 30. Florentinis militibus, qui præſidio erant.

82. *Senas dux reverſus in morbum incidit.* Joannes Actius Ubaldinus obſidendo S. Juſti oppido, quod eſt juxta Arbiam fluvium, in morbum incidit; Senaſque profectus die XXV. Junii defunctus eſt, non ſine veneni ſuſpitione, ut ait Malavolt. *Hiſt. Sen. lib. IX. p. II.* & *S. Antoninus.*

83. *Funus celebratum.* In Cathedrali Eccleſia, in qua tumulatus. *Malavolt. ibid.*

84. *Cuſtos arcis.* Cum oppidanos omnes in Florentinos milites converſos vidiſſet, eos in arcem una cum Nerio ab Auguto Florentino cive recepit. Qui cuſtodem pavidum agnoſcens, arcemque haud defendi poſſe dictitans, eam hoſtibus vendidit, cuſtodique retulit, ſe cum Angelo Salimbeno hoſtium duce pactum vitam reſque omnes liberas fore, ſi arx ei traderetur. Sibi timens cuſtos, Senenſes in arcem admiſit. Fuſius Ammirat. *lib. XV. To.* 2. *p.* 807.

85. *Michelottus.* De Michelottis factionis *de Raſpanti* appellatæ Princeps ab aliis adverſæ factionis civibus jam ejectus. Pellin. *Hiſt. Per. p. II. lib.* X.

86. *Interficitur.* Non pugnando interfectus, ſed quadam in domo, ubi ſe abdiderat, inventus, populari impetu dilaniatus eſt. *Pellin. ibid.*

87. *Florentinorum auxiliis.* Nec non Venetorum, qui clam a Piceni Regulis auxilia illi impetrarunt. Scardeon. *lib. III. Claſſ.* 13. *de Pat. pace, & bello claris.*

88. *Urbem paternam recuperavit.* Patavium aggreſſus, juxta Monaſterium Carmelitarum intra prima mœnia ſub ponte Bovetæ vi irrumpens, eo potitus eſt ann. MCCCXC. XIII. kal. Jul. *Scardeon. ibid.*

89. *Arcem vi recepit.* Decem, & octo diebus poſt urbis ingreſſum, totidemque menſibus poſt ejus ab ea diſceſſum tranſactis. *Scard. ibid.*

90. *Diſcordia namque.* Populi conſenſu Florentiam miſſum ad revocandum Antonium Scaligerum, cujus morte cognita, Canem Franciſcum ejuſdem filium quinque annorum puerum Venetiis degentem poſtulaverant, ſed illo a curatoribus (non ſatis enim firma ſpes videbatur) denegato, infelici eventu perterriti inter ſe de urbis regimine agentes diſcordiam excitarunt. Vid. Hieron. a Corte *p. II. lib. XIII. p.* 214.

1390 libertatem repetentium, partim *Antonium* Principem postulantium, tempus, facultatemque ad urbem recuperandam hosti præbuere. Nam cum *Ugolottus Blanciardus* [91] unus ex belli ducibus, vir pace, ac bello prudentiæ singularis cum exercitu appropinquasset urbi, alterius, quæ intestina dissensione antea exacta erat, factionis [92] ope urbem ingressus, pulsis, aut captis diversarum partium viris, nobilem, atque opulentam urbem nullius partis respectu habito in prædam militibus concessit, quæ civium omnium fortunis direptis, cum viris, tum bonis, tum omni ornamento spoliata, militum [93] arbitrio, impudentiæque subjecta diutius permansit. Recepta *Verona* Dux arbitratus, proditione, aut negligentia civium facile se ea urbe potiturum, cum omnibus copiis, e vestigio *Patavium* contendit: sed nulla ibi, aut seditio, aut desidia *Francisci* virtute, quæ hostium consilia præverterat, reperta est. Excubiæ opportunis in locis, diu noctuque agebantur, una eademque omnium civium mens ad defensionem prompta vigebat. Mille præterea *Germanorum* equitum egregia opera, qui *Florentinorum* mercede parati sub *Francisco* militabant, fretus, & patriam servavit, & impetum hostium repressit. Inter hæc *Stephanus* [94] *Bavariæ* Dux magnis opibus ex *Germania* a *Florentinis* vocatus, ut *Mediolanensi* bellum inferret, in *Italiam* venit: qui cum sex exquitum millibus *Patavium* profectus primo adventu haud segniter bellum gerens, cum crebris incursionibus *Galeatii* omnia infesta redderet, hominem sibi, ac rebus suis timentem, maximam copiarum partem, ad patriam, *Galliæ*que imperium tuendum ex *Etruria* revocare coëgit. Adveniente vero fine anni, quo *Stephanus* conductus erat, cum otiose nimium, ac remisse cuncta administrare videretur, corruptusque [95], ut ajebant, pretio parum infestus hosti esset, non absque proditionis nota in *Germaniam* revertitur. *Henricus Montisfortis* Comes, qui cum Duce venerat, sinceræ vir fidei, & cui Ducis consilia haudquaquam probarentur, accepto stipendio cum mille, & sexcentis equitibus *Patavii* remansit. *Augutus* in agrum *Mutinensem*, *Reginum*, *Parmensem*, excursionibus sæpius factis, magnaque hominum, ac omnis generis pecorum præda *Bononiam* abducta, cum *Patavium* cum exercitu, ut hostibus esset propinquior, petiisset, cum decem peditum, equitumque millibus *Atesim* vado, mense Januario, loco qui dicitur *Porta Ritia* [96], ubi
1391 *Carrarii* castellum erat, trajecit, vastatisque hostium propinquis agris, cum suos tentari proditione sensisset, *Patavium* regreditur. Dux quoque *Patavii Franciscus* magno, ut opus erat, apparatu regionem [97] sibi proximam *Ferrariensis*, 1391
junctis ad id pontibus, ob frequentes paludes, invasit; cumque nonnulla [98] castella subito adventu cepisset, omnis ejus oræ incolas nil hostile, ob multiplices aquas veritos, pecorum quoque, quæ eo, ut in asylum confugerant, genus omne *Patavium* traduxit, quo gravi damno affectus *Ferrariensis*, cum re ipsa expertus esset pluris propinquum hostem, quam longinquam amicitiam æstimandam esse, recuperatis [99] amissis omnibus, una cum *Mantuano* abrogatis [100] *Galeatii* partibus, ad *Florentinos* [1] descivit. Majorem quam putarat belli molem subiturus *Mediolanensis*, omnes ferme pedites, equitesque qui in *Etruria* erant, redire jussit, quorum ope destitutos *Senenses*, bello acrius urgendi *Florentinis* facultas est data. Tribus exercitibus eodem tempore res gerebatur. *Franciscus Carrarius* egregiis copiis *Veronam*, omnemque vicinam oram continenter populabatur. *Augutus* quoque rei bellicæ peritissimus, excursionibus factis, cuncta *Galeatii* oppida, nulla militibus quiete data, solicitabat, hostesque ad pugnam provocabat. *Loisius* vero *Capuanus* haud ignobilis militaris scientiæ artifex vastatis *Senensium* agris, circumactoque per illorum fines ad urbem usque ipsam exercitu, suos ingenti præda oneratos quotidie reducebat. *Lucinianum* [2] quoque, pluraque, quæ *Aretinorum* castella fuerant, vi expugnata, ac recepta sunt. Cum gravi premerentur *Senenses* bello, seditione orta inter cives, partim improbantes, partim comprobantes susceptum bellum, nobiles [3] familiæ pelluntur urbe, quæ omnes cum suis castellis (ea permulta [4] erant) hærentes *Florentinis*, multum terroris, damnique civibus intulerunt. Erat futura superior admodum eo bello *Florentina* Respublica, nisi eorum consiliis fortuna obstitisset; nam dum hæc in *Etruria Gallia*que aguntur, Oratores duo *Renaldus Gianfiliatius* equestris ordinis, & *Johannes Riccius* in *Transalpinam Galliam*, ut retulimus missi, cum audissent *Jacobum Armeniacum* Comitem cum duodecim equitum, peditumque millibus otiosum in provincia *Narbonensi* vagari; promisso stipendio, cujus post descensum in *Italiam* initium erat, suaserunt, ut contra *Galeatium* arma sumeret. Ille tum pecuniæ magnitudine, tum dominandi cupidine ductus, multa enim promissa fuerant post adeptam victoriam: icto fœdere se in *Italiam* venturum promisit; jurequejurando cautum est, quo tempore bellum moturus esset, quantamque, & quibus in locis pecuniam recepturus. Ea mens *Florentinis* erat, sociisque, ut non *Senenses* solum op-

91. *Ugolottus Blanciardus.* Seu de Blanchis Parmensis, in quo omnes fere illius temporis Scriptores conveniunt, excepto *Antonio Campi*, qui eum putat Cremonensem. *lib. III. Hist. Cremon.*

92. *Factionis ope.* Accitus a primoribus civitatis Galeatio adhærentibus. Alii a populo appellatum volunt, ut defectionis venia obtineretur. Plat. *in vita Bonif. IX.* Alii ope militum qui Mediolanensem arcem tenebant, per portam arcis admissum asserunt. Sic Corius *p. III.* Hieron. Corte *part. II. lib. XIII.* Poggii vero sententiam confirmat Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. X.* S. Antonin. *p. III. Tit.* 22. §. 8. Sabellicus *Enn. IX. lib. IX*

93. *Militum arbitrio.* Ad quinque dies, nec a depopulatione cessatum foret, nisi Catharinæ Galeatii uxoris ex Veronensi Scaligerorum gente auctoritas intervenisset. Cort. *p. II. lib. XIII.*

94. *Stephanus Bavariæ Dux.* In Italiam venit una cum Joanne filio, Ratisbonæ Episcopo.

95. *Corruptusque*, &c. Nec vana suspitio, nam pacem cum Vicecomite suadebat.

96. *Porta Ritia.* Locus quo Augutus Atesim fluvium trajecit. Pecilem Leon. Aret. appellat. *lib. X. Hist. Flor.*

97. *Regionem sibi proximam Ferrariensis.* Policinium scilicet Rhodiginum. S. Anton. *p. III. Tit.* 22. *cap.* 3. §. 9.

98. *Nonnulla castella.* Et in his Abbatiam, & Lendinariam non contemnenda oppida. Pigna *lib. V. Hist. Princip. Atest.*

99. *Recuperatis amissis omnibus.* Carrariensis Marchioni promiserat, se omnia restituturum, dummodo a Vicecomite recederet.

100. *Abrogatis Galeatii partibus.* Prius tamen ad Galeatium Legatis missis, qui nunciarent, se propinquis hostibus Florentino, & Carrariensi utrinque obsessum in ejus amicitia haud posse perseverare.

1. *Ad Florentinos descivit.* Tractatus hic Venetiis inceptus, sed Galeatii amicis obstantibus haud perfectus, Ferrariæ tandem absolutus est.

2. *Lucinianum.* Jam Florentinis a Bononiensibus adjudicatum, ut supra.

3. *Nobiles familiæ.* Decem ex nobilibus familiis Senis pulsis nominat Leon. Aret. *lib. X.*

4. *Ea permulta erant.* Cum decem castellis Orlandus Malavoltus ad Florentinos descivit. Volaterr. *lib. V. Geog.* Alia adjecerunt Jacobus Salimbenius, & Marchio a Monte. Ammirat. *lib. XV.*

1391 opprimerent, quippe parva belli portio ea urbs
fuisset, sed ut tyranni opes debilitarent: quod,
ut facilius posset perfici, decrevere, ut *Augutus*
cum omnibus copiis *Armeniaco* jungeretur, com-
munique consilio administrarent bellum: confi-
debant enim, alterius ducis [5] prudentia, alterius
viribus facile *Mediolanensem* debellari posse. Ita-
que & *Augutus* cum exercitu in *Galliam* ire jus-
sus, & literis, Oratoribusque *Armeniacus* ad
transitum solicitatus. Egerat Tyrannus cum Prin-
cipibus *Galliæ*, prece, ac præmio corruptis, ut
illum ab incæpto detraherent: quod multis ver-
bis efficere conati sunt. At ille in fide data per-
severans, omnes hujusmodi suasiones rejecit, te-
status, tum omnibus, tum maxime Principibus
fidem servandam esse. Præfectum vero ex suis,
cui ala equitum commissa erat, ab eo deficien-
tem, ex itinere retractum securi percussit, ser-
vatoque fœdere vir egregius præstituto tempore
Alpes transcendit. *Augutus* interim cum omni
sociorum exercitu (ii sex electorum equitum mil-
lia, peditum mille erant, absque impedimentis)
Vicentiam, *Veronam*que prætervehens mense Ma-
jo *Atesim*, loco quo antea, transit, positisque
castris, vicos, oppidaque, securus ferme præda-
batur: cumque incertus, ubinam locorum *Ar-
meniacus* foret, in ea loca exercitum aliquandiu
tenuisset, ad mille tyranni [6] equites tutandæ re-
gionis causa relictos, cum obviam occurrissent,
multis occisis, pluribus captis, profligavit. In-
de securus ab hoste, *Mincium* ea parte, quam
vulgo *Molendinum* dicunt, vado transiit, relicta-
que a dextris *Brixia*, *Ollium* prope *Soncinum* tra-
jecit: per agrum deinde *Bergomensem* profectus
prope flumen *Abduam*, infra [7] vigesimum a *Me-
diolano* lapidem castra locavit: ubi diutius stativa
habuit, populandoque vicinas regiones *Armenia-
cum* expectabat. Vastabat vero longe, lateque
oras omnes per quas transierat, abducta omnis
generis præda, repugnante nullo, cum tantum
militum in eis locis relictum esset, quantum satis
visum est ad urbium tutelam: eo enim sub ad-
ventum *Gallorum* copiæ omnes tyranni convene-
rant, unde majus periculum imminebat. Nam
omnia *Galeatii* oppida, singulæque regiones ad
adventum *Armeniaci*, quem magno cum exerci-
tu (ut vulgo in rebus fit dubiis) adventare ru-
mor erat, suspensæ, fortunam secuturæ videban-
tur. Equites interea peditesque *Florentinorum*,
qui ad *Volaterras*, & *Colle* erant, loca maritima
Senensium invasere, ingentique præda parta *Vola-
terras* revertuntur. Oppidum insuper *Regiolum* [8]
in *Casentinati*, quod secundo belli anno ad Ty-
rannum desciverat, firma e vestigio obsidione
cinctum quarto mense expugnatum, incensum-
que est [9]. Auctores defectionis viginti laqueo
A pœnam dedere, reliqui [10] in carcerem trusi. In- 1391
terea a *Bononiensibus Florentiam* Oratores missi
Senatum adeunt. Quo in statu res eorum sint
docent: tantos belli sumptus se diutius non pos-
se ferre demonstrant: aut minuendos eos esse,
aut quærendam necessario ab eis pacem. Nihil
alienius visum est *Florentinis*, quam eo tempore
duarum gravissimarum rerum injectam mentio-
nem, nec periculosius quicquam ferri in consul-
tationem posse. Ideo responsum est, se quoque
ultra facultates in varios belli usus tributo vexari:
agros insuper suos ab hoste populatos: sed o-
mnia pro libertate ferenda, patiendaque esse: nul-
B lam in hoste habendam fidem, quam in suos *Pa-
tavinum*que, ac *Veronensem* esset expertus. Sup-
primendas eas esse voces, ne qua hostis rescisce-
ret: hæc enim factura tyranno animos: bello
omnibus viribus incumbendum: victoriam in
manibus versari. *Patavium* recuperatum esse,
advenisse in eorum præsidium [11] *Germanos*: *Gal-
los* [12] prope diem in *Galeatii* provinciam affutu-
ros, quorum opera aut opprimeretur hostis, aut
pacem essent tutam habituri: redirent itaque, ac
populum suum bono animo esse juberent, & ad
prosequendum bellum hortarentur. Inter hæc
frequentibus literis, nuntiisque *Armeniacus* ab
C *Auguto* solicitabatur, ut nulla interposita mora
Alpes superaret, & in *Italiam* transcendere ma-
turaret: monebat vero præcipue, ne quam belli
fortunam, quæcunque etiam se prospera offer-
ret, priusquam secum jungeretur, tentaret. No-
verat enim *Gallorum* [13] naturam pronam ad cer-
tamen esse, sæpiusque impetu quodam præcipi-
ti, quam ratione ad pugnandum ferri. Quod
(ut postmodum contigit) veritus prohibebat ul-
lo pacto fortunæ arbitrium, quæ plurimum in
bellis posset, subire. Idemque illud & Legati [14]
Florentini, qui cum eo erant, suadebant. At il-
le plus viribus, quam consilio fretus (& ætate [15] e-
D rat florida) cum primum ex Alpibus descendit, non
exploratis hostium viribus, non expectato *Augu-
to*, nulla periculi ratione habita, temere in to-
tius fortunæ discrimen descendit: & cum plura
castella *Alexandriæ* urbi, quæ *Galeatio* parebat,
propinqua partim vi, partim timore cepisset,
tandem oppidum ipsum, oblitus sani consilii an-
tea per *Augutum*, & legatos dati, atque inscius,
quæ hostium copiæ in eo laterent, pedestri acie
oppugnat. Igitur ante meridiem (& æstatis [16]
tempus erat, & increbuerat æstus) relictis [17] seor-
sum majori ex parte equis, pedibus, ut mos *Gal-
lorum* est, urbem aggreditur. At hostium ma-
E gno numero equites electi, qui eo, inscio *Arme-
niaco*, antea convenerant, duce *Jacobo Vermio*,
portis egressi de improviso [18] magno impetu pu-
gnantes adoriuntur. Et quod consilium haud-
qua-

5. *Alterius ducis prudentia.* Nempe Auguti. *alterius viribus*, nempe Comitis Jacobi Armeniaci.

6. *Ad mille tyranni equites.* Thaddæo Veruccio Duce, Auguti exercitum infestantes.

7. *Infra vigesimum.* Infra decimum sextum a Mediolano lapidem refert *S. Anton.* & XV. juxta *Leon. Aret. lib. X.* Ibi diutius stativa habente exercitu, Florentini Legati qui apud Augutum erant, equorum ludum die XXIV. Junii, quo die Florentiæ celebrabatur, ipsi quoque celebrarunt, ab altera Abduæ ripa spectantibus hostibus.

8. *Regiolum quod ad tyrannum desciverat.* Joannis Tedeschi opera.

9. *Incensum est.* Milites, qui in oppido erant, ut abirent incolumes, pacti, oppidum & oppidanos Florentinis tradidere.

10. *Reliqui in carcerem trusi.* Qui proximo Augusti mense Florentinorum pietate libertati restituti. Ammirat. *To. 2. lib. XV.*

11. *Germanos.* Henrico a Monteforte duce.

12. *Gallos.* Sub Comite Armeniaco.

F

13. *Gallorum naturam, &c. impetu quodam præcipiti.* Sic Cæsar lib. III. de Bell. Gall. *Nam ut* (de Gallis loquens) *ad bella suscipienda alacer, & promptus est animus, sic mollis, ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.* Vid. Liv. lib. X. & Brietium *Ann. Mundi*, *ad ann.* 1391. ubi hæc habet. *Armeniacensis* &c. *dum in obsidione fortius agit, Francorum more, quam prudentius, interemptus copias perdidit.*

14. *Legati Florentini.* Raynaldus Gianfiliatius, & Joannes Riccius, qui apud eum erant.

15. *Ætate erat florida.* Nondum enim vigesimum octavum annum compleverat. Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XV.*

16. *Æstatis tempus erat.* Sub finem mensis Julii. Corius *p. III.*

17. *Relictis seorsum majori ex parte equis.* Itinere, levibusque pugnis equos defatigatos reliquerat, eo insuper consilio, ut omnis fugæ spes auferretur. Amm. *To. 2. lib. XV.*

18. *De improviso, &c.* Mille equites sibi reservaverat Vermius, queis dum pugna increbuerat, nil tale veritum Armeniacum adortus est. *Ammirat. ibid.*

19. *Equos*

1391 quaquam eos fefellit, primum equos [19] ſeſſoribus vacuos, nullo negotio capiunt: deinde *Armeniacos* pedeſtres a fronte, & a tergo aggreſſi, tum lanceis, tum equorum incurſu diſſipant. Tribus horis aſpere pugnatum eſt: *Gallis* præſenti animo certantibus, neque cedentibus adverſariis, illis magis a labore recentibus, magiſque equorum, quam ſuis viribus confiſis: tandem cum diſpares equitibus pedites eſſent, *Galli* viribus equorum, velocitateque impares, certandi labore defatigati, ſiti æſtuque, ac vulneribus confecti ſuperantur [20]. Multi utrinque in acie cæſi: dux ipſe parvo vulnere accepto in urbem [21] ductus laſſitudine, æſtuque expiravit, ſuoque docuit exemplo, plus momenti in belli victoria conſilium præbere, quam vires. Magna pars exercitus in prælio capta: quidam per agros diſperſi non evaſerunt aut inſequentium equitum, aut agreſtium manus: paucis fuga ſaluti fuit. Ita nobilis exercitus unico prælio, ducis temeritate periit. *Florentinorum* inſuper Oratores capti ſunt, magnoque poſtmodum pretio [22] redempti. Præda omnis, pecuniaque, quæ plurima ab Oratoribus in ſtipendium allata erat, inter victores diviſa. Hac præter ſpem tam inſigni victoria potitus hoſtis, confeſtim ad circumveniendum *Augutum* profectus prope ipſum [23] caſtrametatus eſt. Fama tam adverſæ pugnæ vulgo ſparſa (nam itinera cuſtodiis ſepta erant) ad eum dubium, ſuſpenſumque animo pervenit, quam vero ſimilem, & pene certam, conſpecti in propinquo hoſtes fecere. Qua re admodum commotus Dux, pauciſque præfectos, ac priores equitum ad bonam ſpem hortatus, *firmo animo eſſe jubet: ſe duce omnia evaſuros pericula affirmat*, *modo viri eſſent*, *neque inani metu deficerent*; *omnia tuta viris fortibus eſſe*. Pluribus in eam ſententiam dictis, retro paulum *Cremonam* verſus cum exercitu ceſſit, & apud vicum quendam *Cremonenſem* (*Paternum* appellant) conſedit. Quem hoſtes ſecuti paulo amplius mille paſſibus longe ab eo poſuerunt caſtra. Erat inter duos exercitus pratum ingens, inque ejus medio aquæ rivulus decurrens frequentibus cinctus ſepibus, ad quem quotidie hoſtes decurrentes *Auguti* milites ad pugnam provocabant. At ille magis aſtu quam viribus utendum ratus, ſuos intra munitiones ſe continere jubet: quos pluribus [24] diebus hoſtes crebris incurſionibus ad pugnam elicere conati, cum iis quieſcentibus hoſtium animi creviſſent, atque ultra rivulum obequitantes propius caſtra adverſarios, ut ignavos, timidos, ac remiſſos incuſarent, nulloque ſervato ordine paſſim, tamquam explorata victoria, *Auguti* caſtris inſultarent, *Augutus* ſequenti die eadem incuria hoſtes redituros ſperans, ſuos ad pugnam paratos inſtructoſque in equis ſtare jubet. Cum illi majori numero, tamquam caſtra oppugnaturi poſtera die rediiſſent, eruptione facta hoſtes invadit, magnoque impetu certamen aggreſſus, fudit [25] omnes, & uſque ad caſtra proſequitur: multiſque occiſis, ad mille ſexcentos equites, & in his aliquot præfectos magno cum hoſtium dedecore cepit. Ea victoria paulum ſuperbia hoſtium confuſa eſt, neque auſi amplius quenquam ad certamen provocare, caſtriſque tamquam victores inſultare. Quieſcentibus utrinque omnibus, dux hoſtium *Jacobus Vermius* illudens *Auguto* vulpem cavea incluſam ei dono dicitur miſiſſe, callidum, & aſtutum ducem veluti cavea incluſum demonſtrans. At ille vultu hilari ſuſcepto munere *Jacobo* referri juſſit, vulpi callem eſſe notum, quo ſit egreſſura. Angebant præſtantiſſimum ducem pericula multa quæ undique imminebant. Hinc validior hoſtis, cui vires in diem creſcerent, qui quocunque ſe vergerent impediendo iter, aut carperet poſtremum agmen, aut cogeret ad pugnandum: hinc amnis [26] trajiciendus erat, quæ ſola ſalus reſtabat, & vadum [27] qua tranſierat repetendum. Mora longior erat periculi plena, commeatuumque inopia diſcedere cogebat. Itaque neque morari, cum non eſſet unde frumentum ſupportari poſſet, neque abire ſine periculo poterat, cum hoſtes perſecuturi, & iter turbaturi eſſent. Quod ſolum reſtabat, ad artes, & calliditates priſtinas converſus, docuit plus ingenium in bellis, quam vires poſſe. Conſilio uſus imperatoris prudentiſſimi, primum hoſtes in poſterum diem ad certamen provocans, adæquatis locis omnibus quibus dimicandum erat, ſpeciem futuræ pugnæ palam oſtentavit. Inde in proceris arboribus vexilla nonnulla, & militaria ſigna, quæ ex hoſtium caſtris conſpici poſſent, erexit: tum tibicines, qui noctu, maneque etiam poſt ſolis ortum bellicum canerent, diſpoſuit: quæ omnia præberent exercitus præſentis ſigna. Præterea viliora impedimenta, & clitellas ſtraminibus plenas, opimam oſtentantes prædam, quo hoſtes rapiendi curæ intenti ab inſequendis militibus retardarentur, in caſtris reliquit. Inde ſilentio ſecunda noctis vigilia caſtris motis tutus ad *Ollium* pervenit. Suſpicatus autem hoſtes, re cognita, proſecuturos, poſtremam aciem robuſtiſſimis equitibus, qui hoſtium impetum exciperent, firmavit. Et jam exercitus ferme omnis flumen tranſierat, cum hoſtes eluſi arte militari ſupervenere, inſecuti tardius, tum ſpe futuræ pugnæ, tum inani præda decepti. Hic dux cautus, ad omniaque intentus pericula, in ulteriori fluminis ripa, ſagittarios equeſtres ad quadringentos ex *Britannia* diſpoſuit, qui & ſuos tutarentur, & adverſarios a tranſitu fluminis prohiberent. Ad extremam aciem tutandam qui relicti erant, cum diutius prælium ſuſtinuiſſent, ſagittariorum præſidio flumen abſque diſcrimine emerſi, una cum illis ſuos ſunt inſecuti. Deinceps pacato, haud [28] inſequente hoſte, cum ad *Min-* 1391

19. *Equos ſeſſoribus vacuos.* Quos ſeorſum reliquerat, ut ſupra dictum eſt, fugatis cuſtodibus.

20. *Superantur.* Fuſe rem narrat Areoſtus *lib. XXXIII.*
Scender da Monti un Capitano Gallo
E romper guerra a i gran Viſconti illuſtri,
E con gente Franceſca a piè, e cavallo
Par ch' Aleſſandria intorno cinga, e luſtri,
E che il Duca il Preſidio dentro poſto,
E fuor abbia l' aguato un po diſcoſto.
E la gente di Francia male accorta
Tratta con arte ove la rete è teſa
Col Conte d' Armeniaco, la cui ſcorta
L' avea condotta all' infelice impreſa,
Giaccia per tutta la campagna morta,

21. *In urbem ductus expiravit.* Armeniacus Alexandriam ductus non ſine veneni ſuſpicione mortuus eſt, ut *Ammirat.* ex antiquo chronico collectum refert. *lib. XV.* Huic tamen non adhæret idem Ammiratus, inſcio enim Galeatio hoc Veruccius haud egiſſe poterat; mortuum fuiſſe putat Sabellicus *Enn.* 9. *l. IX.* tum ex vulnere, tum vero maxime ex infelici pugnæ exitu.

22. *Pretio redempti.* Raynaldus Gianfiliatius quam citiſſime liberatus duobus aureorum millibus & quingentis. Joannes Riccius diu in carcere detentus, ſeptem millibus tandem redemptus eſt. S. Antonin. *p. II. Tit.* 22. *cap.* 3. §. 1. Idcirco autem Riccius pejori conditione uſus eſt, quod belli in Galeatium auctor fuiſſet.

23. *Prope ipſum caſtrametatus eſt.* Ad mille quingentos paſſus. Leon. Aret. *lib. X.*

24. *Pluribus diebus.* Ad quatuor dies, ut S. Anton. *p. III. Tit.* 22.

25. *Fudit omnes.* Tanquam levis momenti victoriam pertranſit Bernardinus Corius *Hiſt. Med.*

26. *Amnis trajiciendus erat.* Nempe Ollium.

27. *Vadum qua tranſierat.* Prope Soncinum, ut ſupra.

28. *Haud inſequente hoſte.* Ollium enim flumen medium interjacebat.

29. *So-*

1391 *Mincium* perveniſſet, ſolito vado exercitu [29] traducto, caſtriſque ad *Ateſim* motis, prope amnem decem millibus paſſuum conſedit. Ibi maximum omnium periculum adiit: ex tyranni enim præcepto dirutis, ſummotiſque *Ateſis* aggeribus, qui excreſcentes, propter liquefactas in montibus æſtate nives, aquas comprimunt, tanta inundatio per univerſam planitiem facta eſt, ut pene omnes mergerentur. Media nox erat, & ſopiti ferme omnes, cum aquarum impetum ſenſere: experrecti e veſtigio, quod unum perfugium fuit, equis aſcenſis ſtantes vim fluminis ſuſtinuerunt. Diluculo relictis impedimentis, quæ aqua demerſa fere corrupta erant, proficiſci equites tardo gradu (ut quorum equos umbilico tenus aqua impediret) cæpere. Sero magna cum difficultate iter diei emenſi, ſuperatis aquis, ad *Baldum* [30] *Patavini* agri oppidum pervenere. Debiliores equi, qui labantes, neque ſeſſorem pati, neque vim aquarum ferre poterant, proſtrati ad terram defecerunt. Peditum magna pars, cum majori ex parte corpus aqua occupati, frigore inſuper, & labore continuo fatigati, corpore, animoque debilitati eſſent, fœde perierunt: plures caudis equorum, qui validiores erant, innixi labores itineris facilius tolerarunt: equites quoque permulti confectis equis abſumpti ſunt. Hos inſecuti hoſtes, ut primum campos late ſtagnantes excreſcentibus aquis conſpexerunt, arbitrati exercitum periiſſe retro abiere. Conſtans fama eſt, neminem alium belli ducem, tot difficultates, tot pericula ſuperare potuiſſe: cujus dicta, factaque inter priſcorum oratorum, ac ducum vafra videntur enumeranda; omnia enim pericula conſilio vicit, & calliditate, qui cum in intima hoſtium loca cum parvo [31] exercitu penetraſſet, ſuos incolumes ſine incommodo, præter ea, quæ aquarum calamitate accidere, quibus nullo conſilio obſiſti poterat, reduxit. In agro [32] ſociorum conſtitutus, reficiendo exercitui intentus erat, ex hoſtium motu & ipſe conſilia ſumpturus. Dum hæc in *Gallia Tranſpadana* geruntur, videbantur regiones citra *Padum* malorum belli expertes eſſe. Itaque excogitata ratio eſt, qua hoſtis pluribus in locis expugnaretur. Pons ſupra *Padum* a loco, quem *Burgumfortem* dicunt, ad aliam ripam, *Placentiam* verſus firmiſſimis trabibus, ingenti mole magnoque labore, majore *Florentinorum* ſumptu fabricatus eſt, tum ut eorum copiæ quæ *Mantuæ* [33] urbe eis ſocia erant, agrum *Placentinum*, omneſque propinquas oras excurſionibus infeſtas reddere, prædarique, tum ut auxilia *Mantuano* facilius ſubminiſtrari poſſent. Multum id contulit ad diſtrahendas tyranni vires, & ad poſtulandam pacem, cum undique ejus imperium gravi premeretur bello, nullaque pars ditionis ejus expers eſſet malorum. Quapropter deſperata victoria, cum ſe undique bello urgeri, vaſtari agros, prædas captivoſque ab hoſtibus agi cerneret, *Florentinorum* vero urbem, ejuſque regiones omnes, præter eas, quæ *Senenſem* agrum attingunt, procul a bellorum calamitate, quiete, & otio frui, pericula que quæ adiſſet ſecum reputans, & fortunam belli communem: ſuas [34] omnes copias *Lucam* convenire juſſit, eo conſilio, ut ſubito tumultu in agrum *Florentinum* irrumpens urbis mœnia ad terrorem incutiendum obequitaret. His præparatis, de pace cogitare cœpit, ſperans quacunque conditione *Florentinos* illam appetituros, cum hoſtilia arma prope ex ipſis mœnibus viderent. Eam vero per *Antonium* [35] *Adornum Genuæ* Ducem, virum ſibi amiciſſimum occulte, tamquam id ſua ſponte quæreret, tentavit: qui extemplo *Florentinos* literis hortatus eſt, ut ad ſe legatos mitterent: pro certo habere *Galeatii* mentem a pace haud alienam: ſperare facile omnia, dummodo æqua poſtulentur, conventura. Quare confeſtim eo *Philippus* [36] *Adimarius*, *Ludovicus Albergottus* juriſconſultus *Aretinus*, & *Guido* [37] *Thomaſius* vir optimus ex primoribus civitatis miſſi: a *Bononienſibus* quoque, cæteriſque ſociis Oratores decreti, ut una [38] cum *Rhodii* Hoſpitalis *Magiſtro*, *Bonifacii* Pontificis, *Italiæ* otium, ac quietem exoptantis, Legato de pace agerent. Inter hæc, cum *Florentini Mediolanenſis* exercitum in agro *Lucenſi* conventurum præſenſiſſent, & ipſi *Augutum* cum exercitu ex *Gallia* avocarunt: qui relicto ibi præſidio, cum *Bononiam* veniſſet, ſuperato *Apennino* in agrum *Piſtorienſem* cum exercitu deſcendens, apud *Miniate* locum caſtris cepit, ex itinere hoſtium rebus gerendis conſulturus. At illi cum in agro *Piſano* aliquandiu *Senenſium* copias expectaſſent; eæ autem metu hoſtium territæ intra fines ſuos ſe continerent, tandem obviam illis apud *Caſolum* in *Senenſium* agro *Jacobus Vermius* proficiſcitur, ibique junctis copiis, quæ millia equitum decem, quinque peditum cenſebantur, retroverſus *Certaldum* [39] petiit. Inde motis caſtris per *Vallem Helſæ* ad oſtium fluminis prope *Miniate* deſcendit. *Augutus* audita hoſtium profectione, ipſe ad *Bonitium*, ut iter *Florentiam* eundi hoſtibus intercluderet, pergit, eoſque in itinere laceſſens, proſecutuſque abeuntes, apud *Emporium* caſtra poſuit. Hoſtis parvulo capto, direptoque [40] oppido quod prope *Miniate* erat, ad *Fucechium* primo pervenit. Inde agrum *Piſtorienſem* ingreſſus locum, qui *Cajanus* dicitur, petit. *Augutus* in agro *Pratenſi* prope hoſtem duobus millibus paſſuum locavit caſtra: cumque ejus exercitus auxiliariis [41] copiis quæ a *Florentinis* in diem ſubminiſtrabantur, augeretur, aditus omnes, quibus hoſtes prodire poſſent præoccupavit. Ea ſpe freti legati *Florentini* [42] duo, qui in caſtris erant, nomine Decemvirum ſuadebant, volebantque 1391

29. *Solito exercitu traducto.* Mincium lintribus, cymbiſque trajecit.

30. *Ad Baldum.* Seu ad Oppidum Baldum, quod Patavinam ditionem a Ferrarienſi dividebat.

31 *Cum parvo exercitu.* Et adverſa Armeniaci pugna territo, ut addit *Jacobus* in Italica verſione.

32. *In agro ſociorum.* Carrarienſis & Ateſtini.

33. *Mantuæ urbe eis ſocia.* Ad Florentinos deſciverat Franciſcus Gonzaga, ut ejus dolos ulciſceretur, queis motus Agnetem Uxorem ſuſtulerat. Monuerat enim Galeatius Franciſcum, ut ab uxore caveret, quæ Caroli Vicecomitis fratris impulſu eum occidere ſtatuerat, qua de re Caroli litteras, in uxoris cubiculo latentes indicaverat. His a Franciſco repertis, nihil de Galeatii fide dubitante, qui eas confinxerat, & in intimo penetrali reponi curaverat, uxorem occidit. Qua defuncta Galeatii fraudes innotuere. Scipio Agnellus *Maſſei Hiſt. Mantuæ lib. X. cap.* 5.

34. *Suas omnes copias.* 20. millia militum. *Corius p. III.*

35. *Antonium Adornum.* Alii Antoniottum, ut Plat. *in Vita Bonif. IX* & Ubertus Folieta *Hiſt. Gen. lib. IX.*

36. *Philippus Adimarius.* Eques.

37. *Guido Thomaſius.* A Palatio, vir ingenio, & ſanctitate eximius, ut *Jacobus Poggius* in Italica verſione. *Leon. Aret. lib. X.* non Guidonem Thomaſium, ſed Guidonem Palatium Thomaſii filium appellat. Huic & Beatus Joannes a Cellis, Monachus Valliſumbroſæ, & S. Catharina Senenſis litteras ſcripſerunt.

38. *Una cum Rhodii Hoſpitalis Magiſtro.* Riccardus Caracciolus, Hieroſolymitanæ militiæ Magnus Magiſter, a Bonifacio IX. Legatus Januam de pace miſſus. S. Antonin. *p. III. lib. XXII.*

39. *Certaldum.* Joannis Boccacii natale ſolum.

40. *Direptoque oppido.* Canneti.

41. *Auxiliariis copiis.* Ad decem millia militum miſſos aſſerit Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.*

42. *Legati Florentini duo.* Robertus Aldobrandinus, & Andreas Victorius. Leon. Aret. *lib. X.*

1391 que penitus, ut cum hostibus confligeret. At dux ad belli officia prudentissimus tutiora consilia secutus Legatorum contempsit verba. Hostis animadvertens, & adversariorum vires auctas, & *Auguti* prudentiam [43] formidans, *Lucam*, unde primo profectus erat, repetere statuit, instructoque exercitu iter ingressus extremam aciem equitum firmo præsidio munivit. Nuntiatum *Auguto* est hostes fugere, qua ex re quidam equitum præfecti, abeuntes ut persequi possent, a duce postulabant. At ille haud inscius nusquam minus, quam in bello eventus respondere; suos intra vallum continuit, asserens satis esse hostes pro victis abire; nunquam enim eos qui fugerent vicisse. Duo tamen ex his, contempto ducis præcepto hostes consecuti, pauci à multis victi plurimis amissis equitibus rediere. Erat ducis ad omnia sagacissimi mens incolumem ab hoste reddere patriam, neque cum validioribus certare. Satis officio suo factum iri putans, si salvam Rempublicam præstitisset, si neque præda auctos, neque ulla memorabili re gesta abire inglorios coëgisset. Ne tamen aliqua victoriola hostes gloriari possent, e vestigio firmiores copias ad persequendos eos præmittit: ipse cum reliquis subsequitur. Qui ex hostibus in extremo agmine locati erant, victoria [44] priori elati, pugna commissa majori ex parte nonnullis [45] desideratis capti sunt, *Thaddæus*que [46] *Vermius*, *Gentilis Camertes*, *Johannes Appianus* equitum præfecti haud vulgares in captivitatem abducti; quo tumultu hostes perterriti magnis itineribus ad mediam ferme noctem ad *Carolum* [47] *Lucensis* agri oppidum pervenere. Postridie motis ante lucem castris, *Lucam* transgressi in *Auxeris Valle* ditionis *Pisanæ* castrametati sunt, ubi timore simul, & labore itineris fatigati reficiuntur. *Augutus* eos usque ad *Carolum* persecutus, multa impedimenta, relictasque tardius sequentes machinas, & imbelliores equites de via fessos comprehendit. Biduo quieti dato, ad hostes pergens, postquam ita munita castra reperit, ut difficilis eorum expugnatio videretur, retro ad *Miniate* revertitur, expectaturus, an *Senensium* copiæ domum redirent. Ut autem tutior ab hostium populationibus ea regio redderetur, fossam pedes viginti latam, profundam quindecim a *Toporio* ad *Arnum* usque, duobus millibus passuum duxit, cujus in principio turrim ingentem erexit, quæ hodie *Turris fossæ* appellatur, ut esset tamquam specula, ex qua insidiis hostium a longe conspectis, incursiones facilius evitari possent. Cum spes hostis irrita evasisset, magnique belli apparatus, neque gloriæ, neque usui fuissent, dolore simul, ac pudore motus *Vermio* mandat, ut ad impediendas mercaturas, commeatusque, qui a *Pisano* portu *Florentiam* comportabantur, viam, qua *Pisis Florentiam* itur, cum exercitu obsideret, sperans maris usu prohibitos *Florentinos* ad meliores pacis conditiones descensuros: quibus rebus cognitis, *Augutus* (jam enim ad *Cascinam*; *Florentiam* versus hostes castra posuerant) apud *Miniate* hostium consilia expectaturus perstabat. Ejus loci mora cum gravis hostibus videretur, pactus [48] *Jacobus* cum *Pisanis*, ne quid *Florentiam* deferri paterentur, retro in *Galliam* se cum exercitu iturum spopondit. Per idem tempus *Genuensium* Dux, socius, & amicus tyranni, apud quem de pace agebatur, duas longas naves, *Florentinorum* bona prædatum misit, a quibus multa direpta, & vi capta sunt. Venit præterea *Pisas* a *Galeatio* missus *Jacobus* [49] *Appianus*, petiturus, quo meliorem pacem assequerentur, tum ne quas mercaturas *Florentiam* usque ad Aprilem mensem mitti sinerent, tum de ineundo cum eo fœdere. Utrunque servandæ pacis gratia negatum est. Ut autem tutiores *Florentinorum* res maritimæ redderentur, & ipsi triremes [50] quatuor parant, quæ *Pisanum* [51] portum ingressæ, repertam navem onerariam, in qua erepta inerant, cepere. Bona majori [52] ex parte recuperata, navis dimissa, ne cum *Genuensi* aliqua belli causa oriretur. Iterum cum ejus [53] triremes portum intrassent, expugnaturæ *Florentinas* naves frumento onustas, commisso certamine multis interfectis [54] superantur. Hæc eo tempore mari gesta. At ex parte altera *Cortonæ* Princeps, [55], *Florentinorum* eo bello socius, coactis pluribus militibus, agrum *Perusinum* late populatus est, magno tum hominum, tum pecorum numero abducto, adeoque *Perusinorum* oppida prædatus est, ut eos sæpius suscepti belli pœniteret: sed exulum metu factio, quæ urbem tenebat, aspera quæque patiebatur. *Pisas* interim, tum ut *Florentinorum* mercaturæ per multos, tum ut magna frumenti vis ad urbem tuto deferri posset, equites sexcenti, qui venientibus præsidio essent, mittuntur. Quingenti fuere muli rebus onerati variis, qui *Pisis* egressi, nilque adversi suspicantes in hostes inciderunt. Ad duo millia equitum in itinere a duce [56] in insidiis disposita erant, quem *Appianus Florentinis* modum adversus, de profectione, & præsidio ad custodiam misso, & loco insidiis opportuno certiorem fecerat. Magnum ab initio, inter præsidium, & hostes certamen fuit, & aspero utrinque marte pugnatum: cum vero longe numero superiores hostes essent, victoria [57] potiti majori ex parte mulos, & sarcinas maximo *Florentinorum* damno cepere: qua ex re tum *Pisani* tyranno faventes, tum *Senenses* ad levem auram mobiles præter modum lætati sunt. Sed eorum inanem lætitiam haud diuturnam *Loysius Capuanus* reddidit, qui pluribus excursionibus ad portas usque urbis factis, omnia la- 1391

43. *Prudentiam formidans.* Ex penuria impediti commeatus abire coactus fuit. S. Antonin. *p. II. Tit.* 22. §. 13.

44. *Victoria priori elati.* Qua duos equitum præfectos profligaverant.

45. *Nonnullis desideratis capti sunt.* Tercenti pedites occisi, captique ducenti. Leon Aret. *lib. X.* quanquam *Ammiratus* ad duo millia peditum desideratos, captosque mille glorietur. *To.* 2. *lib. V.*

46. *Thaddæusque Vermius.* Veronensis, Jacobi Vermii Ducis nepos, Gentilis Varranus Camertes, & Joannes, seu Vannes Appianensis Pisanus Florentinorum captivi. Truncius *Ann. Pis. ad ann. MCCCXCI.*

47. *Ad Carolum.* Seu Montem Carolum.

48. *Pactus Jacobus cum Pisanis.* Nempe cum Petro Gambacurta, qui ut Jacobum a sua ditione amoveret, XV. dierum spatio se nihil Florentiam missurum spopondit; de quo cum questi fuissent Florentini, se illis non minus, quam sibi consuluisse respondit, hostes longe summovendo. Truncius *Ann. Pis. p.* 471.

49. *Jacobus Appianus.* Pisanus, Joannis Appiani per Florentinos capti Pater.

50. *Et ipsi triremes quatuor parant.* Duce Andrea Gargiola, Florentino exule Siculi maris Pyrata, qui ad patriam revocatus quatuor triremibus, quarum duæ mercede conductæ erant, capta ab hostibus recuperavit, & ob bene navatam operam civitati restitutus est. Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.*

51. *Pisanum portum.* Liburnum, tum Pisanæ ditionis.

52. *Majori ex parte recuperata.* Duodecim florenorum millia recensebantur.

53. *Ejus triremes.* Nempe Galeatii.

54. *Multis interfectis.* Ad quadraginta interfecti, quorum præcipuus Triremis Tetrarcha, & 150. vulnerati, Gargiola duce.

55. *Cortonæ Princeps.* Ugo de Casalibus, ut Pellinus *Hist. Per. lib. XI.*

56. *A Duce.* Jacobo Vermio.

57. *Victoria potiti.* Joannes Beltotus Anglus vix conspectis hostibus fugam arripuit, unde Ugo Montisfortis Comes licet strenue pugnans, impari admodum numero, captus fuit. Ammiratus *Hist. Flor. To.* 2. *lib. XV. p.* 828.

58. *Du-*

1391 late populatus est: aquæductum insuper, qui fontem in platea efficit, demolitus, itaque ut aqua nequicquam in urbem influeret: pluraque damna intulit, quibus illorum inanis jactantia repressa est. Agitabatur inter hæc *Genuæ* de pace, ut diximus; cumque *Mediolanensis* postulata, *Patavium* restitui in primis petentis, iniqua viderentur, visum est satius esse, ut per amicos, atque arbitros res transigeretur, quæ Ducis *Genuensis* [58], Populique, ac Magistri arbitrio deferri petebatur. Res dubia visa est, neque omnibus credenda, in qua *Florentinorum* status, sociorumque verteretur. Tyrannus vero facile voluntatis [59] *Genuensis* securus assentiebatur, cujus animus palam illius commodo inserviebat. *Florentini* sociique (modo exploratum, cautumque etiam ipsorum, quibus commissum erat, chirographo foret, quid decreturi essent) minime id recusabant. Hoc impetrato libera potestas tradita est eis pacis conditiones dicendi: eæ multæ, ac præter pacta, & datam fidem fuere; primum, uti *Patavium Francisco* ea lege cederet, ut decem aureorum millia in quinquaginta annos *Galeatio* penderet, omnibusque belli [60] tempore proscriptis, non tamen præter voluntatem civium, in urbem redeundi potestas esset: ablata utrinque post cæptum bellum castella, quæ quidem extarent, restituerentur: *Lucinianum* [61] ad *Senenses* spectaret. Cum sermo a *Galeatii* oratoribus injectus esset, & quisnam servandæ pacis sponsor foret: *Guido* [62] *Florentinus* sententiam protulit e vestigio priscis *Romanis* dignam. *Ensis erit*, inquit, *utriusque nostrum vires expertus.* Quamvis iniqua nonnulla, & præter interpositam fidem viderentur: tamen diuturnitate belli fatigata civitas, immensa pecuniarum vi profusa, una cum sociis, anni primi, & nonagesimi supra mille trecentos extrema parte pacem [63] recepit. Ad minuendos deinde sumptus, & levanda onera conversa, equites, peditesque mercede paratos, nisi quos tutela Reipublicæ retinendos suasit, dimittit. *Loysio Capuano* sua sponte missionem postulanti, in patriam, ut ad suos redeat, militiæ veniam concedit. *Augutum* expertæ virtutis, & fidei, cum militibus
1392 mille retinet. Insequentis anni principio propter inquietum *Galeatii* animum, cujus ambitio magis in dies imperandi cupiditate æstuabat, inter *Florentinos*, *Bononienses*, *Ferrariensem*, *Mantuanum*, ac *Patavinum*, *Ravennæ*, *Faventiæ*, *Imolæque* Principes, fœdus renovatum est: decretumque quæ quisque auxilia in communem defensionem conferret: cui haud multo post *Forilivii*, & *Malatestæ* Domini ascripti, ac in societatem recepti: quare veritus ille, ne quid novi adversus se socii, fœderatique tentarent, summa diligentia rerum suarum saluti prospiciebat. Eodem anno *Jacobus Appianus* auxilio [64] *Mediolanensis* innixus *Petrum Gambacurtam*, virum egregium, pacisque [65] cupidum, a quo loco filii (quippe cui singula secretiora consilia crederentur) educatus, atque [66] ex minimo (nam antea Notarius admodum tenuis erat) ad magnum statum perductus, proditione interfecit; duos quoque [67] filios, qui in tumultu effugerant, cum retracti essent, occidendos curavit: detestandum scelus, & in antiquis *Siciliæ* tyrannis execrandum. Relatum [68] *Gambacurtæ* sæpius fuerat, *Jacobum* malo in se animo esse, machinarique, ut eum e summo rerum fastigio dejiceret, suadente præsertim *Mediolanensi*, qui urbis imperio aspiraret: multa perfidiæ ac fraudis [69] signa manifesta ostendi, quibus facile appareret insidias illi parari. Sed vir bonus, qui cæteros ex suo ingenio fingeret, minime adduci potuit, ut crederet virum a se a puero nutritum domi, divitiisque potentem factum, & dignitate [70] ornatum, tam nefandum facinus perpetraturum. At *Appianus*, ut primum tempus [71] opportunum fuit, hominem cum filiis, & amicis aufert; ac omni pene factione *Guelfa*, cujus sectam *Gambacurtæ* præseferebant, in exilium acta, urbis tyrannidem occupat; cumque ad arma conclamatum esset, mercaturæ & *Florentinorum* res omnes, quas in urbe habebant, eo tumultu violato fœdere quod cum *Pisanis* vigebat, præda populi fuere: quapropter cum *Lucenses* postmodum tyranno auctore a *Pisanis* [72] equitibus premerentur, auxilia [73] his subministrata sunt, fœdusque renovatum. Pax foris parta seditiones domesticas *Florentiæ* eo, qui secutus est, anno excitavit: ut 1393
fit in populis, qui nullum statum rerum æquo animo ferre sciunt, tam belli, quam pacis impatientes. Discordia [74] inter cives orta, aliqui cives gladio perempti, plures ex *Albertis*, familia nobili, & majorum imaginibus clara, in exilium acti. Sedata tamen civitas est paucorum

tum

58. *Ducis Genuensis, &c.* Firmandæ pacis facultas data Riccardo Caracciolo Hierosolymitano Magistro, Legatoque Pontificis, & Antoniotto Adorno, Genuensi Duci, cui additus honoris gratia Genuensis Populus, cujus in urbe hæc agebantur, pro una tantum persona, ut S. Antonin. *p. III Tit.* 22. Leon. Aret. *lib. X.*

59. *Voluntatis Genuensis securus.* Innotuerat enim Genuensem Ducem, socerum suum Avronnem Doriam, ad Petrum Gambacurtam misisse, ut eum ad fœdus cum Galeatio ineundum hortaretur. Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.* Adde, Galeatium ab eodem Duce duas triremes adversus Florentinos impetrasse, ut supra diximus.

60. *Belli tempore proscriptis.* Seu exulibus.

61. *Lucinianum ad Senenses spectaret.* Quinam futuri essent Luciniani, & Valiani domini, non judicatum asserunt Leon. Aret. *lib.* X. Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.* & S. Antoninus *p. III. Tit.* 22. §. 14.

62. *Guido.* A Palatio Thomæ filius.

63. *Pacem recepit.* Hoc anno, sed publicata anno posteriore, mense Februario, die Purificationis B. Virginis.

64. *Auxilio Mediolanensis innixus.* A quo Joannes ejus filius a Florentinis captus, redemptus fuit, Pisasque cum tercentis equitibus, nonnullisque Ghibellinæ factionis principibus missus. Corius *p. III.* & Truncius *Ann. Pis. ad ann. MCCCXCII.*

65. *Pacisque cupidum.* Per eum enim pax anno MCCCXC. firmata fuerat.

66. *Atque ex minimo ad magnum statum.* Pisam delatus Appiani pater ignobili Florentinæ ditionis loco natus, dum Gambacurtis fideliter serviret, ab Imperatore Carolo IV. capite damnatus, Principum suorum infortunium secutus est. Recuperata deinde a Gambacurtis Pisarum ditione, ob paterna merita Jacobus ejusdem filius ad primum dignitatis gradum evectus est. Ammirat. *To.* 2. *lib. XV.*

67 *Duos quoque filios.* Benedictum, & Laurentium. *Ann. Pis. ad ann. MCCCXCII.*

68. *Relatum Gambacurtæ, &c.* Strozzius de Strozzis Pisam a Florentinis missus ann. MCCCLXXXVIII. qui Gambacurtam moneret, ut sibi ab Appiano caveret. Non cavit tamen, ideoque anno MCCCXCII. dum equum conscenderet, per insidias ab eo interfectus est. *Ann. Pis.* Truncii sub eodem anno.

69. *Fraudis signa manifesta ostendi.* Nam vires ab Appiano comparabantur, cujus rei a Vallis Nebulæ Florentino Vicario rursus monitus fuerat. Ammirat. *To.* 2. *lib. XVI.*

70. *Dignitate ornatum.* A secretis.

71. *Tempus opportunum fuit.* Mense Octobri MCCCXCII.

72. *A Pisanis equitibus.* Appiano Duce Lucensis ager direptus. Corius *Initio primæ partis* Ammirat. vero *To.* 2. *lib. XVI.* narrat, Lucenses latronum incursionibus vexatos fuisse, multisque rebus spoliatos, Appiano suadente, iterque concedente per pontem in Arnum facto.

73. *Auxilia his subministrata.* Tercenti milites auxilio missi, fœdusque renovatum die XIX. Julii anni MCCCXCV.

74. *Discordia inter cives orta.* Mense Novembri, Maso de Albizis Confalonerio auctore, Petri illius nepote, qui Benedicto Alberto suadente capite mulctatus fuit anno MCCCLXXIX. Jamdiu quæsitam ejus ulciscendæ necis occasionem nactus, Cyprianum, Albertum, Neruccium, Joannem, & Petrum, ut proditionis reos urbe ejecit, ex quo populus diversis agitatus studiis arma sumpsit. Ammirat. *To.* 2. *lib. XVI. p.* 841.

1393 tum exilio [75], tum capitis pœna, & res in priorem pacem redactæ: extremaque anni parte, præclarissimi omnium ætatis suæ ducis *Johannis Auguti* mors [76] secuta est; cujus funus [77] ingenti
1394 pompa, totius [78] civitatis mœstitia celebratum est: corpusque in *Reparatæ* [79] templo, equestri [80] a populo statua posita, sepultum. Audiebant in diem magis *Florentini* invalescentem *Galeatii* famam, occulta illius consilia, ac cogitationes omnes ad bellum spectare: equites ab eo, præfectosque [81] nobiliores quosque parvo pretio in spem futuri stipendii conduci, quo paratiores belli tempore forent. Multos præterea cum ex sociis, tum ex amicis secretis colloquiis, variisque promissis ad defectionem [82] solicitari; multaque agi, pararique, quibus constare promptiorem hominis animum ad renovandum bellum, quam servandam pacem esse. His moti *Florenti-*
1395 *ni*, Legatos [83] ad *Galeatium*, qui petant, bellone, an paci consultum vellet, mittunt. Ille callidis interrogatiunculis rem in dies protrahendo, cum nil certi respondisset, Oratores tandem ait, se *Florentiam* destinaturum, qui de his, quæ postulassent, deque fœdere cum eis ineundo agerent. At *Florentini* cum pro explorato haberent, illius mentem longe ab firmando fœdere alienam, remque diuturni temporis proposuisse, ut per Legatos, quos ad eos missurum se dixerat, eorum consilia exquireret, certiorque fieret, quo maxime modo oppugnari possent, calliditate hominis
1396 animadversa, ne Oratores suos tantum ignominia notatos queri posset, nec in se quicquam asperum factum more suo prædicaret; decernunt, ut Legati omnes (plures enim e sociis spe concordiæ convenerant) quam primum in patriam quisque suam re infecta redeant, omnibusque se adeundi vias præcidunt. *Galeatius* interea, cum regiones, urbesque a suis per tyrannidem antea occupatas nullo jure teneret imperii: etenim *Romanæ* ditionis sunt: missis ad *Vinceslaum Boëmiæ* Regem, qui ad Imperium electus fuerat, virum nunquam [84] sobrium, & Veneri deditum, legatis, multis [85] donis, promissisque oneratum induxit, ut se Ducem *Mediolani*, multis ejus titu-
A lo [86] urbibus subjectis, crearet: quæ res a Rege [87] impetrata, magno apparatu, magnaque rerum pompa per Oratores [88] illius, pluribus actis diebus festis, facta est; *Florentinorum*que [89], & omnium ferme *Italiæ* Oratores, nobilioresque viri, ac Principes *Mediolanum* evocati. Hoc nomen adeptus, Dux postmodum ipse, filiique appellati. Aucta dignitate & cupiditas quoque dominandi crevit. Sed incumbebat ejus animus in eam maxime cogitationem, ut vel precibus, vel vi *Mantuanus* ad se deficeret. Quo metu permoti *Florentini*, equites mille *Mantuam*, ne aliquo subito periculo implicaretur, mit-
B tunt. Haud obscura Ducis cupiditas, & belli apparatus erant, & animum pacis insolentes auxerat mors *Gambacurtæ*, cujus ipse auctor extiterat. *Pisis* enim [90] tyrannus nequissimus ambitioni Ducis obsecuturus imperabat, quæ res maxime illum ad movendum bellum exagitavit. Itaque cum jam mens ejus omnibus nota esset, quosdam vero ex sociis denuo ab eo solicitatos constaret, palamque esset, *Perusii*, *Senis*, *Pisis*, equitum [91], peditumque numerum augeri, & haud incerta futuri belli signa videri, *Florentini*, ne imparati opprimerentur, creatis Decemviris, & equites denuo conducunt, & *Bernardo-*
C *nem* [92] *Aquitanum*, virum strenuum, qui cum *Gregorio Undecimo* Pontifice in *Italiam* venerat, belli ducem declarant. Is cum in ea *Etruriæ* parte, quæ Patrimonium dicitur, non parvo cum *Britonum* exercitu esset, secutusque primum *Clementis* [93], tum *Benedicti* adulterinorum Pontificum partes, plurima oppida, castellaque expugnata diripienda militibus concessisset, *Florentinorum* opera, consilioque accepta a *Bonifacio* pecunia, castellisque quæ in potestate erant redditis, desideratus a civibus, ut qui ab *Auguto* post *Johannis Actii* mortem reliquis *Italiæ* ducibus anteferretur, *Florentiam* venit. In *Galliam* quoque
D *Transalpinam* Legati [94] missi, a Regeque in amicitiam, societatemque recepti, ac fœdus in mutuam tutelam factum ea lege, ut in *Etruria* belli tempore capta fœderatis, cætera [95] per *Italiam* Regi cederent. Dum hæc aguntur, *Galeatius* *Pi-*

75. *Tum exilio, tum capitis pœna.* Trium popularium, tum, quod magis interfuit Reipublicæ, trium millium aureorum solutione ab Albertis, & a Paulo Miniscalco facta. Ammir. *lib. XVI. To. 2.*

76. *Mors Auguti secuta.* Anno MCCCXCIII. ab Incarnatione, die XVI. mensis Martii, prope Florentiam in loco qui dicitur *Pulverosa*. Si *Ammirato*, & *Sancto Antonino* fides habenda.

77. *Cujus funus ingenti pompa.* Primoribus urbis feretrum auro gemmisque distinctum ferentibus, equis auro tectis, vexilla aliaque militaria insignia sequentibus, totoque populo comitante. Ammirat. *To. 2. lib. XVI.*

78. *Totius civitatis mœstitia.* Adeo ut matronæ ipsæ a lacrymis haud temperarent. *Ammir. ibid.*

79. *In Reparatæ templo.* Prius S. Salvatoris, deinde S. Mariæ a Flore, tum S. Reparatæ dicto Pontificis Zozimi jussu ob Victoriam ex Radagasio die Divæ Reparatæ dicato reportatam, ut P. Michael Pocciantus *in Vit. Septem Beatorum Florent.*

80. *Equestri a populo statua posita.* Non statua, sed equestri imagine a Paulo Uccellio picta, ut *Bochius*, & *Cinellius* in libro, cui titulus *Bellezze di Firenze p. 51.*

81. *Præfectosque nobiliores*, Joannem, & Albericum de Barbiano.

82. *Ad defectionem solicitari.* Præcipue Ferrariæ Marchio, Galeatii nepte ei in uxorem proposita.

83. *Legatos ad Galeatium.* Donatus Acciajolus, Joannes Riccius, & Guido a Palatio missi. Ammirat. *To. II. lib. XVI. p.* 847.

84. *Nunquam sobrium, & Veneri deditum.* Non solum voluptatibus impotenter indulgebat, sed ita superbe & crudeliter imperabat, ut ter in carcerem a primoribus regni conjectus fuerit, unde tamen elapsus regnum jam receperat. Dubr. *apud Seth. Calv.*

85. *Multis donis.* Centum aureorum millibus Venceslao datis, Dux ab illo creatur, invitis Electoribus, qua de re Francofurti eorum in concilio accusatus Imperium abdicare coactus est, Trith. *apud Seth. Calvis.* & Avent. *Ann. Bojorum.*

86. *Multis ejus titulo urbibus.* 33. urbes enumerat *Corius* initio *p. III.* præter oppida; minoraque loca. Hunc consule.

87. *A Rege impetrata.* Et Rex Bohemiæ, & Imperator Venceslaus appellabatur.

E 88. *Per Oratores illius.* Unum tantum Venceslai Oratorem nominat *Corius p. III.* Benesium scilicet Cusiaci Comitem.

89. *Florentinorumque, &c.* Aliorum Oratores referre non est operæ pretium. pro Florentinis adfuere Masus de Albizis, Christophorus de Spinis, Baldus Catalanus, & Franciscus Oricellarius. Ammirat. *lib. XVI. p.* 489.

90. *Pisis enim tyrannus nequissimus.* Jacobus Appianensis.

91. *Equitum peditumque.* Ad sex millia equitum Pisis, Lucæque convenisse innotuerat. Ammirat. *To. 2. lib. XVI.*


92. *Bernardonem Aquitanum.* Seu Bernardonem de Serris ab Aquitania.

93. *Clementis, tum Benedicti adulterinorum Pontificum.* Clementis VII. nomen sibi adsciverat Robertus Gebennensis Cardinalis, Petri Comitis Genuensis Frater, & Benedicti XIII. nomen usurpaverat Petrus de Luna Card. quos adulterinos
F Pontifices vocat, quia prior Urbano VI. posterior Bonifacio IX. veris Pontificibus oppositi erant.

94. *Legati missi.* Masus de Albizis Eques, & Bonacursius de Pittis ad Regem Carolum VI. qui cum eo ad quinquennium fœdus iniere, ut Ammirat. *To. 2. lib. XVI. p.* 853. Gallorum Regem ea potissimum de causa bellum Vicecomiti movisse putat *Corius p. IV.* quod cum Januæ potiundæ irrita spes cecidisset, in ipsum facti caussam retulit.

95. *Cætera per Italiam Regi cederent.* Excepto Bassano, Belluno, Feltria, quæ Carrariensis; Monteclaro, Asula, Ostia, quæ Mantuani; Saxulo, & Compita quæ Atestini futura erant, ut Ammirat. *par. I. Tom. 2. lib. XVI. pag.* 853.

96. *Flo-*



IOHANNES AUGUTUS,
Britannorum exercitus Præfectus.

1396 *Pisas Albericum Barbiani* Comitem, *Johannem*que fratrem cum quinque millibus equitum proficisci jubet, eo nomine, ut *Appiano* adversus *Montis Scudarii* Comites, qui pro reprimenda *Pisanorum* insolentia plures equitum turmas in illos duxerant, auxilium ferret; quæ res Decemviros movit, ut paratis copiis adversarii consilia expectarent: interim darent operam, si quo modo suscitatum incendium extingui posset: quod parvo tempore, rebus rite compositis illorum opera sedatum est. Pedites interea omnes, equitesque Ducis, qui circa *Pisas* erant, in agrum *Lucensem* profecti *Florentinis* suspicionem injecere, ne *Pistorium* pergerent. Itaque *Bernardo* relicto, ut hostes cupiebant, *Miniate*, apud quod consederat, in *Vallem Nebulæ* cum suis copiis descendit. Interim proditione per *Appianum* in eo oppido facta, *Benedictus Mangiadorus*, haud ignobilis ejus loci vir, cum viginti sociis, in crepusculo noctis, nil mali suspicantibus oppidanis, *Miniate* ingressus, *Florentini* [96] Prætoris ædes petiit, occisoque eo, tumultu excitato, cum oppidani omnes pro *Florentinis* starent, pugnarentque, multis acceptis vulneribus, postico ædium, quæ juxta muros sitæ sunt, oppido egressus *Pisas* re infecta rediit. Nonnulli ex sociis conjuratisque
1397 capti pœnas meritas dedere. His rebus incitati animi, anno septimo ac nonagesimo supra mille trecentos, sexto vero post pacem *Genuæ* factam, secundum cum *Galeatio* bellum secutum est, cujus præcipua cura erat, eaque maxime res animum stimulabat, ut Principem *Mantuanum*, a quo plurima discrimina imminebant, quique sibi multorum fomentum malorum, ut in medio [97] suarum urbium situs extitisset, tum pollicitationibus, tum muneribus ad suas partes traduceret; quod cum consilio, astuque nequiret: fides enim, & jusjurandum *Mantuano* potiora cæteris rebus erant: viribus aggredi, & ne a *Florentinis* auxilia subministrari possent, eos suo bello implicitos distinere statuit. Hanc ob rem *Senas* convenire maximas copias jussit, quibus ager *Florentinus* infestior redderetur, tum expugnare *Mantuam*, & navibus per *Padum* missis, & terrestribus copiis, quas multas undique comparaverat, decrevit. *Albericus* cum exercitu quatuordecim [98] millium equitum, qui in agro *Senensi* convenerat, nullo indicto bello *Florentinos* invadens, incendiis, rapinisque loca omnia quibus transiit, hostili more vastat. *Panzanum* capit, spoliatque; inde ad ostentationem virium, & famam belli aucupandam, populabundus *Florentiam* petit, ad secundum lapidem excursionibus [99] prope urbem factis; *Signiam* septem millibus passuum propinquam biduo oppugnat, unde cum ignominia amissis pluribus militaribus signis, multisque in ea oppugnatione desideratis turpiter rejectus est, Fœminarum præcipua enituit virtus, quarum potissimum opera, non tela, non vulnera timentium, oppidum, viris, vulneribus, ac labore confectis, defensum est. *Bernardo*, cum mille ferme equitibus pro mœnibus se continebat, levibus præliis incursantium more cum hoste factis. Imparati enim ad tantam belli molem *Flo-*

A *rentini* erant, ut qui exercitus partem *Mantuam* misissent, partem per [100] vicina oppida distribuissent: haud existimantes præterea, *Mediolanensem* nullis provocatum injuriis, tam aperte nullo indicto bello, rupto fœdere, contra se arma moturum. 1397 Consulebat solum Dux Reipublicæ saluti, ad evitanda futura pericula intentus, sperans commeatus defectu, haud diu hostem in his locis commoraturum, cujus consilium eum minime fefellit. Nam post diem quartum quam advenerant hostes, rerum omnium inopia retro castra vertere, nullaque re memorabili gesta, *Senas* quamprimum redire coëgit. *Florentini*, ut B parem hosti gratiam referrent, *Ochiellum* opulentum oppidum de *Senensibus* cepere, quo ex loco finitimus ager, regioque omnis quæ *Senas* respicit, præda captivisque abductis vastata est. Dux [1] quoque *Florentinorum*, qui *Collem*, oppidum duodecim milliaribus *Senis* propinquum, profectus erat, usque ad portas infesto agmine ferro, & igni omnia prosternit. Inde *Volaterras* profectus, *Grossetum*, maritimam *Senensium* urbem, invasit, magnaque pecoris, & captivorum copia abacta *Volaterras* se recepit. *Cervasium* [2] insuper de *Pisanis* vi captum est, omnisque vicina ora spoliata. Hostium copiæ iterum *Florenti-* C *norum* agrum ingressæ, *Stagiam*, *Rencinam*que finitima *Senensi* agro castella summa vi oppugnant. Inde rejecti timore equitum, qui subsidio veniebant, *Senas* revertuntur. Præfecti insuper quidam *Florentinorum*, cum ferretur, prope *Liburnium*, *Pisanorum* portum multa animalia, ut in locum tutum redacta, eo profecti pecus omne repertum prædati sunt. Dum hæc aguntur, *Galeatius* pluribus ex *Etruria*, ut qui nil dignum laude agerent, evocatis equitibus, magno exercitu coacto, *Mantuam* castris positis obsedit: utque subsidium pontis [3] super *Padum* juncti (quod magno labore, maximis [4] sumpti- D bus factum fuerat) intercluderetur, navibus ad id paratis incendere illum tentavit. Centum ad eam rem onerarias naves, quas galeones appellant (ampla enim fluminis latitudo est) in alveo fluminis statuit, quæ aquarum impetu delatæ, sarmentis, aliaque materia, quæ facile ignem excitat, impositis incensisque, ac deorsum secundo vento dimissis, ponti ignem inferrent. Magnus terror ex hoc apparatu *Mantuano* incessit, cum terrestri navalique bello sibi cum hoste eodem tempore pugnandum videret. Sed prudentia *Caroli Malatestæ*, qui eo cum quatuor equitum millibus a *Florentinis* missus erat, huic E tanto discrimini obviam itum, apparatusque summa celeritate fracti, quibus vis ignis submoveretur. Primum longiores conti non parvæ crassitudinis, in quibus naves longius a ponte hærerent, in aqua paulo supra pontem sunt affixi. Tum si naves proprius, fractis contis ferrentur, magno numero [5] vegetes tum lapidibus, tum aqua repletæ in ponte dispositæ sunt, quæ in advenientes naves desuper immissæ, tum pondere confringerent, mergerentque illas, tum ignem restinguerent, pontemque redderent ab incendio tutum. Terrebant omnes, advenientes passim nul-

96. *Florentini Prætoris.* Davanzati de Davanzatis, quo occiso, & ex fenestris dejecto, tumultum excitare molitus est. Truncius *Annal. Pis. ad ann. MCCCXCVI.*

97. *In medio urbium suarum situs.* Mantua enim Galeatii urbes media interjacebat, Cremonam, Veronam, Placentiam, Parmam, Laudem Pompejam, &c.

98. *Quatuordecim millia equitum.* Peditum vero major numerus, in quibus exulum latronum, & facinorosorum permagnæ erant catervæ. S. Antonin. *p. III. Tit. 22. cap. 3. §. 24.*

99. *Excursionibus prope urbem factis.* Panzolaticum usque, F & Certosam. Leon. Aret. *Hist. Flor lib. XI.*

100. *Per vicina oppida.* Aretio præcipue militibus repleto.

1. *Dux.* Bernardo a Serris ad Senarum portas profectus die VII. Maji.

2. *Cervasium insuper.* Nec non Montichiellum duobus millibus aureis ab arcis custode emptum. Ammir. *lib. XVI.*

3. *Pontis.* Burgi fortis appellati.

4. *Maximis sumptibus* Non Mantuani solum Principis, sed fœderatorum pecunia perfectum anno MCCCXCIII. ut Agnell. Maffei *Annal. Mant. lib. X. cap. 10.*

5. *Vegetes.* Seu *dolia*, ut *Jacob.* in Ital. vers.

6. *Ven-*

1397 nullo rectore ardentes naves. Magnus erat flammæ impetus, quam ventus [6] ad id expectatus asperiorem, vehementioremque reddebat: major erat iis, qui pontem tuebantur, mentis consternatio, cum paucis constaret animus ad flammarum periculum expectandum. Non enim, ponte incenso, fugæ locus erat, cum ibidem aut pereundum, aut ignis, quod dubium videbatur, restinguendus foret. Sed ducis cohortatio augebat animos, & multitudo vegetum, lapidesque ingentes dejecti, aut comprimebant ignem, aut mergebant pondere effractas naves: irrito hostis consilio, licet nonnullis in locis igne corruptus, majori tamen ex parte pons servatus est. Ita hoc in tumultu *Caroli* virtus plurimum enituit, qui cum in ea parte esset, quæ ad hostes spectabat, disturbato ponte, ita ut redeundi spes præcisa videretur, cum solum tignum pontem continuasset, præmissis antea, qui cum eo erant, militibus, ipse postremus [7] corpore reptans magno cum discrimine vitæ ad suos pervenit. Hac spe destitutus *Mediolanensis*, alia ratione expugnare, ac tollere pontem, quem jam summa cura instauraverant, adortus est. Totidem denuo naves machinis, turribusque desuper fabricatis, quæ altitudinem illius excederent, in flumine parat, multisque militibus, & omni telorum, ac tormentorum genere impositis ad expugnandum pontem mittit. At *Carolus*, cujus egregia opera pons antea defensus fuerat, tigna oblonga, crassiora, præacuta cuspide hostibus opposita, quæ naves a ponte arcerent, radicibus pontis, quem magnis trabibus firmarat, defigit. Deinde totidem ferme onerarias naves admodum munitas, præsidio pontis in flumine collocat. Pontem insuper electis militibus, ac vario telorum, missiliumque genere munit. Frequentes insuper stationes, ac propugnacula supra pontem erigit: tum castella a lateribus, quibus vires hostium contunderentur, disponit. Advenientes turritæ hostium naves a *Mantuanis* haudquaquam pugnam detrectantibus excipiuntur; cum iis, qui in turribus, quique in ponte erant, asperum certamen committitur. Multis horis acerrimo prælio bellatum est, multoque sanguine, cum utrique pro victoria pugnarent, neque locus fugæ esset, ea dimicatio est transacta. Tandem *Mediolanensi* classe superata, victoria penes [8] *Mantuanos* stetit. Hostes victi, multis interfectis, pluribus vulneratis nonnullis amissis navibus, relicto ponte, abiere. Navali bello re male gesta, *Mediolanensis* cum acceptum dedecus ulcisci in animo haberet, coacto in unum ex omnibus locis exercitu, *Mantuanum* oppugnare adortus, castra propius urbem locat. At *Carolus* post navalem victoriam in urbem reversus, com-

municato cum præfectis equitum consilio, pri- 1397
die kalendas Septembris partem [9] alteram exercitus hostium, qui binis castris divisus erat, invasit; priorumque castrorum, antequam cæteri id rescirent, subito insultu devictis copiis, reliqua castra eodem impetu aggressus superavit. Dissipati utrinque, fugatique sunt hostes: ad sex hominum, & duo millia equorum capta. Omnia [10] insuper impedimenta, machinæque, ac bellica ad urbium expugnationem instrumenta, quæ plurima comportata fuerant, in potestatem redacta. Nulli dubium fuit, quin *Brixia* [11] vicina urbs debellari potuerit, in tanto præsertim rerum metu, ac desperatione, si equitum præfecti victoriam sequi voluissent. Sed quidam *Galeatii* [12] rebus faventes, aliamque ex alia causa moram subjicientes occasionem rei bene gerendæ omiserunt: expugnanda esse propinqua nonnulla [13] oppida, ad urbis salutem magis conducere asseverantes; quæ res tempus hosti exercitum instaurandi, muniendique *Mantuæ* finitimas urbes præbuit. Hac accepta clade *Galeatius Albericum* cum exercitu ex *Etruria* advocavit, qui aliquot equitum alis in *Senensium* agro ad tuendam urbem relictis, in *Galliam* proficiscitur. Imminutis magna ex parte copiis, quibus in *Etruriam* venerat, cum *Cecolinus Perusinus Biordi* [14] fratris
suasu ad *Florentinos* descivisset, & *Johannes Bar-* 1398
biani Comes *Bononiensibus* hortantibus in *Flaminiam* concessisset. *Florentini* detractis hosti copiis, ad hæc parta victoria freti, cum faciliorem belli molem imminere judicarent, existimantes præterea hostem tanto perculsum damno *Mantuæ* oppugnandæ curam deposuisse, exercitum omnem in *Etruriam* revocant. At *Albericus* post eorum discessum contracto in unum dissipato ob acceptam cladem exercitu, classeque [15] ad invadendum *Mantuanum* instructa, summis viribus undique *Mantuam* iterum aggressus, plurima illata clade, parta hominum, pecorumque omnis generis haud parva præda, in locis pacatis relicto *Mantuano* agro, quievit. Inter hæc Præfectus [16] equitum, quem *Senensi* bello præfecerat *Albericus*, *Civitellam*, [17] *Aretini* agri oppidum, a familia *Petramalæ* ædificatum, paucorum proditione capit, Prætore *Florentino*, omnibusque ferme incolis interfectis. *Bernardonis* interim opera plures in agrum *Pisanum* excursiones diversis in locis, & usque ad urbis portas factæ sunt, militesque onusti præda reducti. Cum vero per quendam *Barbiallæ* [18] incolam *Appiano* oppidum illi concessurum spes data esset, tyrannus vero ea pollicitatione confisus, magis nocendi cupidus, quam ad præcavendas insidias aptus, fidem homini habuisset, militesque ad castellum recipiendum misisset, omnes (ferme

6. *Ventus ad id expectatus.* Quasi de industria a septentrione ad occidentem vertente, nequid felicitati hostium deesset. Baptista Sacchius *Hist. Mant. lib. IV.*

7. *Ipse postremus ad suos reptans.* Horatii Coclitis exemplo, qui de suis magis, quam de se solicitus solus casuro in ponte substitit. De quo Livius *Dec.* 1. *lib. II. rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.*

8. *Victoria penes Mantuanos stetit.* Venetorum præcipue opera, qui 30. triremibus Mantuano opem tulere. Ut Scip. Agnellus Maff. *Ann. Mant. lib. X. cap.* 5. licet Ammirat. *lib. XVI.* duodecim tantum missas affirmet, ductu Francisci Bembi.

9. *Partem alteram exercitus.* Nempe terrestrem citra Padum cui Vermius imperabat, ut maritimæ Ugolottus Blancardus.

10 *Omnia insuper impedimenta.* Inter quæ tercentæ bombardæ. Ut Boninsegnius *Hist. Flor. lib. IV.* Cor. *p. IV.* Pigna *Hist. Atest. lib. V.*

11. *Quin Brixia*, &c. Hanc si exercitus urbi appropinquasset, se traditurum Jacobus Avogadrius promiserat. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XVI.*

12. *Galeatii rebus faventes.* Proditionis nota Barbiani, & Carrariæ Comitibus inusta: testante Agnell. Maff. *Hist. Mant. lib. X.*

13. *Nonnulla oppida.* Melariam, & Hostiliam.

14. *Biordi fratris suasu.* Licet Biordi Michelotti fratrem Galeatii partibus semper adhæsisse testetur Pellinus *Hist. Per. lib. X.* attamen libentius *Corio* crediderim *par. IV.* & Leon. Aret. *lib. XI.* qui Poggii sententiam confirmat.

15. *Classeque ad invadendum Mantuanum.* 32. Triremium. De hoc bello vide Platinam *Hist. Mant. lib. V.* Cor. *p. IV.* Pign. *lib. V.* quamvis cum *Æquicola*, & *Aliprando* Agnellus Maffejus *Ann. Mant. lib. X.* nullam Galeatio victoriam tribuat, fortasse ne priori de Galeatio relatæ detraheret.

16. *Præfectus equitum.* Brolea centum & sexaginta equitum ductor.

17. *Civitellam.* In Valle Ambræ positam capit, favente Philippo Brucianensi ejus oppidi custode, cui duo aureorum millia enumerata. Ammirat. *lib. XVI. To.* 2.

18. *Barbiallæ oppidum.* In Valle Egolæ situm, Samminiatensis ditionis.

19. *Ca-*

1398 me ad septingentos hi erant) capti [19] sunt, & incolæ [20] præmia persoluta; pauloque post *Civitella* ejusdem opera, cum plures equitum, peditumque copiæ ad illius obsidionem accelerassent, recepta est, hostes qui intus erant in captivitatem ducti. Dum hæc utrinque aguntur, *Galeatio* verbis pacem quærente, re animoque agitante bellum, Pontificis, *Venetorum*que oratores *Imolæ Mediolanensis* suasu de pace agere cœperunt. Eo & *Florentinorum*, & sociorum legati accessere; sed illius ambitione, iniqua postulantis, bellumque exoptantis, res frustra tentata est. Oratores domum quisque suam reversi. At *Veneti* timentes, ne nimiæ Ducis opes in suum damnum amplificarentur, neve proximum incendium se suaque conflagraret, pacem summopere componi appetebant; nequaquam enim fidebant illius fidei, quam semper pro suo emolumento pensitasset: neque arbitrabantur, si superasset *Florentinos*, se, Rempublicam, & libertatem tueri posse: tanti Principis cupiditatem ad regnum *Italiæ* aspirantem videbant: neque dubium erat debellatis *Florentinis* quin facile voto potiretur. Itaque, veluti pacis admodum cupidi, a Duce, & *Florentinis* petunt, ad se Oratores mitterent, ut rursus de pace ageretur. *Florentini*, sociique [21] legatis missis, pacis, & fœderis conditiones *Venetorum* arbitrio permisere, orantes, ut si *Galeatii* culpa impediretur pax, ipsi pro communi libertate secum fœdus inirent, hoc enim maxime modo & reprimi cupiditatem illius, & *Italiam* a servitute defendi posse. Cum Ducis voluntas tergiversari, & aliena videretur a pace, novo [22] fœdere cum *Florentinis*, & sociis juncti sunt, ea lege, ut ipsis solis jus fasque [23] esset pacem quibus modis, & quo vellent tempore, cum hoste statuendi. Quod ut primum *Galeatius* intellexit, veritus *Venetorum* vires rejecta pace, quinto idus Maji quo de quadringentesimo supra millesimum anno, inducias in decem annos, ea tamen conditione, ut oppida omnia de *Mantuano* per Ducem capta redderentur, concessit. *Florentinorum* dux, reliquique equitum, ac peditum præfecti ab eis eo pacto dimissi sunt, ut annuo accepto stipendio, ad se, cum opus fore censerent, sacramento adacti redirent. Paulo post [24] inducias cum *Jacobus Appianus* diem suum obiisset, *Gerardus*que filius, cum suis diffidens viribus, tum suasionibus *Galeatii* impulsus, de vendenda patria cum ejus oratoribus agitaret, extemplo legati ad eum a *Florentinis* mittuntur, qui pluribus rationibus maximo suo damno id futurum ostenderent, hominemque ab ea sententia averterent. Quæ legatio cum frustra fuisset, cives sui magno numero tyrannum adeunt, utque patriæ pristinam libertatem restituat deprecantur: 1398
se enim eodem pretio (erant enim aureorum ducenta millia) *majorique si vellet, libertatem suam redempturos pollicentur: iniquum esse eos qui tanto tempore antea liberi vixissent, veluti servos venundari, & Principum subjici cupiditati, apud quos plus voluntas quam ratio, plus vis quam jura valerent. Se patri suo urbis imperium sponte tradidisse, eadem voluntate erga filium fore, si civitatem regere velit; si vero dominandi laborem declinet, accepta quam magna velit pecunia, obsecrare se, ut eam liberam, & sui juris esse velit. Eo enim modo urbem, ac cives non conservari solum, sed augeri posse; quod si in unius externi potestatem deveniat, cito illam præcipitem occasuram.* Responsum redditum a tyranno (qui jam Ducis [25] milites in urbem admiserat, armatosque disposuerat ad comprimendos cives, obsistendumque, si qui novi motus fierent) sibi fidem datam servare in animo esse. Itaque haud multo [26] post retento ex fœde- 1399
re *Plumbino*, *Ilva*que insula, ac nonnullis castellis, pecunia insuper accepta, *Galeatii* [27] legato urbem, oppida, arces, cunctaque, quæ *Pisanorum* ad eam diem fuerant, libere concessit. Recepta urbe, *Florentinis* [28] legatus scripsit, *Pisas* sub imperio Ducis esse, a quo sibi mandatum foret, ut cum eis amicitiam servaret: quod, & se facturum sponpondit. Paulo antea *Robertus Puppii*, cæterique vicini [29] Comites *Flaminiam* versus, *Andreinus* quoque *Ubertinus*, Ducis partes secuti a *Florentinis* desciverunt, utque ei post receptas *Pisas* gratificarentur, agrum *Florentinorum* eis vicinum, ut novum belli incendium excitarent, crebris incursionibus sequentis anni principio infestant. Ad repellendas tantum injurias data opera, prohibitis *Florentinorum* militibus, oppidanisque (ne Dux queri posset, ullam ab eis causam novi belli motam) hostium fines prædandi, nocendive causa intrare. Haud ab re erit huic operi inserere rem, non bello, sed pace aptam, admodum memoratu dignam. Emersit hoc tempore nova quædam Religio, quæ multum contulit ad populorum pacem, orta ex [30] *Gallia Cisalpina*, in finibus Alpium, [31] ea parte quæ Duci *Sabaudiæ* paret. Vestiebantur viri, mulieresque, nulla excepta ætate, veste alba, nudisque pedibus, novem diebus extra patrium solum mendicantes, jejuniis, & supplicationibus intenti vitam ducebant. Hi sub dio dormiebant, neque enim fas erat sub tecto, aut cooperto loco his diebus esse: fatebantur singuli ante assum-

---

19. *Capti sunt.* A Bernardone in insidiis delitescente, quos inter Florentinorum aliquot rebelles, qui pœnas capite persolverunt. Ammirat. *lib. XVI. p.* 867.

20. *Incolæ præmia persoluta.* Qui Florentinos de re bene gerenda commonuit, neposque, quem Appiano obsidem dederat, aliis captivis permutatus, & illi redditus. Trunc. *Ann. Pis. ad ann. MCCCXCVIII.*

21. *Sociique.* Bononienses, Atestinus, Gonzaga, Malatesta, & Carrariensis.

22. *Novo fædere, &c.* Venetiis initum fœdus in domo Carrariensis die XX. Martii, ad annos quatuor.

23. *Ut ipsis solis jus fasque, &c.* Hinc non Venetorum modo opes, sed famam probitatis conjicere facile est, queis omnes Italiæ populi ultro se, suaque deferrent.

24. *Paulo post inducias.* Induciæ Papiæ V. non. Majas a Petro Cornelio, & Michaele Steno, D. Marci Procuratore, Venetorum legatis, pro sociis etiam agentibus factæ; Carolo Malatesta, pro Pontifice; Petro, Novariensi Episcopo, & Jacobo, Vermio, pro Vicecomite, legatis. Malavolt. *Hist. Sen. lib. X. p. II.* & Pigna *Hist. Atest. lib. V.*

25. *Ducis milites in urbem admiserat.* Quatuor millia ad cives comprimendos. Gerardum Appiani filium ad urbem vendendam ductum fuisse ex eo refert Sabell. *Enn. 9. lib. IX.* quia ob civiles discordias, quæ Florentinorum opera in dies magis invalescebant, se haud diu eam retenturum timebat. Sic etiam Plat. *in Vita Bonif. IX.*

26. *Haud multo post.* In sequentis anni initio.

27. *Galeatii Legato.* Nempe Antonio Porro Polentiano Comiti. *Corius p. IV.*

28. *Florentinis legatus scripsit, &c.* Ut illorum operam, qui frustra adversati fuerant, illuderet.

29. *Vicini Comites.* Comitem Balnei, & Antonium a Palatio. Leon. Aret. *lib. XI.* & Ammirat. *lib. XVI.*

30. *Orta ex Gallia Cisalpina.* De ejus ortu nunquam constasse referunt Ammirat. *lib. XVI* & S. Antonin. *p. III. Tit. 22. cap. 3. §. 31.*

31. *In finibus Alpium.* Sic etiam *Baptista Sacchius*, vulgo Platina, *Hist. Mant. lib. IV.* & *in Vita Bonif. IX.* duce Sacerdote, qui Pontificatum appetens, ea stipatus caterva Romam petebat, tanquam loca sacra visurus; sed Bonifacius ejus fraude per præconem publicata (tormentis enim adactus omnia confessus fuerat) vivum flammis absumpsit; multitudo vero illa unius hominis supplicio exanimata est, atque dispersa. Sacerdotem hunc e pago Paterno fuisse tradit Sigonius *de Episcop. Bon. lib. III. in Cosm.* apud Rayn. *Ann. Eccl. Tom.* 17. Vide Theodoricum Niem. *lib. II.* & Pignam *Hist. Princip. Atest. lib. V.*

32. *Ad*

1399 ſumptam veſtem peccata Sacerdotibus præteritæ vitæ pœnitentiam profeſſi, remittebantur injuriæ utrinque omnes abolita præteritarum offenſionum memoria. Primi *Lucenſes Florentiam*, Chriſti ſimulacro cruci ſuffixo præeunte, numero quatuor millia venere, quibus publice datus eſt cibus. *Piſtorienſes* deinde, *Pratenſeſ*que advenere. Hos imitati *Florentini* albam ſumpſere veſtem, adeoque increbuit bonorum operum fama, ut digito notaretur, ſi quis eam contempſiſſet religionem. Pax conſtituebatur inter homicidas, dicta, actaque per injuriam condonabantur, remittebatur errato culpa. Omnium præteritorum temporum fraudes, dolique obliterabantur, adeo omnium mens bonis operibus intenta erat. Tanta animorum mutatio, ac novæ religionis hic cultus, qui univerſam *Italiam* peragravit, nulla ex parte *Galeatii* cupidinem minuit, quin toto animo, menteque *Florentinæ* urbis imperium ambiret, quæreretque quo maxime modo ſuæ ambitioni obſequeretur. Adjecit ergo animum ad urbem [32] *Peruſinam*, & quamvis ditionis *Romani* Pontificis eſſet, eo tamen contempto, cum primoribus [33] civitatis exules admodum metuentibus tum muneribus, tum promiſſis effecit, ut ſibi ejus urbis imperium traderent. Exiſtimabat enim hac acceſſione *Florentinos* ferme urbibus ſi-
1400 bi parentibus circumvallatos (nam *Piſas*, *Senas*, *Peruſium* tenebat) facile in poteſtatem deventuros. Inter hæc *Venetorum* legati, quibus ſolis pacis componendæ, quibus vellent conditionibus arbitrium ex fœdere permiſſum erat, *Papiam*, inſciis *Florentinis*, illius procurandæ gratia profecti inter *Mediolanenſem*, eoſque, ac ſocios concordiam firmant: cumque omnia in *Galia* bello capta eſſent reſtituenda, per Ducem, in *Etruria* recepta ei condonarentur, aliæ quoque graviores pacis eſſent conditiones; eas omnes, licet graviter id ferrent, inviti tamen, ne *Venetos* a ſe alienarent *Florentini*, ſociique accepere. Anno poſtmodum *Johannes* [34] *Bentivolius*, magni vir animi, & haud ſpernendi conſilii, *Galeatii* auxilio *Boniæ* tyrannidem occupavit. Eo miſſi à *Florentinis* [35] oratores, qui & gratularentur ob ſumptum imperium, & de fœdere agerent. Quod ille haudquaquam [36] abnuit, ſed diſtulit in poſterum, ne offenſum ſibi redderet animum ejus, cujus opera regnaret. Idem & Dux quæſierat ab eo, ſed parum ille fidei habendum eſſe Ducis fœderi, aliorum periculo didicerat. Sciebat enim, quamvis amplæ pollicitationes oſtentarentur, tamen ex tempore promiſſa ſervare ſolitum, & quod bello nequiverat, ſperare ſe confecta pace conſecuturum. Nunquam enim aperto marte ne i-

gnobile quidem oppidum in *Etruria* aſſecutus eſt. 1400
Senenſibus, ac *Peruſinis*, pacatis *Italiæ* rebus omnibus, cum antea ſocii eſſent, libertatem ademit. *Piſas*, non vi, ſed pecuniis promiſſiſque quietis tempore [37] in ſuam redegit poteſtatem. Eodem pacto *Mantuanum* maximis ſumptibus a *Florentinis* defenſum, poſt compoſitam pacem, donis, promiſſiſque oneratum ad ſuas [38] traduxit partes, quo liberius a vicinis ſecurus, vires omnes ſuas in *Etruriam* transferret. Solus [39] *Patavinus* nullis hoſtis pactionibus, quæ plurima ab hoſte afferebantur, credens, in fide permanſit. Varii, qui per *Mediolanenſem* fiebant, apparatus belli *Florentinos* impulere ad creandos Decemviros, [40] & majoribus copiis rempublicam defendendam. Erat ſuſpicio [41] (haudquaquam parva, *Guccium Cortonæ* Principem, Ducem ſecuturum: ut ab ea cogitatione averteretur, *Montaninam* arcem urbi propinquam capiunt, quo timore perculſus ille nil novi molitus eſt. Cum vero adeo adverſarii vires, opeſque auctas cernerent, ut ad ſe tuendum externo auxilio opus eſſe judicarent, *Robertuſ*que *Bavariæ* Dux infenſus admodum *Mediolanenſi*, privato [42] ob ſuam ignaviam *Vinciſlao Boemiæ* Rege, ad imperium electus eſſet; optimum factu reputantes animo, illum e *Germania* tum adverſus Ducem, tum ad ſumendam de more Imperii coronam advocare, extemplo ad eum Legatum *Bonacurſium Pittum* mittunt, qui eum ad tranſeundum in *Italiam* contra *Galeatium* fœdere oblato hortaretur, honoriſque, & dignitatis ſuæ eſſe diceret, nullo jure [43] urbes Imperi poſſeſſas, ut plures ſuperioribus temporibus Imperatores feciſſent, in ſuam ditionem redigere. Ad eam rem & pecunias quas vellet, & e-
quitum auxilia promitteret. Ejus oratione, quæ accurata, & plena gravitatis fuit, motus *Robertus* fœdere icto, cum viginti [44] equitum millibus, ut *Mediolanenſi* bellum inferret, in *Italiam* ſe deſcenſurum, fide interpoſita, pollicitus eſt. Altero dehinc anno, menſe Septembri, ſuperatis Alpibus relictoque *Tridento*, in agro *Brixienſi* caſtra poſuit, quo *Patavinus*, cum tribus equitum millibus a *Florentinis* miſſus venit, & ad eum, ut convenerant, per oratores ducenta aureorum millia comportata ſunt. Non tamen [45] omnia perſoluta, cum parvo tempore in hoſtili agro reſediſſet. Ea res miranda omnibus viſa eſt, tantam ſimul auri congeriem una in civitate tam ſubito repertam, cujus collatio nulli gravis fuit: ſed & alia quoque ducenta millia promiſſa poſt quatuor menſes, quam in Ducis agro perſtitiſſet. Hæc omnis pecunia una nocte libentibus animis decreta eſt: tanta civibus cura inerat libertatis tuen- 1401

32. *Ad urbem Peruſinam.* Biordo de Michelottis interfecto. Pomp. Pellinus *Hiſt. Per. p. II. lib. XI.* Girardaccius *Hiſt. Bonon. p. II. lib. XXVII.*

33. *Primoribus civitatis.* Cecolini de Michelottis opera urbis imperium Petro Sermigerio Vicecomitis Vicario traditum ann. MCD. vigeſima Januarii die.

34. *Johannes Bentivolius.* Vide Girard. *Hiſt. Bon. p. II. lib. XXVIII.* Cor. *p. IV.*

35. *A Florentinis oratores.* Thomas Sacchettus Eques, Bernardus a Mezola, & Spinus. Ammirat. *lib. XVI.*

36. *Haudquaquam abnuit.* Suadente Antonio Guidotto ſummæ apud eum auctoritatis, cui a Florentinis quatuor florenorum millia data, ut conciliator fœderis foret. Girardaccius *Hiſt. Bon. p. II. lib. XXVIII.* & Corius *p. IV.*

37. *Quietis tempore.* Nempe poſt pacem factam.

38. *Ad ſuas traduxit partes.* Franciſcus Gonzaga prius a Carolo Ariminenſi, dein a Jacobo Vermio ſollicitatus ad Galeatium deſcivit, Papiamque delatus ſummis a Vicecomite honoribus exceptus eſt. Platina *Hiſt. Mant. lib IV.*

39. *Solus Patavinus.* Franciſcus Carrarienſis, qui Galeatii dolos in ſe patremque ſuum necatum expertus fuerat, pro Florentinis ſtetit.

40. *Decemviros.* Hos enumerat Ammir. *To. 2. lib. XVI.*

41. *Erat ſuſpitio, &c.* Nonnulla inimicitiæ ſigna ediderat Guccius de Caſalibus; frumenta enim Montis Politiani a Cortonenſi ditione averterat, poſitis in fluvio ligneis impedimentis, ut Spinellus in *Hiſt. Montis Politiani lib. III. p. 67.*

42 *Privato ob ſuam ignaviam Vinceſlao.* Omnes in Vinceſlaum accuſationes, ut falſas rejicit *Corius p. IV.* non alia enim de cauſſa a Bonifacio IX. Imperio ſpoliatum putat, quam quod Pſeudopontificem defendiſſet. Sed præter ea, ejus ignaviam, & avaritiam, qua centum aureorum millibus, inconſultis Electoribus, Mediolanenſem Ducatum Galeatio vendiderat, videre eſt in Treb. *To. 2 Rerum Germ. p. II.* Briet. *Ann. Mundi ad ann. MCD.* Trith. *apud Calviſ.* Improbos ejus mores, ebrietatem præcipue refert Chronicon Belgicum. Æn. Sylv. *Hiſt. Bohem. cap.* 35. & Rayn. *Ann. Eccl. To.* 17.

43. *Nullo jure urbes, &c.* Non enim Vinceſlao eas alienandi ſine Electorum conſenſu jus fuerat.

44. *Cum 20. millibus equitum.* Fidem autem non ſervavit, cum quindecim tantum millia equitum Tridentum duxerit. ut Amirat. *To. 2. lib. XVI.*

45. *Non tamen omnia perſoluta.* Centum & decem millia tantum. *Ammirat. ibid.*

46. *At*

1401 tuendæ. Qua ex re quantæ civitatis vires forent, perspici potest: nam licet diutino bello pluribus annis cum *Galeatio* gesto defessi, exhaustique pecuniis cives viderentur, tantæ tamen in ea opes erant, ut præter maxima militum stipendia, unico decreto ducenta aureorum millia tam parvo tempore cogerentur. Tanta enim patriæ caritas, tantum tyrannidis odium animos civium incesserat, ut omnia quantumvis gravia, ac difficillima, levia, & facilia præ servitute ducerent. At hodie, [46] eo redacta civitas est, ut cum viginti, aut triginta aureorum millia cogenda sunt, aut versura comparetur pecunia, aut ad extraordinaria tributa recurrant, quod iniquum est, pessimumque exigendæ pecuniæ genus, & abominandum, atque ab his excitatum, quibus potior est res privata, quam publica, quique opes sibi vendicant per aliorum calamitatem, ipsi omni ejusmodi tributi onere expertes. Tantam belli futuri molem adversus se comparatam conspiciens hostis, & ipse quæ ad resistendum pertinebant, summo studio diligentiaque administrat. Primum equites, peditesque ad quindecim millia conducit: tum peritissimos belli duces, *Jacobum Vermium*, *Albericum Barbianensem*, *Mantuanum*, *Othonem Tertium*, *Faginum Canem*, *Pandulfum Malatestam*, pluresque alios viros ea tempestate usu, & arte militari insignes exercitui præficit, copiasque omnes *Brixiam* ire, hostique, qui intra decimum lapidem castra locaverat, opponi jubet. Nulli dubium videbatur, quin Ducis exercitus, numero, & viribus inferior *Germanis*, & *Italis* qui cum *Patavino* erant, foret, modo consilium par viribus extitisset. Sed cum incautius, negligentiusque impetu quodam, superbiaque elati *Germani* absque ordine, aut militari disciplina vagarentur, plures equitum [47] alæ a *Mediolanensis* ducibus missæ *Germanos* invaserunt, a quibus victi, superatique multis [48] amissis in castra compulsi sunt. Tantus vero pavor ex insperata re animos *Germanorum* oppressit, adeo est ab omnibus trepidatum, ut si universus *Galeatii* exercitus eo venisset, procul dubio *Roberti* copiæ omnes superatæ, ac profligatæ concidissent. Sed *Roberti* fortuna, paucis exceptis, exercitum servavit, ex illoque tempore magis de fuga, quam de ulciscendo hoste agitatum est. Primus *Coloniensis* Archiepiscopus, tum *Leopoldus* [49] *Austriæ* Dux, non absque animi corrupti suspicione, relicto *Roberto*, domum rediere: qui a suis præter

A datam fidem cernens se distitutum, veritus, ne ad dimicandi necessitatem adductus, turpiter ab hoste superaretur, cum vires suæ diminutæ admodum illorum discessu, suorum vero animi remissiores facti essent, motis castris prope *Tridentum* loco tuto consedit; cumque animo parum valido deliberabundus, inter spem, metumque dubius staret, *Francisci Carrariensis* exhortationibus *Patavium*, cum quinque [50] millibus equitum, reliquis [51] dimissis, venit: qua ex re *Mediolanensis* animus elatus, cum se haud contemnendum periclum evasisse, & electiores totius *Italiæ* equites, ducesque penes se esse arbitraretur: B *Florentinos* vero contra, ut primum adversam pugnæ fortunam intellexerunt, mœror, & gravis cura exagitabat. Nam & tantam impensam frustra factam cernebant, & verebantur, ne statim hostilis exercitus, deposito *Germanorum* metu, in *Etruriam* transiret. Remissus est tamen paulo post timor audito *Roberti* ad urbem *Patavium* adventu, salvis præsertim *Italis* militibus, qui cum *Patavino* profecti erant: hos impedimento fore hosti credebant, quominus omnes ejus copiæ in *Etruriam* migrarent, nondum penitus remisso *Galeatii* metu: tamen & novi equites confestim scripti sunt & ad *Robertum* oratores [52] missi cum duabus [53] electorum equitum turmis, qui eum ad meliorem rerum spem C hortarentur, & profectionem disuaderent. Existimabant enim ejus mora *Mediolanensem* regii exercitus timore suas copias omnes in *Gallia* retenturum. Multa ab illo petebantur admodum difficilia. Nam & pecuniarum vim permagnam postulabat, si eum in *Italia* morari cuperent, & ut *Veneti*, ac Pontifex secum in belli societatem coirent. Hæc *Florentiam* [54] delata omnium mentes maxime debilitarunt, cum neque retineri, nisi infinita pecunia posset, neque si abiret, securos se fore arbitrarentur, quin hostis *Etruriam* D armis pervaderet. Legatis itaque mandarunt, ut impetrata aliquot mensium mora, pecuniam daturos, & cum Pontifice, & *Venetis* de fœdere acturos pollicerentur, & nova insuper auxilia ad eum primo tempore missuros. Post varias collocutiones disceptationesque, *Robertus* [55] *Venetias* 1402 petiit, questus non servari sibi a *Florentinis* in solvendis nummis promissa. Oratores [56] contra nulla in re violatas esse pactiones ostenderunt. *Venetorum* [57] tandem opera, haud parvo [58] pretio cum *Patavium* in hyberna profectus esset, mense Aprili in *Germaniam* concessit.

---

46. *At hodie.* Nempe anno circiter MCDLV. quo tempore Poggius historiam scribebat.

47. *Plures equitum alæ.* Othone Tertio, seu Bontertio; & Fagino Cane ducibus. Ammirat. *lib. XVI.*

48. *Multis amissis.* Quos inter imperialis exercitus primus Provisor. Corius *par. IV.*

49. *Tum Leopoldus Austriæ dux.* Sic S. Antonin. & Leon. Aret. *lib. XII.* Leopoldum vocant. Joannes vero Aventinus *Ann. Bojorum lib.* 7. de Roberti in Italiam adventu hæc habet. *Cum eo* (nempe Roberto) *Stephanus Angilostadiensis, Ernestus Austriacus Imp. Caroli Maximi, & Ferdinandi Austriæ Reguli proficiscuntur.*

50. *Cum quinque millibus equitum.* Itali erant pene omnes. Patavium ingressus Robertus die XVIII. Novembris MCDI. *Pittus* ab Ammirato relatus *ibid.*

51. *Reliquis dimissis.* Ut Vinceslao ejus hosti in Germania ob ejus discessum superbienti obstarent: nunquam enim Cæsaris insignia licet exauctoratus deposuerat, sed & Principum, & civitatum aliquot favore fruebatur. Emund. *apud Chronic. Belg.*

52. *Oratores missi.* Raynaldus Gianfiliatius, Philippus Corsinus, Masus de Albizis, & Thomas Sacchettus.

53. *Cum duabus equitum turmis.* Quibus præerant Sfortia, & Balthassar Mutinensis. S. Antonin. *p. III. Tit. 22. cap.* 3. §. 35.

54. *Hæc Florentiam delata.* A Maso Albizio, & Andrea Victorio, qui apud Imperatorem legati fuerant. *S. Ant. ibid.*

55. *Robertus Venetias.* Ut suas in partes Venetos traduceret; verius, ut eorum opera a Florentinis nummos repeteret, quos contra conventa detineri querebatur. Petrus Justin. *lib. VI. Hist. Ven.*

56. *Oratores.* Nempe Philippus Corsinus, & Raynaldus Gianfiliatius.

57. *Venetorum tandem opera.* Ab itinere revocatus; Cravolam enim profectus fuerat, ut in Germaniam se conferret. Mora igitur aliquot mensium in Italia ab eo impetrata, ut ejus timore Galeatius suis se finibus contineret, quod Florentini vehementer cupiebant. S. Antonin. *p. III. Tit* 22. *cap.* 3. Ammir. *lib. XVI. To.* 2.

58. *Haud parvo pretio.* Sexaginta quinque aureorum millibus. Sic Veneti (quorum arbitrio res delata) censuerunt.



POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI QUARTI EPITOME.

Florentinos *tanquam fœderis violatores coram* Venetis Galeatius *accusat. Dein* Bononia *potitur. Cum Pontifice* Florentini *junguntur. Vicecomes moritur. Pontifici* Perusiam *occupare conanti spes incisa. Vicecomitis potentia in plures divisa discordiarum origo.* Pisas Florentini *emunt, arcemque accipiunt.* Pisani Florentinis *ejectis, arcem evertunt.* Pisæ *a* A Florentinis *obsessæ, in deditionem veniunt. Ecclesia Schismate turbatur.* Ladislaus Siciliæ *Rex bellum* Senensibus, Florentinis, *ac Pontifici indicit.* Cortonam *deditione capit.* Florentinis *eam cedit veluti pacis pretium. Pontificem,* Florentinosque *nil tale timentes contra jus fœderis aggredi parat, sed belli molem ejus mors avertit.*

LIBER QUARTUS.

1402 OST *Roberti* [1] discessum missi a *Galeatio* ad *Venetos* legati tres, multa coram summo Magistratu, & Oratoribus *Florentinis* contra jura fœderis ab illis facta questi sunt: In primis, verbis pluribus reprehenderunt *inducias, quarum* [2] *ipsi auctores fuerint, minime ab eis servatas, fidem, ac jus jurandum, quæ apud omnes sancta esse consueverint, ab illis violata, nunquam ab eis servatam pacem, quam licet verbis se petere simulent, tamen a concordia, & quiete animo semper fuisse alieno: Seri ab ipsis bellorum quotidie semina, quibus vicini a se opprimerentur; nullum finitimum populum ab eorum cupiditate tutum esse posse, nihil Florentinis antiquius, quam ut eorum insidiis vexaretur Italia, ad quam lacerandam, & in servitutem redigendam, jam bis* [3] *externas gentes, & barbaras Itali nominis hostes acerrimos magna impensa contra se accersitas, a quibus si superatus fuisset, reliquam Italiam in eorum ditionem concessuram fuisse haud dubium esset; consuevisse* [4] *vero Italos ejusmodi gentes arcere ab Italia, & quæ venissent omni conatu repellere, ut libertate fruerentur, degenerasse plurimum ab eis Florentinum populum, qui toties diversos* [5] *hostes ad Imperium Italiæ advocasset; cæci profecto qui non viderent, se devicto eos quoque servitutis jugum subituros fuisse. Ob hæc non esse mirandum, si dux consuleret rebus suis, & ad arma licet invitus descenderet, quibus certam, ac firmam pacem consequi posset.* His dictis ex Oratoribus unus petita de more dicendi [6] venia, *mirari se* ait, *tantam Legatorum Ducis impudentiam, qui ita aperte contra veritatem locuti sua mendacia verbis improbis ornassent, tanquam existimarent ullam præstandam ipsorum orationi fidem: scire* B *eos a se dicta procul a vero esse, palamque perspici non convenire Florentinis semper pacis cupidis quæ ab eis dicerentur, sed Galeatio a quo semper pro suo commodo fœderibus servatis bellorum omnium initia prodiissent; non enim a se, sed ab illo inducias, & pacem violatam esse, quam nunquam ex animo, aut otii quærendi, sed belli gerendi gratia sanxisset: omnibus enim notum esse, Ducem e vestigio publicatis induciis milites, tanquam a se dimissos in Etruriam adversus Florentinos misisse, qui sociorum* [7] *agros longe, ac late populati Senas, tanquam in tutum portum se cum omnis generis præda contulissent, ubi publice & partita, & vendita nostrorum spolia fuere: non servatam* C *vero a Florentinis pacem ridiculum videri ab eo præsertim objici, qui nulla pacis jura unquam novit, qui majori ex parte quæ possideret per dolum, & fraudem occupasset: genus* [8] *suum præcipue; & Veronensem, Patavinumque Principes patrio per fraudem pulsos imperio, optimos suæ fidei sponsores esse posse: qua vero religione ab eo fœdera serventur, Senenses, ac Perusinos quos ex sociis servos reddiderit rogandos esse: testem esse Petrum Gambacurtam, qui Ducis consiliis,* [9] *favoreque occisus esset, quo civitas Pisana in suam ditionem veniret.* Multis utrinque dictis, quibus haud obscurum *Venetis* fieret, malorum omnium culpam a *Mediolanensis* D ambitione manasse, ita discessum est, ut mentem *Galeatii* ad bellum inferendum pronam constaret. *Johannes* [10] interea, quem *Bononiæ* tyrannidem occupasse diximus, cum *Mediolanensis* amicitia parum sibi fida videretur, in amicitiam, societatemque a *Florentinis* receptus, ratus *Galeatium* parta victoria contra se arma moturum, ut audivit *Albericum* in *Bononiensium* fines una cum exulibus adventasse, a *Florentinis* petiit, ut præter equites, quos ad se pridem miserant, ducem quoque *Bernardonem* cum sociali exercitu ad se ire ju- 1402

1. *Post Roberti discessum.* Ut in fine superioris libri ann. MCDII XVI. mensis Aprilis secutum.

2. *Quarum ipsi auctores.* Venetos induciarum auctores vocant, nam penes eos belli pacisque arbitrium.

3. *Bis externas gentes, & barbaras.* Nempe primo Armeniaci Comitem ex Gallia, deinde Robertum ex Germania evocatos.

4. *Consuevisse, &c.* Cimbros, & Theutones Italiam invadentes expulere, Gallosque maximis præliis fregere.

5. *Diversos hostes.* Carolum Calabriæ Carolum Austriæ Duces, Carolum IV. Galliæ Regem, & Robertum Imperatorem prius evocatos.

E 6. *Dicendi venia.* Dicendi facultate a Duce, Venetoque Senatu impetrata.

7. *Sociorum agros.* Socios vocat Lucenses, Volaterranos, Samminiatenses, & Collenses. Leon. Aret. *lib. XII. Hist. Flor.*

8. *Genus suum.* Scilicet Patruum suum Bernabovem.

9. *Ducis consiliis.* Appiano Gambacurtæ Consiliario pecunia corrupto.

10. *Johannes interea.* Bentivoleus, de quo in superiori libro, in amicitiam receptus die XX. Martii. Ammirat. *lib. XVI.*

1402 juberent, quo facilius se suaque defensarent. Is Decemvirum decreto, cum tribus equitum millibus *Bononiam* profectus est. *Johannis* suspicionem haudquaquam *Mediolanensis* animus fefellit; nam sub recentis victoriæ terrorem, potiundæ *Bononiæ* occasionem sibi datam ratus, jamque a *Germano* securus, duces cum exercitu [11] in agrum *Bononiensem*, per speciem restituendorum exulum, proditionis [12] spe oblata ire jussit. Cum hostium exercitus appropinquaret urbi, veritus *Johannes*, ne fluvius *Rhenus* urbem interfluens, civibus maxime necessarius, cum propter molas, tum quia ea tantum aqua ad victum utuntur, illorum opera derivaretur, apud *Casalechium* ad tertium ab urbe lapidem (& jam *Patavinus* audita hostium profectione, eo mille equites filiis [13] Ducibus miserat) cum omnibus sociorum copiis, (eæ sex equitum millia conficiebant) considere voluit. At Dux [14] prudentissimus, cum numero, & militum virtute, tum Præfectorum ingenio, & solertia imparem se hostibus cognosceret, victoriamque desperaret, quin potius adversam belli fortunam ominaretur, ac profligato exercitu urbis captivitatem, si in certamen, quod necessario subeundum erat descenderetur; tutius [15], consultiusque putabat copias in urbe contineri, quam armis decernere: non enim posse aut se tuto in castris esse, aut hostem urbe servata diutius in eis locis morari: satius videri ad præsens tueri civitatem, proinde ex tempore consilium capturos: quod si hostes obsidionem pararent, se crebris eam eruptionibus impediturum: Satis copiarum esse, & ad urbis defensionem, & coercendos hostes, ne latius populabundi vagarentur. Sanum, tutumque id consilium ferme omnibus videbatur, quo consuleretur & exercitus, & Urbis saluti. *Johannes* vero, majoris, quam suæ paterentur vires animi, Ducem timoris increpitans, *ipsum infra mœnia* [16] *quietem agere posse, si vellet*, ait; *se certe foras iturum, & pro illo exercitum ducturum esse vociferabatur: non enim tantum dedecoris subiturum se, ut tot copiis, tanquam cavea inclusis timens, aut otio marcescere, aut pavere diceretur.* Tum, *ne me timoris arguere possis* (Dux respondens) *parebo*, inquit, *voluntati tuæ: sed hoc scias velim*

A

saluti tuæ conferre, tibique longe utilius fore, ut nimium timidus quam parum prudens videri queas, fors judicabit uter nostrum rectius senserit: id certe dicam majori tum tuo, quam meo damno, quæ melior fuerit sententia, me periculum facturum, exitumque judicem utriusque futurum opinionis. Cum [17] locum, ubi castra posita sunt quoad poterat pro loci natura munisset, suspensus in horam adventum hostium expectabat, victi potius, quam victoris specie ante oculos obversante: cernebat enim se multo copiis inferiorem hostibus, nec dubitabat, si ad pugnam deventum esset, quin superaretur: discedere, præ pudore, ne pusilli 1402

B

animi judicaretur, turpe ducebat. *Florentiam* tamen imminens periculum, quove res eorum in statu sitæ essent significavit, monuitque, ut se ad redintegrandum exercitum præpararent, utque si quid adversi accidisset se omnis culpæ exsortem judicarent. His anxium curis, equitesque in armis habentem, ne imparatus inveniretur, hostes instructis aciebus, pluribus ex locis, utpote castris in plano constitutis aggrediuntur. Acri certamine diutius utrinque pugnatum est, tandemque superante [18] hostili multitudine, quæ duodecim millium equitum censebatur, profligati, Duce, & *Patavini* [19] filiis, plurimisque [20] illustribus viris captis magna strage edita victoriam

C

[21] hosti concessere. Hac victoria territis civibus (pauci enim equites in urbem confugerant) existimantes hostes Civitatis occupandæ facultatem concessam, eamque, ut verisimile erat, metu consternatam, fortunam, victoremque secuturam, mœnibus urbis propinquant: cognati amicique eorum, qui per suspicionem civitate ejecti fuerant, de prodendo *Johanne* consilio inito, civem non [22] dubiæ apud tyrannum fidei, obque spectatum sibi animum portam unam asservantem, promissis oneratum inducunt, ut illa patefacta hostes admittat, qui magno numero ingressi,

D

cæde, ac rapinis omnia miscuerunt, *Johannemque* cum reliquiis exercitus, ac civium factione obviam factum fundunt, fugantque, qui latebra [23] salutem quærens a civibus est interfectus: Tandem vero kalendis Julii secundo post mille quadringentos anno, captis *Nicolao Uzano*, & *Bardo* [24] *Rectafide Florentinorum* Legatis, ac una cum

11. *Duces cum exercitu.* Hi fuerunt Comes Albericus, Franciscus Mantuæ Princeps Mediolanensi conciliatus, Pandulphus Malatesta, Octobonus Parmensis. S. Antonin. *Tit.* 22. *cap.* 3. §. 38. Queis addendi Jacobus Vermius, Princeps Mirandulanus, Saxoferrati, Spoleti, Fabriani Principes, Comes Urbinas, Paulus Sabellus, Faginus Canes, Polentanus Princeps, & Bartholomæus Cremonensis.

12. *Proditionis spe oblata.* Ab Antonio a S. Lucia Lamariæ Portæ custode, qui Alberico per eam ingressum promiserat. Girardaccius *Hist. Bon. p. II. lib. XXVIII.*

E

13. *Filiis Ducibus.* Nempe Jacobo, & Francisco Tertio.

14. *Dux.* Bernardus a Serris Florentinorum Dux.

15. *Tutius, consultiusque, &c.* Persimilem huic eventum refert Livius *Dec.* 3 *lib. II.* ubi Q. Fabius Dictator maluit in castris milites continere, quam cum Annibale agros depopulante congredi. Minutius vero equitum Magister ferocioris, quam ratio pateretur, animi ne ab hostibus timoris argueretur, cum illis congressus victus fuit. Sic Bernardonis prudentiam Bentivolei temeritas in extremum rerum discrimen adduxit.

16. *Infra mœnia quietem agere.* Eadem contumelia Rodulphus Varanus Camertes a suis militibus affectus, dum Bononiæ inclusus a Cardinali Gebennensi obsideretur. Ipse vero percontantibus, quanam de causa nunquam in hostem egrederetur, ne hostis, inquit, ingrediatur.

F

17. *Cum locum.* Casalechium.

18. *Superante hostili multitudine.* Adeo vehementem hostium impetum fuisse asserit S. Antoninus *p. III. Tit.* 22 *cap.* 3. §. 38. ut pontem dejectis Florentinis occuparent, & ad intima castra penetrarent.

19. *Et Patavini filiis.* Duos licet Patavini filios captos una cum Poggio asserant *S. Antoninus*, *Corius*, *Leon. Aret.*, & *Scip. Ammirat.* unum solummodo captum ex eo colligo, quod Jacobus die prima Junii Bononiam cum tercentis militibus missus, inde a Patre revocatus Patavium venit die XV. ejusdem mensis, ut cum Mantuani Principis filia nuptias celebraret, sive ut Pigna *Hist. Esten. lib. V.* cum Pandulphi Camertis filia. Franciscus vero discedente Jacobo, in locum fratris suffectus imperium militum habuit. Sic Girardac. *Hist. Bon. p. II. lib. XXVIII.* cujus sententiam confirmat. Plat. *Hist. Mant. lib. IV.* in hoc tantum discrepans, quod Franciscum, non Jacobum Mantuanæ maritum assererit, dum refert Mantuanum Principem Jacobi Carrariensis custodiam a Vicecomite petiisse, Genero suo Francisco Carrariensi ipsius Jacobi fratri rem gratam facturum. Ergo Mantuani Generum haud captivum fuisse credendum, nam Generum potius quam ejus fratrem a Vicecomite petiisset Mautuanus. Sive igitur Jacobus, ut *Platina* sentit, sive Franciscus, ut alii putant, captivus fuerit, certe non ambo.

20. *Plurimisque illustribus viris captis.* Bernardum Tartaleam, Sfortiam Attendolum, & Nicolaum Danzanum, seu Uzzanum enumerat *Corius p. IV.* cui *Ammiratus lib. XVI.* addit Bardum Rittafium.

21. *Victoriam hosti concessere.* XXVI. Junii die Lunæ.

22. *Civem non dubiæ apud tyrannum fidei.* Landus Ambrosii a Beccajo cui a Bentivoleo Portæ Sanctæ Mamæ custodia demandata fuerat.

23. *Latebra salutem quærens.* In cujusdam fœminæ domo prope S. Archangeli pontem mutata veste se abdiderat, a qua spe lucri proditus, postero die in plateam deductus a militibus aliisque dilaniatus est. Girard *Hist. Bon. p. II. lib. XXVIII.* licet nonnulli (ut ait) Scriptores adversentur, qui Bentivoleum pugnantem, dum vivus capi nequiret, occisum fuisse asserunt.

24. *Bardo Rectafide.* Hunc ad Galeatium vel non missum, vel in itinere non periisse arguo ex *S. Antonino*, qui habet in tumultu captæ urbis vulneratum paulo post interiisse. S. Ant. *p. III, Tit.* 22. *cap.* 3. §. 38.

1402 cum *Bernardone* ad *Galeatium* miſſis, urbe potiuntur, in qua plurimis occupatis ædificiis, ut facilius eam ab populi inconſtantia ad levem auram mobilis in poteſtate retinerent, ampliſſimæ arcis [25] fundamenta jacta ſunt, omni prorſus libertate civibus ſublata. Amiſſa *Bononia*, multi contra *Florentinos* inſurrexere, quos poſtea a fortuna deſtitutos incepti pœnituit. *Ubaldini* aſſumptis ab hoſte equitibus, peditibuſque, nonnulla Montana caſtella, quæ quondam ſuæ gentis fuerant, recuperaverunt: quædam antea demolita, vallo, & propugnaculis, magno cum finitimorum terrore inſtauraverunt. Obſidionem præterea *Florentiolæ* paraverunt, deductis eo inſtrumentis, machiniſque bellicis, quo facilius oppidum expugnaretur. His tot adverſis rebus territi *Florentini*, quotidie conſultabant, quibus viribus quorumve præſidio libertatem tuerentur; undique enim circumſeſſi videbantur, ut nullum daretur iter tutum, quo ſecure aut abire extra patriam, aut ſuas Mercaturas ad diverſas regiones mittere, aut in urbem invehere poſſent. Omnia tamen prius agenda, quam rerum deſperatione relinquendam defenſionem arbitrati, Pontificem *Bonifacium* tentandum cenſebant, ſi quo pacto adduci poſſet, ut [26] urbes a *Galeatio* occupatas bello repetere vellet, & in amicitiam, ſocietatemque venire. Alii *Ladiſlaum Apuliæ* Regem, cujus ope *Mediolanenſis* fortuna reprimeretur, quocumque præmio, promiſſiſque accerſendum putabant: ſed ſatius viſum eſt *Bonifacii*, qui propinquior erat auxilium quærere, & ſimul perſuadere jam tempus eſſe, quo de tyranni manibus ſuæ urbes eruerentur. Tam favens, propitiaque *Galeatii* fortuna, tam votis, cœptiſque ejus proſpera, animum gloriæ cupidum incenderat, ut *Italiæ* Regnum ſibi perſuaſerit: & cum jam *Florentiæ* ſibi imperium animo deſpondiſſet, coronam, cœteraque Regum inſignia præparaverat [27], quibus Reges uti conſuevere. Sed divino numine, inanes ejus cogitationes redditæ ſunt; mors enim ſua conſilia diſſolvit, oſtenditque, tot curas, apparatuſque nequicquam ab eo irrito labore ſuſceptos. Ea æſtate, qua *Bononiam* uſurpavit, peſtis *Mediolanum* invaſerat, quam vitare cupiens, *Marignanum* Caſtellum a ſuis voluptatis cauſa ædificatum conceſſit: diem profectionis, horamque præfixerant Aſtrologi, quorum conſiliis, & pacis, & belli tempore parebat, multaque quo die diſceſſit obſervata ſunt, quibus prædictum erat, illum procul dubio Regem *Italiæ* reverſurum. At vero paulo poſt, quam in oppidum venit, in febrem [28] incidit, ex qua & defunctus eſt. Ejus mors creditur [29] per Cometem (qui ingens, ac fulgidus menſe Martio ante apparuerat, ac quinque horis poſt Solis occaſum palam conſpiciebatur) ſignificata, quo exorto, dicitur de vita paulum dubitaſſe. Teſtamento, ejus natorum maximus *Johannes Maria*, *Mediolani* retento Ducis nomine imperitabat, *Bononia*, *Sena*, *Peruſia*, *Aſſiſio* additis. *Philippo Mariæ*, *Papia*, *Verona*, *Vincentia*, plurimaque præterea oppida ceſſere. *Gabrieli* [30] filio naturali *Piſæ* relictæ ſunt; quæ Imperii diviſio magna ex parte a ſapientibus viris, ut a Principe minime prudente, & niminum fortunæ blanditiis dedito facta, culpatur. Nunquid enim vir, ad cætera egregius, liberalis, ac prudens, ita rerum ignarus erat, ita fortunæ fidens favoribus, ut quæ per vim, dolumve de alienis ceperat, permanſura diutius penes filios exiſtimaret? Ut reliquos omittam, an Pontifices omnes *Romanos* ita ignavos, inſulſoſque putabat fore, ut quæ ſummo jure ad Eccleſiam pertinerent, diutine a tyrannis poſſideri paterentur? & patrimonium tanto tempore poſſeſſum, tanto impendio ſæpius ab Imperatoribus tyranniſque recuperatum, auferri ſibi per ignaviam æquo animo ferrent? parum ſapienter profecto fortunam ſecundam perpetuo ſibi ſuiſque deſponderat. Atqui ea brevi oſtendit, quam vana ejus conſilia extitiſſent. Princeps fuit perliberalis, magnique animi, ad Regios mores ſe componens, alieni tamen cupidus, & animo ad imperandum propenſo. Id in eo culpatur, quod fidem, & promiſſa ex utilitate traditur ſervaſſe, quod vitium commune cum multis egregiis bello ducibus fuit: ſed ea laudanda præ cæteris eſt virtus, quod omnium [31] doctrinarum, artiumque viros eximios, ad ſe, tamquam egregiorum hominum receptaculum vocavit, ſummoque in honore habuit. Nuntiata [32] *Florentiæ* Ducis mors, magna lætitia populum exhilaravit, ut qui ex ſerpentis faucibus evulſam libertatem, jam in tuto conſiſtere judicaret: dieſque plures feſti, ludis ſolemni pompa celebratis, magna civium voluptate acti ſunt. Oratores [33] ad Pontificem antea miſſi, licet diu nutantem *Galeatii* metu, cunctantemque, tandem fœdus cum *Florentinis* faciendum, haud multo ante *Mediolanenſis* obitum, ſpe victoriæ impulere: his conditionibus, ut pro communi tutela, proque urbium amiſſarum recuperatione, Pontifex quinque equitum millia, ſex *Florentini* alerent. Id maxime movit ad ineundum fœdus Pontificem, quod parum tutus in urbe videbatur, cum *Romam* ipſam Ducis dolo ſollicitari intelligeret. Itaque ad recipiendam *Peruſiam* *Johannello* [34] fratre miſſo, *Florentinorum* equitum præſidio, atque exulum [35] beneficio, plurima de *Peruſinis* oppida, tum vi, tum factionum gratia in ſuam poteſtatem redegit: ad oppugnandam deinde urbem profectus, brevi tempore, adeo calamitatibus civium bona afflixit, ut ſe in *Bonifacii* poteſtate futuros dicerent, modo exules in urbem non redirent: verum, cum fidem ſervandam eſſe reſponderet, his præſertim, quorum opera tot caſtella recepta forent, preme-

25. *Fundamenta jacta ſunt.* Die XXV. Auguſti, Marchione Leonardo de Malaſpinis Gubernatore curante.

26. *Urbes a Galeatio occupatas.* Nempe Peruſiam, & Bononiam Pontificiæ ditionis urbes.

27. *Præparaverat.* In Merignano oppido.

28. *In febrem incidit.* Peſtilenti febre abſumptum Joannem Galeatium die tertia Septembris ann. MCDII. cum annum ageret quinquageſimum quintum, omnes auctores aſſerunt, licet Donatus Boſſius *Hiſt. Med.* die III. Maji mortuum affirmet, quod facile refellitur decreto ab eo facto Merignani die XXVIII. Auguſti, ut Campi *Hiſt. Cremon. lib. III.*

29. *Ejus mors creditur per Cometem, &c.* De hoc Comete multa refert Theodoricus Niemius *lib. II. c.* 29. caput ejus Italiam verſus, & caudam ad Occidentem protenſam: Apparuiſſe autem Quadrageſimali tempore, ann. XIII. Pontificatus Bonifacii. Vide *Walſinghamum, in Heur.* & alios.

30. *Gabrieli filio naturali.* Is ex Agnete Mantegaccia ſuſceptus eſt, ſed jure legitimi filii donatus.

31. *Omnium doctrinarum viros eximios.* Nam Baldum Peruſinum, Petrum Candianum (qui Pontifex fuit) Guillielmum Cremonenſem, Chriſtophorum Piſcarum, Emanuelem Gravium, Cryſoloram, Marſilium a Sancta Sophia, Jacobum Inſulanum, alioſque ad ſua ſtipendia vocavit. Vid. *Corium p. IV.*

32. *Nuntiata, &c.* A Paulo Guiniſio Lucenſium Principe Galeatii mors nunciata. Leon. Aret. *lib. XII.* prope finem *Hiſt. Flor.*

33. *Oratores ad Pontificem antea miſſi.* Quorum primus Jacobus a Vineis, qui fœdus cum Pontifice die XIX. Octobris percuſſit. Ammirat. *Hiſt. Flor. lib. XVI.*

34. *Johannello.* Tomacello Neapolitano, Bonifacii IX. fratre, una cum Petro Urſino, & Carrarienſi, ut Pellinus *Hiſt. Peruſ. p. II. lib. XI.*

35. *Exulum beneficio.* Opera præcipue Brachii Fortebrachii ad viginti oppida capta. *Pell. ibid.*

36. *Bal-*

1402 merenturque magis in dies, procul dubio in Pontificis ditionem venturi erant, ni Ducis imbellis, abjectique animi pavore obsidio foret intermissa. Nam cum a novo *Mediolani* Duce *Johanne Maria Otto Tertius* cum tribus equitum millibus ad liberandam obsidione urbem ex *Bononia* venisset, tantus *Johannellum* timor occupavit, ut non expectatis hostibus, quibus superior erat, & numero militum, & virtute, relictis omnibus, cum suis copiis, magno Pontificis, sociorumque dedecore *Tudertum* peteret: exules tamen, quæque cum illo erant *Florentinorum* copiæ oppida recepta diutius defensarunt. Dum hæc apud *Perusiam* aguntur, qui *Senis*, *Pisis*que resederant *Galeatii* equites, peditesque frequentibus excursionibus *Florentinorum* loca infestabant: a nostris quoque idem factitabatur, multaque præda onerati milites redibant, adeo ut bellum quod confectum putabant instauratum videretur: qua ex causa novi Decemviri creati sunt, quibus optimum fa-
1403 ctu visum est *Etruscum* bellum in *Flaminiam* transferri, hostilemque agrum potius quam proprium vastari armis. Igitur *Bonifacio* suadent, ut creato Legato *Balthassare* [36] Sancti *Eustachii* Cardinale, qui postmodum mortuo *Alexandro quinto Johannes XXIII.* Pontifex factus est, exercitum ad *Bononiam* recipiendam mittat. Is accepto a Pontifice, *Florentinis*que exercitu, cui Dux *Carolus* [37] erat *Malatesta* vir suæ ætatis belli peritissimus, mense Junio, cum omnes copiæ prope *Bononiam* convenissent, excursionibus in *Parmensium* fines late factis, ingentique omnis generis præda abducta militem reduxit, expectaturus, si qui novi [38] motus in urbe (erat enim incerta spes proditionis) orirentur. Quiescentibus [39] civibus, Legatus ne frustra tempus ibi tereret, *Mediolanum* versus cum exercitu proficisci decrevit, Ducemque bello tandiu urgere, donec vi, aut sponte *Bononia* reciperetur; quod consilium, data rei ex voto bene gerendæ occasione fortuna adjuvit: Orta namque haud parva inter primores Ducis Senatus dissensio trahentibus singulis rem communem in privatam, offensionesque invicem pristinas renovantibus, primum ad simultatem, deinde ad aperta odia, atque arma omnia convertit. Capita factionis erant *Franciscus Barbavarus*, qui primum inter omnes locum penes *Galeatium* tenuerat, & *Antonius* Vicecomes, quo cum omnes Nobiles sentiebant, qui populi tumultu excitato, domum *Francisci* occidendi ejus causa profectus, cum ille in castellum [40] ubi Dux, materque erant profugisset, spoliata domo fratrem, [41] plurimosque ex ami-

cis interfecit. Inde ejus opera cives quidam per populum electi, quorum consilio dux (is adolescentior erat) regeretur, magna in discordia diutius Civitatem tenuere, cum privatum commodum cuique potius esset adolescentis Ducis statu, aut quiete publica. Vulgato civili *Mediolanensium* pene bello, *Ugolinus* [42] ex familia nobili *Cavalcabovis*, *Cremonæ* tumultu excitato, ac Ducis Magistratu urbe pulso, urbis imperium occupat. *Laudenses* præterea *Ghibellinorum* quæ ante cæteros depresserat factione ejecta, & ipsi sibi tyrannum *Johannem* [43] *Vinialem* eorum civem creant: hos secuti *Brixienses*, *Bergamenses*que, ac *Placentini*, auxilio Legati *Caroli*que belli Ducis, qui & ad defectionem hortabantur, & rebellantibus auxilia mittebant, a Duce desciverunt. *Brixiam Franciscus Carrarius* dedentem se, præter arcem, cepit, per quam paulo post intromissi [44] equites illum urbe ejecerunt. Erant Ducis res omnes in occasum, interitumque tendentes, cum domi civium seditiones, foris defectiones urbium vigerent; Cum *Franciscus Mantuæ* Princeps, cujus auctoritas plurimum [45] apud Ducem poterat, & *Carolus Malatesta*, cujus ex familia [46] uxor Ducis erat, hujus adversam fortunam conspicientes, cum Legato, inscio *Vanne* [47] *Castellano*, *Florentinorum* oratore, Ducis nomine fœdus percusserunt, his conditionibus, ut quæ de Pontifice occuparet restituerentur: *Florentini*, *Etrusca*que res silentio præterita: quod cum periniquum, ac contra omnia Divina, humanaque jura factum quererentur, omnis ejusmodi quæstio, quæ ad *Etruriam* spectaret in Pontificem rejecta. Inter Legatum, & Ducem publicata pace, *Bononienses*, ut Pontificis gratiam promererentur, urbemque eorum beneficio potius quam Ducis reciperet, armis sumptis, impetuque in illius milites facto, acri certamine profligato, ejectoque [48] præsidio, Legato se dedere. *Perusini* quoque, ne exules reciperent [49] pacti *Johannello* urbem restituere. *Florentini* interim à *Bonifacio* petunt, ut fœdera quibus cavebatur, ne pax nisi communi voluntate fieri posset, utque omnium opibus administraretur bellum, servaret. At ille utilitatem honestati præferens, receptis amissis urbibus, licet multis antea simulatis, ac dissimulatis rebus, revocato legato, ac exercitu in pace perseveravit. Quod ne dum in tanta dignitate cujus maxime interest servare fidem, sed in privato etiam viro culpandum foret, cum turpissimum videatur, detestandum, tum in civitatibus, quæ libertatem asserunt, tum maxime in Principibus, non servari pacta, jusjurandum, Re-

36. *Balthassare.* Coscia Neapolitano, antea Bononiensi legato.

37. *Dux Carolus Malatesta.* Non diu summa Imperii auctoritas penes Malatestam fuit, nam, seu æmulatione inter ipsum, & Comitem Albericum qui a Vicecomite defecerat, orta, seu Pontificis opera rebus suis studentis, Nicolaus Estensis exercitus Imperator electus. Vide Girardaccium *Hist. Bon. p. II. lib. XXVIII.* Corium *Hist. Med. p. IV.* Pign. *lib. V.* Gyrald. *de Princip. Atest. in Vita Nicolai II.*

38. *Si qui novi motus.* Rubeis auctoribus excitarentur, a quibus spes oblata fuerat. Angelus *Hist. Parm.*

39. *Quiescentibus civibus.* Cautum fuerat a Malaspina urbis quieti, Fagino Cane ad cives compescendos ex oppido Petri evocato. Girard. *Hist. Bon. p. II. lib. XXVIII.*

40. *In castellum.* Portæ Joviæ.

41. *Fratrem.* Manfredum, nec non S. Ambrosii Abbatem Barbavari amicum interfecit, & Monasterium populo diripiendum concessit. *Corius p. IV.*

42. *Ugolinus.* Marchio Viadanæ, una cum Joanne Ponzono Cremonam ingressi Guelphæ, & Maltraversæ factionis ope urbe potiuntur, Joanne Castillioneo Mediolanensi, Ducali Vicario expulso Ant. Campi *Hist. Cremon. lib. III.*

43. *Johannem Vinialem*, seu Vignatam, ut *Campi ibid.* & Plat. *Hist. Mant. lib. IV.*

44. *Intromissi equites.* Faginus Canis per arcem nondum Carrariensi subjectam, civitatem multis equitibus ingressus eam Vicecomiti restituit. S. Anton. *Tit. 22. cap. 3. §. 41.*

45. *Plurimum apud Ducem poterat.* A Galeatio Franciscum filiorum Tutorem relictum asserit *Æquicola*; idque ex *Donato Prelo* confirmat.

46. *Cujus ex familia uxor Ducis erat.* Nempe Antonia Malatestæ Ariminensis Principis filia. Campi *Hist. Cremon. lib. IV.* Ducis nomine intelligendus Joannes Maria Vicecomes, non Franciscus Mantuanus, qui licet Carolo Malatestæ affinis esset, ut asserit. Joann. Gobell. *Comm. Pii II. lib. II.* non tamen ducis titulo gaudebat, quem ejus successores obtinuere.

47. *Inscio Vanne Castellano.* Florentinorum oratore, licet eo præsente pax cum Legato facta fuerit, quod fraudulenter actum Florentinis fœderatis non admonitis, damnat S. Antoninus *Tit. 22. cap. 3. §. 41.* & Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

48. *Ejectoque præsidio.* Fagino Cane expulso, Legatum per Pratellam Portam introduxere mense Septembri. Fusius apud auctores *Hist. Bonon.*

49. *Ne exules reciperent pacti.* Et insuper ne tributa imponerentur, Ecclesiastica Beneficia spoliatis redderentur, aliaque insuper quæ in Pellino *Hist. Peruf. lib. XI. par. II.* Rayn. *Ann. Eccl. To. 17.* ubi PontificiumBreve exponitur.

 50. *Ugo-*

1403 Religionem contemni, violari fidem datam, omnia pro arbitrio, & voluntate fide posthabita pro commodo habere. Non tamen Pontificis ope destituti *Florentini* animos submiserunt, sed audentius bellum prosecuti, *Ugolino Cavalcabovi* [50] mille, & ducentos equites misere, quibus, eisque, quos paraverat fultus *Mediolanensem* agrum adeo infestum reddebat, ut populus ad arma sumenda pro tumultu sæpius commoveretur. *Petro* insuper *Rosso Parmensi*, cujus opera *Parma* a Duce defecerat, auxilia, & pecuniæ missæ. Lacerabatur undique Ducis status, & magna calamitas urbes omnes adeo pervaserat, ut sua sponte nullo impulsore *Ghibellinorum*, *Guelforum*que factio exasperatis odio animis mutua cæde grassaretur. [51] Conspecta *Florentinus* Populus tam adversa Adolescentis Ducis fortuna, ut cujus urbes a se tum deficerent, tum discordiis, & intestino odio periclitarentur, bellum nulla facta pace remiserunt: satis in tuto res suas fore rati, cum hosti, nedum aliena invadendi, sed ne tuendi quidem paterna, ulla potestas reliqua videretur; turbata etenim adeo erant omnia, ut civitas ipsa *Mediolanensis* nequaquam ei pro voluntate pareret; Reliquæ urbes majori ex parte in aliorum arbitrium devenissent. *Comum* [52] intestina seditione modo harum, modo illarum partium urbe civibus pulsis militaris libido hostili furore diripuit: *Alexandria*, *Vercellæ*, *Novaria* a *Montis Ferrati* Principe occupatæ: *Papia* [53] domestico odio lacerata est a *Fagino Cane* possessa, direptis omnibus factionis *Guelfæ* bonis: *Placentia* [54] ob domesticas seditiones sæpe a militibus direpta, quam a Concilio *Constantiensi* rediens desertam fere habitatoribus inveni: raræ ejus regionis urbes iram, avaritiamque militum effugerunt. *Brixiam* [55] *Pandulfus Malatesta* occupavit. *Faginus* præter *Papiam*, *Alexandriam*, *Terdonam*, multaque [56] præterea sibi subegit. *Otho* postmodum *Tertius Placentiam*, *Parmam*, *Regium Lepidi*, pulsis prioribus [57] dominis, ut tyrannus tenuit. *Verona* [58] quoque ad antiquos *Scalæ* Principes, quamvis paucis diebus [59] regnarint, defecit, quæ mala omnia a factione *Mediolani* inter Senatus Principes exorta originem traxere. Nam & [60] *Antonius Porrus*, & plures alii diversa cæde perierunt. Ipsa [61] Ducis Mater veneno sublata est. Dux adolescens, crudelis, immanis, ferus, ut non procul esset ab insania plurimos jussit occidi: ipse nonnullos vivos lacerandos canibus, edendosque objecit, adeoque illius dementia humanum sitiebat sanguinem, adeo efferatis erat moribus, ut a domesticis, cum sibi quisque timeret, interficeretur [62]. Ob hanc tantam *Cisalpinæ Galliæ* cladem, *Florentini* ab inferendo bello cessarunt, satis esse ducentes eas regiones clade domestica afflictas. Audita *Philippus* [63] fratris nece *Mediolanum* pergit, superatisque, qui sibi urbis imperium usurpaverant, urbem ingressus fratris imperio successit, qui postmodum recuperatis amissis urbibus pacem cum *Florentinis* firmavit. Interea cum variis casibus conflictaretur *Gallia*, *Florentini*, ut acceptas injurias ulciscerentur, *Petro Balneorum* Comiti ejusque nepoti, qui cum *Galeatio* senserant, bello indicto, missoque in eorum fines *Jacobo Salviato* equestris ordinis satis firmo cum exercitu omnia illorum castella, paucos post ejus adventum menses deditione facta receperunt. *Andreinus* quoque *Ubertinus* partium Ducis fautor, acerrimusque *Florentinorum* hostis, *Valle Ambræ*, omnique majorum imperio pulsus est. In agrum quoque *Senensem* maritimum excursiones, prædæque factæ sunt, & *Castilionis Piscariæ* castellum in maris littore exædificatum per vim captum [64], pauloque post cum *Senensibus*, præsidio externo ejecto, civitateque in libertatem [65] redacta, pax firmata est. *Gabriel Maria* [66] vero *Pisarum* Imperio potitus, cum nullis legibus obnoxius tyrannorum more plurima infanda facinora, minimeque ferenda in dies patraret, odio civium contracto, sibi, suisque timens rebus *Florentiam* secreto misit, qui peterent, ut civem graviorem aliquem, quo cum de communi utilitate tractaret, ad se mitterent. Missus *Masus Albitius* equestris ordinis vir ingenti virtute, ad vicum *Pisanum*, quo *Gabriel* accesserat, cum amicitiam, societatemque illorum summopere appetere tyrannus videretur, ut *Florentinorum* umbra tutus pro arbitrio suo viveret, ita ab eo discessit, ut quæ postularet quam primum ad Senatum
se renuntiaturum affirmaret: ignarus enim *Ga-* 1404
brielis voluntatis eo venerat, ut tantum mentem illius, animumque perspiceret: quæ omnia licet summa prudentia acta sunt, tamen ita occultis colloquiis agi haud potuerunt, quin eorum fama
ad

50. *Ugolino Cavalcabovi*. Cremonæ Tyranno.

51. *Mutua cæde grassaretur*. Adeo ut Ghibellinorum caro laniariis affixa a Guelphis Brixiæ venderetur. *Cor. p. IV.*

52. *Comum intestina seditione*, &c. Post mutuam partium cædem debilitatæ urbis imperio potitus est Franchinus Rusconus, cui alia quoque oppida accessere, Franciscus Ballarinus *in Chronic. Epis. Comensium par. I. cap.* 20.

53. *Papia domestico odio lacerata*. A Beccariensibus in Guelphos pugnantibus. Tandem expulso Philippo Maria Vicecomite Faginus Canis noctu introductus eam occupavit, ac diripuit. *Cor. p. IV.*

54. *Placentia ob domesticas seditiones*, &c. Direptionis causa Placentinis deferenda, qui eam prius Manfredo de Scottis Civi, quo deinde ejecto, Ottoni Bontertio, tum Francisco Vicecomiti Mediolanensi tradiderunt. Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.* Direpta vero est a Fagino Cane, Gabriele Fondulo, & Ottone Bontertio. Petrus Maria Campi *Hist Placentiæ p. III. lib. XXV.*

55. *Brixiam Pandulphus Malatesta occupavit*. Expulso Francisco Carrariensi, cum Joannis Vicecomitis nomine Brixiam, Bergomumque teneret Malatesta, Dominus ex Gubernatore factus est. Joann. Gobell. *Comm. Pii II.*

56. *Multaque præterea*. Novariam, Comum, Vercellas. Vide *Ann.* Ant. Scip. Agnelli Maff. *lib. IX.*

57. *Prioribus dominis*. Expulso Vicecomite, deinde Petro de Rubeis, quocum dimidium urbis Imperium pactus fuerat. Angelus *Hist. Parm lib. III.*

58. *Verona quoque*. A Guillielmo, Brunoro, & Antonio Scaligero muris perfractis capta, ut Hieron. a Corte *p. II. lib. XII.*

59. *Quamvis paucis diebus regnarint*. XIV. tantum diebus. Guillielmo enim veneno per Carrariensem sublato, Brunorus saluti fuga consuluit. Bugatus *Hist. Univ. lib. V.* Pugnæ laboribus fatigatum Guillielmum occidisse asserit Corte *Hist. Veron. p. II. lib. XIII.*

60. *Nam & Antonius Porrus*. Nec non Antonius Vicecomes, Joannes Pusterla, Mainus, Aliprandus aliique aut strangulati, aut a canibus dilaniati. *Cor. p. IV.*

61. *Ipsa Ducis mater*. Catharina Bernabovis Vicecomitis filia, uxorque Galeatii, a Joanne Maria ejus filio Medoaciæ oppido clausa, & veneno sublata. Camp. *Hist Crem. lib IV.* & Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

62. *Interficeretur*. Dum ad S. Gottardi templum pergeret, a Vicecomitibus, Pusterlis, Mainis, Aliprandis, Trivultiis, ut suos cognatos ab eo interfectos ulciscerentur, duobus vulneribus interfectus est, ejusque corpus meretricis cujusdam opera in eadem Ecclesia sepultum. Spelta *Hist. Papiæ* ubi de *Petro Crasso Ep. p.* 385. *edit. Pap.*

63. *Audita Philippus fratris nece Mediolanum pergit*. Ex Arce Papiensi ubi velut in custodia detinebatur Philippus fugiens, Beatrice Tenda defuncti Fagini Canis uxore sibi desponsata, omnes ejus opera urbes a Cane possessas, occiso Cabrino Fondulo Cremonensi, & Joanne Vignato Laudensi tyranno recuperavit. Campi *Hist. Crem. lib. III. Cor. p. IV.* Fusius Blondus *Dec.* 3. *lib. I.*

64. *Per vim captum*. Egressis ad pugnam militibus, dum se reciperent, Florentini immixti oppidum capiunt. Boninsegn. *lib. IV. Hist. Flor.*

65. *In libertatem redacta*. Expulso Georgio Carretto Mediolanensis Ducis nomine urbem tenente, die XXVI. Maji MCDIV. Senenses concilio advocato, Vicecomitis insignia omnia abradentes pacem cum Florentinis fecerunt. Malavolt. *Hist. Senen. p. II. lib. XII.*

66. *Gabriel Maria Pisarum Imperio potitus*. Quod ei Galeatius ejus Pater reliquerat.

67. *Tu-*

1404 ad *Pisanos* perveniret, qui suspicati aliquid de urbis venditione actum, tumultum populi libertatem clamantis excitarunt [67], quare commisso certamine *Gabriel* superatus, una cum Matre, cujus potissimum consilio utebatur, in arcem confugit: qua defuncta, firmo ad custodiam [68] præsidio relicto *Serezanam* oppidum concessit, ubi de tradenda *Florentinis* urbe est

1405 agitatum. *Florentini* illius potiundæ spe oblata, *Ginum Capponum* virum prudentem, & ad perficiendam rem aptissimum, ad *Johannem* [69] cognomine *Buccicaudum*, *Genuam* pro Rege *Galliæ* obtinentem, cujus præcipue consilio *Gabriel* utebatur, Oratorem [70] mittunt, alterum vero ad *Gabrielem*, ut de conditionibus agitaret. Multis utrinque dictis, postulatisque, tandem amissa omni recuperandæ urbis spe, *Gabriel Buccicaudi* cohortatione, civitatem cum omni ejus ditione vendidit [71] *Florentinis*, *Serezana*, *Laventia*, nonnullisque ignobilibus castellis finitimis sibi reservatis. Recepta pridie kalendas Septembris, anno quinto supra mille quadringentos munitissima arce, *Ginus* [72] (quo auctore composita omnia erant) *Laurentio Rafacano* cum quingentis peditibus ad custodiendam arcem misso, eam tradidit, monuitque, ut diligenter arcis custodiæ incumberet, ostenditque qua ex parte capi posset, quæque pericula imminerent, nisi ad omnia remedia animus intentus paratusque esset facile illam amissurum, quæ ut caveret obtestatus *Florentiam* rediit. Verum post assertam libertatem cum *Pisani* ad expugnandam arcem, machinas, ac bellica instrumenta, balistas, catapultas, cæteraque his similia paravissent, paucos [73] infra dies, ignavia eorum, quibus arcis tutela demandata erat, contigit, ut ea parte [74] qua prædictum fuerat, ingrederentur: præfectis vero, militibusque præsidii causa relictis, non ad defensionem, sed ad fugam intentis, arx capta soloque tenus eversa. Inde *Pisanum* bellum difficile sane secutum est, tresdecim mensibus confectum. Arce diruta *Pisani* [75] Oratores *Florentiam* ad petendam pacem misere: Verum adeo eorum verba inferendis excedebant conditionibus; nam castella per *Gabrielem* tradita restitui [76] postulabant, ita præteritarum offensionum memoria renovata est, ut illis extemplo abire jussis, non de pace, aut fœdere, sed de bello omnium consensu agitaretur. Multa populum ad bellum contra *Pisanos*, tanquam necessario suscipiendum incitabant: primum emptio [77] optimo jure facta, ut non injuria, sed juste sumi arma

A viderentur, deinde arcis amissæ pudor incitabat animos, quod dedecus victoriæ futuræ gloria resarciendum putabant. Irritabat præterea antiquum [78] *Pisanorum* in eos odium, in quorum republica delenda, sæpius omnibus viribus incubuissent: addebantur præterea studia diversarum partium, quibus semper amicorum officia omnia præstitissent, hærentes [79] Imperatoribus, cæterisque, qui *Florentinæ* urbis imperium, aut ruinam quærebant: accedebant ad inimicitiam renovandam, plurima asperaque bella inter utrosque, majori odio, quam viribus gesta: neminem ad eam diem exercitum in eos duxisse haud ignora- 1405

B bant, cui non confestim sponte sua, opes, & auxilia subministrarint, existimantes Populi *Florentini* damna suo accedere emolumento: *Britannos* quoque [80] nuper, qui in *Italiam* transcenderant præmiis ab eo conductos *Florentinum* agrum multis calamitatibus vexasse: itaque cum sæpius rem *Florentinam* suis consiliis, atque opera nutantem, ac [81] dubiam reddidissent, operæ pretium visum est eam civitatem subigere, a qua in dies tot imminerent pericula, neque ulla certa spes esset illos adepta libertate æquiori erga se animo futuros: accedebat ad hæc maritimi portus [82] commoditas, qui in *Pisanorum* arbitrio situs, Merca-

C turas (& antea [83] periculum factum erat) impediturus videbatur: durum sane existimabant in *Pisanorum* arbitrio consistere, velletur ne, negotiatoribus suis eum portum patere: facultas quoque omnis externis hostibus belli inferendi auferri, & perpetuæ quietis spes ostendebatur, in potestatem redactis his, qui & novorum bellorum semina præberent, & paci otioque adversi forent: quis enim credere posset, ab injuriis aliorum quieturos eos qui ipsi inter se nullo contenti statu, nullis firmis legibus, discordes, invicemque invidi domestica [84] semper factione mutuaque cæde patriam fœdarent? Facultas quoque

D urbis expugnandæ proponebatur, cum nudata omni subsidio, haud magna opera in potestatem redigi posset: neque enim ab Imperatore, aut Regibus, aut ullo *Italiæ* Principe auxilii ferendi ullam spem esse. Solos autem, cum impares essent viribus, non posse bellum diutius sustinere, & insuper existimandum esse eos mutuis injuriis incensos, antiqua factionum studia suscitaturos. Pacem igitur bello redimendam esse, nec prætermittendam inimicæ urbis expugnandæ occasionem datam. Hæc in consiliis, hæc vulgo jactata; civium animos ad bellum erectos acrius incenderunt, ut urbem tanto pretio emptam, æter-

67. *Tumultum populi excitarunt.* Duce Remigio Glaccio, ut Ammirat. *Hist. Flor. p. I. To. 2. lib XVII.*

68. *Ad custodiam præsidio relicto.* Thomasino Crivelio, & Thoma Castellano præfectis. *Ammirat. ibid.*

69. *Johannem cognomine Buccicaudum.* Buccicaldum omnes pene auctores appellant, Gallice *Jean a Laneingre Bucciquaut*, natione Gallus. Ammirat. *ibid.* & Ubert. Fol. *Hist. Gen. lib. IX.*

70. *Oratorem mittunt.* Nicolaum Barbadorum Buccicaudo, & Ginnum Capponum Gabriello Mariæ. Truncius *Ann. Pis. ad ann. MCDV.*

71. *Vendidit Florentinis.* 200. aureorum millibus acceptis. Malavolt. *Hist. Sen. lib. I. p. III.*

72. *Ginus.* Cappo Florentinorum legatus arcem ab Ugone Celletterio Buccicaldi Vicario sibi traditam Rafacano dedit.

73. *Paucos infra dies.* Quinto ab arce Florentinis tradita. Truncius *Ann. Pis. ad ann. MCDV.*

74. *Ea parte qua prædictum fuerat.* Viæ, quæ mœnia circuibat, inferior porta exitum claudebat, per hanc Pisani ingressi; ut Matthæus Palmerius *Hist. de Captivit. Pisarum.*

75. *Pisani oratores.* Quinque missi.

76. *Restitui postulabant.* Nempe Librafactam, seu Ripafactam, & Sanctam Mariam in Castello. Boninsegn. *Hist. Florent. lib. IV.*

77. *Emptio optimo jure facta.* A legitimo Domino, cui Pi-

E sæ Patris testamento obvenerant.

78. *Antiquum Pisanorum in eos odium.* A primis usque temporibus post Romani Imperii declinationem ortum. Deinde Justiniano imperante cum pro Pontificibus in Gothos arma sumerent Florentini, ob ingenitum odium in Florentinos, Pisani Gothis adhæsere. Aliam sed ineptam belli caussam innuit Joann. Vill. *lib. VI. cap. 2.*

79. *Hærentes Imperatoribus.* Friderico primo, & Henrico septimo, & alii Friderico Henrici filio, rursusque Henrico, & Manfrido Friderici filiis, & Corradino eorum Nepoti.

80. *Britannos quoque, &c. conductos.* Britannorum manus, quæ cohors alba vocabatur, a Pisanis conducta. Philip. Vill. *lib. II. cap. 63.*

81. *Nutantem ac dubiam.* Cladibus illatis, & præcipue prælio Monticatinensi ann. MCCCXV. quo Florentinorum

F copiæ una cum auxiliaribus Tarenti Principis omnino deletæ, Florentiaque ipsa ab Ugotione *de la Fagiola* obsessa fuit. Vide *Gulielmum*, & Albrigetum *Cortusiorum Hist. lib. II. MS. apud* C. Manfridum de Comitibus P. V.

82. *Portus commoditas.* Liburni scilicet.

83. *Et antea periculum factum erat.* Jam vidimus in *lib. III.* cum Galeatii triremes Pisanum Portum essent ingressæ, ut Florentinas naves deprædarentur.

84. *Domestica semper factione.* Bergolinis, Raspantibus adversis.

85. *In*

1405 ternos prope *Florentini* nominis hostes, vi armisque adorirentur. Indicto itaque omnium consensu bello, ac creatis Decemviris quorum de sententia, auctoritateque gereretur, *Bertoldum Ursinum Soanæ* Comitem cum exercitu equitum, peditumque duodecim millium in hostes [85] proficisci jubent, qui Montis *Pisani* [86] balneis expugnatis, atque incensis, ad Vicum octo passuum millibus urbi propinquum pergit, oppidum juxta *Arnum*, muris turribusque, tum loci natura, ad hoc arce difficili munitum, quod firma obsidione undique cinctum & circumvallatum, *Pisanum* agrum infestum reddebat, excursionesque (copiarum parte ad oppugnandum relicta) ad urbis usque mœnia in diem fiebant. Urgebatur acrius oppidum, defensabaturque egregie a *Pisanorum* præsidio, variaque tormenta bellica, machinæ balistæque, ac bombardæ muros verberabant: quotidie magna hominum cæde pugnabatur, acri certamine res gerebatur: qui intra oppidum erant consiliis hostium variis obstabant modis, adeoque præsenti animo resistebant, ut pluribus mensibus Ducis negligentia artis militaris ignari obsidio protraheretur, quo post [87] sex menses dimisso, *Obizus* [88] *Garullus* ei suffectus est. Tota hyeme in obsidione vici, & recipiendis castellis, populationibusque consumpta, grave bellum externum, intestinum multo gravius effecit. Erant in Civitate factiones duæ, *Gibellinorum*, & *Guelphorum*, capita vero *Agnelli* [89] *Raspantes* dicti, & *Gambacurtæ*, qui *Bergolini* cognominabantur. Pulsis *Gambacurtis* initio belli diversarum partium urbem regebant. Visum est itaque admodum utile ad urbis defensionem *Pisanis*, odia intestina sopiri, exulesque in urbem reduci, quo facilius plurium consilio, auxilioque munita civitas, defenderetur. Advocarunt [90] igitur *Johannem Gambacurtam* cum suæ gentis secta, qui in urbem restituti oblitteratis, ut videbatur, prioribus odiis firmataque inter eos jure jurando pace, publicæ utilitati consulturi videbantur, addita religione, cujus vinculum frangere nefas, & scelestum putatur: principes [91] enim factionum sumpto ejusdem Sacramenti fragmento fœdus inter se firmarunt. At paulo post repetita injuriarum memoria, neque pluris religionem, quam fidem faciens *Gambacurta*, occiso *Johanne Agnello*, multisque ex primoribus adversæ factionis civibus [92] cæde sublatis, tyrannidem urbis occupat, sperans propter antiquam majorum suorum cum Populo *Florentino* amicitiam, se ejus voluntate tyrannidem retenturum. Stulte id quidem nimis, qui sibi persuasisset tantum exercitum paratum esse, tantos sumptus factos, tot labores susceptos, ut ipse urbis imperio potiretur. Rebus in urbe compositis, extemplo *Gambacurta* a *Florentinis* petit, ut fide publica oratores mittere liceret, cum vero responsum redditum esset, illos se haud admissuros, nisi prius quod dicturi essent significasset, tunc quoque an daturi forent deliberaturos, spe exclusus omnia ad tolerandam 1405
obsidionem necessaria parat. Intentis omnium animis ad singula, quæ ad tutelam urbis spectarent, illa maxime angebat cura, ut frumentum undecumque in urbem comportaretur: nulli enim ambigebant obsidionem diutine ferri posse, si famem evitassent, quæ extremum malorum omnium videretur. In primis triremis una in *Siciliam* ad triticum vehendum missa, frumento onusta, cum ad littus Vadæ hostes fugiens appulisset, incensa est [93], & frumentum omne corruptum; quæ res haud parum terroris *Pisanis* incussit: ne tamen ad ultimum inopiæ adducerentur, triremes alias in *Siciliam* mittunt. Præparatis quæ pro maritimo commeatu agenda videbantur, ad curam terrestris auxilii conversi, *Angelum Pergulensem* cum equitibus mille in subsidium evocant, qui cum per agrum *Senensium* maritimum adferendam opem *Pisanis* pergeret, prope *Volaterras* a *Florentinorum* equitibus ad id dispositis interceptus acie victus est. Ipse cum paucis fugæ consuluit. Non multo autem post *Guaspar Ubaldinus*, genere factisque clarus, cum equitibus mille, & quingentis, peditibus quadringentis a *Pisanis* conductus, dum ad illos proficiscitur, a *Ludovico* [94] *Innocentii* Pontificis nepote, hostiumque præfecto, prælio commisso fusus, ac profligatus est. Mandatum præterea præfectis equitum, qui in locis urbi finitimis erant, ut omni studio providerent, ne quid commeatus alteriusve rei, quæ ad victum pertineret in urbem deferretur: & cum obsidio Vici *Pisani* præter opinionem traheretur longius, visum est *Pisas* ipsas caput belli petendas atque obsidendas esse. Existimabant enim nonnulli oppidum in primis obsideri a duce *Bertoldo* [95] cœptum esse, quo *Pisanis* spatium daretur ad convehendum frumentum, aliaque defensioni utilia præparanda; itaque vis omnis belli in urbem conversa est. Sed cum videretur nulla re facilius, quam fame tantam, tam 1406
munitam urbem tam infestis civium animis expugnari posse, optimum factu visum est providere; ut commeatibus terra marique intercluderentur: & terra quidem exercitus Duci negotium datum est, ut undique a commeatu invehendo prohiberet: multi deferentes capti pœnas dedere, quo metu perterriti cæteri ab importando abstinuerunt. Ad maritimos autem commeatus prohibendos, pontem supra *Arnum* mare versus urbi propinquum firmissimis lignis, ac trabibus erigunt, defixis in aqua sudibus non parvæ crassitudinis, quo aditus, exitusque procluderetur. In utraque fluminis ripa pontem castellis firmissimis, ne qua vis illum disturbaret, muniunt, castellaque valido præsidio, ut hostibus dissipandi pontis facultas adimeretur, firmant, duceque exercitus de-

85. *In hostes proficisci jubent.* Die quinta Octobris, hora tertia noctis ex Astrologorum consilio. Ammirat. *p I. To.* 2. *lib. XVII.*

86. *Montis Pisani Balneis.* Hoc est oppido Balneis propinquo, a quibus illi nomen.

87. *Post sex menses dimisso.* Bertoldus Ursinus, dum curando vulneri quod in Vici Pisani obsidione acceperat, operam daret, a Florentinis occasione usis dimissus.

88. *Obizus Garullus.* Seu a Monte Garullo, ut Ammirato placet, licet Obitium Carolum appellet S. Antor. *Tit* 22. *cap.* 4. §. 3.

89. *Agnelli, & Gambacurtæ.* Ex quorum familia Jacobus Agnellus, & Petrus Gambacurta Pisarum Domini.

90. *Advocarunt.* Vide Truncium *Ann. Pis. ad ann. MCDV.* & Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

91. *Principes factionis.* Raynerius Saccus Raspantis, & Joannes Gambacurta Bergolinæ.

92. *Civibus cæde sublatis.* In quibus filius Raynerii Saccii mari demersus est, tametsi Gambacurtæ filiam tanquam pacis perpetuæ pignus matrimonio sibi junxisset. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XVII.*

93. *Incensa est.* Petrus Maringhius Florentinus exul natans, facemque manu tenens eam in triremem injecit, levibusque acceptis vulneribus ad suos reversus est, cujus præclari facinoris præmio urbi restitutus. Matthæus Palmerius *de Captiv. Pisarum.*

94. *A Ludovico.* De Summariatis, vel Melioratis Sulmonensi, Innocentii VII. nepote. Leon. Aret. *Hist. Flor.* Pergulensem a Ludovico victum, Ubaldinum vero a Sfortia de Cutignola superatum, non a Ludovico asserunt Truncius *Ann. Pis.* Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.* Ammirat. *To.* 2. *lib. XVII.*

95. *Bertoldo.* Ursino dubiæ fidei viro, & ob hoc dimisso, ut vidimus.

96. *Lu-*

1406 declarato *Luca* [96] *Flisco Genuensi* omnes belli artes edocto, ab utraque urbis parte haud procul a mœnibus, ut omnem externi auxilii spem auferrent, castra locant, urbemque obsidione cingunt; utque cuncta ordine procedant, ex Decemviris *Masum Albitium* equestris ordinis, & *Ginum Capponum* ad exercitum mittunt. Statutum quoque, ut qui ob cædem, aliamve, noxam capite damnati, aut exules facti usque ad finitum bellum stipendiis suis in castris militassent, aut alios suo nomine misissent condonata pœna restituerentur: multi reditionis spe convenere, ac summo usui in eo bello fuere. His rebus admodum territi *Pisani*, cum spes maritimi frumenti adempta esset, & undique terra obsessi forent, externam opem implorare coacti, ad *Ladislaum* Regem misere, qui urbem illi traderent, advocarentque ad eam civitatem defendendam, recipiendamque, quæ se ultro ei dedisset. At is deditione [97] rejecta, *nequaquam se cum Florentinis Pisanorum gratia bellum aliquod suscepturum*, respondit. Quo responso perculsa civitas (& jam fames increbrescebat) *Galliæ* Regi [98], seorsimque *Johanni Burgundiæ* duci [99] urbem obtulere, se suaque utrique libere dedentes. Rex *Florentinis* oppidum sibi oblatum, deditumque significans, Ducem belli, civesque qui gerendo bello præerant, per caduceatorem, ac litteras monuit, ut ab armis discederent, cum regiæ ditionis factum esset. Responsum est a *Florentinis emptam a se urbem esse ab eo* [100] *qui in illa summum jus imperiumque a patre relictum obtineret: Credere se si notum hoc Regi extitisset, nequaquam illum pro ejus modestia, animique æquitate quicquam quod injustum videri posset, postulaturum: emptionem optimo jure factam, & pecuniam persolutam, ut nulli sanæ mentis dubium esset æquo jure urbem ad eos spectare: neque civibus Pisanis ullum arbitrium permissum, se aut urbem dedendi: Venundatos enim, non sui, sed alieni juris esse, neque posse, quod legitime alteri datum esset, sine ejus voluntate in alterum per injuriam transferri. Commemorata sunt præterea mutua odia, Pisanorumque in Florentinos injuriæ, motaque ab illis bella, quibus Florentia maxima subisset pericula, ut necesse fuerit, si salvi esse vellent suisque rebus consulere, eam subdere urbem semper suis hostibus faventem, adversantem amicis: apparatus etiam belli summo cum impendio factus ostendebatur, quem credebant tam sapientem, tam justum Regem nolle pati, ut frustra (quod gravissimum foret) factus esse videretur. Cariorem insuper Regi esse debere urbem Florentinam, quam majores suos* [1] *instaurasse fama erat, certe auxisse semper, & conservasse constaret, ex quo apud eam regalis domus nomen continuo venerandum fuerit,*

A *quam Civitatem Pisanam, quæ non in Regis gratiam, sed in odium Florentinorum desperatis rebus quærat nunc in antiqua observantia, ac amicitia verbis discidia serere. Veruntamen missuros se ad Regem Oratores, qui ejusmodi rationibus docerent, Florentinos justum movisse bellum: Regem quoque, si id postularetur, sperarent auxilia daturum.* His verbis regis nuntius permotus, cum quæ intellexisset, Regi se renuntiaturum diceret, speraretque non ingrata illi fore, in *Galliam* revertitur. *Burgundiæ* Ducis caduceator paucos post dies adveniens, cum verbis minantibus Ducem, exercitumque inde confestim abire mandaret, obsi- B dionemque solvere ejus urbis, quæ a civibus suo domino tradita extitisset, *Florentinorum*que [2] præfecti eisdem rationibus suam caussam tutarentur, virque levis, & ira fervidus commotus animo acrius insultaret, ac verbis minas, contumeliasque adderet, superbe ferociterque nimium loqueretur, lictores quidam jussi hominem veluti dementem in flumen [3] propinquum dejiciunt, qui circumstantium ope ne suffocaretur, abstrahitur. Triremes [4] interim ad observandas naves in *Siciliam* profectas paratæ, cum illæ frumento onustæ redeuntes intelligerent frustra se aditum in urbem undique obsessam tentaturas, obque id retrocede- C re vellent, orto adverso vento in portum rejectas parvo certamine cepere. Ereptum [5] frumentum dimissis navibus in castra, oppidaque quæ fame urgebantur, comportatum est: quo accidit, ut inopia ubique in copiam verteretur. Intenti ad omnem rei bene gerendæ occasionem *Pisani*, cum *Arnus* continuis imbribus præter solitum excrevisset, vim magnam ingentium trabium, quas eversis domibus ceperant in flumen detulerunt, ut in pronum delatæ pontem aquæ impetu dissolverent. Magna ex parte coeptis fortuna affuit, nam major illius pars disturbata est, adeo ut nulli ad alteros transitus daretur, eoque castella, & D castra mutuo subsidio privarentur. Ea re animadversa cives magno [6] concursu ad id castellum, quod in ripa erectum erat, facto, omni conatu expugnare adorti sunt. Saluti fuere Præfecti [7] equitum duo, qui cum alia de causa [8] ferme soli flumen transiissent, visa castelli oppugnatione, cum paucis equitibus, magnis vocibus jam jam adventare exercitum clamitantes, pugnantem populum aggressi sunt, adeoque se inter hostes immiscuere, ut uni ex [9] Præfectis equus occisus sit. *Pisani* credentes alias copias hostium affuturas (neque enim verisimile erat pauculos equites so- E los, sine spe subsidii majoris tantum Populum invasuros) territi ab oppugnatione destiterunt, fugientesque urbem repetunt: multi [10] ex eis capti, multi saucii interfectique sunt. Atrox enim aliquan- 1406

96. *Luca Flisco.* Suffectus Fliscus in locum Obicii Montisgarulli, qui ad sua tuenda reversus fuerat, in quæ Estensis irruerat.

97. *Deditione rejecta.* Pacti fuerant cum Ladislao Apuliæ Rege, ne Etruriæ rebus se immisceret, ipsique ex adverso promiserant, se nihil contra ipsum Romam occupare molientem facturos. Matth. Palm. *Hist. de Capt. Pisarum.*

98. *Galliæ Regi.* Carolo VI.

99. *Burgundiæ Duci* Caroli VI. patrueli.

100. *Ab eo qui, &c.* Hoc est a Gabriele Maria, cui a Galeatio hæreditatis nomine assignatæ fuerant Pisæ.

1. *Majores suos instaurasse fama erat.* De Carolo Magno intelligendum, de quo Ugolinus Verinus *de Illustr. Urbis Flor. lib. I.*

Egregios Carolus Romanæ stirpis alumnos
Fovit &c.
Majoremque novis præcinxit mœnibus Urbem,
Templa resarcivit veteri decussa ruina &c.

Vide notas in *lib. I.*

2. *Florentinorumque præfecti.* Masus Albitius, & Ginus Capponus ex Decemviris ad exercitum missi.

3. *In flumen dejiciunt.* Nonnulli licet Scriptores publico Florentinorum jussu præcipitem actum referant Burgundiæ Ducis Caduceatorem, ut *Ammirat.* & Bugat. *Hist. Un lib V.* *Matthæo Palmerio* tamen libentius adhæserim, qui *lib. de Capt. Pisarum* narrat eum a Florentinis quibusdam paulo audacioribus, noctu in Arnum projectum; non enim in Burgundiæ Ducis contumeliam hoc publico jussu fieri potuit.

4. *Triremes interim.* Genuensium a Florentinis conductæ.

5. *Ereptum frumentum.* ad 2000. modia, ut Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

6. *Magno concursu.* Eruptionis Dux fuerat Cola Matus, qui cum paucis Mercenariis equitibus Pisis erat.

7. *Præfecti equitum duo.* Sfortia, & Tartalea flumen, duobus tantum famulis comitantibus, trajecerant.

F 8. *Alia de causa* Non alia de causa, quam ut oppidum tuerentur. Nam flumen antea non trajecerant, sed visis hostibus ex adversa fluminis ripa cymbam Sfortia conscendens in subsidium advolavit, quem Tartalea æmulatione actus subsequutus est. Matthæus Palmerius *de Capt. Pis.*

9. *Uni ex præfectis.* Sfortiæ.

10. *Multi capti.* Fugientium nonnulli fessi, vel timore compulsi inter arbusta, vepresque se abdiderunt, qui a Florentinis capti sunt, una cum populi vexillis. *Matth. Palm. ibid.*

P. Bracciolinus. G 11. *Ma-*

1406 quandiu certamen fuit, *Pisanis* in ea expugnatione salutis suæ spem ponentibus, hostibus summa vi castellum defendentibus: quibus etiam hi qui in altero castello citra flumen erant, animadversa castelli oppugnatione, ascensis lembis, naviculisque quæ in promptu erant, trajecto fluvio opem sociis tulere. Turbabant quam plura adversa *Pisanorum* mentes, quibus ad deditionem compellerentur: Nam & maxima pars [11] oppidorum, quæ sub illorum imperio erant, tum vi, tum fame a *Florentinis* recepta erant, & jam Vicus [12] post decimum obsidionis mensem in potestatem venerat, fames quoque rebus cæteris periculosior populum urgebat, & tum maritimi, tum terrestris auxilii spes sublata animos civium debilitabat: jam consumptis herbis, radicibusque, immunda animalia mandere compellebantur, multique in diem ex plebe fame interibant. Hoc fœdo spectaculo territi *Pisani*, mulieres, senesque, & imbellem turbam ex urbe foras ejiciunt, qui a *Florentinorum* Præfectis in urbem [13] redire compulsi sunt, quo maturius consumptis cibis, necessitate urgente, aut tumultus excitaretur, aut urbis deditio fieret. His tot malis domiti cives, crescente in dies fame, cum tabida corpora per vicos, moribundique ante oculos obversarentur, omni desperata subsidii salute, veluti stupidi incerta consilia versant animo, neque deditionem sibi persuadentes, neque valentes amplius famem ferre. Hanc ob rem sibi metuens *Gambacurta*, penes quem tradendæ urbis [14] potestas erat, tandem oratores [15] noctu in castra, veritus ne si id populus rescisceret, se invito urbem Legatis traderet, data publica fide, qui de conditionibus urbis dedendæ agerent, misit. Re itaque pluribus noctibus cum Decemviris clam agitata, ad postremum pacti sunt [16], ut aureorum quinquaginta millia *Gambacurta*, & oppida quæ de *Petro* Comite *Balnei* capta erant, insulas præterea *Gorgonam*, *Caprariam*, *Gilium* reciperet: exules quoque *Pisani* omnes, qui suæ factionis erant restituerentur: civitate [17] insuper familia *Gambacurtæ*, & immunitate, egregiaque domo *Florentiæ* donaretur; ipse urbem, agros, oppidaque, & quicquid *Pisanorum* ad eam diem fuerat, libere *Florentinis* traderet: injurias, datis utrinque [18] obsidibus pro fide servanda, prohiberent. Hæc *Florentiæ* ad Senatum per *Ginum* renuntiata, & si gravia omnibus viderentur, cum haud ambigerent paucos infra dies famem compulsuram *Pisanos* ad deditionem, & per vim expugnari posse, tamen existimantes satius esse incolumi, quam eversa urbe dominari, ac pacato ingredi, ne a militibus diriperetur, (populi decreto confirmatis omnibus) auctoritate publica *Ginum* in castra redire jubent, qui mature receptis castellis, oppidisque, quæ in *Pisanorum* potestate erant, exercitusque præsidio in urbem immisso, quinto Idus Octobris, anno Salutis sexto post mille trecentos, tertio decimo vero post bellum cæptum mense, *Pisas* [19] per *Gambacurtam* occupat. Recepta summo cum otio urbe imperii æmula, ac sub jugum redacta, panis abunde [20] omnibus datus est: nec hostile quicquam, aut asperum in ea patratum. Post ingressam urbem, curiam in qua Magistratus summus erat, *Ginus* petiit, ab iisque quæ per *Gambacurtam* acta erant, comprobari voluit, & claves portarum in signum deditionis tradi. Hæc tanta Fortunæ commutatio nonnullorum flexit animos ad contemplandam vanam, & parum [21] fidam rerum humanarum sortem: Nam cum ab his, qui urbi præfuerant a *Gino* peteretur quid acturi essent, abire domo, & *Florentiam* ire jussi, & qui ante cæteris imperari soliti erant, alterius imperio parere coacti sunt. Postridie, cum Civitatis status esset constituendus, *Ginus* utile fore ratus, ad mitigandos civium animos, & ad spem futuri erigendos, concione advocata, *Nescio Pisani cives* (inquit,) *vestrone delicto, an nostra virtute tantam urbem in nostrum arbitrium Dei voluntas redegerit, sed tamen existimandum videtur, tanti numinis consilio, & opera, vestrorum tum adversus Ecclesiam [22] Romanam, tum contra vosmet ipsos, tum erga nos quam plurium malorum facinorum memoria haud obliterata illis vestram urbem subdidisse, quibus semper inimicissimi extitistis: nam scelus per vos in Dei Antistites, quos crudeli morte in mare suffocastis [23] patratum: & intestinæ seditiones, proditionesque civiles mutuis semper odiis excitatæ, mala quoque permulta, quorum auctores [24] contra nos fuistis, ad vindicandam tantam iniquitatem, crudelitatemque summum Deum provocarunt. Quo enim animo, ut de nobis loquamur, erga Florentinos fueritis, ipsi testes sumus, quos sæpius nullum ob nostrum delictum, ut libertatis [25] discrimen induxistis: nam vos, & Imperatorum [26] omnium contra nos insurgentium sedem, & auxilia præbuistis, & Britannorum [27] exercitus mea memoria per vos in Urbis nostræ perniciem comparatos, fines nostros* 1406

11. *Maxima pars oppidorum, &c.* A Florentinis recepta fuerat, ut Tojanum, Mons Calvus, Mons Scutarius, Vivaria, Ghizzanus, Leolis, & Petiolum.

12. *Vivus in potestatem venerat.* Ea conditione se dederat, ni infra decem dies auxilium adveniret, quod cum minime advenisset, Florentinos excepit. *Matth. Palm. ibid.*

13. *Qui a Florentinis in urbem redire compulsi sunt.* Captis prius pluribus, laqueoque suspensis, & fœminis, tonsa ad umbilicum veste, sigillo candente fronti inusto signatis, ut refert Truncius *Ann. Pis.* qui hoc a Florentinis factum putat, quod Pisani Florentinum militem asini caudæ alligatum per urbem duci jussissent.

14. *Tradendæ urbis potestas erat.* Quippe ejus tyrannidem occupaverat.

15. *Oratores noctu in castra misit.* Bindum de Brachis, & Gasparem Vajanensem Pisanos cives, queis Boninsegnius *lib. IV. Hist. Flor.* addit Gambacurtæ fratrem olim Pisarum Archiepiscopum, aliumqe ejusdem familiæ virum, fortasse Bartholomæum

16. *Pacti sunt.* Publico documento, a Bartholomæo Ghezzano Pisarum Notario die III. Octobris scripto in suburbio Pisano. *Truncius Ann. Pis.* prope finem.

17. *Civitate insuper. &c.* Non Gambacurta tantum, sed & Laurentius Ciampolinus, Joannes de Brachis, & Bartholomæus Notarius, e Ghezzano, civitate donati.

18. *Datis utrinque obsidibus.* Qui in arce Librafactæ custodiæ Flisci, Tartaleæ, & Sfortiæ commissi sunt. Eorum nomina recenset Ammirat. *To. 2. lib. XVI.*

19. *Pisas per Gambacurtam occupat.* Advenientibus Florentinis Gambacurta obviam progressus sagittæ ferrum, in Pisarum Dominii signum ei obtulit. Matth. Palm. *de Capt. Pisarum.*

20. *Panis abunde datus.* Ut multi nimia voracitate suffocarentur. *Ammirat.*

21. *Parum fidam rerum humanarum sortem.* Cum ad hæc redacta fuerit urbs adeo potens, quæ Sardiniam, & Corsicam Saracenis expulsis, sibi adjunxerat, nec non Elbæ Insulam, Ptolemaidem insuper, & Genuenses pene ipsos sibi subjecerat.

22. *Adversus Ecclesiam Romanam.* Adversus quam Ludovicum Bavarum Imperatorem adjuverant, & Petrum Raimundum de Corbaria Pseudopapam in suam urbem summo plausu receperant.

23. *In mare suffocastis.* Advenientes ex Gallia & Anglia, ad Concilium a Gregorio Pontifice indictum anno 1327. Episcopos Genuensibus triremibus advectos, Pisani Federici Imperatoris impulsu in mare dejecere. Joann. Vill. *lib. VI. cap. 2.*

24. *Auctores contra nos fuistis.* Conradinum Federici Imperatoris filium adversus Florentinos evocaverant ann. MCCLXVII. & bis Florentinorum exercitum deleverant hoc est anno MCCCXV. & MCCCXLI.

25. *In libertatis discrimen adduxistis.* Exulibus præcipue Florentinorum juvandis, ex quo factiones in urbe incaluere.

26. *Imperatorum omnium.* Federici I. Henrici VII. Friderici II. Caroli IV. & Henrici VIII.

27. *Britannorum exercitum mea memoria, &c.* Quinque Britannorum millia Alberto Germano Duce a Pisanis conducta,

1406 *stros omni clade vexare jussistis: vos nuper Vicecomitum familiam, libertatem nostram appetentem, omni ope juvistis. Vos mercatoribus nostris portu vestro interdixistis, duplicatisque vectigalibus urbe excedere coëgistis: vos Galeatium, quo nobis facilius imperaret, in dominum recepistis: multæ præterea injuriæ in nostrum periculum emanarunt, quæ cum vobis nota sint omittenda esse duxi. Unum minime prætereundum est, neminem unquam fuisse Populi Florentini hostem, qui non vobis fuerit amicus, cui non faveritis alacres, ac læti omnibus malis, quæ inferrentur nobis. Hæc causa maxime nos movit ad consulendum saluti libertatis nostræ, quam semper dubiam per vos reddi conspiciebamus. Vestris igitur meritis, vestris operibus coactus est jure Florentinus Populus, ut eos sibi aliquando subjiceret, qui se aliorum servos esse voluissent: Dei beneficio, & nostra virtute effectum est, ut potiremur victoria, pacatoque urbem milites ingrederentur: a rapina, cædeque, & sanguine temperatum est: nihil cuiquam ablatum: nulla vel parva injuria quis affectus: id egimus, uti non deleri tantam Civitatem velle, sed conservare acceptam videremur. Hoc vobis argumentum sit, quo erga vos animo in pace futuri simus, cum belli tempore, & in victoriæ licentia, quæ solet esse insolentior, tanta moderatione usi simus, servantes urbem, quam delere jure belli pro arbitrio licebat: servati ad unum estis omnes, & bona sua singulis concessa: cibus insuper abunde datus, quo esurientia corpora reficerentur: mittite Florentiam, qui adeant Senatum nostrum, ac vos, vestraque omnia illius judicio libere permittant; certior etenim sum, humanitatem, & clementiam uberiorem apud illum, licet hostem quondam, reperietis, quam sitis apud cives vestros experti. Sciunt omnes Pisanum populum, non solum otii, & quietis, quæ civilium dissensionum quandoque causam præbeant, tempore; sed in periculosissimo quoque bello, quod solet etiam discordes cives ad communem salutem hortari, civilibus odiis* [28], *& in cæde civium sævire solitum. Itaque haud dubium est ejusmodi hominum quieti conducere, ut pareant melioribus, quandoquidem neque pacis, neque belli jura servare didicerunt, cum in otio discordes, in bello crudeles fuerint in perniciem Civitatis. Nunc sub justo imperio futuri, curate fidem servare, ac parere Magistratibus, qui nihil imperabunt, nisi quod justum, æquumque videri possit.* Cum hæc dixisset, surgens *Bartholomæus Ciampolinus* gratias egit, tum Deo primum, tum populo *Florentino*, suisque legatis, quorum opera conservati essent, multisque in laudem humanitatis eorum dictis, qui se perire noluissent, cum belli jure liceret tum fame, tum incendiis, tum rapinis urbem delere, civitatem bello fessam commendavit: tanta restare eorum erga se merita asserens, ut nisi ingrati videri cuperent, perpetua tanti beneficii memoria nomen eorum celebrare tenerentur. Dimissa concione, viginti oratores [29] a Civitate *Florentiam* missi, & ducenti præterea cives postmodum ire jussi, futuri in urbe, quoad arx antiqua instauraretur, quæ biennio perfecta est. Civitatis regendæ cura Magistratibus, qui juri dicendo præessent, permissa est. Prætorum primus a Senatu *Ginus* [30] designatus, homo prudens, atque integer, qui sicut bello gerendo, ita & pace gubernandæ urbi utilis videretur. Multum hæc victoria contulit *Florentinis*, tum ad famam, tum ad commoda, tum ad salutem. At in urbe post supplicationes omnibus templis, ac gratias Deo solemni pompa actas, aliquot dies summa cum lætitia acti. Dies quoque, qua urbs est recepta, quotannis equorum cursu celebris facta est. Biennio ab armis quieta civitate successit bellum a *Ladislao Siciliæ* Rege contra *Florentinos* motum: cujus origo a Pontifice *Gregorio* [31] *XII.* orta est: promiserat [32] enim, juraverat, voverat, dum de eligendo Pontifice disputarent, se, si Pontifex factus esset, schisma quod in Ecclesia annos amplius [33] tringinta viguerat, sublaturum, Pontificatuque si opus foret ultro se abdicaturum. Multa initio egit, quæ signa ostenderent animi haudquaquam a promissis abhorrentis, demum dulcedine dignitatis captum, tardantemque, ac tergiversantem, & his qui servanda promissa asserebant, pacemque Ecclesiæ appetebant infestum, infensumque, Cardinales, duobus [34] exceptis, qui & ipsi postea cæteros secuti sunt (omnes hi *Lucæ* cum Pontifice erant) deseruere, *Pisas*que urbem propinquam, cum jam sibi ab eo [35] mortis insidias intellexissent paratas, petivere. Eodem & alterius Pontificis *Benedicti* [36] Cardinales, concilii celebrandi causa convenerunt: in quo *Gregorius* interim a Cardinalibus destitutus, cum *Lucæ* esset, incertus *Florentinorum* animi, multis promissis favorem sibi *Ladislai* conciliavit; qui in gratiam Pontificis, quem ex voluntate nactus erat sibi obsequendi cupidum, *Florentinis* [37] scripsit velle se cum suis copiis *Lucam*, ut inde Pontificem educeret, proficisci: petiitque, ut per eorum agrum sine injuria, & maleficio transire liceret, commeatusque, & hospitia præberent, addiditque se cum ipsis fœdere jungi velle: quæ omnia ab eo ad perturbandum futurum concilium dicebantur. Responsum tulit, ad eum missurum populum *Florentinum* oratores, qui secum de postulatis agerent. Erat Regis animus elatus imperandi cupiditate, & jam plura Ecclesiæ [38] oppida ipsamque [39] urbem occupaverat, cætera sibi desponderat, 1406

ducta, queis usque ad Florentiæ mœnia ventum est, anno MCCCLXII. Philipp. Vill. *lib. XI. cap.* 36.

28. *Civilibus odiis, & cæde civium.* Anno MCCCXIII. Pisana urbs bis direpta, & primores civium adversis inter se factionibus sublati. Deinde ann. MCCCXXXV. plebe cum nobilibus congrediente, atrox prælium fuit, & publica scripta, ejectaPotestate, igne absumpta. Truncius *Ann. Pis.*

29. *Oratores Florentiam missi.* Bartholomæus Scornus, Gherardus Compagnus, & Gaspar de Lavaciana. Hos, cum Florentiam pervenissent ante Dominorum sedes, humi se abjecisse, terramque osculatos obedientiam promisisse, narrat Matthæus Palmerius *de Capt. Pisarum.*

30. *Ginus Capponus.* Primus Pisarum pro Florentinis Prætor, & Alamanus Adimarius primus ex Florentinis Pisarum Archiepiscopus, deinde Cardinalis.

31. *Gregorio XII.* Antea Angelo Corrario Patr. Veneto, Cardinali Aquilejensi, titulo Sancti Marci.

32. *Promiserat enim, &c.* Adhibitis etiam notariis, & testibus confirmavit, suaque manu scripta Tabellionum notavit. Plat. *in Vita Greg. XII.*

33. *Amplius triginta.* Nempe ab anno MCCCLXXVIII., quo Urbanus VI. in Pontificem electus, usque ad annum MCDVIII.

34. *Duobus exceptis.* Henrico scilicet Tusculano Episcopo & Antonio tit. S. Potentianæ. Odor. Rayn. *Ann. Eccl. To.* 17. *ad ann. Christi MCDV.*

35. *Ab eo mortis insidias intellexissent paratas.* Paratos enim fuisse compedes ad illos detinendos, & militibus ultra morem palatium repletum, testati sunt Cardinales, queis ne Luca discederent, indictum est. Contra hæc sentit Card. Baronius *To.* 2. *n.* 74. & Rayn. To. 16. nam nullæ insidiæ Cardinalibus *paratæ*, & si inhibitus Luca discessus fuit, hoc factum, ne cum Antipapa communicarent.

36. *Benedicti.* Benedicti XIII. hoc est Petri de Luna, qui sibi hoc nomen asciverat.

37. *Florentinis scripsit.* Epistolamque detulit Christianus Caracciolus Ladislai Legatus. Scip. Ammir. *To.* 2. *lib. XVII. Hist. Flor. p.* 943.

38. *Ecclesiæ oppida.* Uti Asculum, Firmum, Perusium, Tudertum, Assisium.

39. *Ipsamque urbem.* Romam, ejus mœnibus noctu perfractis, ut in Epist. Greg. XII. Senis data VI. Idus Sept.

1408 derat, si *Gregorium* ad se recepisset. Quapropter odio erant [40] illi Cardinales, & quicunque eis in peragendo Concilio faverent: exoptabat vir ambitiosus, & alieni cupidus Ecclesiæ vires distrahi; quas debiliores duobus fore, quam in uno Pontifice arbitrabatur: ob eam causam se *Gregorii* partes sequi simulabat, qui interim *Senas* per *Florentinum* agrum tutus repetiit, ibique urbem accepta [41] pecunia Regi tradidit. *Florentinorum* [42] oratores ad *Ladislaum* decreti, cum *Romam* venissent, petenti Regi ut & Cardinales suis urbibus pellerent, neque concilium admitterent, deque amicitia, & societate secum jungenda tractarent, utrumque negarunt: nam & in fœdere manifestæ insidiæ apparebant, cum ablata per injuriam a *Romana* Ecclesia tenenda essent, & viribus futuri in concilio Pontificis, suas quoque tutiores intelligebant. Neque enim dubium erat, quin novus creatus Pontifex omni ope instaret, ut amissa omnia aliorum ignavia recuperaret. Hoc responso indignato Regi, multaque minitanti, unum ex oratoribus *Bartholomæum Valorium* prompti ingenii respondisse ferunt, populum *Florentinum* a pluribus Imperatoribus, tyrannisque appetitam libertatem ad eam diem & conservasse, & suas auxisse opes, bellumque si inferretur, magno animo, & paribus viribus gesturos. Cum Rex ad ea, quibusnam copiis se tuerentur rogaret, tuismet respondit: quæ verba a Rege haud parvi existimata sunt, verente, ne quod postea accidit, a suis desereretur. Inde dimissis oratoribus, *Neapolim* ad extremum æstatis revertitur. Magnum timorem *Florentinis* antea incusserat apparatus Regis, incertique erga se [43] animi suspicio. Multa enim apparebant signa irati erga se, & dominandi cupiditate æstuantis. Hanc ob caussam, cum Sancti *Eustachii* Cardinale legato *Bononiensi* fœdus [44] renovatum, & duo oratores [45] ad Regem, qui principio veris ad urbem redierat, indeque cum magno [46] exercitu profectus agro *Senensi* appropinquabat, missi, jussique prius *Senas* ad confirmandos socios adire, auxiliaque pro libertate adversus Regem servanda polliceri. Constantissimi ad se tuendum inventi *Senenses*, & suos ad Regem oratores destinarunt, petituros (nam eorum oppidis [47] finitimus erat) quid sibi vellet hostilis profectio, cum nullum ob suum meritum ab eo Rege sibi bellum inferretur, cujus semper amicitiam coluissent. *Senis* digressi, Regem citra *Aquæpendentis* [48] oppidum juxta flumen *Paleæ* cum omnibus copiis proficiscentem invenere. *Florentini* priores, *mirari suum populum, cum omnium Progenitorum* 1408 *socii amicique semper extitissent, ac Carolum Primum Regnum appetentem etiam suorum civium auxilio adjuvissent, plurimumque ad victoriam contulissent; cum Roberto quoque, Patri insuper suo omnia amicorum officia præstitissent, secumque ad eam diem summa benevolentia amicitiaque fuissent, quænam ratio, quæve caussa eum impulerit ad Senenses socios eorum, fœderatosque bello appetendos: nullam certe, neque justam, neque honestam caussam afferri posse, cur nullo, præsertim ut* [49] *moris est gentium, indicto bello, eorum insultet agris: rogare, atque obsecrare, ut ab armis abstineat, vi atque injuria eos lacessere absistat. Si quid esset, quod ab eis postuletur, aut siquam injuriam in se profectam arbitretur, proferat: paratos se, aut diluere culpam, aut satisfacere, si qua in re se læsum putaret.* In eandem sententiam, & *Senensium* oratores loquuntur. Responsum ab Rege est, *scire se haud vulgarem amicitam inter suos majores, ac Florentinos viguisse, seque, non ut hostem* [50], *sed socium, atque amicum advenisse, neque eorum damna, atque incommoda appetere. Nonnulla esse, in quibus se offensum putet, quæ pro pace Italiæ corrigi quærat.* Eadem, & *Senensibus* cum dicta essent, addidit *Oratorem se, tum Senas, tum Florentiam cum mandatis missurum; si postulatis suis annuerent, se quam primum abiturum*, spopondit. Hoc responso redìere domum utrique oratores, haud dubii, procul ab his quæ dixerat, Regis mentem esse: pacem ostentari verbis, re Imperium quæri, quod per duorum populorum dissensionem, si ea injici posset, se assecuturum putabat. Regius orator *Senas* missus, in plurium electorum civium (nam id postulatum [51] erat) conventu, propensum ad eorum amicitiam utilitatemque Regis animum testatus est, neque inimicum illis, sed amicum venisse: eorum libertatem neque appetere, neque minuere in animo esse, sed potius tueri. Rogare, ut *Florentinorum* societatem rejicerent, neve, se contra *Florentinos* eunti, pro scuto aut vallo in illorum tutelam præberent. Id *Florentinos* quærere, ut defatigati bello *Senenses* faciliores aditus illis darent ad se expugnandos: medii quiescerent nemini faventes, de regia potius, quam *Florentinorum* (qui pacta ex tempore servarent) fide securi. Odia etiam narravit, bellaque *Senensium* cum populo *Florentino* habita: non posse illorum animos curarum expertes esse, cum *Florentinam* Rempublicam pervalidam opibus, vicinam haberent: tempus advenisse dicebat, quo per illorum calamitatem tutiores esse possent, procul ab omni periculo futuri: multæ suspiciones injectæ sunt, multaque exposita, quibus suadere conatus

ejusd. Pontif. ann. I. apud. Rayn. *To.* 16. *p.* 316. *Edit. Colon.*

40. *Odio erant illi Cardinales, &c.* Cum Siciliæ Regnum in hoc schismate, Gregorius Ladislao, & Benedictus Ludovico Andegavensium Duci concessissent, verebatur, ne utriusque Pontificis in Concilio abdicatione facta, Gallorum aliquis }in Pontificem eligeretur, qui Ludovico faveret. Hinc pro virili concilium impedire conabatur. Leon. Aret. *lib. II. ep.* 6.

41. *Urbem accepta pecunia Regi tradidit.* Immerito calumniam hanc Gregorio structam asserit Leon. Aret. *lib. II. epict.* 7. idque ex eo probat, quod idem Pontifex Ladislaum monuerit, ut ab ea discederet, pœnis indictis, ut *lib. II. epist. secr. p.* 118. apud Raynaldum *To.* 16. Addes insuper Romam a Paulo Ursino proditam: nam Ladislao pecunia conciliatus eam illi tradidit, qui triumphali more a Romanis exceptus est die XXV. Aprilis, ut Theodoricus Niemius *lib. III.*, & Collen. *Hist. Neap. lib. V.*

42. *Florentinorum oratores.* Laurentius Rodulphus, Philippus Magalotus, Jacobus Salviatus, & Bartholomæus Valorius. *Priorist. Flor.*

43. *Incertique erga se animi suspicio.* Quin immo certi contra Florentinos animi: indixerat enim illis, ut vel Pontificem ab auxilio a Ladislao petendo removerent, vel octo millia militum suo in agro expectarent. Petrus Boninsegn. *Hist. Flor lib. IV.*

44. *Fœdus renovatum est.* Ad annos decem, Joanne Prendebeno Cardinalis oratore ad hoc Florentiam misso pridie kal. Junias. Ammirat. *To.* 2. *lib. XVII.*

45. *Duo oratores.* Christophorus Spenus, & Rodulphus Petruccius.

46. *Cum magno exercitu.* Octo equitum, & septem millibus peditum.

47. *Eorum oppidis finitimus erat.* Castra enim maritima in ora posuerat prope ditionem Lecci Salimbenii. Malavolt. *Hist. Sen. lib. I. p. III.*

48. *Aquæpendentis oppidum.* Inter Senas 40. & Volsinios Romam versus 10. pass. mill. cujus populi a *Plinio* Aquenses appellati.

49 *Ut moris est gentium indicto bello.* Tanti hoc faciebant Romani, ut *nullum bellum justum esse, nisi quod, aut repetitis rebus geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum*, referat Cicero *de Off.*

50. *Non ut hostem, sed socium.* Imo vero ut hostem, quippe armatus venerat.

51. *Id postulatum erat.* Ideo plures ex civibus alloqui postulaverat Legatus, quia illos, quos penes summa auctoritas erat, sibi infensos putabat.

52. *Lon-*

1408 tus est, ut *Florentinorum* fœdere posthabito quieti suæ consulerent, Regique hærerent, cujus mens esset, ut quæcumque peterentur ultro facturum se polliceretur. Data est ex decreto civium responsio: *Senenses* semper Regis amicitiam optasse, inque ea permansisse hactenus, permansurosque quoad vellet salva Republica. Arbitrari se, Regem prudentem, quod suus honor, & dignitas postularet facturum, neque armis violaturum eos, a quibus nihil ad eam diem prodiisset præterita amicitia indignum. Id vero alienum videri postulare, ut socios amicos, quibus cum novo fœdere jureque jurando solemni juncti essent, quorumque fides perspecta esset, de se benemeritos repudiarent: non esse suæ consuetudinis, neque officii, jurisjurandi religionem, fidemque datam tam levem existimare, ut fœderatam facile abolerent, ignominiaque, & perfidia notarentur. Quæ enim dementia videretur hærere armato, & ei qui hostili more eos invasisset, ac ex tempore consilium caperet, cum relictis sociis, regii arbitrii esset, salvos ne, an perditos vellet? non sani consilii esse, abalienatis vicinis finitimisque, quibus cum quotidie vitæ mercia essent, mutuisque officiis fruerentur, externum, & longe [52] absentem Principem in novam asciscere societatem: raro enim longinqua præsidia in tempore oppressis subito opem ferre posse. Irent, ac Regi nuntiarent, tanti viri esse neminem per injuriam, aut dominandi cupi-
1409 ditatem armis lacessere, sed justam pacem iniquo præferre bello: neque eos armis iniquis impetere, a quibus nihil vel parvæ etiam contumeliæ accepisset: nullam tantam vim, ac rem tam gravem fore, quæ vincula fœderis cum *Florentinis* contracti abrumperet: se amicitiam, benevolentiamque Regis appetere, & quietem, quam belli discrimina, & labores malle. Quod si in sententia belli gerendi perstaret, sperare se Deum optimum, rerum humanarum judicem, & miserorum perfugium eorum causæ non defuturum. His dictis orator ad Regem in castra reversus est. Qui vero *Florentiam* missi erant [53], alia ratione causam suam egerunt: primo quidem *Perusinos* exules eorum opibus, & potentia allectos, adeo *Picenum* omne turbare, ut vectigalia [54] a Pontifice sibi concessa nulla exigendi facultas esset questi sunt: eos præterea cum Legato *Bononiensi* [55] quem pro hoste haberet fœdus percussisse, tum urbem *Pisanam* Cardinalibus pro concilio contra *Gregorium* verum Pontificem, & a se omnibus viribus tutandum in ejus contumeliam concessam: Tyranno [56] etiam *Lucensi*, quo cum fœdere junctus erat, dolo tentasse, *Caroli* castellum subripere: qua ex re bellum illi indictum a *Florentinis* videri. Postremo amicitiam, societatemque petiverunt: quæ omnia eo spectabant, ut metu belli, *Florentini* Concilio adversarentur, quo ipse liberius Provincias omnes *Romanæ* Ecclesiæ, quas plurimas ceperat, absque metu futuri Pontificis teneret. *Florentini* animo Regis perspecto, ut adversarium illi opponerent, Concilium fieri, & novum Pontificem creari studebant. Exquisitis civium sententiis responsum est oratoribus, Regias querelas haudquaquam veras, aut justas esse, sed caussam ab armato quæri aliquo figmento bellum contra eos movendi. Nam quo tempore exules *Perusini Picenum* infestassent, neque a se pecuniis adjutos, neque sollicitatos, sed liberos, suique juris fuisse, nullo a *Florentinis* accepto stipendio, sua sponte nullius impulsu extorres patria armis victum quærere, ut hominum militarium egentium moris esset. Itaque si quid ex alieno quæsierint, non *Florentinorum* opera, sed necessitate coactos fecisse existimandum videri. Legati fœdere, non suam, aut alicujus injuriam, damnumve quæsitum fuisse, sed utriusque saluti prospectum: neque in eo quærendi belli, sed pacis servandæ rationem habitam, nullam justam caussam prohibuisse, quin cum vicino, amicoque fœdus iniret, in quo quies omnium, & pax versaretur: nullam in eo Regis mentionem esse habitam, nilque contra eum in fœdere adscriptum. Nullam legem, nullum jus esse, quod prohiberet, ne vicini pro communi salute unanimes, & concordes essent. Quod Rex Legatum appellet inimicum, eam rem nuper exortam, & ignotam *Florentino* populo fuisse. *Lucensi* tyranno nullas quæsitas, aut paratas insidias, nullam injuriam illatam, nullum detrimentum, nec quicquam de suo per fraudem capi, cogitatum, nec eas *Lucensis* querelas, sed Regis figmenta esse: civitatem *Pisanam* pro Concilio decretam, commendatione, non detractione, benevolentia omnium, non odio, laude, non culpa Christi fidelibus dignum videri: magnam mereri gloriam putandum esse eos, qui concordiæ faverent, ac tam nefandum detestandumque schisma (quod singuli Christiani ob salutem animæ summopere expetere, & quærere tenerentur) tollendum curarent. Ad tam bonum opus, tam sanctum tam optabile perficiendum, non *Florentinos* tantum dare operam, sed omnes ferme Christicolas, Reges, ac Principes una mente intentos esse, omnesque gentes, quæ Christum colerent, præte tres *Hispanos* Reges, uniri Dei Ecclesiam velle, suosque ad id legatos [57] destinasse, ad eamque rem peficiendam suum studium polliceri. Laudent vero summopere *Florentinos*, qui sedem, ac domicilium pro tam optanda re præbuissent. Laudabilius facturum Regem, si illi faveret, quam si iis contemptis tanto bono adversaretur. Neque vero in odium Regis eam urbem pro concilio concessam, sed in Ecclesiæ utilitatem, quam si impugnare solus Rex vellet, videret, ne Deum malorum facinorum ultorem offenderet, cujus est tueri fideles suos, & præmia pro operibus referre. Fœderis vero postulationi, ut Regi constaret, id communi consensu factum, advocata magna [58] civium concione responderunt, neque æquum, nec honestum videri, neque jure permitti insciis sociis, quibus confœderati essent, aliquam novam societatem, aut fœdus coire; præsertim cum fœderibus quibus Legato & *Senensibus* juncti essent caveretur, ne quem in amicitiam recipere, nisi communi consensu fas esset: neque vero Regis postulata æqua videri, fœdere iis jungi velle, quorum in agro castra haberet, quosque hostili more invasisset, neque dignitatis sociorum esse, ut cum aperto hoste qui agrum eorum vasta- 1409

52. *Longe absentem.* Neapoli morantem.

53. *Missi erant.* Unum tantum oratorem Florentiam missum a Ladislao, supra dixit Poggius, tum quando Rex addidit, *Oratorem se tum Senas, tum Florentiam missurum.*

54. *Vectigalia a Pontifice sibi concessa.* Ut sibi Ladislaus auxiliaretur, Pontifex sexaginta aureorum millia a Perusinis exigenda concesserat. Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

55. *Legato Bononiensi quem pro hoste haberet.* Ladislai hostis ex eo fuerat Balthassar Cossa, quod Albericum Barbiani Comitem ejus præfectum suis oppidis spoliasset. Ammirat. *Hist. Flor. To. 2. lib. XVII.*

56. *Tyranno Lucensi.* Paulo Guinigio Montis Carol. oppidum auferre tentarunt Florentini.

57. *Legatos destinasse.* Eorum omnium qui interfuerunt nomina descripta habentur. *To. 22. de Schismate p.* 115. & apud *Rayn.* tanquam ex Biblioth. Barberina decerpta referuntur in *To.* 17. *Edit. Colon. Agrip. p.* 369.

58. *Advocata magna concione.* Seu majori, quam mos erat, ut de omnium civium voluntate constaret. S. Antonin. *p. III. Tit.* 22. *cap.* 5. §. 5.

 59. *U-*

1409 staret de fœdere ageretur. Abiret ex sociorum finibus, metuque, & periculo eos liberaret, tunc pacis & fœderis conditiones tractari posse, quas nunquam *Florentinus* si recte darentur esset recusaturus. Redirent igitur, & Regi persuaderent, ut honeste id relinqueret, quod nulla honestate suscepisset, alioquin cogerentur Regis injuriis impulsi in eam rationem descendere, quam suæ libertati profuturam arbitrarentur. Hæc responsa cum utrinque [59] legati in castra retulissent, indignatus Rex exercitum *Senas* admovit [60], si qua forte seditio in populo excitaretur. At omnes cives constanti animo Regis injurias tulere, nullaque in re, præterquam quod segetes in equorum pabulum demessæ sunt, ejus arma *Senensibus* obfuerunt. Verum cum jam commeatus [61] deessent omni spe deditionis destitutus, retroversus *Ascianum* petiit, quo frustra oppugnato ad *Florentinorum* oppida conversus, montem *Savinum* objecta spe per proditionem [62] ejus oppidi capiundi in primis obsedit, qua frustratus *Aretium* contendit, ac ad secundum lapidem in Vico, qui *Ulmus* dicitur, positis castris confestim, nil tale suspicantibus civibus, ad urbem proficiscitur. Imber procellæ repentinæ similis cœlo demissus impedivit, quo minus extento cursu oppidum ingrederetur. A longe conspecti quidam cum tumultum excivissent, sublato ponte, portisque clausis oppidani muros conscendunt; Cumque ad arma conclamatum esset, ad portam hosti objectam citato agmine profecti urbem tutati sunt, *Ladislaus*que re infecta in castra reversus est. Egregia eo die *Aretinorum* fides, ac virtus fuit, soli enim urbem defensarunt, militibus qui in urbe præsidii gratia erant in arcem populi timore fugientibus. Decemviri animadversa Regis *Aretium* versus profectione, *Malatestam* [63] *Pisauriensem* exercitus Ducem, cum sex equitum millibus, tribus peditum in hostes proficisci jubent. Rex vero cum pluribus diebus eodem in loco stativa habuisset, atque inanem laborem a se susceptum sentiret, neque ab hostibus satis tutus videretur, motis castris in agrum *Cortonensem* ad oppugnandam urbem contendit. Expugnatione vero illius diffisus tum propter loci naturam, tum quia egregie a *Jacobo Giamfiliatio* equestris ordinis custodiebatur, qui eo cum equitibus, peditibusque quingentis belli principio a *Florentinis* Regis consilia prospectantibus, ut urbi sociæ succurrerent, missus erat, tanquam agris [64] bellum indixisset, omnem futuræ messis spem auferre studebat; qua re animadversa oppidani famem veriti, simul *Loysium* tyrannum exosi concitato populo se se Regi permiserunt. Captus [65] tyrannus ad Regem in castra vinctus, una cum *Giamfiliatio* perducitur, qui magno pretio, pecunia ex ærario sumpta a *Florentinis* redemptus est. His gestis *Perusiam* [66] primo petiit relictaque majori exercitus parte, quæ de Pontifice captis urbibus præsidio esset, *Neapolim* rediit. Dum hæc aguntur, *Alexander Quintus* [67] Pontifex, cum *Pistorium* primo, ubi plures menses resedit, deinde *Bononiam* se contulisset, Regesque omnes Christiani, tribus *Hispanis* [68], & *Ladislao* exceptis, populi insuper omnes, & universa *Italia*, ac ipse Imperator, cujus ope Concilium peractum erat, illi parerent, magnum terrorem *Ladislao*, propter ea quæ secuta sunt, incussit. Nam creato Pontifice sentiens *Ludovicus* Rex [69] Dux *Andegaviæ*, qui post Patris obitum magnam Regni partem tenuerat, haud parvas dissensiones inter *Florentinos*, & *Ladislaum* excitatas, eique etiam Pontificem iratum esse, ratus venisse tempus, quo adversus hostem *Italorum* ea præsidia suppeditarentur, per oratores de jungendo secum fœdere *Florentinos* postulavit, qui animadverso hostili erga se *Ladislai* animo optimum factu putarunt externa ope vires hostium compescere. Cum nulla igitur paratior videretur via, quam hærere Regni competitori, qui maxime ab eo formidaretur, mense Junio [70] inter *Ludovicum*, quem *Alexander* privato *Ladislao* Regem *Apuliæ* declararat, ac *Florentinos*, legatumque *Bononiensem*, ac *Senenses* firmatum est fœdus, in cujus conditionibus nominatim cavebatur, quot equites, peditesque in gerendo adversus *Ladislaum* bello singuli præberent. Suadebant omnes *Alexandro*, cum *Pistorium* [71] venisset, ut cum omnibus, quæ plurimæ, paratæque erant copiæ, recta ad recuperandam urbem pergeret: sed cohortatione, consilioque Legati futura [72] prævidentis *Bononiam* urbem sibi fatalem migravit. Interim fœderatorum equites, peditesque ad octo millia mense Septembri *Romam* versus Duce *Malatesta Pisauriensi* profecti, Urbem veterem, *Flasconem*, *Viterbium*, cæteraque omnia Patrimonii oppida *Romam* usque recepere: pouloque post urbs ipsa, *Pauli Ursini*, qui a Rege defecerat opera, ad Pontificem rediit: Capta enim Transtiberina regione, reliquæ urbis cives *Ladislai* præsidio ejecto se se Legato Pontificis dediderunt: inde *Latium* petentes omnibus ejus urbibus partim ultro se se dedentibus, partim vi in potestatem redactis potiti sunt. His actis *Malatesta* Dux *Florentiam* rediit. Secuta [73] interim *Alexandri* morte, Legatus

59. *Utrinque legati.* Idest Florentia, & Senis reversi.

60. *Senas admovit.* Ad mille passus. Petrus Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

61. *Commeatus deessent.* Tanto exercitui alendo haud satis esse poterat quod a Perusio, & Salimbeni oppidis deferebatur, cum alia omnia loca Florentinis fœdere conjuncta essent.

62. *Per proditionem oppidi capiundi.* Opera Fabiani Boscoli Aretini, qui ejus in exercitu erat: Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

63. *Malatestam.* De Malatestis Pisauriensem Pandulphi filium.

64. *Agris bellum indixisset.* Unde Rex *Guastagrano* denominatus.

65. *Captus tyrannus.* Loysius Casalis a Ladislao captus, & in vincula conjectus veluti bellua, donec Perusiæ, deinde Neapoli in carcerem missus fuit, ut Francisci Casalis a se interfecti pœnas lueret. Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.*

66. *Perusiam petiit.* Tanto a Perusinis exceptus plausu, ut florenos mille ad ludicra spectacula insumpserint. Pellinus *Hist. Per. p. II. lib. IV.*

67. *Alexander Quintus.* Antea Petrus Philargus, non Cretensis, seu Græcus, sed de Candia, Mediolanensis ditionis. Card. Tit. Basilicæ SS. XII. Apostolorum Pontifex in Pisano Concilio renuntiatus MCDIX. VI. kal. Junias. Niemius *lib. III. cap.* 52. Vide Dan. Papebrochium *in Propilæo ad Acta Sanct. in Conatu Chronico Hist. ad Catalogum Rom. Pontif. p. II. p.* 109 *&* 110.

68. *Tribus Hispanis, & Ladislao exceptis.* Hærebant Hispani Reges Petro a Luna, cujus affinis Ferdinandus erat Aragoniæ Rex.

69. *Ludovicus Rex Andegaviæ.* Filius Ludovici, qui in Italiam contra Carolum Apuliæ Regem, Ladislai Patrem descenderat. S. Anton. *p. III. Tit.* 22. *cap.* 5. §. 6.

70. *Mense Junio.* Die XXVIII. pax firmata usque ad ann. MCDXI. Ejus conditiones vide in Ammirat. *Hist. Flor. par. I. To.* 2. *lib. XVII.*

71. *Cum Pistorium venisset.* Mense Augusto fugiens pestem, quæ Pisis grassari cœperat. Dominic. Boninsegn. *Hist. Flor. lib. IV.* prope finem.

72. *Legati futura prævidentis.* Balthassar Cossa Bononiæ Legatus Pontificem valde senem brevi interiturum conjiciens, & Pontificatum appetens apud se illum detinebat cum omnibus Cardinalibus illi inservientibus. Quin immo eum veneno tollere molitus fuerat, ut constat ex sententia in Conc. Const. adversus eum lata apud *Rayn. To. XVII.*

73. *Secuta Alexandri morte.* Quinto Idus Maji cum annum ageret LXXI. Pontificatus mense decimo, non duodevigesimo, ut Brietius *Ann. Mundi p. III. To.* 2. *Parisiis*, cum enim ipse fateatur *p.* 341. Pontificem creatum sexto kal.

1410 gatus [74], qui *Bononiæ* erat, Pontifex eſt factus nomine *Johannes XXIII.* animo adverſus *Ladiſlaum* inimico, infeſtoque. Perculſus novi Antiſtitis dignitate *Ladiſlaus*, cum ſciret illum ſibi inimiciſſimum eſſe, *Ludovicum* vero Regni competitorem Pontifex detineret in *Etruria*, *Florentinorum* quoque vires reformidans, varia etiam adverſus ſe conſilia agitari animadvertens, ſibi cum *Florentinis* pacem omni ſtudio procurandam decrevit, cum arbitraretur ea aſſecuta ſuas vires firmiores, hoſtium vero debiliores fore. Itaque *Gabriele Brunelleſco Florentino* cive *Florentiam* miſſo, qui nomine ſuo eam peteret, ut facilius in amicitiam deſcenderent redditurum ſe, quæ in *Genuenſium* nave oneraria de illis ceperat, obtulit, *Cortonam*que pro amiſſis daturum. Primores civitatis prudentia, & rerum uſu præſtantes, quibus Regis mens ſatis perſpecta erat, vaſtuſque illius animus immoderata ſemper appetentis, non concordiæ cupiditate, ſed belli futuri timore, & aſtu, doloque [75] ab eo pacem quæri prædicabant, ſuadebantque ejus mentionem rejiciendam, belloque manifeſtum hoſtem perſequendum eſſe. Alii contra ſentiebant, accipiendum munus [76] urbis oblatum aſſerentes, cum pax, quæcumque daretur, potior bello foret. Demum civitas bellis feſſa, exhauſta pecuniis accipiendam pacem cenſuit, quæ multis utrinque agitatis, tandem per *Torrellum Pratenſem* Juriſconſultum, & *Angelum Philippi* filium *Pandulphinum*, ad id miſſos [77] oratores, conſtituta eſt: cui etiam *Senenſes* acceſſere. Pacis conditiones plurimæ dictæ; ne fœderi quod eis cum Pontifice, & *Ludovico* cæteriſque eſſet, ea pace derogaretur, utque *Ladiſlao*, aut urbem *Romam*, aut quicquam ex iis locis quæ citra ſunt, aut certo ſpatio propinqua capere, & tenere minime liceret, utque res per ipſum *Florentinis* mari ablatæ (eæ ſexaginta aureorum millia conficiebant) reſtituerentur, *Cortona*que [78] pro his populo *Florentino* traderetur, qua recepta, ac ſolemni more quintodecimo kalendas Februarii, decimo ſupra mille quadringentos anno publicata pace, ad *Ludovicum* Regem (is *Prati* erat) & ad Pontificem oratores [79] miſſi, qui cauſas afferrent firmatæ neceſſario pacis, adderentque nil detractum ſocietati, quæ adhuc vigeret. Ad *Ladiſlaum* [80] quoque oratores, qui de concordia inter eum, & adverſarios conſtituenda agerent, profecti. Sollicitabatur crebris oratoribus a *Romanis* Pontifex, ut ad urbem rediret, in qua ſedes antiqua *Petri* haberetur; ad hanc rem multis cohortantibus, menſe Martio *Romam* [81] petiit, ſeque copias omnes ſubſequi juſſit; *Ludovico* vero, ut ad urbem proficiſceretur perſuadet: eo cum veniſſet cum ſex equitum electorum millibus, hortante Pontifice fines Regni ingreſſus apud *Cepparanum* [82] conſedit, expectaturus pugnandi occaſionem. *Ladiſlaus* quoque cum magno exercitu in agro *Caſinate* juxta *Pontem* [83] *Corvum* in extremi Regni finibus caſtra
poſuit. Flumen duos [84] exercitus dividebat. Ut 1411
primum tempus opportunum viſum eſt, Pontificis [85] copiæ trajecto flumine *Ladiſlaum* aggrediuntur. Diutius magnum certamen fuit. Tandem victoria pro *Ludovico* ſtetit: acie victus [86] Rex menſe Julio cum paucis effugit, fuſuſque, fugatuſque exercitus magnaque ex parte captus e veſtigio de induſtria dimittitur: fugientem cum paucis Regem equitum Præfecti inſequi noluerunt. Hortabatur *Ludovicus*, cum victoria in manibus eſſet, ne *Ladiſlao* ſpatium ſe confirmandi darent: facile eſſe vincere fugientem, præſertim ſpoliatum exercitu, & prope ſolum, atque a ſuis deſtitutum. Sed *Paulus Urſinus* [87] cæterique equitum Ductores, qui bellum trahi, quam victoriam conſequi malebant, & *Ludovico*, & ipſi Pontifici parum fidi, procraſtinando tempus hoſti dedere ſe colligendi, exercitumque inſtaurandi. Nulli dubium fuit, quin ſi victum perſequi voluiſſent, aut *Ladiſlaum* [88] capi, aut debellari eo die potuiſſe. Sed præfectorum dolo vincendi occaſio eſt amiſſa. His Pontifici relatis, cum haud ignarus eſſet ſuorum culpa tantam victoriam e manibus delapſam, deſperanſque ſuos meliori fore animo quippe (qui vinci *Ladiſlaum* nollent) cum Rege [89] pacem conſtituit, maxime ad
eam motus, ut *Paulum Urſinum* [90] ulciſceretur, 1412
quo victoria impedita erat: quam Rex parvo ſervavit tempore, & Pontifici, & *Florentinis* occulte hoſtis. Quapropter æſtate [91] ſequenti, magno cum exercitu iter verſus *Latium* cepit. Erat ante *Paulus Urſinus* multis de cauſis odio Pontifici: propterea illum a ſe in ſpeciem cuſtodiendi *Piceni* cum ſuis equitibus ablegaverat, ſecreto Regi [92] ſignificans gratum ſibi fore, ſi *Paulus* (ut clam conventum erat) ſua opera tolleretur. Id Rex pollicitus locum fraudi oblatum non prætermiſit; ea enim ſimulatione apertius exercitum paravit, ſe *Picenum* oſtentans petiturum: & forſitan ita egiſſet, ut *Pauli* auxilio Pontificem priva-

kal. Junias anni MCDIX. & ſequenti pagina obiiſſe dicat quinto Idus Maji ann. MCDX. duodeviginti menſes intereſſe non poterant. Tenuiſſe autem Pontificatum menſes decem, & dies octo, teſtatur Odoricus Rayn. *Ann. Eccl. To.* 17. aitque ſe eruiſſe ex antiquis monumentis Joann XXIII. Tabulario inſertis, quæ ibi apponit ſub *ann. MCDX. To.* 17. *p.* 404. *Colon. Agrip.* Vide Gobel. *in Coſm. æt.* 6.

74. *Legatus*, &c. Balthaſſar Coſſa Pontifex electus.

75. *Doloque ab eo pacem quæri.* Ut Florentinis non adverſantibus omnes vires in Pontificem, & Ludovicum Andegavenſem converteret, queis ſubactis deinde Florentinos peteret.

76. *Munus urbis.* Cortonæ.

77. *Ad id miſſos oratores.* Neapolim pro Florentinis: Florentiam vero pro Ladiſlao ad pacem jungendam Eques Monacellus de Anna miſſus. Ammirat. *Hiſt. Flor. par. I. To.* 2. *lib. XVIII.*

78. *Cortonaque pro his.* Una cum duobus oppidis Pierli, & Mercatole, ut *Ammirat. ibid.*

79 *Oratores miſſi.* Bartholomæus Popoleſchus, & Pallas Strozzius.

80. *Ad Ladiſlaum quoque oratores.* Criſtophorus Spinus Eques, Joannes Seriſtorius Doctor, & Aloyſius Pittus. Ammir. *p. I. To.* 2. *lib. XVIII.*

81. *Romam petiit.* Poſtquam ad annum Bononiæ moratus fuerat.

82. *Cepparanum.* Oppidum, ubi limes agri Romani, aliter Patrimonii S. Petri. Briet. *Parall. Geog. p. III.*

83. *Pontem Corvum.* Aliter *Fregellas*, urbem olim claram Latii, nunc oppidum Campaniæ.

84. *Flumen duos exercitus dividebat.* Liris, Latium a Samnio, & Campania dividens.

85. *Pontificis copiæ.* Sfortia Cotignola duce, qui primus Lirim trajecit, Collenut. *Hiſt. Neap. lib. V.*

86. *Victus Rex cum paucis aufugit.* Ladiſlaus ad caſtrum *Roccaſicca* non multum a pugnæ loco diſtans in rupe altiſſima ſitum ſe recepit. Theodoricus a Niem. *in Vita Joannis XIII.*

87. *Urſinus ceterique equitum ductores.* Scilicet Sfortia cum Urſino prædæ incubuere: noluit enim Urſinus Ladiſlaum penitus tollere: illo enim ſublato, & a bello, & a ſtipendiis ceſſabatur.

88. *Ladiſlaum capi, & debellari eo die.* Ipſe Ladislaus dicere ſolitus, ſe primo die, & vita, & Regno ſpoliari potuiſſe, ſecundo non quidem vita, ſed tamen regno, tertio nec vita, nec regno. Collenut *Hiſt. Neap. lib. V.*

89. *Cum Rege pacem conſtituit.* Die XXV. Junii. His conditionibus, ut Neapolitano regno potiretur: Sicilia, expulſo Aragoniæ Rege Gregorii fautore donaretur: Eccleſiæ ſignifer deſignaretur, aliaque quæ videre erit in Pign. *Hiſt. Princ. Ateſt. initio lib. VI.*

90. *Ut Paulum Urſinum ulciſceretur.* Qui trahi bellum ſtipendiorum cauſſa curabat.

91. *Æſtate ſequenti.* Anni MCDXII.

92. *Regi.* Ladiſlao.

93. *Haud*

1412 varet, nisi *Romanarum* exulum cohortatio ab ea
cogitatione illum avertisset: ii frequentes secum
erant, urbemque pollicentes impulerunt, ut *Ro-*
mam peteret. Securus sibi *Johannes* ob occultas
conventiones a Rege videbatur fore: timebat ta-
men nonnihil, cum *Latio* appropinquantem au-
disset, aversa a *Piceno* via, quoniam sciret, ex-
pertusque esset parum ab illo fidem servari sole-
re. Haud tamen [93] ægre ferebat vulgari famam
adventare ad Urbem *Ladislaum*, quo facilius ex-
cusare posset moram in *Germaniam* pro celebran-
do concilio transcendendi: necessarium enim vi-
debatur pro defendenda urbe haud procul abire: ne-
que vero ullo pacto arbitrabatur tam facile nullo
negotio, aut accidit, *Ladislaum* urbe potiturum.
Ita cum inter spem, metumque versaretur ani-
1413 mus dubius, neque tam repente [94] ullas copias
Ladislao opponendi facultas esset, ille ad mœnia
urbis accessit, effractoque noctu ab exulibus [95]
muro prope *Capenam* portam, ita ut libere equi-
tes ingredi possent, partem copiarum in urbem
ire jussit. Mane capta Urbis parte, quæ deserta
fere habitatoribus jacet, tumultuque ubique exci-
tato, cum repellendi hostis spe destitutus esset
Pontifex, diffisus [96] populo cum paucis [97] aufu-
git, seque *Florentiam* [98] contulit. *Ladislaus* abs-
que certamine *Romam* ingreditur. Parabant se
Romani ad defensionem: jamque ad duo millia
equites ædificia ingressos, obstructis viis, ut ne-
que progredi neque regredi possent, ceperant: Sed
audita Pontificis fuga, dimissis equitibus omnique
spe auxilii præcisa, se Regi permisere. Urbe po-
titus in primis Mercatores omnes *Florentinos* [99] per
summam fraudem spoliavit. Nam cum illi tum
mercaturas, tum pretiosiora quæque apud amicos
in tumultu occultassent, ille data publica fide, quæ
in perfidiam versa est, omnes cum suis rebus sal-
vos fore, multis verbis hortatus unumquemque,
ut bono essent animo, utque deposito timore

A omni res suas ex consueto securi agerent, nil ab 1413
eo metuentes; quo factum est ut singuli sua do-
mum referrent, cum tuti ab omni calamitate fide 1414
Regia interposita viderentur. At ille qui pluris
illorum spolia, quam suam fidem faceret, in ca-
ptivitatem omnes adduci, bonaque eorum diripi
imperavit. Scelestum facinus, non solum nomi-
ne Regio indignum, sed Pirata etiam nequissimo,
quorum est in rapinis quoque promissam fidem
servare. Post fugam Pontificis omnia ferme de
Romana Ecclesia, præter *Bononiam*, a Rege oc-
cupantur. Inde veritus ne cum Pontifice [100] no-
va se adversus inirentur a *Florentinis* fœdera, pa-
B cem denuo [1] cum eis constituit: non ea quidem
mente, ut in proposito perseveraret: quippe qui
dominandi studio incensus cuncta perturbaret;
sed ut pacis nomine negligentiores *Florentinos*,
imparatioresque adoriretur. Siquidem paulo an-
te obitum amenti similis *Florentiam* sæpius appel-
lans, *Florentiam* eundum esse dicebat, atque ad
id reliquos hortabatur. Sed fatis volentibus, qui-
bus hominum consilia sæpius interrumpuntur,
ab armis cessatum, & pestis [2] iniqua ab *Italia*
submota. Nam cum post factam pacem in æsta-
tis fine *Romam* concessisset, in morbum [3] incidit,
*Neapolim*que [4] triremi delatus diem suum obiit,
C maxima eorum, quibus formidini erat lætitia,
quarto, ac decimo supra mille quadringentos an-
no. Libera *Ladislai* morte ab omni bellorum
metu civitas, plurimum opibus, & divitiis cre-
vit, decem ferme annos otio quietique dedita:
Ecclesia quoque *Romana*, quæ in tres Pontifices 1415
[5] scissa erat, creato *Constantiæ* [6] *Germaniæ* oppi-
do Pontifice *Martino Quinto Columnensi*, anno 1417
decimo, & septimo post mille quadringentos in
pristinum statum [7] restituta. Qui ad *Italiam* re-
diens, cum *Florentiæ* pluribus resedisset mensi-
bus, eaque mora parum *Florentinis* [8] amicus fa-
ctus esset, *Romam* proficiscitur.

---

93. *Haud tamen ægre ferebat*, &c. Jam in Germaniam miserat Joannes Pontifex duos Cardinales Florentinum, & de Celantho, qui Constantiam ad Concilium habendum designaverant. Cum vero ipsum facti pœnituisset, metum ex Ladislai adventu simulans, Romæ se continebat, & Concilium, a quo sibi timebat, differendum judicabat. Dan. Papebroch. *in Conatu Chronic. Hist. ad Catalog. Rom. Pontif. p. II. p.* 110.

94. *Tam repente ullas copias. Non enim ullum certum Capitaneum deputaverat* (*ait* Theod. Niemius *in Vita Joannis XXIII.*) *unde Romani, & Curiales, qui occurrebant ad hostibus resistendum, ad lares proprios deficiente duce redierunt.*

95. *Ab exulibus muro.* Dormientibus custodibus, muris perfractis, summo mane juxta Ecclesiam S. Crucis Urbem ingressus est. Niemius *ibid.* apud Rayn. *To.* 17. *Ann. Eccl. Col. Agrip. p.* 430.

96. *Pontifex diffisus populo.* Qui in contraria studia scissus erat: aliqui enim Ladislai partes sequebantur stipendio obstricti. *Niem. ibid.*

97. *Cum paucis aufugit.* Sutrium primo, deinde Viterbium, tum ad Faliscos, tum Senas migravit.

98. *Florentiam se contulit.* Urbem tamen non est ingressus, sed in quodam suburbano Episcopi Florentini loco moratus est: cum enim Florentiæ alii Pontifici, alii Ladislao faverent, diversis partium studiis ne motus aliquis oriretur, metuebat. S. Anton. *p. III. Tit.* 22. *cap.* 6.

99. *Omnes Florentinos*, &c. *spoliavit.* Licet, ut jam diximus, cum illis pacem fecisset. Vid. Collenutium *Hist. Neap. lib. V.*

100. *Cum Pontifice nova inirentur a Florentinis fœdera.* Noverat enim Pontificem Sigismundi Imperatoris, Hungariæque Regis opem petiisse, cui si Florentini accederent, pessime secum actum iri conjiciebat.

1. *Pacem denuo cum eis constituit.* Die XXII. Junii in Castris prope Assisium positis, præsente Henrico Lusignano Gallileæ Principe. Scip. Ammirat. *Hist. Flor. p. I. To.* 2. *lib. XVIII.*

2. *Pestis iniqua.* Ladislaum pestem appellat, qui in Italia non secus ac pestis grassatus fuerat.

3. *In morbum incidit.* Non Romæ, sed Perusii febre correptus fuit. Pellinus *Hist. Per. p. II. lib. II.*

4. *Neapolimque triremi delatus*, &c. Romam prius concessit, deinde Neapolim, Paulum Ursinum captivum ducens. Ibi autem obiit die VI. Augusti; Regni sui ann. XXIX. Collen *Hist. Neap. lib. V.*

5. *In tres Pontifices.* Gregorium, Benedictum, & Joannem.

6. *Creato Constantiæ Pontifice.* A Concilio creatus Pontifex Octo Columna S. Georgii Diaconus Cardinalis, Joanne ultro dignitatem abdicante, & concilii sententiam subscribente. Plat. *de Vit. Pontif. in Vita Joann XXIV.*

7. *In pristinum statum est restituta.* Post schisma, sub Urbano VI. incœptum ann. MCCCLXXVIII. & ad XL. annos protractum, tandem anno MCDXVII. Ecclesiæ pristina pax restituta est.

8. *Parum Florentinis amicus factus esset.* Hujusce rei caussa in sequenti libro habetur.



POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI QUINTI EPITOME.

Foedus cum Philippo Mediolani *Duce a* Florentinis *feritur.* Genuam *ille intestinis agitatam odiis capit, bellumque in* Florentinos *movens eorum exercitum in* Flaminia *apud* Zagonaram *ingenti strage fundit.* Venetorum *auxilium* Florentini *sibi adjungunt*, Brixiaque *ductu* Carminiolæ *occupatur. Pax per Pontificem composita. Bellum a Vicecomite sub ipsa pacis initia renovatur; suumque ipse exercitum in* Venetos Florentinosque *ducit.*

LIBER QUINTUS.

1418 DIUTURNAM *Florentini* populi pacem, quæ decennio [1] ferme viguit, primum turbavit bellum, cum *Philippo* Duce *Mediolani* cœptum anno supra millesimum quadringentesimum vigesimo tertio, ita incerto gestum Marte, ut eos qui ante ferme pro victis habebantur, victoria secuta sit: Varia quippe belli diutius fortuna fuit. Id certe constat raro multis antea sæculis tanto militum numero, tot copiis, tanto apparatu, simul terra marique in *Italia* bellatum esse, ut paribus opibus, viribusque (hæ utrinque erant amplissimæ) neque minore odio sit certatum. Ejus initium belli cum Ducis culpa parum [2] jura pacis servantis contractum fuit, tum haudquaqam adversante Pontifice *Martino*, qui *Florentinos* non injuria exosus, opes eorum debilitari, frangique cupiebat: quæ ut notiora fiant, paulo videtur altius ejus origo repetenda. Recuperato post fratrem [3] interfectum *Mediolano*, plurimisque paternæ ditionis urbibus, quæ per tyrannos [4] occupabantur in potestatem redactis, ampliandi imperii cupidus *Philippus* animum adjecit ad oppugnandam *Genuam* variis factionibus [5] laborantem, cujus [6] Dux erat *Thomas Fregosus* Vir prudens, magnique animi, & ad resistendum parati. Veritus ergo a *Florentinis* subsidia illi suppeditatum iri, omni studio cum eis pacem quæsivit, & primo Sancti *Antonii* Abbatem ad tentandos *Florentinorum* animos, deinde sex Oratores, qui de pace aperte inter eos firmanda (cum jam pluribus annis tacita viguisset) tractarent, *Florentiam* misit. Summa postremæ legationis fuit: *nulli ignotum esse quantas attulerint* Italiæ *clades bella, quæ inter majores suos, & Populum* Florentinum *hactenus extitissent: optare Ducem, ut nedum submoverentur bellorum, quæ oriri possent occasiones, sed summa perpetuaque concordia inter eos statueretur, omnisque armorum a quibus Ducis animus abhorret tolleretur suspicio. Scire se* Venetos *semper pacis, atque otii cupidos fuisse: Pontificis animum sibi compertum esse si ea pax sequeretur, quo minus universa* Italia *in otio esset diutius quietura: sibi mentem immemorem esse præteritorum dissidiorum, quin potius meminisse post paternam mortem, cum* Gallia *omnis bello flagraret* [7] Florentinos, *cum parvo impendio plurimum damni inferre potuissent, ab armis cessasse: hortari se eos ad sumendam eam pacem quam singuli appeterent, cum omnibus esset profutura. Velle Ducem eos habere parentis loco, nec quicquam malle, quam notum omnibus gentibus esse, nihil sibi esse antiquius pacis, & quietis cupiditate: hanc se proculdubio majorum suorum ambitioni longe anteferre, quæ nihil aliud longo tempore peperisset, quam* Galliæ, *ac* Etruriæ *vastitatem; ab earum memoria abhorrere Ducis mentem testabantur, ocium, & quietem cæteris humanis præferentem rebus. Suadere* Florentinis, *ut eundem animum sumant, communique consilio provideant* [8] Italiæ *quieti:* His, aliisque in eam sententiam in frequenti Senatu recitatis, fuere plurimi, & seniores [9] præsertim, qui dicerent eam pacem tanquam infidam rejiciendam esse, & id, quod postea re ipsa compertum est, Legatorum verba plena insidiis videri, omniaque ad fallendum spectare: Non enim quæri a Duce sincero animo, sed simulato pacem, quo facilius *Florentinorum* metu vacuus queat in quos velit insurgere: meminisse *Florentinorum* subsidiis excitatos, adjutosque [10] contra fratrem tyrannos, quod ne sibi quoque accideret, si quid novi tentaret, vereretur: Nequicquam standum esse promissis ejus, qui fidem ex quæstu pensitaret: Ducem aliud ore loqui, aliud occultum animo gerere: pacem ab eo ostentari, bellum intus

1. *Decennio ferme viguit.* Ab anno MCDXIII. usque ad annum MCDXXIII.

2. *Parum jura pacis servantis.* Cum enim in pacis conditionibus esset, ut Florentini a Gallia, Dux ab Etruria, & Piceno abstineret, Forumlivium occupare molitus est.

3. *Fratrem interfectum.* Joannem Mariam.

4. *Paternæ ditionis per tyrannos occupabantur.* Ut Cremona a Cavalcabove, & Laus Pompeja, cujus tyranni Joannes Vignati, & Cabrinus Fondulus interfecti. Vide Joannem Baptistam Villanovam *Hist. Laudis Pomp. lib. III.*

5. *Factionibus.* Fregosorum, & Adorniorum.

6. *Dux erat Thomas Fregosius.* Licet contra hunc, Ducem suum sibi exules elegissent Theramum Adornium. Ubert. Foliet. *Hist. Gen. lib. X.*

7. *Cum Gallia omnis bello flagraret.* A tyrannis omnes fere urbes occupatæ fuerant.

8. *Provideant Italiæ quieti.* Quietem Italiæ suadebat, & bellum in Genuenses moliebatur.

9. *Seniores præsertim.* Quorum Princeps Ginus Capponus qui hanc habuit Orationem. Ammirat. *To. 2. lib. XVIII.*

10. *Adjutosque contra fratrem tyrannos.* Ugolinum Cavalcabovem Cremonæ Tyrannum mille ducentis equitibus adjuverant Florentini. Præterea Petro Rubeo, cujus opera Parma a Joanne Maria Duce defecerat, militibus & pecunia præsto fuerant, ut est in superiore libro.

1418 tus latere, cui nulla pax, sed cupiditas regnandi
cordi esset: non quæri ab illo concordiæ fœdus,
nisi ut quibus dominari cuperet omni spe externi
auxilii destitutos in servitutem trahat: optare il-
lum sopiri pacis umbra *Florentinos*, quo securius
Genuenses expugnet, simul atque hi in potesta-
tem redacti sint paternum dominandi animum
sumpturum: ardere illum cupidine regnandi, &
ab eis incipere, qui essent proximiores. Quo
enim jure *Genuensibus* bellum intulerit, aut qua
ratione appetat aliena, nisi cupiditatis impulsu?
emersuram paulo post eam flammam latius, quam
Reipublicæ expediat, si pacis titulo inclusus i-
gnis nutriatur: eandem filio [11] mentem fore,
quæ fuerat Patri: expugnatis *Genuensibus* [12] trans-
laturum illum arma in *Etruriam*, si qua detur
facultas: consultius videri, aut dubio, incerto-
que responso remitti Oratores, aut præsidio ades-
se *Genuensibus*, quo vicino bello distineatur, quam
per simulatam pacem illos desertos auxilio pati:
tutiora semper consilia dubiis esse præferenda;
non tantum præsenti quieti, sed futuræ quoque
providendum esse. Alii dandam petenti pacem
censebant, neque prætermittendam præsentem
quietem futuri belli metu: neque vero *Genuensibus*
in potestatem redactis Ducem adeo potentem fo-
re, ut ab eo occupandæ *Etruriæ* periculum im-
mineat, cum omnis ejus Patria adeo diutinis, in-
testinisque seditionibus, & bellis vexata jaceat,
ut multis annis nequeat in priores vires exsurgere:
posse fieri, ut vera ab Oratoribus dicerentur,
neque desperandum pacis illum fœdera servatu-
rum, cujus nomen adeo mortales alliciat, ut abo-
minandum videatur oblatam ultro repudiare:
Cum Parente bellum gessisse quondam per annos
duodecim vario Marte, cujus opes, imperium-
que longe, lateque etiam in *Etruria* diffusum e-
rat: multo facilius filio imbecilliori admodum
obsisti posse siquid insaniat: neque enim ejus res
adeo secundas esse, ut multis annis imperio *Etru-
riæ* vacare queat; tempora interim consilia secum
ferre. His variis orationibus agitatis, seu fatis
volentibus, seu quia pacis nomen plurimos mo-
vebat, fœdus cum Oratoribus mense Januario
1419 undevigesimo supra mille quadringentos anno his
conditionibus firmatum est: Ne Duci ultra *Pon-
tremolum Etruriam* versus, *Mutinam*que arma mo-
vendi, aut ultra *Crustulum* [13] fluvium versus *Bo-
noniam* ullas copias mittendi, urbesve, aut oppida
capiendi deditaque tenendi, auxiliaque cuiquam
mittendi jus esset, nulloque fœdere ad societatem
1421 cuipiam infra hos fines jungi posset. Pace con-
stituta, ac solemnibus rite peractis Dux *Genuam*
[14] longo bello, intestinisque seditionibus debili-
tatam anno postmodum secundo, ac vigesimo

A post mille quadringentos capit. Ægre autem 1422
tulit emptum de *Genuensibus* belli tempore *Libur-
ni* portum, qui ditionis *Pisanorum* fuerat, pro-
pter [15] pecuniam illis ad usum belli datam, quam
postea occasionem prætulit pacis violandæ cupi-
ditati. Venerat interim *Florentiam* [16] ex *Germa-
nia Martinus* Pontifex, ubi plures commoratus
menses, ac publice privatimque verborum con-
tumeliis [17] affectus, cum per vicos quædam in
ejus contemptum publice a pueris decantarentur,
neque id prohiberetur a Magistratibus, omnia
visus est æquo animo ferre: verum altius pene-
trarunt verba, quam ut facile obliterari possent.
B Erat tunc Civitas longa pace admodum opulenta:
opes amplissimæ: pecuniis affluebant cives supra
modum elati fastu; & ut fieri solet, ex rerum
copia orta superbia, neque Pontificem vereri,
neque quemvis alium magni pendere sinebat, ne-
que etiam advertere fortunæ varias mutationes,
ejusque infidam indulgentiam raro longiorem ho-
minibus dari, quoque magis blandiatur, eo plus
formidandam esse illius varietatem. Quod autem
Martinum admodum offendit, favor erat *Brachio*
[18] *Perusino* bellicis artibus jam inde claro, mul-
tasque urbes [19] Ecclesiæ occupanti, per *Florenti-
C nos* antea [20] præstitus. *Concordia* deinde *Florenti-
norum* opera cum Pontifice nonnullis amissis op-
pidis receptis, facta, ad Urbem proficiscitur,
indignatus plurimum ob verborum contumeliam,
quam facile extinguere potuissent, non repres-
sam. Ægrius quoque tulit, ut eum sæpius [21]
querentem audivimus, in *Brachii* gratiam a *Flo-
rentinis* spretam amicitiam, societatemque quam
sæpius postularat, qua in re visum est superbe 1423
nimium suam contemni auctoritatem. Anno post-
modum *Alphonsus* [22] Sancti *Eustachii* Cardinalis
Legatus ad regendam *Bononiam* destinatur, cujus
favore cum Duce belli origo manavit. Is enim
D animadversa populi mobilitate defectionem ti-
mens, quo recentem statum aliquo firmiori au-
xilio muniret, societatis fœdere cum *Florentinis*
jungi postulavit. Quo ob eam rem denegato,
ne qua novæ contentionis, aut belli caussa orire-
tur, Legatus eo magis futuros metuens motus,
idem quod ille ultra accepit, a Duce petivit:
qua ex re malorum omnium est initium profe-
ctum. Nam violata per Ducem pace, cujus le-
gibus cavebatur nominatim, ne *Bononiam* in so-
cietatem recipere, aut aliquo fœdere cum ea jun-
gi liceret, *Florentini* pacem ab eo non servatam
per literas questi sunt. Dux ad simulandum, ac
E dissimulandum promptus, missis *Florentiam* [23]
Oratoribus caussam suam ea ratione tutari cona-
tus est, ut diceret, non ad infringendam pacem
cujus esset cupidissimus, sed ad salutem Legati
sibi

11. *Filio mentem fore quæ fuerat patri.* Ut enim Galea-tius, Veronæ, ac Patavii Dominis profligatis, Florentinos aggressus fuerat, sic & Philippum, Genuensibus subactis, in eos signa conversurum.

12. *Expugnatis Genuensibus*, &c. Eodem argumento Scythæ a Dario petiti (ut est apud Herodotum) socios ad arma compellunt, quod nequeat hostis victoria ferox unius gentis exitio contentus esse.

13. *Crustulum fluvium.* Qui averso e regione in Appennini jugis fonte oriundus Padum illabitur. Blond. Flav. *lib. I. Dec.* 3.

14. *Dux Genuam*, &c. Genua a Thoma Fulgosio ejus Duce, qui se prius dignitate abdicaverat, Philippo tradita est, quod satius videretur, externo eam Principi concedere, quam evertendam suis exulibus relinquere. Ubert. Foliet. *Hist. Gen. lib. X.*

F

15. *Pecuniam illis ad usum belli datam.* Centum, & viginti aureorum millibus Liburnum emptum adnotat Folieta ibid. sed centum millibus tantum fuisse emptum kal. Jul. asserit Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XVIII. p.* 991.

16. *Florentiam ex Germania.* E concilio Constantiæ Florentiam venit die XXV. Febr. MCDXIX.

17. *Contumeliis affectus.* Ea nefaria cantiuncula quæ omnium in ore versabatur: *Papa Martino non vale un quattrino*, qua indignatus Pontifex Leonardo Aretino ejus a Secretis, se ita facturum dixit ut majorem eum pretio dignum Florentini arbitrarentur. Leon. Aret. *Hist. Flor. seu sui temporis.*

18. *Brachio Perusino.* Seu ex oppido Montonæ Perusini agri. S. Antonin. *p. III. Tit.* 22. §. 1.

19. *Urbes Ecclesiæ occupanti.* Decem & septem enumerat Pompejus Pellinus *Hist. Per. p. II. lib. XI.* queis addenda Roma ipsa, & Perusium a Brachio occupatum.

20. *Favor per Florentinos præstitus.* Pax scilicet Florentinorum opera cum Regina Joanna, & Brachio confirmata, quod plurimum Brachio aliis bellis implicito profuit. Brachius insuper summo honore & apparatu a Florentinis exceptus est, & Civitate donatus. Scip. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XVIII.*

21. *Sæpius querentem audivimus.* Nam Poggius ejus a Secretis erat, & valde familiaris.

22. *Alphonsus*, &c. Ex Castilia oriundus, imo Castiliæ Regis affinis.

23. *Florentiam oratoribus.* Quorum Princeps Thaddæus Vimercatus.


BRACHIUS PERUSINUS,
Bellicis artibus clarus.



1423 ſibi timentis id a ſe factum eſſe, longaque oratione de ſuo ad ſervandam *Florentinorum* amicitiam animo diſſeruere. Multis dictis, ut qui culpam excuſare nequirent, abierunt. Animis dubiis, ac ſuſpenſis ſupervenit obitus *Georgii Ordelafii Forilivii* tyranni, qui ſuperſtitibus filio [24] impubere, & *Lucretia* uxore *Ludovici* [25] Principis *Imolæ* filia, deceſſit e vita, unde diſcordiarum exordia profecta ſunt. Ea parum civibus fidens propter *Catharinam* quæ conjugis ſoror fuerat, & *Ghibellinæ* factionis viris favebat, paterno conſilio in civitate regenda utebatur, quod ægre ferens *Catharina* [26] ſuos ad novas res hortari cœpit. *Lucretia* cum his quos ſibi fidos putarat, quo filiis caveret, ſocietatem antea cum *Florentinis* initam renovavit. Reliqui civium ſuadente *Catharina* in Ducis favorem inclinarunt, qui urbis illius capiundæ oblatam ſpem minime repudiavit. Igitur *Lucretiam* primo tentat, ut abrogata *Florentinorum* ſocietate ſibi hærere, & fœdus inire ſecum vellet: auxilia inſuper pro filii tutela pollicetur. Illa in ſocietatem cum *Florentinis* perſtans benigne reſpondit, ſi caſus tulerit ſe opes illius imploraturam: eadem & *Catharinæ* per [27] nuncios exponit, ſuadens in ſuam ſectam vellet cedere, multoque plura ei quam *Lucretiæ* offert. Sata inter duas mulieres, civeſque diſcordia, plures equitum [28] turmas in agrum *Bononienſem* contra pacis conditiones miſit. Quod mirati admodum *Florentini*, & eam rem minime ſpernendam (ut majus incendium excitaturam) rati Legato [29] ſcripſere: mirari ſe quid ſibi tam ſubitus tot equitum adventus vellet: haud recte ab eo factum, qui Ducis equites ad perturbandum otium in agro *Bononienſi* otioſos eſſe ſineret: ſuſpicari ob id aliquam occultiorem fraudem contra ſe a Duce machinatam eſſe: rogare ut eos miſſos faceret, quo omnis rerum novarum ſuſpicio, & cauſſa abeſſet. Ad ea Legatus, eos equites a ſe evocatos reſpondit, quibus ad recuperandum [30] Caſtellum *Bononienſe* uteretur: nullum ex eo *Florentinis* periculum imminere. Ridiculum id, neque veriſimile (cum reſponſum eſſet) videri, tantum equitatum pro tam parvula re ex *Gallia* excitatum, dieſque palam facturos quem ii dolum ſecum portarent: extemplo ſuſpicionem *Nicolaus Eſtenſis Ferrarienſis* Princeps auxit, qui & ipſe ſcripſit eos equites ſua cauſſa veniſſe, qui paulo poſt *Lugum* oppidum *Forolivii* propinquum conceſſere. Ibi cum aliquamdiu morarentur, Dux ſolita calliditate, utrique & *Lucretiæ*, & *Catharinæ* ſeorſum ſcripſit, ſe ejus cauſſa miſiſſe equites, quo volenti auxilio eſſe poſſent. *Lucretia* in *Florentinorum* ſocietate repudiato Ducis fœdere perſeverat. *Catharina*, quique cum ea ſentiebant oblatis auxiliis freti, occaſione ſumpta, excitatoque [31] tumultu a *Lucretia* deficiunt, camptamque

A in cuſtodiam tradunt, unde fugiens [32] *Forum Popilii* petit, Duciſque equites [33] in urbem recipiunt. 1423 Capta proditione civium urbe, varia *Florentinorum* conſilia agitabantur, quidam bello vindicandam tantam injuriam cenſebant, quidam tentanda omnia priuſquam ad arma deveniretur. Violatum pacis fœdus erat, tranſgreſſique longo intervallo fines in ejus conditionbus ſtatuti: defendendam *Lucretiam* omnes vociferabantur, & vim vi repellendam: tunc tandem aſſerentes emergere fructus pacis tantopere a Duce hactenus petitæ. Quo autem facilius de bello ſi opus foret, agi poſſet, Decemviri ſine provocatione

B creantur, qui e veſtigio duos equitum [34] Præfectos cum ſexcentis equitibus ad forum, *Popilii*, ut *Lucretiæ* præſidio adſint, mittunt. Ne autem inconſulto bellum appetere exiſtimarentur, viſum eſt in primis, & literis, & oratoribus queri de violata pace, ſi quomodo poſſet abſque certamine res componi. Queſti ſunt igitur primum per literas cum Duce, pacem ab eo interruptam eſſe, cum ſciret fœdere ſe, ne id faceret prohiberi: æquum videri, ut revocaret equites, urbemque relinqueret quam per injuriam cepiſſet: deinde *Ferrarienſi* ſcripſere, ut Ducem ad ſervandam pacis fœdera cohortaretur. Ad ea reſcripſit

C Dux, ſe per oratores, quos *Romam* miſſurus eſſet, reſponſurum: unum velle eos ſcire, ſe pacem optare: quæ vero commiſſa forent, præter ſuam [35] voluntatem accidiſſe. Oratores cum *Florentiam* veniſſent, multis verbis Ducem excuſare conati ſunt, aſſerentes illum omnino ſervaturum pacem, equites inſuper revocaturum, ac urbem redditurum polliciti ſunt, ſi eorum ſaluti, a quibus urbs tradita erat conſuleretur: nolle enim cives qui ſecum ſenſiſſent, adverſæ factionis judicium arbitriumque ſubire. Sperare ſe, ſi qui ex primoribus *Mediolanum* mitterentur, rem procul dubio eſſe conventuram. His dictis cum ſum-

D mam ſpem concordiæ oſtendiſſent, *Romam* profecti ſunt. *Florentini* miſſo ad Pontificem oratore *Marcello Strozza* juris ſcientia claro, variis Ducis fraudibus, Legatique injuriis longo ordine enarratis, cujus opera, & aſtu *Forumlivii* in *Philippi* poteſtatem, licet teſtantis *Ferrarienſis* nomine eam urbem teneri, illo ſpreto veniſſet, cunctiſque quæ per Ducem ad eam diem facta erant expoſitis, pluribus verbis *Martinum* hortatus eſt, ut urbem de ſuo captam, cum tempus daretur recuperare, & e tyrannorum ſervitute eximere vellet: quod facile videbatur fore, ſi in amicitiam, ſocietatemque coirent, illique mandaret,

E ut exercitum domum revocaret. Vana omnia, etſi vera afferebantur, apud exulceratum odio in *Florentinos* animum fuere: ut qui *Philippo* faveret, & illos bello vexari ſummopere appeteret. Excuſatione itaque uſus, quod intentus omni cura in bellum [36] *Aquilanum* contra *Brachium* eſſet, nec

---

24. *Filio impubere.* Thebaldo, decimum annum vix attingente. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. I.*

25. *Ludovici Principis.* Seu Ludovici Aledoſii Imolenſis Vicarii, ut Sigiſmundus Marcheſius *Hiſt. Foroliv. lib. VI.*

26. *Catharina.* Ordelafeæ gentis, Georgii defuncti ſoror, Bartholomæo Fregoſio Genuenſi nupta.

27 *Catharinæ per nuncios exponit.* Tentatum Catharinæ animum a Philippo, ac ea adjuvante Forumlivium captum refert Poggius, & cum eo S. Antonin. *Tit.* 22. *cap.* 8. §. 1. cui adhæret etiam Blondus Flav. *Dec.* 3. *lib. I.* Hoc tamen

F acriter impugnat Scipio Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XVIII. p.* 1000. nunquam enim nec in archivis, nec alio publico in loco ſe comperiſſe ait, huic tractatui Catharinam interfuiſſe, aut operam ullam præbuiſſe.

28 *Plures equitum turmas.* Quadringentos equites Duce Sicco Montagnaneo Lugum mittit Philippus, quod oppidum Ludovicus Cunii comes Nicolai Eſtenſis patrocinio fultus tenebat.

29. *Legato.* Bononienſi.

30. *Ad recuperandum Caſtellum Bononienſe.* Quod Fregoſius ab Antonio Bentivolio exule emerat.

31. *Excitatoque tumultu.* Ab Andrea Ludovici Moratino, & Nicolao Latioſo die IV. Maji prima noctis vigilia. Sigiſm. March. *Hiſt. Foroliv. lib. VI.*

32. *Unde fugiens.* Feneſtris cubiculi, in quo aſſervabatur, noctu dilapſa eſt una cum Matthæo Cimatore, & Amatore de Orciolis *ibid.*

33. *Duciſque equites.* Ut ſupra diximus, Sicco Montagnaneo Ductore.

34. *Duos equitum Præfectos.* Queis tamen præerat Pandulphus Malateſta, cui imperium conceſſum a Florentinis fuerat die XXIII. Auguſti.

35. *Præter ſuam voluntatem accidiſſe.* Culpam enim Ferrarienſi tribuebat, illius nomine paratis inſidiis.

36. *Bellum Aquilanum.* Duo enim Aquilanæ ditionis oppida Brachius occupaverat, & diripienda militibus dederat

1423 nec rebus *Flaminiæ* vacare poſſet, eum miſſum fecit: eo tantum conceſſo, ut revocato *Alphonſo* Cardinalem *Senenſem* [37] (Pontificem maximum *Eugenium* nomine futurum) e *Piceno*, ubi Legatus erat, ad *Bononiam* gubernandam deſtinaret. Dum hæc utrinque aguntur, *Ferrarienſis* eam urbem ſuæ ditionis eſſe palam dictitans, per Oratorem [38] *Florentinis* nuntiat, ſi paterentur *Livii forum* a ſe, aut pueri, aut ſuo nomine teneri, curaturum, ut copiæ Ducis in *Galliam* redirent, quo fieret, ut omne belli ſemen tolleretur. Reſponſum eſt, non eſſe dignitatis Populi *Florentini* prodi ſtatum ſocii, & amici, quem tueri [39] ex fœdere debeant: rectius fore, ſi daret operam, ut oppidum impuberi filio reſtitueretur, neque enim aut ſuæ honeſtatis, aut Ducis eſſe, aliena rapere, neque eſſe prudentiæ ſuæ velle alienam culpam in ſuam traducere: aperte cognoſci hæc omnia a Duce fallendi gratia fingi, ut nulla in re pacem violaſſe videatur. His longe contraria paulo poſt Archiepiſcopus [40] *Genuenſis* ad urbem vadens narravit: mandatum ſibi ab eo aſſerens, ut *Florentinis* referat, ſi quæ fecerit, *Martini* gratia feciſſe: equites Pontifici auxilio miſſos urbem illius voluntate cepiſſe, tanquam locum idoneum, apud quem ſi quo proficiſceretur, quietem capere, & impedimenta tuto relinquere poſſet. Hujuſmodi artibus & aliam Dux adjecit, miſſo *Florentiam* Oratore [41] *Franchino*, juriſconſulto ſummæ auctoritatis viro, qui ſuis verbis diceret, ſe pacem omnino cum eis cupere, quacumque & Pontifex, & *Veneti* vellent conditione; quorum arbitrio pacis leges eſſet permiſſurus. Suaſit præterea, ut oratores ad Ducem mitterent, per quos ſperaret proculdubio rem facile componi poſſe. *Franchino* etſi minime Senatus crederet, parumque fidei haberet, cum ejus verba ad dolum ſpectarent; tamen, ne pacem oblatam ſpernere, aut bellum exoptare exiſtimaretur, extemplo *Bartholomæum Valorium* egregii animi, conſiliique virum, & *Nellum* [42] Juriſconſultum ad Ducem mittit, qui cum *Laudum* perveniſſent viginti millibus paſſuum *Mediolano* propinquum, Ducis juſſu ſe adire prohibiti ſunt: aſſerentis ſe, cum ex ea civitate, quæ peſtilentia [43] laboraret, venirent, niſi poſt quadrageſimum diem eos non auditurum: miſſurum tamen, qui cum eis ſuo nomine de poſtulatis agerent. Ad quæ [44] oratores, ad Ducem ſe, non ad alios ire juſſos reſpondent, neque peſtem ſe, ſed pacem ſecum ferre, quam ſi reſpueret armis decernendum eſſe. Deluſi re infecta oratores retroverſi civitatem ſummo adverſus Ducis fraudes odio incenderunt: Oratio *Bartholomæi* præſertim dolos detegentis animos omnium commovit, qui cum de legatione ſua, deque Ducis tergiverſatione ad populum referret, hujuſmodi habuit Orationem. *Si cum eo viro nobiliſſimi cives nobis res eſſet, in quo*

A *aliquid certi conſilii ineſſet, ac non in horam pro ſuo commodo ſententiam mutaret, dicerem fortaſſis aliqua ex parte ſuorum oratorum pacem præſeferentium verbis credendum eſſe. Sed cum bellum acerrimum inſtet nobis ab eo, qui nulla aut juris jurandi, aut fidei, aut fœderum jura norit, qui toties nos luſerit, ac fefellerit: qui in eo ludo ab adoleſcentia verſatus nullas, niſi decipiendi leges didicerit: non quid dicat, ſed quid agat, non quid loquatur, ſed quo ſpectet, non quid offerat, ſed quid obſervet, eſt animo advertendum. Pacis fœdera miſſis equitibus, ſocietateque cum Alphonſo Legato inita, abrupit: datam fidem ſolvit, jus jurandum ſolemne contempſit.* B *Ea pro nihilo habuit, quæ apud alios ſanctiſſime obſervantur, quibus nulla majora habentur humana vincula inter mortales. Capto Livii foro, non ſua, ſed aliena id factum opera ſimulavit: nunc culpam in Ferrarienſem vertens, nunc præferens Pontificis voluntatem, quæ omnia procul a vero diſtant. Multis variiſque verbis, ac legationibus eluſi ſumus, multis fraudibus appetiti, multis dolis decepti. Nos vero quos ultro ſub pacis ſpecie ad ſe ire* [45] *perſuaſit, qua contumelia ſprevit, deſpexit; inauditos dimiſit? Omnia profecto hujus tyranni conſilia eo pertinent, ut receptaculum propinquum habeat, quo nobis bellum inferre, & parva impenſa vires noſtras debilitare queat.* C *Parentis hic animum induit, & ejus veſtigiis hæret, qui nos ſemper per pacis ſpeciem oppreſſit: hæc fuit cauſſa quærendæ quondam nobiſcum pacis, ut ſubactis Genuenſibus liber vicinorum metu in nos arma facilius verteret. Bello hæc immanis ambitio reprimenda eſt, quæ æſtuat imperandi cupiditate, proinde fraudes virtute ſunt, & viribus ſuperandæ, non dolo, ſed aperto marte tam variæ inſidiæ reprimendæ. Paremus igitur quæ ad bellum gerendum ſpectent, ne ſerpens ille nos imparatos deprehendat, & a ſe tanquam nullius conſilii homines deluſos glorietur: pacem interim ſi vera, non ficta afferat, minime repudiemus, eo tendant* D *conſilia, atque opera noſtra, ut libertatem conſervemus, ut non moviſſe bellum, ſed motum inviti, tractique repreſſiſſe videamur.* Hac legatione renuntiata, conſpectoque Ducis ad decipiendum animo, & a concordia alieno de gerendo bello decrevere. *Martinus* Pontifex, qui rebus Ducis ob potentiam *Florentinorum* timebat, & quia *Brachius* vir bello egregius, & ætatis ſuæ Dux maximus, reique militaris ſcientia omnium judicio princeps, ſperabatur (id enim pollicitus erat) cum tribus equitum millibus *Florentinorum* auxilio venturus, conſpiciens majorem excitari belli molem, quam quæ per Ducem ferri poſſet, E *Antonium* [46] *Luſcum* virum prudentia, & eloquentia ſingulari, Oratorem ad Ducem pro iteranda pace deſtinavit. At dux conſuetis uſus artibus, omnem præteritorum culpam a ſe rejiciendo, illamque in *Ferrarienſem* transferendo, cujus opera urbs capta eſſet, omnino pacem ſe velle 1423

exaſperato in Pontificem animo. Rayn. *Ann. Eccl. To. XVIII.*

37. *Cardinalem Senenſem.* Gabrielem Condulmerium patria Venetum.

38. *Per oratorem.* Joannem Strozzium equeſtris ordinis Florentinum, quem apud ſe educatum & Ferrarienſi civitate donaverat, & opibus auxerat. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. I.*

39. *Quem tueri ex fœdere debeant* Inito in Ladiſlaum Siciliæ Regem fœdere, cautum in eo fuerat, ut ſocii invicem contra omnes ſibi auxiliarentur. Moriens præterea Ordelafus unus ex fœderatis Lucretiæ uxori præceperat, ut F filium Florentinorum patrocinio commendaret.

40. *Archiepiſcopus Genuenſis ad urbem vadens.* Petrus dictus Petrochinus Papienſis, ab Epiſcopatu Terdonenſi ad Novarienſem tranſiit; ab hoc vero ad Genuenſem Archiepiſcopatum vocatus eſt ann MCDXXIX. Hunc pro Mediolanenſi Duce legatione apud Florentinos functum refert Ughelius *Ital. Sacr. To. 4. Col.* 1239.

41. *Oratore Franchino.* Caſtilionenſi.

42. *Nellum.* Martinum Saminiatenſem Juriſconſultum.

43. *Quæ peſtilentia laboraret.* Florentiæ enim quædam peſtilentiæ ſigna apparuerant teſte Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XVIII.*

44. *Ad quæ Oratores, &c.* Tanto contemptu loquutos fuiſſe Oratores negat *Ammirat. ibid.* ſed reſponſum hoc a Poggio confictum ait, oſtenditque ex eo præcipue, quod oratores Thaddæus Vimercatus, & Franchinus ab ipſo Duce miſſi, pronam Domini ſui voluntatem ad pacis conſilia teſtati fuerant, & ad calumniæ ſibi intentatæ expurgationem.

45. *Ad ſe ire perſuaſit.* Per Archiepiſcopum Genuenſem.

46. *Antonium Luſcum.* A ſecretis Martini V. & Poggii collegam, uti compertum eſt ex Baptiſta Poggio *in Orat. Card. Capranicæ. Miſcell. Ballut. To. 3.* Luſcum ſecum colloquentem fingit Poggius ipſe, ubi *de Ruina urbis Romæ. Viſebamus* (inquit) *ſæpe deſerta urbis, Antonius Luſcus vir clariſſimus, egoque, &c.*

47. *Ca-*

1423 le affirmavit, sed urbis reddendæ nequaquam penes se arbitrium esse. *Ferrariensis*, & ipse novi belli dedecus fugiens per oratorem *Florentinos* monet, atque obsecrat, ut pro reintegranda pace, cujus Dux cupidus esset Legatos ad se mitterent: mandata enim ab eo habere, quibus pacem aperte polliceatur, qui conditionibus antea petitis assensurum se promittat. Missis legatis Dux cæteris omissis in eo perstabat, ut qui secum sensissent, tuto, & absque noxa in urbe salvis bonis esse liceret, securique ab alterius factionis injuria forent: hos & antea Dux *Antonio* pollicitus erat, quod haud inique videbatur peti. *Florentini Brachii* promissis multa pollicentis freti, spe victoriæ, omnes ejusmodi aspernabantur conditiones, liberum civium arbitrium *Lucretiæ* filioque permitti postulantes. Facile omnia convenissent, nisi cives nonnulli nimium ad arma præcipites victoriam sibi persuasissent. Ignari profecto, quam sit periculosum felicem sibi fortunam spondere. Pluribus ergo diebus variis collocutionibus nequicquam consumptis, cum ad interponendam moram ea agi viderentur, data spe frustrati *Florentiam* redeunt. Cum variæ excursiones, rapinæque utrinque in *Flaminia* fierent, *Ludovicus Alidosius*, neque Duci, neque *Florentinis* aperte favens amissa *Imola* captibus [47] ad Ducem perducitur. Capta est ea urbs proditione militis, qui ad hostes transiens, cum compertum haberet, quæ arcis pars haud satis firma præsidiis esset, qua arte, & loco capi posset edocuit, ducemque se itineris præbuit: cumque ob aeris intemperiem, hyeme vi frigoris aqua fossæ arcem circumdantis obriguisset gelu, adeò ut iter tutum præberet adeuntibus, nonnullos pedites secum cum scalis ducit, in arcemque, cum somnus alte vigiles nil tale verentes oppressisset, evadit, atque obtruncatis custodibus, cæteros qui in subsidiis erant dato signo mœnia scandere jubet, captaque arce cum magno numero hostes introissent, urbe noctu potiuntur. Tantam [48] calamitatem ab umbra paterna post ejus obitum multis antea annis *Ludovico* prædictam, tempusque urbis amittendæ, & diem designatam ferunt, ut a me in libris de varietate fortunæ pluribus describuntur. *Imola* amissa, iterum ad Pontificem legatio decernitur, quæ duas jam urbes suæ ditionis a Duce occupatas doceret, rogaretque denuo pro communi pace, ut urbes eas repeteret; non enim de propriis, sed Ecclesiæ oppidis certamem esse, quod iis recuperatis facile sedaretur. Ille ex veteri [49] odio cupidus Ducis augeri vires, quo *Florentinorum* (ut ajebat) superbia reprimeretur, cum sua consuetudine non esse id sibi integrum propter [50] *Brachii* bellum respondisset, satisfecisse tamen quoad potuerit eorum precibus, cum Legatum [51] illis longe acceptissimum *Bononiam* miserit, in incepto perstabat: paulo post tamen

Ducis precibus victus, qui Legatum nimis faventem [52] *Florentinis* apud volentem incusabat, hominem removit, & Archiepiscopum [53] *Arelatensem Ludovicum* (qui postea Cardinalis ab eo est factus) urbi præfecit. 1324 1424 Diversis in locis dum hæc aguntur, *Florentini* desperata tantopere quæsita pace, ad bellum gerendum conversi, potestatem Decemviris ejus administrandi pro Reipublicæ salute permisere. Multa interim inter cives variis sententiis jactabantur: asserebant ex primoribus plurimi, necessarium ad tuendam libertatem videri bellum suscipi adversus Ducem, cum levis, aut nulla potius fides in eo esset habenda, quam tam aperte sæpius irritam fecisset. Captam contra fœdus urbem sociam, atque vicinam, & dum se pacis cupidum ostentat, quo remissiores eorum animos reddat, proditione *Imolam* suo imperio adjecisse: proclivem esse eum ad dejerandum, qui tam parvi faceret juris jurandi auctoritatem. Plena dedecore solere videri principia delinquendi; cum vero labi semel cœperis facilem cursum ad nequitiam dari: deterius videri tot [54] legationes illusas, tot verba dolis absumpta, quam abruptam fidem: retinere Ducem paternum odium adversus *Florentinam* libertatem: simulasse illum se pacis cupidum, quo vires amissas instauraret: postea similem sui evasisse: renovare illum cœpisse odia cum progenitoribus habita, & majoribus viribus majores inimicitias exercere: compescendam dominandi libidinem jam surgentem: obstandum principiis esse: facilius enim nascenti malo obviam iri posse, quam corroborato: nullo pacto tolerandam tanti [55] hostis propinquitatem: quæcunque ab eo ad eam diem sint dicta eo spectare, ut tanquam conniventes, ac dormientes *Florentinos* facilius queat fallere. Non literas, non oratores, non suasores, non querelas ullius momenti apud illum fuisse, sed in dies nova parari tendicula, quibus Respublica *Florentina* suis laqueis innecti queat: parandas e vestigio copias esse, in *Flaminiam*que mittendas, quibus mordacis serpentis astus incassum evadant. At vero nonnulli ex senioribus qui pacem malebant, maturius consulendum censebant, minimeque inutilem dicebant, aut perniciosam parvi temporis moram videri, si consilio regatur, cui nil tam adversum habeatur, quam festinatio. Ducem aperte profiteri pacem cupere se, Pontificisque [56] decreto pariturum: quod equites sui egissent corrigi, emendarique posse, cum se inscio dicat eos auxilium deprecantibus tulisse. Expectandum igitur paulum, si quo modo locus daretur resarciendæ pacis. Legationibus mittendis, objiciendis, purgandisque criminibus circumacto fere anno, cum Ducis equites horrentis pacem *Flaminiam* vastarent, Decemviri, qui prioribus suffecti erant, decreto bello *Pandulphum* [57] *Malatestam*, *Ursum* [58] *Ursinum*, *Lu-*

47. *Captivus ad Ducem perducitur.* A Zanone Justinopolitano circumventus.

48. *Tantam calamitatem ab umbra paterna, &c.* Quin imo dum anteriori ad eam calamitatem die librum evolveret a Patre scriptum, in eam incidisse paginam in qua ejus exitium describebatur, narrat Blondus *fine Dec.* 3. quod tamen haud fide dignum puto.

49. *Ex veteri odio.* Quod Florentini Brachio favissent, sibique injurii fuissent, dum Florentiæ morabatur, ut jam dictum est.

50. *Propter Brachii bellum.* Studium nempe liberandi Neapolitani Regni, & recuperandi Patrimonii S. Petri a Brachio occupati vires Pontificias exercebat. Vid. Pellinum *Hist. Perus. lib. XI. p. II.*

51. *Legatum longe illis acceptissimum.* Gabrielem Condulmerium Cardinalem remoto Alphonso Cardinali S. Eustachii, quem ut sibi adversum accusaverant Florentini.

52. *Legatum nimis faventem Florentinis.* Inscio Pontifice fœdus inierat cum Florentinis Legatus. Nam Imolæ & Forilivii occupatione territus Bononiæ timere ceperat. Girard. *Hist. Bonon. lib. XXIX.* & Sigonius *Hist. Episcop. Bonon. lib. III.*

53. *Archiepiscopum Arelatensem Ludovicum.* De Alamanis Sabaudiensem.

54. *Tot Legationes illusas.* Præsertim cum Bartholomæum Valorium, & Nellum Florentinorum legatos se adire non passus est, pestis suspicione dolum tegens.

55. *Tanti hostis propinquitatem.* Urbibus enim paullo ante occupatis, Forolivii, & Imola, propinquior Florentinis factus erat

56. *Pontificisque decreto pariturum.* Pontificem Florentinis infensum noverat, ideo illius arbitrio se suaque committebat.

57. *Pandulphum Malatestam.* Caroli Ariminensis Principis fratrem.

58. *Ursum Ursinum.* A Monterotundo.

59. *Lu-*

1424 *Ludovicum* [59] *Obitium Lucenſem*, *Nicolaum Tolentinam*, *Arditionem* [60] *Carrarienſem*, pluresque [61] præterea Præfectos rei militaris peritos, cum ſex equitum, peditum vero tribus millibus mercede conducunt, Ducemque belli *Carolum Malateſtam*, virum bello, & pace inſignem declarant, qui coacto in unum exercitu caſtra prope *Livii forum* metatus eſt, ſi qua occaſio per ſeditionem ſe offerret urbis recipiendæ. Caſtella quoque [62] aliqua expugnavit: prædæ parum fuit, cum omnia pecora, agreſteſque in urbem comportatis eorum rebus refugiſſent. Summum erat Decemvirum ſtudium in exercitu comparando, quo ſuperior *Philippi* copiis eſſet. Sed non minor inerat cura, ut favore exulum *Genuenſium* urbem tam validam amitteret: quorum exhortationibus adducti, triremes quatuor, & viginti ſub *Henrico Alphonſi* Regis *Aragonum* fratre, *Lucæ Albitii Maſi* equitis filii opera, comparant, quæ portum ingreſſæ, ſi qui tumultus in urbe civium factione orirentur, nihil profecere: Plus etenim apud illos odium [63] in *Catalanos*, naturali, & inſita inimicitia, æternoque pene hoſti valuit, quam exulum benevolentia, quæ haud dubie res in urbe novari coëgiſſet, illoſque admiſiſſet, ſi aliis auxiliis innixi reditum procuraſſent. *Thomas* enim *Fregoſius* haud multo ante tempore Dux patriæ una cum [64] ejectis, cum ad mœnia acceſſiſſet, civeſque ad liberandam ſervitute urbem hortaretur, affirmaretque ſi præſentem occaſionem amitterent, fruſtra eos poſtmodum Deorum auxilia imploraturos, tentatis fruſtra omnibus, capto [65] *Delphini* portu, quod reliquum æſtatis erat oram utramque maritimam frequentibus incurſionibus infeſtam reddiderunt. *Carolus* interea cum *Forumlivii* obſideret, cives ægre paſſi vaſtari late agros, ſeque intra mœnia clauſos teneri, majora ſubſidia ad ſe tuendos (nam ad eam diem ſexcenti [66] tantum equites urbis ſubſidio aderant) a Duce petunt. Miſſi extemplo equitum quatuor millia, *Angelo Pergulenſi* Duce: qui copiis omnibus in unum coactis *Zagonaræ* oppidum, quod Comes [67] *Albericus* tenebat fœdere cum *Lucretia* vinctus, obſedit, ſibique quo tutius ad urbem pateret iter, expugnandum ſtatuit: caſtris juxta poſitis, ac foſſa circumducta ſumma illud vi oppugnare adoritur. *Albericus* diutius oppidum tueri a ſe poſſe adverſus tot copias diffiſus, *Caroli* opem ad tollendam obſidionem imploravit: qui multum ad belli famam conferre arbitratus, eam obſidionem ſua opera tolli, veſperi cum omnibus copiis caſtra movit. Sed e veſtigio iter ingreſſis tanta vis aquæ cœlo die noctuque miſſa eſt, cæque noctis tenebræ incubuere, ut ſummo cum labore

A decem millia paſſuum conficerent: plures aqua redundantes itinere fatigati in via conſtitere: alii per ignotas ſemitas delati longius procul a ſociis aberrarunt. Tandem cum paulo poſt [68] exortum Solem in conſpectum hoſtium ventum eſſet, ſubito in aciem nullo adhibito ordine deſcenderunt. Nam cum major pars quidam firmandis caſtris, alii ſumendo cibo, & quiete feſſis danda occupati eſſent, reliqui, & in his *Arditio* nulla ſumpta quiete, neque curatis corporibus repentino impetu in hoſtes irruerunt, eiſque fuga diſſipatis ad prædam relicto hoſte converſi ſunt, ſpatioque illi ſe a fuga colligendi, inque prælium redeundi 1424
B dato, agmine facto victores ſpoliis intentos aggreditur. Quibus ſuperatis, & alii ſubinde equites auxilio ſuis antea fugientibus occurrunt. Haud dubium eſt *Carolum* victoria potiturum fuiſſe, ſi cæteri Præfecti priorum impetum ſecuti eſſent: ſed dum cunctantur, dum imperium Ducis expectant, ab hoſtibus profligati terga vertunt. Æquo Marte aliquandiu pugnatum eſt. Demum *Florentini*, tum itineris nocturni labore, tum certamine, limoque terræ (omnia enim imber occupaverat) viribus exhauſti ſuperantur, & hoſtis prius ad locum ubi *Carolus* erat pervenit, quam ille ſuos fugatos animadvertiſſet: cujus pru-
C dentia admodum deſiderata eſt, cum neque loco, neque tempore rem fortunæ commiſiſſet. Plures, inter quos ipſe *Carolus* [69] capiuntur; multi ſalutem fuga ſibi paravere. *Urſus* [70], ac *Ludovicus* eo in prælio occubuerunt. *Pandulphus Ravennam*, *Tolentinas Cæſenam* deferuntur, reliqui in hoſtium poteſtatem devenerunt. Ea victoria elatus *Angelus* [71] *Cæſenam*, *Ariminum*que petens, multis in ea regione oppidis, & caſtellis receptis, *Ariminum* haud dubie cepiſſet, niſi *Philippus* [72] id prohibuiſſet. Nam, ut *Carolus* eſt ad eum deduc-
D tus eſt. Abire illum primo quo vellet, venarique, quo exercitio admodum delectabatur, permittens haud multo poſt variis decoratum donis in patriam remiſit. Fuit *Carolus* [73] vir, tum belli, tum pacis artibus egregius, & priſcis illis majoribus meo judicio comparandus: maxima in eo erat auctoritas, tum plurimis virtutibus, tum morum optimorum gravitate contracta: Studiis præterea literarum deditiſſimus, & diſſerendi cum viris doctrina, & ingenio præſtantibus, quibus admodum utebatur cupidus. Fortuna tantum in bello, & felicitas pugnandi defuit, quæ prima in Imperatoribus requiruntur. Tanti
E [74] exercitus clade, quæ anno quarto & vigeſimo ſupra mille quadringentos accepta eſt, Decemvi-

---

59 *Ludovicum Obitium.* Lucenſem appellat Poggius Ludovicum, quia a Luca oriundum, qua ejus majores a Gibellina factione expulſi Pratum venere poſt annum MCCC. Civitate vero Pratenſi, & honoribus præcipuis donati ſunt, ut ter Priores urbis fuerint renunciati, ut videre eſt in eorum ſtemmate quod mihi communicavit Clar. Vir. *Abb. Joann. Baptiſta Caſottus*, qui hæc etiam in ſua quam elaborat Prati hiſtoria fuſius adnotabit.

60. *Arditionem Carrarienſem.* A Brachio una cum ducentis equitibus Florentinorum auxilio miſſum.

61. *Plures præterea Præfectos.* Rannuccium ſcilicet Farneſium, & Chriſtophorum Lavellum. Ammir. *To.* 2. *lib. XVIII. p.* 1010.

62. *Caſtella quoque aliqua.* Ut Sadoranum, & Flumanum. Marcheſius *Hiſt. Foroliv. lib. VI. p.* 364.

63. *Odium in Catalanos.* Ab anno MCCXCI. ad hæc uſque tempora non intermiſſum. Odii origo non aliunde eſt, quam ab auxilio Piſanis occulte in Genuenſes præſtito. Bellum ex Genuenſi navi a Catalanis capta initium habuit. Renovata odii, & belli cauſa eſt propter Liguſticam oram a Petro Aragonenſi Rege, qui Sicila potitus erat, devaſtatam. Quod ut ulciſcerentur Genuenſes Catalauniæ oram ipſi quoque Duce Antonio Grimaldo ſunt populati, & apud Baleares cum hoſtibus congreſſi eos fuderunt. Foliet. *lib. V. & VI.*

64. *Una cum ejectis.* Quos inter Nicolaus, & Joannes Ludovicus ex Fliſcorum gente.

65. *Capto Delphini portu.* Nec non Segeſto, & Moneila oppidis in Orientali ora ſitis.

66. *Sexcenti, &c.* Sicco Montagnaneo ut diximus Ductore.

67. *Comes Albericus.* De Cunneo.

68. *Poſt exortum ſolem.* Die XXIV. Julii.

69. *Carolus capitur.* Ab equo pugnando dejectus.

70. *Urſus.* Urſinus in aquæ pluvialis ſtagno demerſus, & Ludovicus Obicius occiſus. *Ammirat. lib. XVII.*

71. *Angelus.* Pergulenſis.

F 72. *Philippus.* Carolum Malateſtam captivum benigne excepit, deinde honoribus cumulatum liberumque dimiſit.

73. *Fuit Carolus, &c.* Ejus elogium videre eſt in *Hiſt. Ariminenſi Cæſ. Clementini lib. VIII. p.* 223. & in Blondo Flavio *Dec.* 3. *init. lib. II.*

74. *Tanti exercitus clade.* Florentinos exercitu, & ducibus ſpoliatos ſubigere facile potuiſſet Philippus, ſi arce Mediolanenſi, ubi morabatur, egreſſus rei bene gerendæ occaſionem non amiſiſſet. ut Flav. *Dec.* 3. *lib. II.*

75. Bra-

1424 viri novis comparandis copiis omni studio intenti Oddonem Brachii [75] apud *Aquilam* commisso prælio interfecti filium adolescentem cum exercitus paterni reliquiis, qui equites ad mille ducentos erant, conducunt: cumque Præfecti munia nequaquam obire per ætatem posset, *Nicolaum Piccininum* alæ equitum sub patre Præfectum, cujus consilio in rebus gerendis uteretur ei attribuunt: qui cum in *Etruriam* venisset, in *Valle Lamonis* incursione facta ab agrestibus, ac *Montanis* ita interclusus, ut neque regredi, neque progredi posset, pugnando interficitur; reliquis aut captis, aut dissipatis *Nicolaus* [76] *Faventiam* captivus perducitur, quam *Guidantonius Manfredus Mediolanensis* in eo bello partes secutus regebat. Eum *Nicolaus*, qui in libera custodia erat, hortari, ac monere non destitit, ut *Florentinis* potius propinquis, quorum opera promptiori ad se juvandum uti posset, quam longe absenti, cujus auxilia in adversis tardiora futura essent, faveret: majoris enim pendendum esse propinqui hostis metum quam spem auxilii procul remoti. Accesserat antea *Guidantonius Mediolanum*, ut *Carolum* [77] avunculum bello captum salutaret, videretque: ubi in multorum præstantium virorum cœtu cum de rebus in *Flaminia* gestis sermo exortus coram Duce esset, ac *Guidantonius* partam victoriam laudibus tolleret, sibique ex ea non nihil gloriæ vindicaret, castigatus est acriter verbis a *Carolo*, asserente illum stulte nimium fecisse, qui Ducis amicitiam ab se longinqui, & a quo nihil unquam beneficii percepisset, *Florentinis* proximis, quorum Respublica [78] diuturnior esset futura, & a quibus in suos nonnulla extarent merita, prætulisset. Quæ verba cum penitus pectori hæsissent, facile apud eum coaluere. Accessit ad flectendum animum, quod ingentia Ducis promissa nullo in loco apparebant, & Decemviri, tum pecuniis, tum pollicitationibus impulerunt, ut meliora consilia secutus descisceret ad tutandam Rempublicam *Florentinam*, quæ maxime eo bello opera illius sustentata est, ac defensa: omnis enim ferme belli moles in *Faventinos* conversa est, & Duce defectionis injuriam ulcisci quærente, & *Florentinis* pro illius urbis salute, tanquam pro communi patria pugnantibus. *Nicolaus* quoque dimissus, copiarum omnium, quæ sub *Oddone* militaverant Dux [79] declaratus. Post acceptam calamitatem, pluraque amissa castella *Renaldus Albitius*, *Verius*que *Guadagnius* oratores ad Pontificem decernuntur, qui petant, ut Urbes per Ducem captas, etiam se adjutoribus recuperaret: sublatas esse defuncto *Brachio* quas antea retulisset difficultates: facillimum fore, si animum intendat, Ducis copias *Flaminia* pelli, eamque restitui in Ecclesiæ ditionem pos-

A se. Quererentur quoque nimios favores per Legatum *Bononiensem* contra *Florentinos* hostibus suis impendi, quibus arma, equi, vestes, commeatus, liberum iter subministraretur, suis vero his omnibus interdici, plusque odii ab eo in se, quam ab adversariis ostentari. Periniquum videri tantas suppeditari opes illi, cujus Pater, avus, Patruus, majores omnes semper hostes se *Romanorum* Pontificum præbuissent, eorumque [80] imperium occupassent: oppugnari autem eos, qui omni ope Sacrosanctam *Romanam* Ecclesiam defendissent, quarum rerum recens [81] adhuc extaret memoria: rogare Pontificem, ut illi man- B det, si aut nequeat, aut nolit *Florentinis* adesse, saltem ab injuria abstineat: postulare Pontificis dignitatem, ut se æquum judicem nulli faventem parti inter armis decernentes præbeat, quamquam æquius videretur, & Pontificis officio dignius his favere, qui pro restitutione rerum suarum sumpsissent arma, quam cum eo sentire, qui bona Ecclesiæ usurpasset. Hæc quoque Legatio a *Martino* contemta est, asserente quamvis *Brachius* sublatus esset, ut *Perusium* tamen, cæterasque Urbes *Romæ* propinquas quas ille inique possedisset, recuperaret, curam rebus cæteris præferre; quod ad Legatum vero attineret, displicere C sibi, ait, si in partem Ducis declinaret: scripturum se tamen, ut neutri faveat parti; quo responso perspectum est, cupere *Martinum* bellum protrahi, & in eo Ducem superiorem esse. Alii subinde legati *Venetias* missi, *Pallas Strozzius* eques, & *Johannes Medices*, qui dolos [82], & fraudes Ducis in violandis pacis fœderibus exponerent, cum per varias simulationes, dissimulationesque duas Ecclesiæ urbes ceperit, multaque præterea sociorum suorum oppida, quo ex propinquis locis *Florentinos* invaderet: palam a suis dictitari, non depositurum arma Ducem, quoad paterni imperii in *Etruria* urbes, & loca recupe- D rarit, quæ omnia partim Pontifici, partim populo *Florentino* parerent. Cogitarent [83], consultarentque quid agendum foret: non esse tutum [84] augeri potentiam Ducis varia versantis animo, & a fortunæ [85] beneficio animum sumentis: reprimendum videri furentis ambitiosi impetum, cui nec sua, nec aliena satis videantur. Illum verbis offerre pacem, re bellum gerere acerrimum: non positurum cupiditatem dominandi, si *Tusciam* subegerit, sed majora, ut est captus hominum, animo versaturum, quo *Genuam* omni auxilio derelictam expugnaret: fecisse postea cum eis ad decennium pacem, quo securus a *Venetis*, E *Florentinos* debellaret: eos si sibi obedientes fecerit, *Venetos* proculdubio appetiturum, quo paternas [86] urbes recipiat. Ideo cum sint prudentissimi futuræ tempestati, dum tempus detur, pro- 1424

75. *Brachii apud Aquilam interfecti.* Cum mentitis vestibus, ne ab hostibus in se unum tendentibus agnosceretur, pugnaret, a Perusinis exulibus quos urbe ejecerat agnitus, occisus fuit. Leon. Aret. *Hist. Ital. rer. Summont. lib. IV. cap. 3. Corius vero p. IV.* refert Brachium ad deditionem invitatum a quodam Fulginato, & ab eo, cum se dedere noluisset, occisum. Hujus elogium habetur in *Dialogo* Benedicti Accolti Aretini *dæ Præstantia Virorum sui ævi. Parmæ p.* 25.

76. *Nicolaus Faventiam captivus, &c.* Una cum Francisco ejus filio, Matthæo Castellano Florentinorum Commissario & Comite Nicolao Ursino. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XIX.*

77. *Carolum avunculum.* Ex sorore nepos Caroli Guidantonius.

78. *Quorum Respublica.* Reipublicæ vita, quam Regum diuturnior.

79. *Dux declaratus.* Nonnulli Nicolao Piccinino Oddonis tribuunt, qui eum e medio tollere sit molitus, ut summam imperii auctoritatem sibi deferendam curaret. Vid. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. XIX.*

80. *Eorumque imperium occupassent.* Bononia præcipue ab Archiepiscopo primum, deinde a Galeatio occupata.

81. *Recens adhuc extaret memoria.* Pisis enim concilium ad schisma tollendum haberi siverunt, & in Ladislaum pro Pontifice arma sumpserunt.

82. *Dolos & fraudes Ducis, &c.* Suis in Orationibus contra Ducem, exordium ab ejus fraudibus & dolis sumit, ut auditorum animos in ejus odium commoveat; & ab iis, quæ velit, facile exprimat.

83. *Cogitarent, &c.* A sui periculi consideratione.

84. *Non esse tutum augeri potentiam ducis.* Imitatur Poggius *Xenophontem lib. V.* ubi Cligenes Orator Græcos omnes in Olynthios movere studens ait: ἐννοήσατε δὲ καὶ τότε, πῶς εἰκὸς ὑμᾶς, πολὺ μείζονος ἀθροιζομένης δυνάμεως μὴ ἀμελῆσαι, καὶ ταύτης οὐ κατὰ γῆν μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ θάλατταν ἰσχυρᾶς γιγνο- F μένης. Hoc est *non esse sanæ rationis, cum longe major potentia in unum coalescit & maxime terra marique confirmatur, eam negligere, ac minime curare.*

85. *A Fortunæ beneficio animum sumentis.* Sic Xenophon. *ibid.* καὶ γὰρ ἴσως ὁ Θεὸς ἐποίησεν ἅμα τῷ δύνασθαι, καὶ τὰ φρονήματα αὔξεσθαι τῶν ἀνθρώπων. Nempe *Deus scilicet effecit quod una cum potentia hominum animi crescant.*

86. *Paternas urbes.* Veronam, & Vincentiam, quas Galeatius

1424 providendum videri. Salubre eſſe obviam [87] ire futuris periculis, & præoccupare venturæ tempeſtatis damna: aut enim pace quieti *Italiæ* conſulendum eſſe, aut bello inſanam temeritatem contundendam. Se quidem optare pacem, quam ſi Dux reſpuat, armis decernendum fore potiusquam ſerviendum. Reſponſum eſt, Oratores [88] ſe, qui de pace agerent ad Ducem miſſuros, qui cum ad eum veniſſent verba ambigua, & dolis plena retulerunt. Ad *Sigiſmundum* quoque Imperatorem Legati profecti, qui injurias erga ſe Ducis narrarent, hortarenturque ad coronam in urbe capiendam. Ad eam rem, & pecuniam in ſumptus, & milites pollicerentur. Dum hæc a Pontifice, & a *Venetis* poſtulantur, *Pergulenſis* partitis copiis in agrum *Florentinum* ingreſſus, *Porticum* oppidum a ſe captum diripit. *Doadola* deinde, *Caſſiano*que, & compluribus caſtellis *Flaminiæ* in poteſtatem redactis *Caſtrocarum* obſedit: reliqui in vallem *Balneam* deſcendentes, cum quædam caſtella ſe illis dediſſent, omnia rapinis, incendiis, ſpoliis, cæde nullo ſexus diſcrimine fœdarunt. Arcem *Gorzani*, ad quam cum omni ſupellectili pretioſiori, *Gherardus* [89] *Gambacurta* ejus Oræ Princeps confugerat, diutius oppugnatam deſperata victoria reliquere: obſidio quoque *Caſtricari* adveniente hyeme omiſſa eſt. His actis *Pergulenſis*, dimiſſis in hiberna militibus accerſitus ad Ducem abiit. *Florentini* augendis copiis intenti *Berardinum Ubaldinum*, virum armis nobilem in eorum præſidium cum duabus turmis equitum exciverunt, qui Decemvirum juſſu *Faventiam* profectus eſt. *Philippus* interim, ut novo bello *Florentinos* diſtineret, in *Etruriam* ad *Caroli Malateſtæ* oppidum, quod *Burgum ſepulchri* vocant, eos equites quos *Angelus* habuerat, pluresque præterea miſit, quibus *Guidonem* præfecit *Torellum*, ut agrum *Aretinum*, vicinaque oppida infeſta bello redderet. *Franciſcum* vero *Sfortiam*, quem patre defuncto Pontificis [90] opera cum duobus equitum millibus conduxerat, in *Faventinos* ire juſſit, quo duplici bello hoſtium diſtractæ copiæ ſuis impares robore eſſent. Ad ejus regionis tutelam, ne deſtituta præſidio videretur deſtinatus *Ubaldinus*, plurimis levibus præliis cum hoſte commiſſis, demum *Torelli* aſtu in inſidias [91] pugnando deductus, cum diu ſummis utrinque viribus certatum eſſet, tandem numero, & viribus impar hoſte ſuperante capitur: multi eo prælio ceciderunt: pluribus captis, pauci fuga evaſere. Non minor hæc, quam apud *Zagonaram* adverſo tem-
1425 pore accepta plaga multorum animos terruit, cum omnis ea ora ad victoriam Ducis mentem flexerit. Is qui ſecutus eſt annus, qui fuit quintus, & vigeſimus ſupra mille quadringentos, difficilis ſane, formidoloſusque *Florentinis* fuit. Nam & plura [92] *Aretini* agri caſtella ad hoſtem defecere, & *Nicolai Piccinini* ad Ducem tranſitus rem *Florentinorum* admodum debilitavit. Cum enim *Nicolaus Tolentinas* ſubſidio *Aretinis* miſſus eſſet, *Piccininus* quoque eo cum ſuis copiis ex *Fla-*

A *minia* ire juſſus, iter per ſuperiorem *Arnum* præmiſſis equitibus feciſſet, exploratis & ſitu, & munitionibus oppidi, cum in *Aretinum* agrum veniſſet, relictis *Florentinis Torello* hæſit, ſive majoris ſpe præmii, ſive (ut ipſe aſſeruit) Decemvirûm multa pollicentium, parva ſervantium injuriis impulſus. Tanti ducis tranſitione, quam falſo *Faventiæ* inter eum, & *Philippum* firmatam quidam auctores ſunt, maxime *Florentini* ſunt conſternati, cum ſuæ vires diminutæ, & hoſtis auctæ eſſent: neque enim dubium erat, quin ſi *Torellus Piccinini* conſilium ſecutus eſſet, magnam calamitatem *Florentina* Reſpublica acceptura fuiſ-
B ſet: hortabatur namque hominem, cujus ſuprema in ea regione poteſtas erat, ut e veſtigio in *Vallem Arni* oppidis refertam, mediamque *Aretium* inter, & *Florentiam* deſcenderet; profligato enim *Ubaldino*, nullum præſidium hoſtibus in his locis eſſe; facile fore, ut omnibus ejus regionis oppidis potirentur. Sperare ſe primo impetu cuncta conſternata metu, ſuiſque auxiliis diffidentia in poteſtatem ventura; quod ſi accideret, ſecluſa a præſidio *Florentinorum Aretina* civitas, omnique ſpe deſtituta ad Ducem deficeret: *Cortonam* quoque *Aretinorum* exemplum ſecuturam. Et haud dubium, ſi ejus conſilio *Torellus* ſtetiſ-
C ſet, magnum rerum motum in eis locis fuiſſe futurum, territis præſertim omnibus, & ad reſiſtendum repentino hoſti imparatis. Sed dux cautus, necdum ſatis fortunæ fidens, incertæ ſpei tutius conſilium prætulit. Itaque in eiſdem locis captis pluribus caſtellis, tota hieme eſt commoratus. Dum hæc inter ſpem metumque agitantur, tres a *Florentinis* oratores ad Pontificem mittuntur, *Renaldus Albitius*, *Nellus* jureconſultus, *Angelus Philippi* filius *Pandulphinus*, oratum, ut pacem inter ſe, & hoſtem pro *Italiæ* ſalute componeret. Hi multis verbis ad ejus officium, dignitatemque, cum Pater eſſet communis omnium
D Chriſtianorum, ſpectare affirmabant, primum tutari civitates, & provincias *Romanæ* Eccleſiæ ſubjectas, eaſque a tyrannis eruere; deinde auctorem, & arbitrum eſſe pacis, cum ſciret qui fructus ex bellis prodeant, & martem eſſe communem, ſæpiuſque eos, qui primo viciſſent, mutata poſtmodum fortuna victos ſuccubuiſſe: debilitatam eſſe multorum [93] proditione ſuam Rempublicam, ſed adhuc multum ſupereſſe virtutis, & virium, & pecuniarum, quibus exterorum, ſi ſua deeſſent, auxilia implorarent. Miſſus inſuper *Venetias Laurentius Rodulphus*, omnis divini humanique juris peritus, ac magnæ in
E Republica auctoritatis, qui eos ad ſocietatem, & commune fœdus contra potentiam tyranni hortaretur, quem doceret non eſſe eo animo, ut rebus ſuis, & parta de ſe victoria acquieſcat: raptum illum dominandi cupiditate, ad violandam contractam ſecum pacem; ſimul ac *Florentinos* debellaſſet [94], arma adverſus *Venetos* moturum. Deſtinaſſe illum ſibi *Italiæ* imperium, quod ut facilius conſequi poſſet, *Genuenſes* primum ſubegiſ-

leatius moriens Joanni Mariæ teſtamento reliquerat.

87. *Obviam ire futuris periculis.* Potiuſque anticipare, quam expectare inſidias, ut *Thucydides lib. I in Oratione Corcyreorum ad Ath.* καὶ προεπιβουλεύειν αὐτοῖς μᾶλλον, ἢ ἀντεπιβουλεύειν.

88. *Oratores &c. ad Ducem miſſuros.* Ob hanc rem plures enumerat oratores ad Philippum a Venetis miſſos Petrus Juſtinianus *Hiſt. Ven. lib. VI.* hoc eſt Andream Contarenum, Laurentium Bragadenum, & Nicolaum Maripetrum. Nova quin etiam Legatio per Petrum Corrarium eloquentiſſimum virum miſſa.

89. *Gerardus Gambacurta.* Aurum omne ex Piſarum venditione a Florentinis exactum una cum ſupellectile illuc adduxerat.

90. *Pontificis opera.* Licet a Florentinis duplex oblatum foret ſtipendium. *Cor. p. V.*

91. *In inſidias pugnando deductus.* Apud Anglarium fugam ſimulantes hoſtes Ubaldinum in inſidias deduxere, ibique ex latebris prodiens Guido Torrellus incautum oppreſſit.

92. *Plura Aretini agri caſtella.* Adverſi hujus prælii fama Tiſernates, & Petramalenſes ad defectionem excitavit. De Aretio, & Cortona actum quoque fuiſſet, ni Piccinini illic commorantis opera in fide manſiſſent. Blond. Flav. *Dec. 3.*
F *lib. II. Corius p. V.*

93. *Multorum proditione.* Nempe Comitis Alberici, Chriſtophori Avellii, Actii de Comitibus de Romena, Guelphi Comitis de Doadola, Antonii Franciſci de Pontadera, & Nicolai Piccinini, qui omnes in prætorio palatio proditorum more pede ſuſpenſi depicti fuerunt. Scip. Ammir. *p. I. T. 2. lib. XIX.*

94. *Ac debellaſſet, arma adverſus Venetos moturum.* Eodem argumento utuntur Corcyræi, apud *Thucydidem lib. I.* ut Athenienſes adverſus Corynthios moveant, ſibique belli ſo-

1415 egiſſe, quo par eis claſſe maritima eſſet: plures inſuper urbes paternæ ditionis, quæ defeciſſent, in poteſtatem redegiſſe. Appetiſſe deinde debiliorem partem, ut ea victa validiores aggrederetur. Ideo illum ſocietatem cum *Venetis* exoptaſſe, quo *Florentinos*, ſi adverſus eos arma moviſſet, deſtituerent: ſed tanti facturum *Venetorum* fœdus, quanti fecerit *Florentinorum*: nullam fidem habendam eſſe verbis, aut promiſſis ejus, qui tam aperte ſe contra pacis conditiones fefelliſſet. Proinde dum *Florentinis* adhuc vires ſuppeterent, id ſuſciperent bellum, quo ſumma gloria, ingentes opes, magnum imperium illis pararetur. *Veneti*, etſi vera quæ dicerentur videbantur, tamen ex Senatus auctoritate reſpondent: antiquam *Philippi* amicitiam [95], ſocietatemque obſtare, quo minus fœdere jungantur: oratores tamen ad eum ſe miſſuros ex principibus civitatis, qui eum ad pacem hortentur, moneantque, ut ab armis deſiſtere velit, ne quod jure nequit, vi & injuria aſſequi velle videatur. Legati *Mediolanum* profecti, ut renuntiarunt Ducem verbis rem protrahere, & diem ex die ducere, aliudque [96] hominem quam lingua oſtentaret, pectore verſare, extemplo nonnulla inceſſit ſuſpicio, ne parta victoria, quam animo conceperat, omnis belli moles in ſe converteretur. Suſpenſos itaque conſilii, & incertos animos erexere verba *Franciſci Carminiolæ*, qui invidia, communi regnorum malo, maximis rebus geſtis extra Ducis fines profugerat. Is cum omnia Ducis conſilia calleret, affirmavit proculdubio illius eſſe animum, ut ſubactis [97] *Florentinis* ad *Venetos* transferret arma, multiſque verbis perſuaſit, ut dum facile illius conſiliis obviam iri poſſet, curam libertatis ſuæ ſervandæ ſuſciperent. Orator quoque *Laurentius* [98] hortando, monendo, ſuadendo, futura monſtrando pericula jam multorum animos flexerat. Quod intelligens Dux, multorum quippe jam ſententiæ vulgatæ erant, denuo oratoribus [99] *Venetias* miſſis, iiſdem quibus ſe pacis cupidum ſimularat artibus rem protrahebat. Eis vero qui penes Pontificem erant, ut de reconciliatione *Florentinorum* agerent, mandat, ſuſpicatus fore, quod ſummopere appetebat, dum pax tractando differretur, ſe quibus vellet conditionibus *Florentinos* in *Etruria* oppreſſos obſtricturum. At *Laurentius* eorum quæ in urbe agebantur ignarus, occulta, & ad dolum ſpectantia Ducis verba, conſiliaque evolvens, quæ antea ab eo dicta erant, pluribus recenſebat, orans *Venetos*, ut privatæ [100] quoque libertatis, quæ ſua deperdita in diſcrimine verſaretur, rationem haberent. Notam eſſe Ducis mentem, qui quo magis oſtentat verbis pacem, eo magis ad belli curam ſpectaret: Ducis fidem ex ſe cognoſcere vellent, quos ille fallaci

A ſemper pacis commemoratione decepiſſet; nequaquam fore contentum infinitæ ambitionis virum patriæ ſuæ ſpoliis: majora illum appetere: nullam fidem [1], nullum jusjurandum apud eum ſanctum eſſe: majora auſurum, ſi prima ſuccedant: proinde de ſalute propria cogitarent: *Venetorum* agi rem ea ſocietate, qua profecto aut utraque Reſpublica ab illius inſidiis tuta redderetur, aut Ducis vires minuerentur. Quæ verbis ſæpius iterata multorum civium mentem inclinarunt ad firmandam cum *Florentinis* ſocietatem. Legati vero *Philippi* non ab eo, ſed a *Florentinis* teſtabantur pacem abruptam eſſe, cum *Liburni* portus caſtello empto, *Thomam* [2] *Genuenſium* Ducem, cui B bellum intulerat, grandi pecunia juviſſent. *Laurentius* manifeſtum id, novumque calumniandi genus aſſeverabat: nulla enim lege, nullo inſtituto, nullo fœdere prohiberi *Florentinos* emere portum, qui paulo antea *Piſanorum* finium extitiſſet, quæ cum omnibus humanis, diviniſque a *Gabriele Galeatii* filio ducentis millibus aureis empta fuiſſet. Itaque nullam cenſeri debere injuriam cuiquam factam eſſe, ſi *Piſanorum* jura præter juſtitiam occupata propriis ſumptibus recuperaſſent: nihil a Duce ineptius afferri poſſe, quo a ſe exorti belli culpa amoveri queat. *Car-* C *miniola* interim, qui *Tarviſii* morabatur, aſtu [3] Ducis veneno appetitus, re per ancillam detecta, ac ſceleris auctore ſecuri percuſſo, *Venetias* profectus palam *Philippi*, qui ſe immeritum veneno tollere curaſſet, iniquitatem queſtus eſt, multa diſſerens de infeſto illius erga *Venetos* animo, non pacem, ſed bellum pectore verſantis, quod in tempus magis opportunum differret. Arriperent ergo occaſionem, & oblatam in tempore peſſundandi ſerpentis dolo, & nequitia miſcentis omnia facultatem: ſe duce ſi uti velint, vires tyranni in arctum redigi poſſe, & eo deduci, ut ne minimum quidem periculi ab eo imminere queat. D Cum variæ civium ſententiæ eſſent, partim præſenti, partim futuræ paci conſulentium, tandem & *Laurentii*, & *Carminiolæ* conſiliis moti de ſocietate agere cœperunt. Oratoribus itaque Ducis reſponſum: per Legatos ſe illi antea ſignificaſſe, niſi infra *Galliæ* metas, quas ſuo beneficio dilatarit, acquieſcat, *Venetos* ei hoſtes futuros: qua in ſententia tum etiam perſtare, eaque perſeverare in animo eſſe, niſi ab armis diſcedat. Illi rem verbis trahere ſpe pacis, quæ *Romæ* inter Ducem, *Florentinos*que jam pro confecta habebatur. Ægre ferebat Dux, *Venetos* præter fœdus antea inter eos initum ſibi belli gerendi leges E imponere, præſcribereque, quibus terminis acquieſceret, omnique opera & ſummo cum ſtudio pacem firmare cum *Florentino* populo ſtudebat, ut rebus *Etruriæ* compoſitis in *Venetos* arma transfer- 1425

ſocietate conjungant, imo eiſdem pene verbis. καὶ προκαταλαμβάνοντας ἡμᾶς νῦν, ἐς τὴν ὑμετέραν ἐπιχείρησιν.

95. *Philippi amicitiam ſocietatemque obſtare, quo minus fœdere jungantur: oratores &c.* Idem reſponſum Romani dedere Campanis auxilium adverſus Samnites petentibus. *Auxilio vos Campani dignos cenſet Senatus, ſed ita vobiſcum amicitiam inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia ac ſocietas violetur. Samnites nobiſcum fœdere juncti ſunt &c. Legatos, ſicut fas juſque, ad ſocios, atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat.* Liv. lib. VII.

96. *Aliudque quam lingua oſtentaret, pectore verſare.* Hujus notæ homines præ ceteris ab Achille peroſos refert Homerus *lib. IX.* Iliad.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

97. *Subactis Florentinis ad Venetos transferret arma.* Imitatur Poggius *Herodotum lib. VII.* ubi Athenienſes, & Lacedæmonii Gelonem Siracuſarum Tyrannum in ſuas partes adverſus Xerxem traducere tentant, hoc præcipue argumento: *Neque enim ſperaveris Perſam, ſi nos victor prælio everterit, in te non eſſe venturum: quin immo hoc ante caveris.*

98. *Laurentius.* Rodulphus Florentinus.

99. *Oratoribus Venetias miſſis.* Beltrando Lumponiano, & Joanne Aretino, qui Galeatii fuerat ab Epiſtolis.

100. *Et privatæ quoque libertatis.* Non enim majori argumento, quam libertatis tuendæ Venetos moveri poſſe putabant Florentini, quod nunquam ſervitutem paſſi eſſent.

1. *Nullam fidem, nullum jusjurandum, &c.* Eadem ratione Lacedæmonii apud *Herodotum lib. VIII.* Athenienſes in F Mardonium ſollicitant. εἴπερ εὖ τυγχάνετε φρονέοντες ἐπισταμένοισι, ὡς βαρβάροισί ἐστι οὔτε πιστὸν, οὔτε ἀληθὲς οὐδέν. Quod idem eſt ac, *Si recte ſapitis, nihil barbaris eſſe, neque fidum, neque verum.*

2. *Thomam.* Fregoſium.

3. *Aſtu veneno appetitus.* A Joanne Luitprando Mediolanenſi qui exul Tarviſii morabatur. Huic Dux & reditum, & pecuniam pollicitus erat, dummodo Carminiolam veneno tolleret; quo ab ancilla detecto, Luitprandus capite mulctatus fuit. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. II.*

1425 ferret; quam rem & ipsi veriti societate cum *Florentinis* jungi exoptabant: sed lentius id agebatur, quo meliori sua conditione in leges fœderis veniretur. *Florentinorum* quoque animi ad eorum societatem, quam ad pacem Ducis semper dubiam, quamvis leges dicerentur æquissimæ, proniores erant. Pontifex, ut audivit *Venetos* ad eam societatem proclives, quam ad eam diem rejecerat, quærebat, ac suadebat pacem, non tantum suo, quantum amicorum consilio impulsus. Erant enim plures infensi *Venetis*, quorum vires (quoniam auctoritatem Pontificis contemnere, atque insolentius abuti rebus Ecclesiasticis viderentur) diminui cupiebant. Et jam de pace, ignorantibus [4] *Florentinorum* Legatis quæ *Venetiis* agerentur, conventum erat; ut utrinque ablata restituerentur, utque equites peditesque omnes in *Galliam* redirent; cum literæ a Decemviris supervenient imperantes in octavum diem rem procrastinando protrahi: interim *Laurentio* significant, nisi infra biduum de societate amicitiaque decernat, *Romæ* per Pontificem cum hoste de pace actum esse: itaque mature facto opus esse, ne siquid præter spem eveniret, sibi non prædictum affirmarent. His renuntiatis, *Veneti* haud ignari *Philippi* animum a se alienum, & ad ulciscendum paratum, e vestigio omnibus posthabitis, fœdere [5] icto, in amicitiam, societatemque * ad Ducis vitam veniunt, conditionibus adjectis, ut communibus stipendiis sexdecim equitum, octo peditum millia belli tempore conducerentur, classisque [6] maritima, & in *Pado* haberetur: utque pacis, ac belli arbitrium penes *Venetos* esset: quæ in *Gallia* caperentur *Venetis*, in *Flaminia* & *Etruria Florentinis* cederent. *Parma* quoque, si expugnaretur, aut a *Philippo* deficeret, *Nicolao Ferrariensi*, qui cum *Francisco Mantuæ* Regulo fœderi ascriptus erat, adjiceretur; Isque *Florentinorum* exercitus dux declararetur, summaque imperii penes illum esset. Vulgato fœdere, cui *Amedeus Sabaudiæ* Dux *Philippi* opes, ac potentiam veritus, *Senenses*que accessere, legatisque ex Urbe [7], pace Ducis rejecta, *Florentiam* revocatis, omni aliarum rerum cura omissa, ad bellum parantur; *Nicolaum*que *Tolentinatem* ducem belli peritissimum, nonnullos præterea præfectos, cum sex equitum, tribus peditum millibus in *Galliam* auxilio *Venetis* mittunt, qui collectis undique copiis, ac valido, præstantique exercitu comparato, ducem *Carminiolam* designant, virum ea tempestate rei militaris præclarissimum, ac odio [8], ut prædicabat, adversus *Mediolanensem* acerbo. Antea tamen quam novi quicquam tentarent *Veneti* (nam & *Alphonsus Aragonum* Rex *Philippum*, *Genuenses*que exosus, fratrem cum classe haud parva adversus *Genuenses* se missurum in illorum gratiam promiserat) iterum a Duce per [9] oratores postulant, ut infra *Galliæ* fines se teneat, pacem, ac concordiam cum *Florentinis* firmatam servare velit, cujus se sponsores fore in futurum affirmant, si ut palam dictitabat illos eam violaturos dubitaret: quæ ad eam diem bello occupasset restitueret: ni pareat bellum indicant. Copiæ interim omnes in agrum *Veronensem*, & loca *Brixiæ* propinqua ire jussæ. Dux perplexe, ut certa sententia ex ejus verbis elici nequiret, dato responso, nequaquam ea belli denuntiatione territus, & ipse copias, quæ dispersæ erant, contrahit: equitatum, peditatumque omnem, qui in *Etruria*, *Flaminia*que bellum gerebat, accersit, nihilo quam antea inconsultius rem gerens, sed pristino more seclusus, conspectumque hominum fugiens bellum per internuntios administrabat. In magno ab utrisque apparatu studens *Carminiola* aliquo egregio facinore initium fieri decertandi, arcis *Brixiæ* sublimioris custodes pecunia, & ingentibus promissis ad desciscendum allicere conatus, cum id parum processisset, *Guelphorum* [10] secta Duci maxime adversa in suam sententiam traducta, nocte muris [11] effractis cum magna exercitus parte urbem ingressus, eam regionem, quam *Guelphi* tantum inhabitant, occupat, quo die (sic enim 1426 constitutum erat, ut Duci pluribus locis se tuendi necessitas imponeretur) *Ferrariensis* agrum *Parmensem* depopulatus, magnam hominum pecorumque prædam abigit. At *Philippus* veritus, ne dux sagax *Carminiola* aliquem dolum in civitate *Brixiæ* sibi suspecta moliretur, ad prohibendos novos motus, ac cives metu in officio continendos, præfectum [12] alæ equitum ad urbis præsidium proficisci jubet, qui urbis defectione audita, in eam partem, quæ a *Ghibellinis* incolitur, profectus, eos diversæ factionis odio in fide continuit. Hujus urbis, quoniam summis viribus, maximoque odio & defensa, & expugnata longiori obsidione fuit, necessarium videtur situm paucis describere, ut quæ urbem tam munitam, tam validam difficultas expugnandi fuerit, legentibus constet. *Brixia* tribus millibus passuum in circuitu patens, tres firmissimas arces continet. Prima in monte qui urbi imminet sita, separata a mœnibus, duplici latoque muro, ac frequentibus turribus cingitur. In ejus medio area ampla est, inque ea turris ingens egregii operis a reliquis ædificiis disjuncta. Paulo inferius ab utraque muri parte murus altissimus ducitur frequentibus turribus, qui alteram, ampliooremque efficit arcem a civibus inhabitatam. Ab ea ad inferiora urbis loca, ad portam usque, quæ *Garzetta* dicitur & ipsa operis munitissimi, urbem dividit murus latissimus frequentibus propugnaculis distinctus: ab hoc muro & alius ad dexterum latus ad portam Pilarem productus, quo efficitur tertia, & nova arx secundæ juncta. Infra hanc planities est ad quartam fere urbis partem, duabus fere portis distincta, in qua *Guelphi* habitant; cætera urbis loca a *Ghibellinis* incoluntur. *Carminiola* igitur urbis regione, cui nova arx imminet, deditione recepta, eam una cum civibus e vestigio, quo tutiores ab incursu militum propinquæ arcis essent, fossa lata, profundaque, ad hæc pluribus additis castellis, ac firmo præsidio communivit. At *Philippi* [13] copiæ prope *Brixiam* obequitabant, viribus (nondum enim omnes convenerant) impares hosti, ne-

---

4. *Ignorantibus Florentinorum legatis.* Dum a quibusdam Florentinis legatis Romæ de pace ageretur, ab alio Venetiis de bello agebatur, eo consilio, ut si Veneti societatem rejecissent, pax fieret.

5. *Fœdere icto.* IV. Decembris die.

6. *Classisque maritima.* Ut Ligusticam oram invaderet.

7. *Ex urbe.* Nempe Roma, ubi de pace cum Pontifice agebatur.

8. *Odio adversus Mediolanensem acerbo.* Ipse enim de Duce benemeritus, & ob res gestas insignis, Torello in ducendis ordinibus subjici noluit; nec satis æquo animo Genuæ Præfecturam Cardinali Insulano sibi suffecto tradiderat.

9. *Per oratores.* Melius per oratorem: solum enim Franciscum Serram Decemvirum a secretis oratorem missum invenio.

10. *Guelphorum secta, &c.* Hujus principes Petrus, & Achilles Avogari.

11. *Muris effractis.* Non muris, sed porta, S. Joannis effracta. *Baptista Sacchius* vulgo Platina *Hist. Mant. lib. V.*

12. *Præfectum alæ equitum.* Oltrandum cum cohorte miserat.

13. *Philippi copiæ.* Francisco Sfortia Duce.

14. *Ac-*

1426 nequaquam acie dimicare audebant. Commeatum tamen turribus in eam partem urbis, quæ *Mediolanenſi* parebat, inque arces ad tolerandam diutinam obſidionem deferri curabant. Verum *Ferrarienſis* conſilio, ut ea invehendi frumenti facultas demeretur hoſti, coactis ſex hominum millibus, duplici foſſa difficilis operis viginti pedes lata, duodecim profunda, a porta quam ceperat amplius duobus paſſuum millibus, ad montem uſque, in quo, ne ab hoſte occuparetur, caſtellum erexerant, *Carminiola* parat cingere, erecto medio aggere inter utranque foſſam, qui pro vallo eſſet. Continuo tamen ea foſſæ portio, quam mane cœperant, eadem die perfecta, propugnaculis interjectis muniebatur. Vigiles quoque adhibiti, qui aditu hoſtes prohiberent. Menſibus duobus perficiendis foſſis abſumptis, facultateque omni comportandi in urbem commeatus ſublata, converſus *Carminiola* ad expugnandas arces, quæ tum ſitu, tum muris, turribuſque erant firmiſſimæ, *Garzetta* oppugnata, eam primam ex his, quæ tenebantur a *Philippo*, in *Venetorum* redegit poteſtatem. Plures enim dies oppugnationibus continuis feſſi cuſtodes, ſimul vexati bombardis, atque omni telorum genere attriti, omnique ſubſidio deſperato ſe ſe dediderunt. Hac recepta, arcem novam inferiorem, quæ ſextam ferme urbis partem occupat, aggreſſus eſt. Eam tanto militum ardore, tot præliis, tot machinis oppugnavit, ut decem continuis diebus, nulla quiete, nulla ab aſperrimis pugnis, nulla a vulneribus intermiſſione neque die, neque noctu data, cogerentur feſſi labore, vulneribus debilitati defenſores, octo dierum inducias ad ſe dedendos petere. Sed omni via ſubſidii ferendi ſecluſa, arcem tradidere, ea conditione, ut liberi cum ſuis rebus abirent. Dux interea *Philippus* accerſitis [14], quæ in *Etruria* erant, copiis mandat, ut reſtitutis [15] quæ de Pontifice erant urbibus, oppidiſque, cætera firmis munirent præſidiis. Erat equitum numerus circiter quatuor millium, peditum mille, qui cum ad flumen *Scultennæ* (*Panarium* incolæ vocant) perveniſſent, a tranſitu [16], diſpoſitis in ulteriore ripa equitibus, prohibiti, inferius prope *Viniolam* oppidum deſcenderunt, ubi ponte juncto, flumen nullo inhibente tranſeunt, ſeque cum reliquis *Philippi* copiis conjungunt. Comparato, ac in unum coacto præpotenti, egregioque exercitu, in quo quindecim millia equitum, peditumque cenſebantur, imperator illi datus *Carolus* [17] *Malateſta Piſaurienſis*, cum ad liberandam obſidione *Brixiam* proficiſceretur, *Philippi* præfectis ſententias variantibus, ſinguliſque conſilium ſuum cæteris omnibus præferentibus, parum profecit. Alii enim oppugnandas novas munitiones, vallum reſcindendum, foſſam replendam cenſebant: alii obſidione cingendam urbem, ne commeatus ad hoſtes deferri poſſet, & fame poſtea, quia vi nequibant, ad deditionem compellendos. Quidam majoris animi, fortunam belli experiundam eſſe dicebant. Quam ſententiam ſecuti reliqui foſſam vallumque magno conatu aggreſſi, irrito labore, multis acceptis vulneribus eam oppugnationem reliquerunt. *Carminiola* enim defendendo vallo robuſtiſſimos milites præpoſuit, eruptionibuſque

A factis hoſtes in caſtra, pluribus occiſis aut captis, redire coëgit. Expectabant, qui urbem, atque arces tuebantur, ut his ſubveniretur; videbant enim *Philippi* equitatum, peditatumque magno numero haud procul a mœnibus in campis eſſe tamquam certum auxilium laturos, ideoque ſumma vi ſe oppugnantibus reſiſtebant. Verum cum poſt commiſſum certamen veluti victos abire viderent, continuis laceſſiti præliis, & vulneribus confecti, deſperata ſalutis ſpe defecere animis. Qui Pilarem aſſervabant portam, ea relicta in proximiorem arcem muro continuo ſe ſe receperunt: ejus quoque cuſtodes haud multo poſt,
B cum aliquandiu repugnaſſent, tandem fame urgente, dierum decem inducias pacti, arcem reliquere. Secundam deinceps adorti, cum qui eam defenſabant nulla humana adjutos ope arcis amiſſæ milites conſpicerent, ſe pro derelictis habitos, & ipſi omni ſpe auxilii præciſa, paucos poſt dies eadem conditione, qua priores, arcem omnium maximam tradiderunt. Reſtabat oppugnatio montanæ [18] arcis, quæ tum loci natura, tum mœnibus, & frequentibus turribus, & militum robore perdifficilis videbatur. Sed diverſarum machinarum multitudo, ad hoc bombardarum magna vis turrim in medio ſitam, crebris verberibus disjecit, tum reliqua ædificia ictu lapidum
C contrivit. Tolerata duos amplius menſes obſidione, præſidio, arce tradita, abeundi eſt facultas permiſſa, urbſque omnis in poteſtatem redacta, octavo [19] poſtquam obſideri cœpta erat menſe, in expugnandis arcibus, muris, & turribus ſumma induſtria adhibita. *Philippi* copiæ agrum *Brixienſem* frequentibus populationibus vaſtabant, diſpoſitis per oppida militibus, qui illa ab hoſtibus tutarentur. Id vero in expugnatione *Brixiæ* poſt devictam urbem perarduum fuit, comportatio ſcilicet commeatus, quo civitas aleretur. Nam & meſſem omnem in equo-
D rum pabulum equites conſumpſerant, & *Philippo* omnia urbi propinqua parebant loca, ut nullus frumenti invehendi daretur aditus. *Benaci* vero lacus oppida, præter angulum quendam, cujus parva arx *Venetorum* ditionis erat, adverſa *Venetis* expugnari nullis ad id præparatis navibus nequibant. Conſtans fama eſt, culpa præfectorum *Philippi* eam urbem non eſſe recuperatam. Nam cum liber aditus ad illam eſſet, facile foſſam prohibituros fuiſſe ajunt, niſi certamen dignitatis [20], æmulationiſque, dum quilibet ſuum conſilium alterius ſpreta ſententia exequi nititur, inter eos ortum, facultatem, ſpatiumque perficiendi ope-
E ris hoſti per ignaviam præbuiſſet. Dum cunctantur, dum de ferendo auxilio diſceptant, rei bene gerendæ, impediendique operis occaſio [21] eſt amiſſa: & quod ne fieret facile prohiberi poterat, id perfectum, munitumque expugnare fruſtra tentarunt. Dum *Brixia* pari pene conatu expugnatur, & defenditur, nullis nondum certis indiciis, quo ſe fortuna inclinaret, *Paulus Guiniſius Lucæ* tyrannus, ſperans aliorum bellis ſua augeri, confirmarique, equitibus ſexcentis diverſis ex locis coactis, eo conſilio, ut ejus ſtipendia ſequerentur, qui omnium pene judicio victoriam conſecuturus eſſet, arbitratus tanto beneficio liberius ſuis civibus dominari poſſe, cum exiſtimaret

---

14. *Accerſitis copiis.* Quæ ſub Angelo Pergulenſi militaverant.

15. *Reſtitutis quæ de Pontifice erant urbibus.* Nempe Imola, & Forolivii.

16. *A tranſitu &c. prohibiti.* A Nicolao Marchione Eſtenſi, qui Scultennæ Mutinenſis fluvii ripam tuebatur.

17. *Carolus Malateſta.* Qui pridem Florentinorum dux adverſus Ladiſlaum fuerat.

18. *Montanæ Arcis.* Cujus præfectus Antonius Landria-
F nus. *Corius p. V.*

19. *Octavo poſtquam obſideri cœpta erat menſe.* Aprili obſeſſa, & Novembri in poteſtatem redacta.

20. *Dignitatis æmulationiſque certamen.* Inter Franciſcum Sfortiam, & Nicolaum Piccininum.

21. *Occaſio eſt amiſſa.* Angelo Pergulano amiſſæ Brixiæ culpa illata fuit, qui ab omnibus præfectis rogatus nunquam perfringendis operibus impetum fieri permiſit.

1426 A ret *Mediolanensem* superiorem fore, fortunamque pro eo pugnare, rejectis *Florentinorum* postulatis, qui mille equitum præfecturam filio detulerant, *Ladislaum* maximum natu filium ad eum in castra ire jussit. Qua ex re & *Venetis*, & *Florentinis* summa adversus eum indignatio coorta est; eaque postmodum causa fuit, ut fœdere pacis excluderetur, quoniam [22] nulli aperte favisset. Ferunt *Franciscum Foscarum*, *Venetorum* Ducem, virum prudentissimum, pace facta *Florentinis* oratoribus dixisse, eos recte facturos, si memores *Pauli* injuriarum, insanum tyranni consilium ultum irent. Decemviri interea, cum *Philippi* copiæ B *Etruriam* reliquissent, summa in recuperandis amissis castellis cura adhibita, partim vi expugnarunt, partim postmodum pacis conditionibus receperunt. At *Veneti Brixia* occupata, ad expugnanda oppida, castellaque ejus agri omni ope intenti, ad ea loca quæ circa *Benaci* lacus littus sunt exercitu circumducto (jam enim omnis ea regio sponte in partes *Philippi* concesserat) nonnullis vi captis, faciliorem comportandæ annonæ aditum præbuerunt. His rebus *Carminiola* intento, *Martinus* Pontifex, cujus opera bellum antea protractum erat, cum quæ animo conceperat vana apparerent (fama namque frequentior fuerat, & multorum C sententia, illum ante fœdus cum *Venetis* ictum de industria exoptasse, ut bellum vigeret, neque concordia statueretur, quo *Florentini* longo, ac diutino bello fatigati, viribusque exhausti *Philippi* odio se suaque sibi dederent) amissa *Brixia*, veritus, ne Dux reliquarum quoque urbium discrimen subiret, mente ad pacem conversa, literis *Mediolanensem*, *Venetos*, ac *Florentinos* exhortatus ad arma deponenda, ut intellexit minime eam omnes refugere, Cardinalem [23] Sanctæ Crucis *Nicolaum*, virum sanctissimum, ad *Venetos*, quibus quocumque modo belli componendi arbitrium permissum erat, Legatum misit: qui cum cives concordiam D haud horrere intellexisset, *Amedei* quoque, & *Flo-*
1427 *rentinorum* auctoritatem, qui socii erant, secuturos dicerent, *Mediolanum* petens, ubi *Philippum* pacis cupidum, ut ex verbis hominis elici poterat, comperit, singulorum oratores *Ferrariæ* convenire jussit: quo in loco multis utrinque summa animi contentione agitatis, tertium tandem post mensem kalendis Januariis pax solemni more firmata est. Conditiones dictæ, ut *Brixia*, divina humanaque omnia, valle quadam excepta, ac quæ circa *Ollium* ditionis *Cremonæ* essent, *Bergomum* insuper, omnisque ejus ager *Venetis* cederent: quæ *Florentinorum* ante bellum fuerant, re- E stituerentur: *Amedeus* [24] vero bello capta teneret: Quibus, ut acquiesceret *Philippus*, *Mediolanum* reversus Cardinalis illum hortatus est: *Ut rationem temporum haberet: Satius esse partis alicujus, quam totius imperii jacturam subire: prudentis viri esse parere tempori, a quo consilia omnia sumenda essent, & cui parere sapientes vellent. Utile proculdubio fore adversæ fortunæ cedere, cujus arbitrio humanæ res regi viderentur: non in eodem statu semper omnia futura: accidere posse, ut minori impensa recuperet amissa, quam quæ sunt perdita.* Denique eam esse 1427 *Pontificis mentem, ut quacunque conditione præsentibus consulat rebus: se quoque illi suadere concordiam, utque Pontificis auctoritatem sequatur.* At vero Dux tum *Florentinorum*, qui se Pontifici restituere urbes Ecclesiæ quærentem impedierunt, superbiam incusabat; tum *Venetorum*, quibuscum fœdere junctus erat, aliena occupandi cupiditatem plurimum querebatur. Sed Legati viri gravissimi verbis commotus in datus pacis conditiones descendit. Hæc ea æstate utrinque facta. Accepto per Ducem pacis fœdere, *Carminiola* ad recipienda oppida profectus, a mœnibus omnium repulsus est, jurejurando pro nihilo habito, ac legibus pacis a Duce contemptis. Creditur Legati viri integerrimi sanctissimique auctoritate motum eas accepisse conditiones quamvis invitum, cujus suasionibus contra ire vereretur, postmodum pœnitentia ductum insita animi varietate sententiam mutasse, & ea quæ condonabantur duxisse satius amittere bello, quam per speciem timoris relinquere. Quod ægre ferens Legatus, Ducisque inconstantia offensus *Romam* rediit. Variis moribus variaque a reliquis natura Dux fuit, & nova in diem consilia versans, nulli credere penitus, nulli fidere, promissorum haudquaquam fidelis custos, quem dilexerat paulo post a se rejiciebat. Callidus, & ingenii sagacis, mobilisque, ut qui in bello pacem, in pace bellum cuperet, suo innixus consilio spernebat cæteros, semper procul a conspectu hominum reclusus [25], atque omnia per internuntios agens. Antequam *Brixienses* ab eo deficerent, quidam eorum quæ parabantur haud ignarus *Mediolanum* profectus Duci nuntiari jussit, esse quædam minime contemnenda, quæ cum eo communicare sine arbitris opus esset, rogare, ut quæ afferret ex se audiret. Ille more suo, cum quæ dicturus venisset, ex amicis cuidam referri imperasset, alter vero *Philippo* tantummodo necessario ea edenda respondisset, cum in sententia perstaret, indignabundus confestim abiit, affirmans non multos post dies nuntii spreti pœnitentiam Ducem acturum, ac subinde ejus civitatis rebellio, amissioque secuta est. Initio præterea belli *Mediolanensium* optimates *Philippo* magnam [26] auri vim obtulisse ferunt, si curam belli gerendi eis permitteret, utque providerent, ne quid ab hoste caperent detrimenti: illum vero omnes suspicientem, ac nulli prorsus credentem, obstantibus adulatoribus oblatam pecuniam repudiasse, asserentibus præcludendam populis omnem belli gerendi facultatem; eam enim ad appetendam libertatem optimam viam esse. Itaque sive suopte ingenio parum in promissis firmo, seu aliorum [27] bellum paci præferentium impulsu (utrunque enim traditur) abjectis concordiæ legibus (& jam hyems erat) armis [28] se tutari, atque hostem aggredi parat: multos enim equites conduxerat, quos *Veneti* firmam fore pacem existimantes, ut parum utiles missos fecerant, quibus ille fretus agrum *Mantuanum*, quo omnem timoris suspicionem amoveret, incursionibus, popu-

22. *Quoniam nulli aperte favisset.* Imo quia aperte favisset Mediolanensi, cujus auxilio sub Ladislao ejus filio sexcentos equites miserat.

F 23. *Cardinalem S. Crucis Nicolaum.* Albergatum ex Sacra Carthusianorum familia, Episcopum Bononiensem. Sigonius *de Episcop. Bonon. in B. Nic. Alberg. lib. III. Ejus Vitam scripsit* Jacobus Zenus, Feltrensis, ac Bellunensis Episcopus *Col. Agrip. apud Joann. Kinchium* 1618.

24. *Amedeus vero.* Allobrogum Dux, qui Venetis adhæserat. Hic ille est qui defuncta uxore in Sancti Mauritii monasterio secessit, & deinde in schismate contra Eugenium, Antipapa fuit nomine Felix. Hunc Poggius invectiva quam acerrima exagitavit.

25. *Reclusus.* In Abbiatæ oppido. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. III.*

26. *Magnam auri vim obtulisse.* Quæ decem millibus equitum & totidem peditum colligendis sufficeret. Petr. Justin. *Hist. Ven. lib. VI.*

27. *Aliorum bellum paci præferentium impulsu.* Non alia de caussa ad pacis consilia animum appulisse Ducem animadvertit *Ammiratus*, & cum eo *Blondus*, aliique, quam ut Venetos a Florentinis removeret, & Carminiolam, dum pace facta ad suum oppidum pergeret, insidiis occuparet: quod cum ex voto non cessisset, pacem fregisse. Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XIX.*

28. *Armis se tutari, &c.* Classem apud Brixiam reparando, & Ligures extorres Genua arcendo.

29. *Mon-*

1427 pulationibusque vastavit. Id facinus tum *Venetos*, tum *Florentinos* ad instaurandum bellum acriores reddidit, ac paratiores: hinc enim fidei adeo palam violatæ injuria, hinc *Mantuani* damna stimulant ad ultionem animos. Parato itaque novo equitatu *Veneti*, *Florentinorum* additis copiis, brevi magnum conficiunt exercitum. In amicitiam præterea, ac belli societatem *Montisferrati* [29] Regulum, ac *Orlandum Palavisinum*, qui *Philippi* fines hostili more invadant, asciscunt. *Amedeus* enim innata avaritia pecuniæ, & stipendii recipiundi causa fœderi ascriptus, neque bello, neque paci utilis erat. *Genuensium* quoque exules operam polliciti, ut patriam a *Philippi* servitute vindicarent, unico prælio superati [30] sunt. *Philippus* vero existimans in eo rem verti, ut qui prior arma inferret, victoriam ex hostibus reportaret, copiarum parte agrum *Brixiensem* populando, urendoque tecta multiplici calamitate affecit: classe quoque in *Pado* flumine confestim parata, castella quædam, in queis *Casale* [31] majus fuit, terra navibusque (ea secus aquam sunt) expugnata cepit. Jam superiori loco *Mediolanensis* fortuna esse videbatur; non enim *Venetorum* copiæ *Carminiolæ* ad [32] balnea ob adversam [33] valetudinem profecti consilio uti poterant, quo absente *Venetorum* non eodem quo antea consilio viribusque res gerebatur; cum *Veneti*, ut hostium viribus obsisterent, paratis e vestigio navibus longis triginta, nautisque impositis bellis maritimis exercitatis, ac instructis machinis omnibus, atque armamentis, quæ ad hostium munimenta oppugnanda pertinerent, imperatoreque *Bembo* [34] maritimæ expeditionis peritissimo declarato, *Padum* ingressi, ad hostium naves militum virtute, & navigandi, rerumque navalium inscitia inferiores cursum dirigunt, primoque impetu adversariorum [35] classe ad *Brixellum* in fluminis ripa situm fugata, obsidionem solvunt. Capto enim proditione oppido, quod *Venetis* parebat, arcem in fide permanentem forti animo se defensantem oppugnaverant, machinasque, ac varia ad diruendam arcem tormenta ex *Cremona* comportaverant: quibus omnibus recepto oppido potiti, navesque hostiles insecuti, commisso [36] certamine in fugam versas superant, octoque captis, paulo post *Cremonam* versus profecti, repagula, oppugnaculaque [37] omnia fluminis ascensum prohibentia magno certamine removent. Parta ubique victoria, cum milites imperio ducis neglecto relictis navibus, prædatum in agrum *Cremonensem* descendissent, palatique nullo ordine vagarentur spoliis agrestium intenti, præfectus [38] equitum in urbis tutelam relictus dissipatos aggreditur, multis captis, trecentis occisis, reliquos turpi fuga ad naves compulit. Relicta *Cremona* classem *Ticinium* versus cum *Venetus* movisset, veritus insidias *Cremonam* revertitur, existimansque eisdem copiis eodemque præfecto defendi urbem, acceptam injuriam ulcisci parat. Dum milites cautius exponit populabundos majorique quam antea equitatu (novi enim [39] advenerant equites) repulsus parva jactura suos revocat. Et jam æstas aderat, cum *Carminiola* recuperata valetudine *Patavium* [40] venit. Inde *Brixiam* petens quinto ab urbe lapide cum paucis consedit copiis, omnibus quas interim *Veneti* scripserant, se sequi jussis. Ex omni exercitu cum ad decem equitum millia in urbem inscientibus hostibus misisset, *Albericus* vero *Cunii* Comes, nonnullique *Philippi* equitum præfecti ab *Octolingo* oppido, quod duodecim millibus passuum distat *Brixia*, prodeuntes, usque ad urbis portas excursione facta, cum omnis generis onerati præda redirent, emisso [41] ex urbe equitatu, & præda recuperata est, & ex præfectis [42] unus cum equitum parte captus. Eadem die *Carminiola* urbem ingressus secundum id equestre prælium factum permoleste [43] tulit: existimabat enim, si se duce eruptionem fecissent, captis omnibus facile oppidum expugnari potuisse. Mense inde Martio cum exercitu, in quo equitum quindecim, peditum millia sex censebantur, calonum, curruumque magno numero ad commeatum, & bellicas portandas machinas addito, profectus, *Montemclarum* opulentum oppidum obsedit, quo pluribus præliis tentato, cum egregie defenderetur, ex eo loco ad *Octolingum* castra movit, sperans perfacile se oppido potiturum. Sed nocte præcedente ad mille [44] equitum *Mediolanensium* oppidum ignorante *Carminiola* intrant, qui se intra portas continuere, quoad hostes metarentur castra. Illi per negligentiam (nihil enim hostile timebant) ducis eorum parum providi ad repentinos motus culpa, dissolutiusque quam par erat curantes corpora, otio, quietique indulgebant, vagi incompositique tamquam in pacato forent. Solus *Johannes* [45] *Strotius*, eques *Florentinus*, quem præfectum turmæ equitum *Ferrariensis* (id [46] enim ex formula debebat) ad exercitum miserat, in 1427

29. *Montisferrati Regulum.* Joannem Jacobum.

30. *Unico prælio superati sunt.* Non uno tantum prælio, sed duobus, nempe maritimo, & terrestri superatos Genuensium exules, qui Thomæ Fregosii ductu convenerant, refert *Ubert. Folieta.* Primo prælio magna cum cæde ab urbis mœnibus, amissis scalis repulsi, secundo ad Vervetiam oppidum victi, una triremi fugata, & tribus captis. Foliet. *Hist. Gen. lib. X.*

31. *Casale majus.* Cremonensis agri oppidum, cui Gabriel Pisanus Venetorum nomine præerat, ut Pigna *lib. VI. Hist. Princip. Atest.*

32. *Ad balnea.* Patavina exercitui propinquiora, ut putat Blond. *Dec. 3. lib. III.* Ad balnea Senensia profectum asserit Pigna *lib. VI. Hist. Princip. Atest.* cujus sententiam probaverim, tum quia paulo infra ait Poggius *Carminiolam recuperata valetudine Patavium venisse*, tum quia Laurentius Saxolus Pratensis, insignis Philosophus, ac Medicus, curam Carminiolæ ad balnea Senensia egit.

33 *Ob adversam valetudinem.* Quod equo apud Tarvisium decidisset, ex quo nervi debilitati, & febri, laterisque dolore correptus fuit.

34. *Bembo.* Francisco.

35. *Adversariorum classe.* Cui Pacinus Eustachius Ticinensis præerat.

36. *Commisso certamine.* Quarto a Cremona lapide octo galeones (ut vocant) subegit Bembus coram Piccinino, qui in fluminis ripa suos ad pugnam voce, & gestu extimulabat.

37. *Oppugnacula omnia fluminis ascensum prohibentia.* Tria in Pado castella erexerant Philippenses, quæ ita flumen clauserant, ut paucis militibus cuilibet magnæ classi transitus posset in interiora Galliæ impediri. Petrus justin. *Hist. Ven. lib. VI.*

38. *Præfectus equitum.* Christophorus Lavellanus. Campi *Hist. Cremon. lib. III.*

39. *Novi advenerant equites.* Inscio Bembo cohors equitum duce Nicolao Guerrerio Cremonæ præsidio addita. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. III.*

40. *Patavium venit.* A balneis Senensibus.

41. *Emisso ex urbe equitatu.* Per Nazaream portam a Petro Lauredano in Francisci Bembi Veneti imperatoris locum suffecto. Petr. Justin. *Hist. Ven. lib. VI.*

42. *Ex præfectis unus.* Perinus Tortonensis, cui Tarco cognomen erat, cum 150. equitibus captus.

43. *Permoleste tulit.* Ob invidiam, quod alienis hoc actum auspiciis fuisset.

44. *Ad mille equitum.* Philippus mille equites noctu Octolingum mittit una cum Guidone Torrello, Christophoro Lavellano, & Nicolao Guerrerio.

45. *Johannes Strotius, eques Florentinus.* Qui factioni Petri de Albizis adhærens, Florentia expulsus ad Nicolaum Atestinum confugerat, a quo summo honore exceptus equitum præfectus declaratus est. Scip. Ammirat. *Hist. Flor. p. I. To. 2. lib. XIX.*

46. *Id enim ex formula debebat.* Ex formula fœderis.

1427 in armis cum ſuis tantum perſtabat, in omnes caſus pro exercitus ſalute intentus. Conſpecta ab oppidanis negligentia, eruptione poſt meridiem (& æſtus increbuerat) facta, magno impetu caſtra nullis munitionibus firmata invadunt. Solus cum ſuis *Johannes*, conſerto cum hoſtibus prælio, rem ſubſtentat, & dum parvo numero cum majoribus hoſtium copiis pugnat, occubuit [47]. Illi magna ſtrage edita, ad mille quingentos ex equitibus captis, tandem excitatis [48] e ſomno militibus intra oppidum ſe recipiunt. *Carminiola* deinceps, quo ab hoſtium incurſu caſtra tutiora forent, curribus, ii ad duo millia erant, circumſedit. Conſiderans autem oppidorum agri *Brixienſis* expugnationem longiorem fore, ne reliquum æſtatis inutili bello conſumeret, *Cremonam* obſidere ſtatuit, opinatus ea capta, & reliqua in poteſtatem ventura. Ut autem a *Mantua*

A commeatus, machinæque uſui belli, atque obſidioni neceſſariæ *Pado* commodius in caſtra deferri poſſent, arcem *Binam* ſupra *Ollium* cum ponte ſitam maximo labore exercitus vi cepit, impoſitoque præſidio valido, firmatis muris, atque arce, quæ crebris machinarum ictibus confracta erat, inſtaurata, prope *Cremonam*, ſecundum *Padi* ripam ad ſextum lapidem caſtra poſuit. Quibus rebus perterritus admodum *Philippus*, omnibus, qui ſe, ſuaque ſalva vellent, ſequi juſſis, quod nunquam antea fecerat [49], *Cremonam* contendit, luſtratoque exercitu viginti amplius B millibus hominum (multi enim undique ad eum confluxerant) prope hoſtem tribus paſſuum millibus caſtra locavit. Eorum præterea, qui ſecuti erant, equitum, peditumque ingens numerus, ſed plurima minime apta bello multitudo. 1427

47. *Occubuit.* Ab irruentibus hoſtibus ſuffocatus, ut Pigna *Hiſt. Princip. Ateſt. lib. VI.*

48. *Excitatis e ſomno militibus.* Cum prætorianorum manu ipſo Carminiola accurrente.

49. *Quod nunquam antea fecerat.* In Abbiatæ oppido, ut diximus, ſemper occluſus.

POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI SEXTI EPITOME.

Vicecomitis prælium cum fœderatis in Cremonenſi *agro.* Franciſcus Sfortia Binæ *oppidum occupat, adveniente vero* Carminiola, *relinquit.* Philippi *exercitu apud* Maclovium *profligato, pax denuo fit. Bellum a* Florentinis *in* Lucenſes *movetur. Vicecomes cum* Senenſibus Lucæ *auxilia mittunt, e-* C *juſque Tyrannus dolo capitur.* Florentinorum *copiæ ad* Lucam *cæſæ, eorumque ager depopulatus. Cum* Florentinis Veneti *junguntur, & in* Pado *ſuperantur.* Genuenſes *navali pugna a* Venetis, Florentiniſ*que ſubjiciuntur.* Carminiola *a* Venetis *capite mulctatur.*

LIBER SEXTUS.



Erectis omnium Ducis adventu ad pugnam animis, ne fruſtra adveniſſe videretur, utque aliquod ſuæ virtutis opus quiſque ederet, quo benevolentiam Principis iniret, hoſti pugnandi copiam fecere. *Carminiola* apud *Summum* (id nomen eſt villæ) habens caſtra, minime abnuit certamen, ſed eductas acies in hoſtem promovit. Pluribus horis (& finis menſis Junii erat) collatis ſignis, acriter eſt pugnatum, nullam in partem belli fortuna inclinante: tandem feſſis diutino prælio omnibus, æquo marte diſceſſum eſt. Fertur ſigno receptui dato, E utriuſque [1] exercitus milites bellando immixtos fuiſſe, ut variæ equitum turmæ ad ſuos ſe recipere opinantes, in hoſtium [2] ferme manus incau- D te, vi exorti pulveris devenirent; cum neque ſigna inſpiciendi, neque ſuos præter vocis ſonum internoſcendi daretur facultas. His apud *Cremonam* geſtis, cum *Amedeus*, *Montiſque ferrati* Regulus, aliquot equitum turmis omnem *Mediolanenſem* agrum uſque ad urbis portas depopularentur, coactus *Philippus* rebus ſuis conſulere, relicto exercitu, *Mediolanum* cum [3] paucis copiis revertitur, cujus adventu parvo equitatu hoſtium impetus eſt repreſſus. Diffiſus *Carminiola* tantam urbem tanto exercitu munitam obſideri a ſe poſſe, *Caſale* petit, juſſo [4] claſſis *Venetæ* præfecto eo naves deducere, quo facilius expugnaretur. *Franciſcus Sfortia*, haud inferior *Philippi* equitum præfectus, abeuntem exercitum inſecutus, poſtquam nulla in parte capi a ſe hoſtem poſſe vidit, itinere ad *Binam* flexo, expugnatis arcibus, impo-

1. *Utriuſque exercitus milites.* Septuaginta millia militum in utriſque caſtris cenſebantur, ita ut poſt Romani Imperii caſum nunquam amplius tanta Italorum multitudo ad arma ſimul coierit.

2. *In hoſtium fere manus incaute devenirent.* Nec milites tantum, ſed ipſi duces; Carminiola enim equo ſublapſo pedes diu pugnavit, Mantuanus in mediis hoſtibus ſolus ſtetit, Sfortia nullo ex ſuis comitante ad caſtra uſque Venetorum pervenerat; qui omnes capi potuiſſent, niſi pulveris exorti beneficio effugiſſent. Pigna *lib. VI.* Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XIX. p.* 1038.

3. *Cum paucis copiis.* Quibus præerat Ladiſlaus Guiniſius, Pauli Lucæ Tyranni filius. Pigna *lib. VI.*

4. *Juſſo claſſis Venetæ præfecto.* Petro Lauredano, non Franciſco Bembo, ut Blondus *Dec. 3. lib. III.* Bembo enim poſt Padanum prælium gravi morbo correpto, cum militiæ vacare nequiret, ſuffectus Lauredanus, ut refert Petr. Juſtin. *lib. VI.*

5. Im-

1427 poſito [5] præſidio, in caſtra redit. Ea re per *Carminiolam* comperta, confeſtim cum expeditis equitibus *Binam* advolat, ſi forte ibi *Franciſcum* offenderet, quem cum abiiſſe cognovit, denuo arces expugnat: cumque ejus cuſtodes e muris antea præcipitatos audiſſet, ſuo quoque juſſu milites a *Franciſco* impoſiti in flumen dejiciuntur, ſtatimque ad *Caſalis* obſidionem, quod firmo præſidio defendebatur, reverſus, oppidum terra flumineque [6] circumdatum oppugnat, non muro, ſed alto, denſoque aggere cinctum, ideoque locus ab ictu lapidum tutus. Turris excelſa portæ imminens, quæ ad *Padum* ducit, machinarum lapidibus quaſſata, cum in ſubjectam corruiſſet foſſam, ac per illius ruinas ingredi milites niterentur, veriti oppidani, ne vi capti præda eſſent hoſtibus, ſalutem pacti, ut cum ſingulis veſtimentis abire liceret, deditionem [7] fecere. Quo recepto aliquamdiu eo loci exercitus caſtra habuit. Interim ſimulans ſe ad varia loca oppugnanda cum exercitu aditurum, hoſtes eo in ſubſidium profectos ſæpius eluſit, indignantibus illis, ac ægre ferentibus, nullo certo conſilio ſe uti poſſe. His ſæpius ſimulatis, demum *Maclovium* oppidum majori ex parte paludibus circumdatum ſubita obſidione cingit, ea mente, ut ſi hoſtes ad tollendam obſidionem pergerent, difficultatibus locorum adducti facile ſuperarentur. Id ægre major [8] pars Ducis præfectorum ferens, rem [9] indignam clamitant, ſinere hoſtem, quæ velit loca petere, nulloque obſiſtente oppugnare: concedi eo modo audaciam hoſti, ſuis minui: dedituros ſe ſe omnes, ſimulac ſenſerint obſidionem, niſi ſubſidium ſubmittatur: prodi cauſam ejus, cujus ſtipendiis militarent, ſi ſua, ut hoſti libitum fuerit, capi libere permittatur. Tentandam igitur belli fortunam, neque ſinendos fideliſſimos populos ludibrio ſimul, & libidini hoſtium eſſe: vociferare omnes in bellum: armis *Venetum* appetendum magis loci ſitu, quam viribus fidentem. Quidam [10] ætate, & diſciplina militari peritiores, maturo, non præcipiti conſilio utendum cenſebant: hoſtium res eo in loco deductas, ut una ſolum via, & ea peranguſta, & ſinuoſa ad eos adiri queat, quæ magis pediti, quam equiti uſui eſſet: reliqua omnia aquis paluſtribus teneri, haudquaquam equiti pervia: obſecrare, ut eam ſententiam rejiciant: hoſtem [11] cunctando magis, quam decertando vinci poſſe: ſi ſecus ageretur, magnam ex eo venturam calamitatem. *Carolus* [12] exercitus dux neque ætate, neque uſu doctior, juniorum, quos Hectoras appellabat, voluntatem ſecutus, aggredi hoſtem ſtatuit: ſingulos præfectos in ordinem ſtructa acie ire jubens. *Carminiola* ſuos excipere hoſtium adventum, conſertoque prælio pedites [13] in paludem adire, haſtis, ac ſagittis a lateribus ferire hoſtem mandat; quæ res maximo momento victoriæ fuit: non enim poterat aut egredi e via, aut vitare crebros ictus, quibus patebant latera. Quum aliquandiu haud æquis artibus pugnatum eſſet, ſuperati tandem hoſtes in fugam verſi ſunt: præfecti ferme omnes evaſere cum equitatus parte. *Carolus* [14] captus eſt, & cum eo ad millia equitum octo: impedimenta omnia amiſſa, quæ maxima habita eſt jactura. Haudquaquam ambigitur, *Philippum* eo die imperio ſpoliari potuiſſe, ſi *Carminiola* captos equites detinuiſſet: omnes enim fere nobiliores, & bello utiles in poteſtatem venerant. Sed dum obſequitur præſentibus moribus, dum cunctatur, dum prædæ partiundæ vacat, dum equites liberos demittit (credo *Philippi* adverſæ fortunæ miſertus) victoria de manibus lapſa eſt. Actum enim de ſtatu Principis illius erat, ſi præfectos fugientes inſecutus e veſtigio parta victoria, caſtra *Cremonam* admoviſſet. Tantus enim tumultus inceſſerat omnes, tanta rerum deſperatio animis hominum inerat, tanta victoriæ fama veris falſa adjiciens increbuerat, ut proculdubio plurimi in *Venetorum* ditionem ſponte venturi fuiſſent, omni ſpe fortunæ melioris præciſa. Poterat libere obſidere *Cremonam*, ponte *Abduam* nullo obſiſtente jungere, & populatis agris ad ipſum *Mediolanum* regni caput arma proferre: quæ omnia ab eo neglecta præbuere *Venetis* immutati animi, proditioniſque [15] ſuſpicionem. Nam dum expugnandis, recipiendiſque *Brixienſis* agri oppidis, atque ad leviora circumagendo exercitu, tardeque omnia exequendo tempus terit, ſpatium dedit *Philippo* exercitus inſtaurandi. Quum enim præfecti, equiteſque ad unum integri omnes rediſſent, facile fuit equorum, armorumque jacturam reſarcire. Arma, & veſtem *Mediolanenſes*; equos, diverſarum urbium cives, oppidani quoque permulti ſubminiſtrarunt. Pecunia undecumque contracta. Reparato exercitu præfecti *Philippi* continuis incurſionibus infeſti *Carminiolæ* oppida expugnanti impedimento erant, quo minus victoria uteretur. Quamvis autem *Philippi* copiæ parum diminutæ eſſent, ſuamque rem ſummis viribus tutarentur, tamen multa timens, ſibique diffidens *Philippus*, *Sigiſmundum* Imperatorem in ſuum auxilium excivit: utque terrorem ſuſpicionemque *Venetis* injiceret, *Perbrunorum Scalam*, cujus majores *Veronæ*, *Marſilium Carrarienſem*, cujus pater, avuſque *Patavii* imperitaverant, ut in *Italiam* ad recuperandas avitas urbes exercitum traducerent, hortatur, ſperans eorum auſpicio eas civitates a *Venetis* deſcituras. Ab *Amedeo* vero datis per cauſam matrimonii (filiam [16] enim ejus occulte deſponderat) *Vercellis* [17], pacem redemit, quo ab ea parte tutior omnes copias *Venetis* opponeret. Cum autem externa auxilia ad terrendos hoſtes evocata non ſatis in promptu eſſent, quo facilius ad pacem deſcen-

5. *Impoſito præſidio.* Venetorum militibus in ſubjectum flumen projectis.

6. *Flumineque.* Oleo.

7. *Deditionem fecere.* Inſcio Antonio Piſano oppidi præfecto.

8. *Major pars Ducis Præfectorum.* Præcipue Sfortia, & Piccininus.

9. *Rem indignam clamitant ſinere hoſtem, &c.* Non diſſimiliter Minutius Magiſter equitum Fabium Dictatorem incuſabat, quod Hannibalem impune in ſocios graſſari pateretur Liv. *Dec. 3. lib. II.*

10. *Quidam ætate & diſciplina militari peritiores.* Pergulenſis, & Torellus.

11. *Cunctando magis quam decertando vinci.* Fabius Maximus ex eo Cunctator dictus, quod cunctando, non pugnando Hannibalem ſuperaſſet. De quo Virgilius *Æneid. lib. VI.*

Quo feſſum rapitis Fabii? tu Maximus ille es.
Unus qui nobis cunctando reſtituis rem.

12. *Carolus exercitus dux.* Carolus Malateſta Piſaurienſis, non Ariminenſis, quem ſupra Florentinorum ducem fuiſſe comperimus, ut adnotat Cæſar Clementinus *Hiſt. Arimin. in Vita Caroli p. II. lib. VIII.*

13. *Pedites in paludem adire, &c.* Nec non duo equitum millia Tolentinate Duce ad Terentianum paludis latebris ſe occultare jubet. Petrus Juſt. *in fine lib. VI.*

14. *Carolus captus eſt.* Una cum Angeli Pergulenſis filio.

15. *Proditioniſque ſuſpicionem.* Nec immerito ex hoc ejus ſupplicii cauſſam ortam adnotat Sabellicus *Enead. lib. II.*

16. *Filiam enim ejus.* Mariam, *ut Corius p. V.* licet Pignonius *in Arboris Enodatione*, ubi de Amedeo VII. nomen reticeat.

17. *Datis, &c. Vercellis.* Ab Amedeo occupatæ fuerant Vercellæ, reſtitutæ vero Philippo dotis nomine, quod ejus filiam uxorem duxiſſet. Rurſus tamen Amedeo a Philippo conceſſæ. Bugat. *Hiſt. Med. lib. V.*

18. *Non-*

1427 scenderent, cum *Martino* Pontifice per oratores egit occulte, ut veluti sua sponte eam quæreret. Obierant insuper nonnulli [18] ex suis præfectis, qui in re militari admodum præstabant; ut multis ex causis pace sibi opus esse censeret, destituto iis viris, in quibus maxime resideret belli cura. Ineunte hyeme Legatus idem, qui prioris concordiæ auctor fuerat, Cardinalis [19] Sanctæ Crucis, ad componendam pacem missus, jussis omnibus quos inter bellum erat, oratores *Ferrariam* decernere, ipse eo proficiscitur. *Florentini*, ut qui pro augendo aliorum imperio certarent, pacem optabant. *Amedei*, qui jam occulte cum *Philippo* convenerat, oratores haudquaquam *Philippi* postulata improbantes paci assentiebantur. Veneti inter spem, metumque dubii, debilitari hostem cupiebant: hinc eos impensa, communisque mars, ac belli eventus incertus, & *Carminiolæ* jam suspecta fides urgebat ad pacem: hinc ambitio, & majorum rerum appetitus bellum trahere suadebat. *Philippi* quoque ea postulata erant, quæ omnem belli timorem excutere viderentur. Oratores singuli, ut jussum erat, *Ferrariam* sunt profecti. Interim quamvis hyems esset asperrima, tamen a *Carminiola* multu oppida tum in *Cremonensi*, tum in *Brixiensi* agro ex hoste capta. Re pacis contentionibus variis diutius protracta; tandem Legati [20] virtute, auctoritateque post quintum fere mensem, qua de agi cœptum est, constituitur Aprili
1428 mense anni XXVIII. supra MCCCC. his conditionibus, ut *Brixia* cum omnibus ejus ditionis oppidis, castellisque, etiam quæ ad eam diem *Philippus* possideret, iis quoque additis, quæ de *Cremonensibus* cepissent; *Bergomum* quoque cum omnibus suis usque ad *Abduam*, *Venetorum* juris essent; utque quæ de *Florentinis* teneret, infra certam diem restituerentur. A *Venetis* dicti sunt socii *Mantuanus*, *Ferrariensis*, *Montisferrati* [21] Princeps. A *Florentinis*, *Senensibus*, nonnullisque extremæ *Liguriæ* Dominis fœdere cautum est, & paci consultum. Adjectum præter hæc, ut uxor, liberique *Carminiolæ*, qui in *Philippi* potestate ad eam diem fuerant, bonaque per eum possessa restiuerentur. *Lucensis* [22] tyranni nulla mentio facta; verbis tantummodo significatum, eum pro amico ab utrisque haberi: relictique indiscussi termini finium agri oppidorum, quæ ex *Cremonensium* ditione *Venetis* tributa erant, cujus rei arbiter dictus est *Ferrariensis*. Nemo tunc ambigebat, tanto desiderio confecta pace *Florentinis*, quietem ab armis longinquam fore, eosque adversos ab omni bellorum strepitu in otio quieturos: sed aut fatis ita jubentibus, aut civium, quibus Reipublicæ damna questui erant, libidine, novis calamitatibus aditus est patefactus: & qui enixius quam reliqui pacem appetiverant, bellorum sumptus improbantes, quique præterita pericula, tum varias fortunæ vices horrere de-

A bebant, inconsulto impetu, minimeque justo incepto ad bellum *Lucense* haudquaquam necessarium biennio fere præter omnium spem prosilire. Nam post pacem factam, exercituque dimisso, *Nicolaus* [23] *Fortebraccius Florentinorum* equitum alæ bello *Gallico* præfectus, coactis militibus, qui missionem ægre ferebant, magna manu agrum *Lucensem* populabundus adoritur, causam nescio quam prætendens inanem, neque eam quæ armis disceptanda foret. Occupabat ejus urbis tyrannidem, ut antea diximus, *Paulus Guinisius*, qui in *Philippi* bello nulli hærens præcipue extra pacis fœdera relictus erat. *Nicolaus* [24] spontene 1428
B sua prædandi causa, an nonnullorum, ut vulgo jactabatur, *Florentinorum*, quibus bella potiora pace erant, suasu, arma in *Paulum* moverit, incertum relinquo: ut tamen opiner id *Florentinorum* quorundam consilio actum, publicum decretum, quo postmodum adversus tyrannum bellum sumptum fuit, efficit. Insperato bello lacessitus *Paulus*, idque *Florentinorum* opera fieri addubitans, 1429
per oratores [25] *Nicolai* injurias questus, petit, ut se velut amicum tuerentur auxilio, aut si id grave videretur, ne hosti ope, pecunia, subsidiove faverent: Scire enim se non esse unius equitum præfecti vires adeo validas, ut diutius in
C armis, suis opibus posset persistere. Responsum ambiguum datum est: neque tyranno faututuros se, cum fœdere exceptus esset, neque inimicitiam [26] armati, & ad bellum parati provocaturos. Quicquid *Nicolaus* egerit, ultro nullius impulsu egisse: non esse suæ auctoritatis dimovere illum ab incepto. qui sui juris esset, & *Florentinis* amicus. Ratus quod futurum erat, *Paulus*, veritusque *Florentinorum* calliditatem, qui alieno nomine secum certarent, ad *Mediolanensem*, & ad *Venetos* missis oratoribus, *Nicolaique* injuria exposita, subsidium postulat. Captis nonnullis de *Lucensi* agro castellis, cum tyranno vires ad de-
D fensionem deessent, ingravescente in dies bello, hortatus est *Florentinos Nicolaus* ad eam urbem a tyranno eripiendam. Facile id quidem testabatur fore in civitate nullo præsidio suffulta: se quidem, si pecunia, favoreque sibi assisterent, infra paucos menses urbem illis traditurum. *Philippus* quoque, sive ad ineundam cum Populo *Florentino* gratiam, sive ut eos novo rerum discrimine implicaret, ad id bellum cohortatus, equites si opus sit, & auxilia pollicetur. Re *Florentiæ* inter paucos primum tentata, bellumne adversus tyrannum sumendum esset, sæpius quæsitis consiliis, variis sententiis disceptabatur, par-
E tim nova reprobantium bella, quietemque suadentium, partim id probantium certamen, ex quo civitatis opes, tanta urbe in potestatem redacta, ampliores futuræ essent. Major populi pars tyranni perdendi odio bellum affectabat: sibi enim persuasum habebant, agrum uberrimum, opu-

18. *Nonnulli ex suis præfectis?* Angelus Pergulensis, Fabricius Capuanus, Siccus Montagnaneus, & Antonellus Mediolanensis. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. III.*

19. *Cardinalis Sanctæ Crucis.* Nicolaus Albergatus Bononiensis, ut alibi dictum est, in cujus obitu Orationem habuit Poggius, quam ut ineditam P. Georgius Carthusianus edidit *Coloniæ Agrippinæ ann.* 1618. licet una cum aliis Poggii operibus Basileæ vulgata fuisset *ann.* 1638. *apud Henricpet.*

20. *Legati virtute, auctoritateque.* Illi enim ab omnibus delata componendæ pacis autoritas fuerat, quod sanctissimum virum novissent.

21. *Montisferrati Princeps.* Nec non Ornandus & Antonius Pallavicinus.

22. *Lucensis tyranni nulla mentio facta.* Attamen ut amicus habitus est. Ideo de eo mentionem haberi noluerunt Florentini, quia in eum bellum meditabantur, ut injuriam ulciscerentur auxilii Philippo præstiti, ad quem Ladislaum filium cum 400. equitibus miserat.

23. *Nicolaus Fortebraccius.* Montonensis, Braccii præstantissimi ducis ex Stella sorore nepos.

24. *Nicolaus sponte an Florentinorum suasu &c.* Quod dubium relinquit Poggius, apertissime refert *Baptista Bevilacqua* Veronensis, qui in Lucensi bello equitum ductor fuerat, ut ex ejus *MS.* apud me. Habet enim, iniquum Florentinorum primoribus visum fuisse, quod Nicolaus Lucensem aggrederetur, sed populi impulsu a Lucensi abhorrentis
F factum fuisse, ut Braccius ad Florentinorum stipendia vocaretur, dummodo oppida Lucensi erepta Florentinis cederet.

25. *Oratorem.* Jacobum Vinitianum, qui licet publice pro Lucensi loqueretur, privatim tamen Florentinos in eum excitabat, magna ingrati animi significatione; nam capite damnatus Lucensis benignitate & vitæ & honoribus restitutus fuerat. *Scip.* Ammir. *p. I. To.* 2. *lib. XIX.*

26. *Inimicitiam armati.* Nicolai Fortebraccii.

27. *Sti-*

1429 opulentiſſimam urbem uſui fore, deſignatis præſertim pluribus magiſtratibus, ad quos cives quæſtus gratia aſpirabant: nonnulli varia inter ſe ſe jam officia partiti erant, potius ad prædam, quam ad Reipublicæ decus, aut amplitudinem intenti. Prudentiores ſeniores, qui ut rem inhoneſtam, difficilemque horrebant, aſſerentes incertos eſſe bellorum eventus, neque ſemper fortunam votis reſpondere, civitatem præterea, bello recenti exhauſto ærario, pecuniis haud abundare: neceſſario paulo poſt ſeram pœnitentiam ſuſcepti belli ſecuturam. Tandem convocato Senatu, cum ſententias exquirere placuiſſet, *Renaldus Albitius* ex equeſtri ordine populi voluntatem ſecutus, in hunc modum diſſeruit: *Scio, Florentini cives, hanc Rempublicam diuturno bello fatigatam otio egere, & quiete, a turbine armorum ſemotam. Sunt enim duo hæc, quibus maxime gaudent populi, non ſolum ſalutaria, ſed etiam neceſſaria, adeo ut qui hæc improbent, non videantur ſuæ urbis conſulere ſaluti; ſed longe proſpiciendum eſt, diligenterque cavendum, ne dum otio, & quiete frui quærimus, in majora, neglectis quæ poſſunt accidere, pericula incidamus. Ea enim ſaluberrima eſſe nequeunt, niſi depulſo timore belli, certa detur ratio otii, & quietis futuræ, ſine quibus nequit pax eſſe diuturna: otium quippe, & tranquillitas ſemper appetenda ſunt, niſi in his lateat ſuſpicio majoris, & occultioris mali, quod nobis hac neglecta occaſione imminere videtur: ſiquidem ille nactus ſit tempus, quo timorem conceptum procul a ſe propulſare valeat. Scitis belli, quod nobis cum Duce Mediolanenſi fuit, Paulum Guiniſium fautorem, & adjutorem contra nos licet occultum fuiſſe. Noſtis illum, nobis ſpretis, qui ſocietatem ejus quæſivimus, & filium ſuum cum equitum ala in auxilium hoſti miſiſſe, & juviſſe pecunia. Scitis hunc tyrannum nobis ſemper infenſum, neque palam, ſed hoſtili ſemper animo lætatum noſtris rebus adverſis, ſecundis anxium. Proximo certe bello hoſtis partes ſecutus, contra nos erat moturus arma, niſi Venetorum ſocietas ejus veſanos impetus retardaſſet, ut ſi ab oppugnatione noſtra deſtitit, non voluntati, ſed metui, non amori, ſed timori ſit tribuendum; cumque noſtra ſtipendia [27] ultro oblata contempſiſſet, minori commodo, dignitateque ad Philippum tranſiit, quo major illi ſua ope nos oppugnandi facultas eſſet. Nunquam ille nobiſcum fœdere jungi voluit, quoniam ſemper alienus vixit a noſtra ſalute: neque id fortaſſe mirum. Natura enim ita eſt comparatum, ut tyranni oderint Reſpublicas, cum nonniſi deperdita libertate regnare queant. Nihil eſt magis inter ſe contrarium, quam ſervitus, & libertas, quam Reſpublica, & tyrannis, qua nulla eſt publicæ utilitati infeſtior. In altera legibus vivitur, alteri pro legibus eſt libido. Quo ille pacto nos tractaret, ſi adeſſet facultas, qui propriæ matri eripuit libertatem peſſundatamque tenet in viliſſimi mancipii modum? hunc niſi, cum tempus datur, tollamus penitus, obſervabit ultionis tempus memor Nicolai injuriarum, quas nobis auctoribus ſibi illatas aſſeverat. Semper ad vindicandam injuriam paratus erit, ſi quis emerſerit ad nocendum caſus; nihil erit, quod ab eo negligatur, modo vos poſſit perdere: hoſtes noſtros ſibi, odio noſtri conſtituet dominos: malens ſe perire, quam nos ſalvos eſſe. Eſt præterea urbs illa propinqua Piſanæ urbi, quæ quanta cura propter incertos rerum caſus retinenda ſit, quis ignorat? Tollenda ſedes eſt noſtris hoſtibus, ex qua non parvum nobis diſcrimen imminere cenſendum ſit. Nullus præterea ex Gallia nobis incumbere timor poteſt, niſi per civitatem Lucenſem, quam ſcimus ab externis ſæpe fuiſſe poſſeſſam. Prætereo utilitatem, quæ plurima futura eſt civibus noſtris, tum fertilitate terræ, tum maris opportunitate. Nam quod quidam otium, & quietis ſpem præſeferunt, ipſi teſtes ſumus, quanto damno nobis conſtat pax [28] olim cum Philippo facta. Bellum atrox, periculoſumque ex pace eſt ortum, & adeo ancipiti ſtatus noſtri diſcrimine, ut in periculum ventum ſit libertatis: itaque non ſemper pax ſalutaris fuit, ſed ea, ex qua requies longinqua ſpectetur, non cui indicium fraudis inſit. Quapropter cum ſit tutiſſimum providere, ne quis obeſſe queat, & id facile videatur, quoniam omni externa ope tyrannus deſtituitur, vos hortor, quibus Reipublicæ cura eſt, quique otium appetitis, ut accipiatis quod offertur ultro, quodque parva impenſa brevi tempore Nicolaus ſe daturum ſpondet. Ampliores erant opes Piſanæ urbis, cum illam a Gabriele Vicecomite emimus: opulentior certe, & civium numero, ac virtute, fortuniſque validior; & tamen poſt amiſſam arcem decreto bello, omnes rerum, & temporum difficultates conſtantia & virtute ſuperavimus, eaque urbe potiti ſumus, quæ antea nobis fuerat inimiciſſima, ut non voluntate ducti, ſed extrema [29] neceſſitate coacti deditionem fecerint. Itaque poſtmodum ſecuri ad hanc diem ab his viximus, a quibus quotidie aut ſuo, aut alieno marte oppugnabamur. Itidem quo ſecurius fruamur pace, hic a nobis tyrannus eſt exterminandus: neque eſt ut exiſtimet aliquis, illo mortuo Lucenſes libertatem eſſe recuperaturos. Extant plures filii, quorum [30] major penes Philippum eſt, cujus præſidio in tyrannide perſeverabit: hæc haud incerta diſcrimina ſi evitare cupimus, delenda eſt vobis inimica tyrannidis ſedes. Et quidem perfacilis victoria ſpondetur nobis, & haud magni laboris opus, cum imparatus ille ſit, nullo [31] neque ſuo, neque externo ſubſidio munitus. Odio eſt [32] præterea omni populo, ut veriſimile fiat nolle illum pro tyranni ſalute pugnare, quin potius illius exitium exoptare, ut iniquam excutiat ſervitutem. Id vero non parvi ducendum videtur, quod via, & facultas Mediolanenſibus Ducibus in Etruriam tranſcendendi præcludetur: cum duo [33] veluti clauſtra, quibus ad oppugnandam noſtram Rempublicam adiri poſſit, fuerint hoſtibus interſepta. Ideo, cives præſtantiſſimi, id bellum mea ſententia ſuſcipiendum decerno, quod neque diuturnum erit, neque magno negotio tranſigetur. Commoda vero tot, tantaque ex hac victoria parabuntur, ut nulla majora ad præſens videantur optanda.* His dictis cum varius in concione ſermo eſſet tum eam aſpernantium orationem, tum laudantium, ſenioreſque, & qui prudentia, & rerum uſu præcellere exiſtimabantur, ut inutilem, & iniquam, maximique diſcriminis impugnarent; neque civibus conducere novis in diem bellis immiſceri affirmarent, ne tamquam inquieti homines pacem atque otium odiſſe viderentur: tandem *Nicolaus Uzanus* quietem armis præferens hujuſcemodi habuit orationem. *Vetus ſapientium virorum ſententia eſt, cives præſtantiſſimi, eos qui in hujuſmodi locum ad conſultandum accedunt, libe-*

27. *Stipendia ultro oblata.* Et duplo majora, quam quæ a Philippo habuit.

28. *Pax olim cum Philippo facta.* Cum Genuam in ſuam poteſtatem redegit, ut nos inde potentior urgeret.

29. *Sed extrema neceſſitate.* Fame ita urgente, ut in dies plures enecti occumberent.

30. *Quorum major.* Ladiſlaus equitum præfectus.

31. *Neque ſuo, neque externo ſubſidio munitus.* Non ſuo, quia equitum turmam Vicecomiti auxilio miſerat; non externo, cum Vicecomes longe abeſſet, & pace facta milites dimiſiſſet.

32. *Odio eſt præterea omni populo.* Interfecto Lazaro Guiniſio, libertatem ſibi adſciſcere tentaverant Lucenſes, cum Paulus Ducis copiis adjutus tyrannidem occupavit.

33. *Cum duo veluti clauſtra.* Piſæ, & Luca.

1429 beros ab omni morbo animi, nullique perturbationi obnoxios esse debere, eaque & sentire, & loqui, quæ jure existimentur Reipublicæ profutura. Itaque optimus mihi quidem ille civis esse videtur, qui paci, & tranquillitati consulens omnes suas cogitationes ad publicam referat salutem. Et certe nos omnes id in sententia dicenda sequi oportet, quod certa conjectura assequi possis salutarem, ac felicem exitum habiturum: neque si qua spes inanis futuri boni ostentetur, statim prosilire ad agendum quippiam, cujus [34] postea necesse sit pœnitere, ac dicere, quod turpissimum est viris sapientibus, non putaram. Nam qui in rebus dubiis, & periculo proximis exploratum sibi finem, certumque futurorum exitum pollicentur, raro sui desiderii compotes fiunt; cumprӕsertim rerum humanarum, & maxime bellorum dominam [35] constet esse fortunam, cujus est eludere nostras cogitationes, & eas præcipue, quarum sit finis in ejus libidine situs. * Quare ea mihi deliberatio videtur censenda esse optima, quæ procul absit a temeritate fortunæ. Certus sum, prudentissimi cives, clarissimi, atque integerrimi viri Renaldi orationem sincero animo dictam eo spectasse, ut eam Reipublicæ (neque enim aliter sua virtus requirit) conducere arbitraretur. Multis verbis populum ad id bellum, quod utile, exigui temporis, minimique sumptus putat futurum, cohortatus est. Verum quoniam de re agitur gravissima, & disceptando veritas elicitur, æqua feret mente, si alienæ a sua sententiæ auctor ero. Mihi quidem tutiori, melioríque consilio videntur uti, qui pacem [36] bello præferunt, ac post diuturnos armorum tumultus, variaque e quibus emersimus pericula, quietem & otium a bellis, ac tributis conferendis fessi quærunt, ac post longos tempestatum fluctus portum ingredi conantur, quam qui spreta pace bella ex bellis serentes quietem aspernantur, potiusque procelloso mari gaudent, quam tranquillo. Etenim bella suscipi (sicuti placet prudentibus) debent, ut in pace vivamus, non ut post præsentis mali finem aliis novis turbinibus minime necessariis implicemur. Hoc enim esset in continua calamitate, ac miseria versari, si semper futurorum, quæ incerta sunt, metu ad arma inferenda prosiliremus: quæ quantum ex voto procedant, paulo ante sumus experti, ut admodum mirer non horrere nos omnes belli nomen, si mentem ad præterita [37] pericula referamus. Bellum nuper cum Philippo difficile, ac periculosum gessimus, in quo futuri eramus inferiores, nisi [38] aliorum ope, auxilioque illius potentia contusa esset. At nos id [39] bellum quod facile sopiri poterat, alacres ultro suscepimus, longo lascivientes otio, tamquam parvi temporis, & haud magnæ impensæ, exploratæque victoriæ, ut omnes dicebant futurum. Id fortuna postmodum præter spem nostram, & gravissimum reddidit, & temporis longioris, & magno cum civium detrimento. Eodem pacto bellum de quo agitur, qui facili, atque brevi exitu confici posse

1429 augurantur, longe sua opinione falluntur, ignari incertos esse bellorum exitus, martemque communem. Verum levis impensa quæ potest videri, exhaustis nostris viribus, & pene superiori bello consumptis? Poterat hoc dici, si recentes, non fessi bellum susciperemus. Parvus labor ingens est debilibus corpore, & brevis via longo fatigatis itinere videtur esse longissima. Exinanita pecuniis civitas, quodcunque etiam leve tributum, gravissimum judicabit, pertæsa [40] tot sumptuum, quot nuper subire coacta est. Quid enim causæ attulimus olim, cum pace nobis opus esse prædicaremus, nisi civitatem auro, & argento inanem ob diuturnos, ac graves belli sumptus ad tributa solvenda obduruisse? Gravis ergo, non levis sit quævis jactura pecuniarum necesse est, & non facile ferenda; facilitatem vero, aut brevitatem belli perficiundi, qui sibi despondet, longe a recto abest judicio. Multa enim possunt in diem emergere: mutabiles quippe sunt hominum mentes, quæ adversari poterunt cogitationibus nostris: plura præter spem evenire, quæ bellum longius trahere, & difficillima reddere queant, quæ videntur facillima: multa tempus, multa casus, multa fortuna, [41] multa rerum varietas secum ferunt a nostris consiliis remota, in quibus tamquam certis defigere mentem parum prudentis, & nimium de fortunæ potestate sibi spondentis esse videtur. Quis enim vestrum novit, quid sit suscepto bello eventurum? quæ sors illius eveniat nobis? quis novit hominum partim novas res appetentium, partim invidorum, partim sibi prospicientium voluntates? Vereor profecto ne livor, odium, timor, æmulatio plures nobis adversantes excitet. Quis divinare potest, an Philippus, vir inquietus, suas copias subministret tyranno, non tantum illius causæ favendi cupidus, quantum fugiendi [42] molestias militares? cui exploratum est, an Pontifex infenso adversus nos animo, sit eam urbem nobis subjici permissurus? Cui manifestum, an Senenses [43] de sua libertate soliciti, sibique timentes pro tyranni defensione nobis bellum inferant? Quis tam prudens, tam exquisito consilio, ut sibi certam victoriam spondeat? Quis fortunam semper in bellis dubiam, ac dominantem secundam sibi fore polliceatur? Multa, variaque sunt discrimina, quæ bellorum casus secum portant, ut majorem timorem incutere, quam spem ullam debeant afferre. Nam quod otium, & quietem ita laudavit vir optimus Renaldus, ut in eis belli suspicionem latere assevararet: nulla tam recta, tam sancta res reperietur, quæ non in pejorem flecti partem disputando queat: nulla tam justa, tam probanda, quæ perversas iniquorum calumnias, & malignitatem non recte interpretantium possit effugere. Nulla est virtus, quæ sit a detractoribus libera. Quod certius bonum, quod salubrius [44] pace? quod Deo acceptius reperitur? Quid otio, & concordia utilius, quid optabilius quiete? At nos hæc omnia altercando, & retractando in contrarium videmus trahi; & quæ ho-

34. Cujus postea necesse sit pœnitere. *Sapientis est proprium, nihil quod pœnitere possit facere.* Cicero Tusc.

35. *Dominam constet esse fortunam.* Sic *Cicero in Orat. pro M. Marcello. Maximam vero partem quasi suo jure fortuna sibi vendicat.*

36. Qui pacem bello præferunt. *Melior enim certa pax quam sperata victoria. Pax vel injusta utilior est quam justissimum bellum.* Cic. de Off.

37. *Ad præterita pericula.* Cum fuso apud Zagonaram exercitu, & Carolo eorum duce capto in libertatis discrimen adducti fuerint.

38. *Nisi aliorum ope.* Venetorum scilicet, ad quos confugerant.

39. *Id bellum quod facile sopiri poterat.* Sermo est de bello Forilivii caussa, suscepto, quod declinare poterant, illis parcendo, a quibus Lucretia Ordelaffea expulsa fuerat. Id Mediolanensi postulanti responsum a Florentinis fuit, *non esse suæ dignitatis his acquiescere.*

40. *Pertæsa tot sumptuum, quot nuper subire coacta est.* Post pacem factam Volaterranorum defectio, & Ludovicus Marradi Dominus tributa solvere detrectans ad bellum valde sumptuosum rursus Florentinos adegerunt. Poggium increpat *Ammirat. p. l. To. 2.* quod hæc non referat, quæ in ejus ætatem inciderunt.

41. *Fortuna, rerum varietas multa ferunt a nostris consiliis remota.* Concordat cum dicto Ciceronis. *Fortuna efficit multa improvisa nobis propter obscuritatem ignorationemque caussarum.* in Acad. Quæst.

42. *Quam fugiendi molestias militares.* Si enim Lucensi copias tribuat, Florentinos oppugnabit sine ulla belli molestia, quæ tota penes Lucensem erit.

43. *Senenses.* Florentinum nimis propinquum extimescebant, qui jam Pisis captis omni pene ex parte eos circundabat.

44. Quid salubrius pace? *Et nomen pacis dulce est, & res ipsa salutaris.* Cic.

45. *Aut*

1429 *honesta apparent, a multis turpia, & quæ utilia, incommodis plena reputari. Nos profecto rationem secutos ejusmodi inanes suspiciones effugere oportet, & eis quoad datur uti bonis, quæ divina potius quam humana recte appellentur. Ego quidem pacem, & otium appetens hujus belli eventum infelicem horreo: tyranni vero secundam fortunam extimesco; cum haud dubie credendum sit, Deum magis fauturum repellenti injuriam, quam inferenti, magisque se, suaque tutantium saluti, quam oppugnantium cupiditati prospecturum. Non est profecto, non est aut æqua causa, aut justa, quæ nos impellat ad Lucense bellum: nisi fortasse justam causam bellorum, dominandi cupiditatem judicemus. Si non sensit nobiscum, aut noluit, aut non* [45] *potuit, aut sibi, & patriæ quieti prospexit, procul a bellis esse voluit. Quod consilium haudquaquam reprehendendum videtur. Id ille egit, quod præsens tempus tunc postulabat, quod saluti suæ conducere arbitrabatur. Nunquid ille nostro arbitrio consilium de sua re erit capturus? Liberum est hominum sua administrandi arbitrium. Quod si qua est data nobis indignandi occasio adversus eum, qui ad hostem nostrum, filium armis suffultum misit, quid meruit civitas universa semper ejusdem factionis, ut plurimum* [46] *socia, & amica nobis? nunquid plecti pro tyranni, quem summopere oderunt, culpa merentur cives? Si eo pulso ad nos civitas quæsitum mittat, quænam ratio sit propter quam eos armis in servitutem redigere quæratis, a quibus nulla in re aut læsi fuistis, aut lacessiti: quid his respondebitis? quam honestam belli causam afferetis? nullam certe, nisi ambitionis crimen, & imperandi summam cupiditatem. At nullo neque divino, neque humano jure permittitur per injuriam, & iniquitatem aliena usurpare. Justa causa debet esse bellorum, quæ aut pro injuriis propulsandis, aut suis repetendis suscipi debent, aut pro patria conservanda, & horum bellorum felices esse exitus solent. Injusta vero arma raro victoria comitatur; infamia, dedecus, opprobrium, odium sequi solet. Quam ille nobis injuriam infert? quid eripuit nostri? quod bellum patriæ intulit, ut hæc armis sint vindicanda? Si Pisanam urbem vi & armis cepimus, id optimo a nobis jure factum est. Nam primo* [47] *ab eo cujus vendendæ jus, potestasque erat, empta est: tum eam invasimus urbem, quæ ut plurimum hostili erga nos animo semper fuit, & odio fere immortali, a qua multa nobis discrimina summa cum nostra pernicie emerserunt. At Lucensis civitas contraria Pisanis semper natura fuit. Nam & alterius* [48] *factionis partes secuta est, & nunquam nos appetiit bello, sed multis* [49] *bellorum calamitatibus nobiscum sensit, ut abominandum* [50] *videatur nos velle eam subigere urbem, quæ plura in nostram Rempublicam merita recensere queat. Nihil est in hominum vita iniquius, aut perniciosius ingratitudine, quæ omnia complecti scelera videtur; neque enim aut amicitiæ jura tueri, aut venerari parentes, aut Deos colere, aut alicui beneficio*

A *respondere ingratus potest. At quid ingratius reperias, quam bene de nobis meritos armis pessundare, & ejus moliri servitutem civitatis, quæ* [51] *ne nos serviremus, omni ope, auxilioque pugnavit. Quamobrem hortor vos, oroque, ut non tam repente hoc bellum suscipiatis, ejus præsertim verbis freti, cui* [52] *bella quæstui sunt; cujus nil refert, victine, an victores abeamus: cujus maxime interest bellum trahi longius, quo plus stipendiorum accipiat a nobis: qui id offert, quod dandi nullam habet potestatem. Mea quidem opinio est, ab injustis armis abstinendum esse, potiusque pro honore nostro præteritas tyranni injurias æquo animo tolerandas, quam propter illius* B *odium civitatem de nobis optime meritam oppugnandam. Deum oro, ut eam vobis mentem in deliberando præstet, quæ sit consentanea & honori nostræ Reipublicæ, & saluti.* Varius deinde diversa sententium animus fuit, pro ut privatum quenque commodum trahebat; tamen ut sæpissime contingit, melior pars a majori superata est; bellumque decretum Decembri mense, nono & vigesimo post mille quadringentos anno, Decemvirique, [53] qui bello præessent, quoniam haud longius trahi posse arbitrabantur, ad sex menses creati. Maxime populum ad id bellum incitasse dicitur memoria *Ladislai* a tyranno in Ducis auxilium, C dum præcipue bellum arderet, destinati. Alii quorundam civium ambitionem, cupiditatemque, quibus bella usui erant, opesque eorum aliorum damno augebantur, plus æquo valuisse tradunt, *Nicolaum*que privati cujusdam civis consilio ad arma tyranno inferenda motum, cui confestim scriptum est, ut quod bellum antea sponte sua movisset, & auctoritate populi *Florentini* administraret. *Berardinus* [54] quoque *Ubaldinus* cum pluribus equitum turmis ad id bellum denuo conductus, multæque equitum, ac peditum alæ scriptæ. Ad purgandos vero *Florentinos* ab injuria suscepti belli, ad Pontificem *Martinum*, ad *Phi-* D *lippum*, *Venetos*, *Senenses*, *Bononienses*, & ad *Ferrariensem* oratores missi. Omnes perplexe responderunt, excepto *Philippo*, qui rem laudavit, suamque [55] in *Florentinorum* gratiam ad id bellum est operam pollicitus, callido quidem animo, quo nova molestia vexarentur. *Paulus* posteaquam *Florentinorum* consensu se oppugnari animadvertit, legationesque auxilium postulantes fuisse irritas, in primis *Senenses* solicitavit, si quo pacto excitari possent, ad belli societatem suadendo [56], hortando, monendo. Testabatur, *se devicto, Florentinos Senarum imperium appetituros. Eisdem armis eorum libertatem ablaturos, quibus sibi imperium* E *eripuissent. Expergiscerentur, dum tempus, & facultas daretur consulendi, dumque saluti suæ prospicere facillime possent: nullo pacto illis caveri posse, si victoria potiatur Florentinus: neque quieturam Luca capta, neque ulla pacta, aut fœdera servaturam eam gentem, apud quam nihil sanctum esse, aut in-*

45. *Aut non potuit.* Quomodo enim Paulus Guinisius, qui Mediolanensis auxilio Luca potitus fuerat, ei poterat adversari?

46. *Ut plurimum socia.* Ut etiam in bello Pistoriensi fœderi ascripta anno MCCCLXX. nec non deinde anno MCCCXCV.

47. *Ab eo cujus vendendæ jus, & potestas erat.* A Gabriele Maria, cui Pisæ e Galeatii testamento obvenerant.

48. *Alterius factionis.* Ghibellinæ.

49. *Multis bellorum calamitatibus nobiscum sensit.* Ut anno MCCLX. in Senensi bello, ann. MCCLXXXIX. in bello Aretino, & Pisano.

50. *Ut abominandum videatur, &c.* Si nihil turpius quam cum eo bellum gerere cum quo familiariter vixeris, ut ait *Cic. in Philip.* quid si cum eo bellum geratur, a quo beneficia semper acceperimus?

51. *Ne nos serviremus, omni ope auxilioque pugnavit.* Contra Henricum Imperatorem Florentiam ann. MCCCXII. obsidentem.

52. *Cui bella quæstui sunt.* De Nicolao Fortebraccio sermo.

53. *Decemvirique ad sex menses creati* Carolus Federicus, Nerius Capponus, Leonardus de Bardis, Alamanus Salviatus, Andreas Sachettus, Bartholomæus Cenducius, Joannes a Stufa, Martinus Lucæ, Martini Notarius Joannes F Puccius, & Henricus a Cursu. Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XIX.*

54. *Berardinus Ubaldinus, della Carda* appellatus.

55. *Suamque, &c. operam pollicitus est.* Auxilium Florentinis est pollicitus, & Franciscum Sfortiam cum omnibus militibus ad Lucensis stipendia ire jussit, eum se dimisisse simulans.

56. *Suadendo, hortando, &c.* Eisdem prorsus argumentis Florentinus legatus belli societatem in Philippum Venetis suaserat, ut in præcedenti libro.

1429 *inviolatum ambitio sineret, & avaritia. Cum egeant, aut aliquo in periculo versentur, multa illos polliceri solitos: transacto periculo, nulla promissa, nulla pacta, nulla conventa servari, sed omnia pro eorum utilitate pensari: verosimilius videri Florentinos studiosius appetituros eam* [57] *urbem, quacum manus sæpius conseruissent, & quæ quæsierit ejus calamitatem, quam quæ semper in fide, societateque vixisset.* Hæc pluraque alia in eam sententiam dicta excitarunt *Senensium* animos jam sua sponte titubantes ad consultandum, quid rebus suis conduceret. Et infensa, & dubia eis erat *Florentinorum* potentia, neque dubitabant, quin devicta ea urbe in se a *Florentinis* arma moverentur. Multæ ad id suspiciones eos impellebant, & ea præcipue, quod audierant *Florentiæ* nonnulla in vulgus jactata, ac decantata verba, quibus haud obscure bellum *Senensibus* nuntiabatur. Igitur e vestigio oratores tum *Venetias*, tum *Florentiam* mittuntur. Hi ut hortarentur ad omittendum bellum nulla justa causa susceptum, ne cogerentur per vim oppresso *Lucensi* opem ferre; alteri ut rogarent, ut pacis componendæ auctores essent, simulque peterent utrum se adjuturi forent, si a *Florentinis* oppugnarentur. A nostris responsum est, haud [58] injuria illatum tyranno bellum, tum quia *Ladislaum* in rebus eorum dubiis adversus se misisset hosti, tum quia falsa calumnia culpasset tyrannus, *Nicolaum Florentinis* hortantibus se armis appetisse: æquum videri ei, cum injuste, & per alterius injuriam queratur, justam dari causam criminandi: se cum *Senensibus* antiquum servaturos fœdus, nihilque acturos, quod ab eorum societate alienum esse censeretur. *Venetorum* oratio fuit, si a *Florentinis* in *Senenses* intentarentur arma, non [59] posse se æquo jure illorum libertatem tueri, cum in fœderibus contractæ pacis socii a *Florentinis* sint adscripti. Reversi oratores cum quæ acta erant exposuissent, maxima cura civitatem invasit, cœptumque tractari, quo maxime modo tyranno opitularentur. Nam si is succubuisset, & *Florentinorum* vires timebant, & auxilia desperabant, cum neque *Mediolanensem*, neque *Venetos* sibi
1430 confiderent fauturos. *Nicolaus* interea, atque *Ubaldinus Lucensem* agrum tum populationibus, tum oppidorum, quæ multa ceperant, præda infestum reddebant. At tyrannus [60] cum fluctuantes *Senensium* animos sensisset, pecunia se illos impulsurum in suum subsidium ratus, grandem vim auri *Senas* misit, qua equites, peditesque contra *Florentinos* conducerentur; & cum plures pecunias se daturum promitteret, e vestigio de inferendo bello statuerunt. *Antonio Petruccio* [61] optanti, quærentique comparandi militis negotium datum, qui *Romam* profectus, copiisque haud abnuente Pontifice scriptis, cui bellum *Lucense* permolestum erat, ac mari eis *Lucam* delatis, aliis quoque in agro *Bononiensi* paratis, quæ paulo post ad *Florentinos* defecere, *Lucam* proficiscitur. Cum hyems adventaret, quiesque tam

A apud eos, qui obsidione urbem cinxerant, quam apud obsessos fore videretur, *Antonius* [62] *Senensis Florentinis* adversus, cui a Republica defendendi tyranni causa demandata erat, *Genuam* ac *Mediolanum* profectus: & *Genuenses* & *Philippum* ad præsidia *Guinisio* præstanda hortatus est. Superbiam insuper, ambitionemque *Florentinorum* culpabat, qui dominandi cupiditate semper cum finitimis decertaverint: minime in eorum rem videri asserebat eam urbem subjici populo *Florentino*: dari aditum terra hostibus pugnandi cupidis invadendi *Liguriam*, & in *Galliam* transeundi. Multaque in eam sententiam disseruit, quæ *Philippum* moverunt in auxilium tyranni, & ejus a pace ad belli curam mentem convertere. Sed calliditate, astuque, non aperto consilio usus, *Franciscum Sfortiam* & tyranni, & *Senensium* stipendiis conductum auxilium obsessis ferre cum duobus equitum millibus mandavit. Ab *Antonio* insuper plures piratæ *Catalani* [63] pecuniis receptis omne *Pisanum* littus infestum reddentes, expositis militibus, onusti omnis [64] generis præda ad naves revertuntur. At *Florentini*, cum nullæ, aut parvæ *Lucensem* copiæ ad eam diem tyrannum tutarentur (nondum enim ulla [65] subsidia advenerant) obsidere urbem, & commeatu prohibere parant. *Nicolaus* igitur, & *Berardinus* partitis copiis binis [66] castris cinxere urbem, singulisque portis singulæ stationes erectis castellis oppositæ, permultæque machinæ ad diruendos muros additæ. Ex contemptu hostis negligentia in castris, ut fit, secuta est, omnisque rei militaris cura omissa. Qua re animadversa, delectæ juventutis cives, tum mercenarii [67] milites ad duo millia sub ortum solis eruptione facta *Nicolaum* adoriuntur, pelluntque castris, & in fugam vertunt; fuissetque magna clades eo die accepta, nisi eruptione audita *Berardinus* (nil enim minus timebatur) subsidio fugientibus occurrisset, cujus adventu hostes nonnullas bombardas secum raptim ferentes in urbem revertere. Tentatis omnibus, cum neque obsidione, neque præliis tyrannus ad deditionem compelleretur, alia ratione expugnare urbem statuunt, auctore *Philippo Brunellesco*, maximo omnium ejus tempestatis architecto. Is opus aggreditur difficile sane, ac laboriosum, quod incassum evasit. Nam regionem urbi propinquam contemplatus, primum flumen *Auxerim* oppositis repagulis reprimere ab aquarum cursu, ita ut in immensum excresceret, deinde lata fossa aquam in urbem inducere, tum cæteros rivulos in alveum fluminis derivare ad augendam aquæ vim, quo plana urbis aquarum inundatione mergerentur, statuit. Sed nil usui contulit susceptus labor. Nam cives postquam veluti diluvium sibi parari intellexerunt, præaltis aggeribus circum urbem, qui vim aquarum exciperent, e regione fluvii erectis, id periculum declinarunt. Deductas enim versus urbem aquas rejecerunt aggeres, quibus securi cives, fa-

57. *Eam urbem.* Nempe Senas.

58. *Haud injuria illatum tyranno bellum* Florentinos excusat Poggius, quos tamen autores reliqui criminantur; non enim bellum Guinisio movere poterant, quem ut amicum exceperant, licet de eo in fœdere nulla mentio esset. Nulla porro post pacem injuria ab eo Florentinis illata fuerat.

59. *Non posse se, &c. cum in fœderibus contractæ pacis, &c.* Optima licet Venetis oblata esset occasio cum Senensibus, & Lucensibus fœdus ineundi; hisque sociis & Florentinos debellare possent, & Pisano portu potiri ad maritimas expeditiones tutandas peropportuno, nihil tamen apud eos plus valuit, quam ratio fœderis.

60. *Tyrannus.* Lucæ Paulus Guinisius.

61. *Petruccio optanti, quærentique.* Non gloriæ, aut lucri caussa Guinisio auxiliari studebat Petruccius, sed ut Florentinorum injuriam ulcisceretur, qui eum Prætoriæ Lucæ dignitati inhiantem, alio Lucensibus proposito, expulere. *Ammirat. lib. XX.*

62. *Antonius Senensis.* Petruccius.

63. *Piratæ Catalani.* Sex triremibus Lucensi auxilio fuere.

64. *Omnis generis præda.* Navem in ipso Liburni portu prædati sunt. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. IV.*

65. *Subsidia advenerant.* A Philippo, & a Genuensibus, qui licet Mediolanensi parerent, multa tamen suo arbitrio & autoritate agebant. *Ammirat. lib. XX.*

66. *Binis castris cinxere urbem.* Ad orientem, ac meridiem dispositis.

67. *Mercenarii milites.* A Petruccio conducti. Hanc Lucensium eruptionem, & pene Fortebraccii cladem omittit Joan. Bapt. Bevilaqua Veronensis *MS. de bello Lucano*, in quo se equitum ductorem fuisse asserit, hocque, ne suæ & Braccii famæ officeret.

68. *Lo-*

1430 facta eruptione disturbatisque hostium operibus aquas ad castra *Fortebraccii* defluere compulerunt, qui magno ab aquis accepto incommodo, locum [68] mutare compulsus est. Erant interea apud *Mediolanensem* Ducem *Venetorum*, [69] ac *Florentinorum* legati, hortantes inter cætera, ut nil novi ageret, quo pax violata censeri posset. Præsenserant enim animum suapte natura mobilem, atque inconstantem, de mittendo *Lucensibus* subsidio agitare: qui unum in ore, aliud in pectore habens, nil sibi antiquius pace respondit, nilque acturum se, quo turbatæ ab eo quietis, aut otii ulla oriretur suspicio: ideoque præfectos equitum, quibus ad eam diem stipendia subministrasset, missos esse facturum. Callidum id responsum fuit, cum pro evitanda belli suspicione eis se commeatum daturum diceret, quos ad bellum *Lucense* antea destinasset. Occulte igitur egit cum *Francisco*, ut spreto [70] armorum otio missionem flagitaret. Is magnopere, tamquam [71] in re nova, multis verbis palam contendit a Duce, ut abire liceret: velle se *Beneventum* proficisci, quoniam sibi conducere arbitrabatur bellis, quæ in regno *Neapolitano* orta dicebantur, interesse. Accepta clam pecunia, cum equitibus, peditibusque veris principio *Parmam* versus movit: ubi suos expectare simulans, præmio omnibus, qui se sequi vellent, proposito multos ex composito a Duce dimissos conduxit. Magna coacta manu, cum plures ad eum convenissent, ne pro profectione *Beneventum* proposita *Lucam* peteret, dubitabatur; sed quia verisimile erat illum ex animo loqui, quod optabant, facile plures credebant. Et jam *Mediolanensis* dolo militiæ venia impetrata, *Antonius Pontadereus*, vir audax, & in *Florentinos* animo infesto, cum octingentis equitibus Ducis stipendio, ut dictitabant, defunctis *Lucam* profectus omnia ferme castella a *Fortebraccio* capta in potestatem redegerat, animumque, & vires tyranno addiderat: cum *Sfortia* nequicquam tentatis omnibus via *Parmensi*, ut Alpes superaret (saltus enim omnes ab ea parte firmissimis præsidiis tenebantur) *Pontremolum* deflexit, tutoque in *Etruriam* descendit cum plurimis equitum turmis, peditibus octingentis. *Lucæ* appropinquans *Nicolaum* obviam prodeuntem commisso prælio fudit. Qua ex re *Florentinorum* copiæ retro *Pisas* [72] versus tribus passuum millibus cessere, castellis quibusdam portis urbis oppositis cum præsidio relictis, quæ *Franciscus*, cum *Florentini* acie certare nollent, brevi tempore expugnavit. Dolum Ducis conspicati Decemviri, majoribus copiis exercitum auxere: *Franciscus* cum spe prædæ, tum ut hostis potius suis tuendis, quam alienis oppugnandis operam cogeretur impendere, una cum tyranni [73] filio *Vallem Nebulæ*, regionem pacatam atque opulentam, ingressus *Stilianum* oppidum captum magna vi diripuit. Urgente deinde commeatus inopia *Lucam* reversus, cum stipendia a tyranno peteret, isque avarus, & magna ex parte pecunia exhaustus procrastinando tempus tereret, a Decemviris vero ad relinquendum tyrannum pecunia solicitaretur, non ut fidem solveret, sed ut post semestre, quo conductus fuerat, *Beneventum*, ut palam prædixerat, diverteret, tyrannus quoque magnis promissis ad urbem tradendam alliceretur: cuncta ordine *Philippo* per internuntios significat. Ille damnata hominis avaritia, qui imperio privari, quam pecunia carere mallet, solicitatus præterea a *Senensi* ad spoliandum urbe tyrannum, asserente maximam auri, argentique vim ab eo possideri, ingentis spe prædæ ductus, simul veritus, ne ad *Florentinos* deficeret, consilium arripit, mandatque *Francisco*, curet, ne quid privatæ collocutiones afferant detrimenti, & *Senensi* quoque datum est negotium tyranni capiendi, si quid moliretur novi. Erant in *Florentinorum* castris, qui adulterinis [74] literis *Franciscum*, ac tyrannum in mutuum odium acuerent, alteri alterius secreta consilia detegere simulantes; qua ex re aucta utrinque proditionis suspicione, malevolentiaque non minima contracta, *Franciscus* decrevit tandem populum ad defectionem impellere. Communicata cum *Senensi* [75] re, ac occulta cum *Florentinis* tyranni colloquia culpans, facile cives ad rebellandum commovit. Præstituta [76] die *Antonius* acceptis satellitibus, arcem sub negotii spem ingressus tyrannum [77] cum filio capit. Direpta [78] supellectile, pecunia multo minor fama, partim ad *Philippum* missa, partim usui reservata. Captivi [79] duo ad Ducem missi. Civitas restituta libertate, antiquos magistratus creat. *Franciscus* simulata profectione, quo promissa a *Florentinis* pecunia daretur, a *Senensibus* postulat, ut oppida, quæ paternæ ditionis fuerant, ab eis post obitum occupata restituerent: quod si negligerent, armis jus suum vindicaturum. Hac spe *Florentinis* injecta, grandem [80] illi pecuniam persolvunt. Acceptis quoque a *Lucensibus* nummis, se veris principio reversurum pollicetur: instare etenim hyemem, quæ tum eis tum suis equitibus ex annonæ caritate gravis admodum futura esset: sed in tempore se affore promittit. Inde profectus converso itinere *Galliam* versus, *Mirandolam* oppidum petit. Post recuperatam libertatem *Lucenses*, legatos *Florentiam* mittunt, pacem orantes, quam pulso tyranno se habituros sperarent: rogare ut potius suorum quondam erga *Florentinum* populum meritorum meminissent, quam injuriarum tyranni, quæ se invitis, ac flentibus accidissent: se æquis conditionibus postulare pacem, quæ utrique populo videretur profutura: commemorare pericula bellorum, & varios fortunæ casus, ac dicere certam pacem speratæ victoriæ præferen-

68. *Locum mutare compulsus est.* Ligneis castellis in hostium potestate relictis, quibus dirutis, Lucenses oppida plura recepere, & Florentinum agrum depopulati sunt. Malavolt. *Hist. Sen. p. III. lib. II.*

69. *Venetorum, ac Florentinorum legati.* Andreas Contarenus, & Laurentius Medices.

70. *Spreto armorum otio.* Pace enim facta, arma otiabantur.

71. *Tamquam in re nova.* De qua scilicet nullus clandestinus sermo habitus esset, sed ex se tantum prodiret.

72. *Pisas versus, &c.* In Ripæfractæ collem, qui medius Pisas inter, & Lucam natura loci munitissimus erat, exercitum reduxerunt.

73. *Tyranni filio.* Ladislao natu majori.

74. *Adulterinis litteris.* Simulato amicorum charactere confictis.

75. *Cum Senensi.* Antonio Petruccio, nec non cum Petro Cinnamio, & Joanne Chivizzano Lucensibus civibus.

76. *Præstituta die.* Paulum Guinisium lecto recumbentem captum refert *Joann. Bapt. Bevilaq.* a Petruccio, cui arcis ingressus patebat: huic enim se totum crediderat Guinisius.

77. *Tyrannum cum filio capit.* Tyranni filius non a Petruccio, sed a Francisco Sfortia captus fuit, qui Lucensis eventu audito, Ladislaum ejus filium apud se in castris degentem detinuit, ut *Bevilaq.* supra citatus, & Malavolt. *Hist. Sen. p. III. lib. II.* Ammirat *lib. XX.*

78. *Direpta supellectile.* Quæ sexaginta aureorum millibus censebatur, ob margaritas præcipue, quæ pene omnes Mediolani oppignoratæ, ut ex eis stipendia militibus persolverentur. Sed pretiosissima quæque sibi duces reservarunt. Baptista Bevilaqua *de Bello Lucano MS.*

79. *Captivi duo ad Ducem missi.* Paulus Guinisius cum Ladislao filio, qui infelici exitu defecere.

80. *Grandem illi pecuniam persolvunt.* Dementiæ Florentinos arguit *Ammiratus*, aliique scriptores, quod pecuniam Sfortiæ persolverint, ut discederet, cum hyeme adveniente diutius jam morari nequiret. Discessit vir callidus, Guinisii spoliis, Lucensium, Florentinorumque nummis ditatus.

 81. *No-*

1430 rendam. Responsum tulere non deserturos bellum *Florentinos*, quod justis ex causis suscepissent, non libertatem ab illis partam, sed novam [81] tyrannidem quæsitam esse: proinde abirent, ac præsenti tempori consulerent, meliori conditione futuri, si urbem sponte traderent, quam si coacti vi, & armis superarentur. Legati dato responso *Lucam* reversi, a *Philippo* & a *Francisco* spe subsidii oblata populum ad defensionem hortantur, asserentes Dei opes minime defuturas. At Decemviri *Francisci* discessu, omni *Lucam* præsidio spoliatam cito in potestatem venturam arbitrati, novis conductis copiis, auctoque exercitu, denuo urbem obsidione cingunt, castellisque pro numero portarum ædificatis, cives & fame, & continuo labore fessos urgent acrius, adeo ut obsidionem minime laturi amplius viderentur. *Philippus* vero, qui bellum ad eam diem aluerat, cum non ignoraret *Florentinos* in belli sumptus auro, argentoque exhaustos, jam pertæsos cœpti, quo illos novo fatigaret bello, cum *Genuensibus* [82] egit, ut *Lucenses* primum in fidem reciperent: tum a *Florentinis* peterent, ne hostilia arma in eos inferrent, qui societate, & amicitia [83] secum juncti essent. Igitur post contractum fœdus oratores *Florentiam* mittunt, postulantes, ut a bello desisterent, neque sociis molesti essent, quos sibi tuendos suscepissent. Ad ea responsum est, mirari populum *Florentinum*, civitatem natura servam, neque tunc sui juris, sed alteri subjectam petere quod eorum arbitrii minime foret: nihil enim a *Genuensibus* agi posse, quæ ad publicam rem spectarent, nisi quatenus ab eo, qui eis imperaret permitteretur. Ideo docerent, si quid a Duce *Mediolani* eorum domino, de ea re mandatum esset: non enim eorum esse juris, aut velle aut nolle quicquam, nisi quantum a Duce tribueretur. His verbis legati admodum irritati animo abiere, minitantes paucos infra dies cognituros illos liberine, an servi forent, confestimque cum *Genuam* rediissent, *Nicolaum Piccininum*, *Philippi* exercitus ducem præstantissimum, qui in hybernis apud *Ligures* erat, rebus omnibus jam antea a *Mediolanensi* instructis, subsidio *Lucensibus* mittunt. Dum hæc parantur, obsidioni urbis intenti *Florentini* ducem belli *Guidantonium Feretranum*, *Urbini* Comitem, sua, [84] & majorum gloria clarum, cum sex equitum, peditum vero quatuor millibus, præter auxiliares copias, quæ Decemvirorum jussu ad id bellum convenerant, creant: ejusdemque [85] nominis *Faventinum* principem, qui sub *Feretrano* militaret, conducunt. Interea *Philippi* conspecta fraude *Veneti*, qui *Genuensium* nomine *Nicolaum* adversus *Florentinos* missum intelligerent, per oratorem apud Ducem queruntur, violata esse ab eo pacis fœdera, qui præter conventa præfectos suos variis fallaciis, confictisque tabellis in auxilium *Lucensium* ire jussisset: non enim tanta calliditate id machinamentum fuisse actum, quin aperta vestigia appareant, omnia ea consilia a se profecta. At ille consueta simulatione, nulla sua opera id factum fuisse testabatur;

A *Genuensium* opus esse, qui socio, & amico auxilia decreverint. Neque vero id a se potuisse prohiberi. Quamvis enim sub ditione forent, nullo tamen pacto, nulla lege vetari, quin cui velint, propriis sumptibus auxilio esse queant. In multis enim libertatem illis concessam, qua suo jure uti possent; licere quoque & *Venetis* secundum fœderum formulam subsidia *Florentinis*, quæ velint, mittere. Hoc dato responso, cum *Venetias* orator revertisset, haud ignaris *Philippi* consilii (palam enim erant) *Venetis* visum est nil dum novi tentandum esse. Suadebatur tamen a *Florentinis*, ut bellum instaurarent, cum magna pars præfectorum, qui sub *Philippo* militaB bant, abesset. At illi prioris belli impendio debilitati decrevere haudquaquam novo destineri bello. Interim *Piccininus Mara* flumine trajecto, ad *Petram sanctam Lucensium* oppidum venerat. *Guidantonius* vero cum exercitu pro ripa *Auxeris*, quæ *Lucam* spectat, castra posuerat, fossaque circumdederat, quo munitiora ab eruptione civium forent. *Piccininum* vis aquæ (media enim fere hyems erat) transitu prohibebat, cujus copiæ ad duas [86] ferme legiones conficiebant. Erat in castris *Piccinini* rerum omnium, quæ navibus a *Genuensibus* subvehebantur, copia. Apud *Florentinos* C vero ex difficultate annonæ comportandæ summa inopia, adeo urgente fame, ut multi desertis sponte castris abirent, quidam ad hostes transirent; quæ res consultandi causam Duci, ac præfectis [87] dedit, mutandusne locus esset, an fortuna certaminis expectanda. Dum dubiis animis tempus consultando terunt, *Auxer* paulum imminutis aquis facultatem præbuit fluminis transcundi. Præmiserat ad ripam fluminis *Nicolaus* agasones, jumentaque cum frumento, quod superato fluvio in urbem fame oppressam comportaretur. Dubitanti tamen, ac paulum hæsitanti, an aquam ingrederetur (ignarus enim quo D loco transeundum esset in armis stabat) fortuna quæ in rebus humanis maxime dominatur, tuto trajiciendi occasionem insperato attulit. Nam dum *Florentinorum* equitum [88] præfectum cum turma suorum noto vado in ulteriorem ripam transgressum prædandi cupidum vidit, nonnullisque nil tale suspicantibus improviso captis ad suos se recepisse (longo etenim intervallo ab exercitu divisi tamquam in tuto vagabantur) excitato tumultu *Piccininus* opem laborantibus ferens, eodem itinere, quo hostes trajecerant, paucis milites ad pugnam hortatus, ipse in primis aquam ingressus (& jam vesper erat) ad hostes cum eE quitatu omni pervenit, superataque [89] fossa, *Florentinum* exercitum fere incompositum, commisso prælio, parvo labore fudit, ac fugavit: plures quoque ex urbe subsidiariæ cohortes, ut auxilio suis essent, egressæ, præcipue ad victoriam contulerunt. Profligatis omnibus, ac pene ad unum captis, *Feretranus* ipse fuga saluti consulens, pluresque præfecti *Pisas* post solis occasum pervenere. Clade nuntiata, quam nonnullorum præfectorum [90] discordia acceptam ferunt, qui mu- 1430

---

81. *Novam tyrannidem quæsitam esse.* Et longiori tempore duraturam, potentiore domino, nempe Mediolanensi Duce.

82. *Cum Genuensibus egit ut Lucenses, &c.* Ne ut fœdifragus accusaretur, Lucensibus auxiliatus non est, sed Genuenses occulte solicitavit.

83. *Amicitia juncti essent.* Lucensium enim Genuenses duo oppida, Petram sanctam, & Mutronium sibi oppignorata tenebant.

84. *Sua, & majorum gloria.* Quorum plurimi exercitus duces fuerunt, ut Comes Guidus, Nulfus, Bonus Pisanorum, Nicolaus & Guidantonius Florentinorum. Rosa aurea a Pontifice hunc donatum refert Ammirat. *Hist. Flor. lib. XVIII.*

F

85. *Ejusdemque nominis Faventinum Principem.* Guidantonium Manfredum.

86. *Duas ferme legiones conficiebant.* Sex peditum, tria equitum millia habebat. Ammirat. *lib. XX.*

87. *Duci ac præfectis dedit.* Una cum tribus Florentinis Commissariis, qui nuper advenerant.

88. *Equitum præfectum.* Carafellum, qui ut jumenta frumento Lucæ ferendo onusta prædaretur, flumen transierat.

89. *Superataque fossa.* Castra circumeunte.

90. *Præfectorum discordia.* Fortebraccio haud æquo animo ferente Feretranum Comitem eo in facinore sibi præferri, quod

1430 mutuis odiis diffidentes segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agentes, non tantum non vincere, sed vinci volebant, pro nihilo pendentes propriam dignitatem, atque honorem, aut Reipublicæ pericula; tantus timor *Pisis*, ac tumultus fuit (territæ quippe, & consternatæ omnium mentes erant) ut si eo castra hostium post victoriam movisset *Nicolaus*, urbem procul dubio absque ullo certamine fuerit capturus. Castris cum omni tormentorum, bellique apparatu, impedimentis quoque omnibus captis, nonnullis interfectis, pluribus vulneratis, equis ad quatuor millia in suam potestatem redactis, recipiendis quæ defecerunt castellis *Piccininus* intentus, rejectis omnium sententiis, *Genuensium* præcipue, qui nullo impediente *Pisas* metu attonitas petere, inde *Florentinum* in agrum prædabundum descendere suadebant, in armis stabat, satis a se factum affirmans, qui obsidionem solvisset, & fame urbem liberasset: cumque sibi abunde *Philippi* mens perspecta esset, eo consilio cuncta agentis, ut nulla in re pax violata censeri posset, commeatu ex propinquis locis in urbem comportato, præparatisque rebus omnibus ad cives reficiendos, & tolerandam obsidionem, si qua vis ingrueret, aut si a *Philippo* ad se defendendum revocaretur, hostium consilia expectabat. At Decemviri, tanti exercitus strage accepta, convocato duce, ac equitum præfectis, instaurandis copiis summa ope intenti, curam reparandi exercitus his attribuunt. Tum suspicione orta, ne *Senenses* pro *Lucensium* salute, quam cum sua conjunctam dicebant, arma sumerent, oratorem [91] una cum *Venetorum* legato *Senas* mittunt, qui pro veteri amicitia, societateque peterent, ut bello abstinerent, neve pro aliena quiete suam in discrimen deducerent; otiosi belli eventum, quod minime ad eos spectet, tamquam ex specula prospicere velint. Satius esse cum finitimis, ac propinquis amicitiam servare, quam externos, & procul a se remotos tueri. Sibi cum *Senensibus* pacem, & fœdus esse: caverent diligenter, ne quid agerent, quod utrisque non parvæ calamitatis origo esset futura. Creatus consulto populi Capitaneus (ita summum urbis magistratum appellant) *Antonius Petruccius*, antea ut retulimus a *Senensibus* ad excitandos tum *Philippum*, tum *Genuenses* pro ferendo *Lucensibus* subsidio missus, asperum responsum dari oratoribus jussit. Non esse in *Senensium* rem, ut *Luca Florentini* populi ager fieret: ex eorum enim incendio facile se, suaque conflagrare posse: propinquorum damno propriam calamitatem pendere: ea occupata urbe, facile in se versuros arma. Se tamen ex tempore id consilium capturos, in quo salus patriæ contineretur. Oratoribus dimissis extemplo 1430 *Philippi* [92] voluntatem otium aspernantis secuti, 1431 cum *Genuensibus* his legibus fœdus ineunt, ut communi impendio bellum pro *Lucæ* libertate suscipiant; *Ludovicumque* [93] *Plumbini* Principem suscepti a *Florentinis* beneficii immemorem (testamento enim tutores a patre relicti imperium illi conservarant) Pontificis opera in amicitiam, societatemque recipiunt. His rebus moti Decemviri *Franciscum*, qui *Mirandulæ* hyemaverat, una cum *Venetis* magnis pollicitationibus ad sua stipendia traducere conati sunt. Cum eorum populatis (exquisitæ enim conditiones afferebantur) assentiri videretur, *Philippus* transitionem tanti viri ad hostes veritus, oblato [94] filiæ nondum nubilis matrimonio, hominem ab eo proposito avertit, inque suas traduxit partes. Suspensis *Venetis*, *Florentinisque* ad movendum *Philippo* bellum; *Martini* [95] mors Pontificis, qui Ducis causæ admodum faverat, eo qui secutus est anno supervenit; quæ res spem, metumque multis, iis præsertim, qui novorum eum auctorem consiliorum habuerant, incussit. Creatus deinde *Eugenius* [96] *Qartus* Pontifex maximus, patria *Venetus*, multorum animos auxit, nonnullorum debilitavit. Accesserant *Romam* de more gratulatum Pontifici, *Philippi*, *Venetorum*, ac *Florentinorum* legati, petentes maxime, ut auctorem præberet se pacis servandæ. Is acrioribus verbis singulos ad pacem hortatus, se hostis loco illum habiturum minitatus est, qui pacis fœdera violasset: deprecantibus præterea *Florentinis*, *Michelettum Cutiniolam* cum equitibus mille, ut eis subsidio belli esset (inopia enim equitatus urgebantur) concessit. *Senas* [97] insuper Cardinalem *Bononiensem* Legatum, qui eos ab armis, & bello movendo deterreret misit; quæ res Ducis pacem horrentis animum a Pontifice abalienavit, causamque præbuit multarum *Eugenii*, quibus postea vexatus est, calamitatum. Aucti novo equitatu *Florentini* rursus *Lucam* infestis armis aggrediuntur. Qua permoti re *Genuenses* [98] portum *Pisanum* duabus onerariis navibus: & quinque triremibus ita infestum reddidere, ut *Pisas* aut mercaturas advehendi, aut exportandi facultas præcluderetur. At *Veneti Philippi* pertinacia prospecta, animumque bello, quam paci aptiorem, nascenti malo occurrendum esse rati, renovato [99] cum *Florentinis* fœdere, cui *Monferrati* [100] Princeps, & *Pallavisinus* [1] accessere, *Carminiolæ* exercitus duci in *Brixiensi* agro copias recensenti, ut bellum, *Mediolanensi* inferat, mandant. *Philippus* vero veritus, quod priori [2] bello re ipsa comper-

quod suis auspiciis inceptum fuerat. Florentinis vero culpam tribuit Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XX.* qui Feretrano duo millia peditum juxta Montem magnum locari jubenti obtemperare noluerint.

91. *Oratorem una cum Venetorum legato.* Duos oratores a Florentinis Senas missos, Rodulphum Perruccium, & Galeotum Riccasolanum, una cum Antonio Contareno Venetorum legato, refert Malavolt. *Hist. Sen. lib. II. p. III.*

92. *Philippi voluntatem secuti.* Qui per Franciscum Spinulam suum legatum ad bellum in Florentinos solicitaverat, frustra obnitentibus contra Marcello Strotio, & Laurentio Rodulpho Florentinis oratoribus.

93. *Ludovicumque Plumbini Principem.* Male Poggium Plumbini Principis filio Ludovici nomen tribuisse adnotat *Ammirat. lib. XX.* cum Jacobus fuerit appellatus. Ita sentit etiam Ubert. Fol. *Hist. Gen. lib. X.* & cum eo omnes pene Scriptores, Blondo excepto.

94. *Oblato filiæ nondum nubilis matrimonio.* Blancam Mariam filiam unicam, sed viro adhuc immaturam, quippe quæ vix octavum annum attingeret, Sfortiæ desponderat, pollicitus, nisi mascula sibi proles obtigisset, totius Principatus hæreditatem.

95. *Martini mors Pontificis.* Apoplexia percussus decessit. In sepulcro æneo sepulcro in Basilica Lateranensi posito hæc habentur. *Martinus Papa V. sedit annos XIII. menses III. dies XII. obiit anno MCCCCXXXI. die XX. Februarii, temporum suorum felicitas.*

96. *Eugenius IV.* Antea Gabriel Condulmerius Venetus, Gregorii XII. nepos. Hujus elogium videre est in S. Antonin. *p. III. Tit. 22. cap. 10.* & in *Platin.* in ejus Vita. Prædictum ejus patri Pontificatum, nec non ipsi asserit Philelph. *in Orat. ad Jacobum Antonium Marcellum*; & Pius II. seu Æneas Sylvius *in Europ. cap. 58.* Vid. Rayn. *Ann. Eccl. To. 18. sub ann. 1431.*

97. *Senas insuper Legatum Bononiensem.* Ex Corraria Gregorii XII. gente. Ut Senenses, cujus urbis Episcopatum tenuerat Eugenius IV. peculiari honore prosequeretur, licet eos ad se gratulatum accedentes de pace alloquutus fuisset, attamen rursus Legatum Bononiensem sibi sanguine conjunctum ad eos misit.

98. *Genuenses.* Bartholomæo Furnario duce. *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

99. *Renovato cum Florentinis fœdere.* Quarto kal. Decembris anni MCDXXV. Venetiis inito.

100. *Monferrati Princeps.* Joannes Jacobus.

1. *Pallavisinus.* Rolandus.

2. *Priori bello.* Anni MCDXXVII. Quo Ducis copiæ penitus deletæ fuerant, Carolo Malatesta ejus præfecto capto, Brixiaque in Venetorum potestatem redacta.

3. *Ad*

1431 pertum habebat, ne *Carminiola* aliqua insigni clade initium belli faceret, dispositis per oppida hosti propinqua, quibus prospiciendum existimabat firmis præsidiis, saluti suæ consuluit. Patefacta enim conjuratione, qua arcis *Laudæ* præfecti proditione illius equites admittebantur, ac consciis tanti sceleris supplicio affectis, oppidum servavit, utque hostem suis ulcisceretur artibus, *Suncini* arcis custodi imperat, ut eam se *Carminiolæ* die constituta traditurum simulet. Transactis conditionibus, quo tempore, quaque ratione arcem proderet, cum ad præscriptum [3] tempus cum magna exercitus parte noctu accessisset *Carminiola* [4] nonnullosque ex suis in arcem admisisset, *Nicolaus Tolentinas*, ac *Franciscus* cum copiis prodeuntes, hostem nil tale veritum invadunt, qui acri commisso certamine, ad mille equitibus amissis, pluribus interfectis, fuga salutem petens in agro *Cremonensi* urbem obsessurus constitit. Dum hæc a *Venetis* aguntur, *Piccininus* cum audisset bellum in *Gallia* suscitatum, *Genuensium* castellis *Lucæ* propinquis, & quæ receperat, omissis, agrum *Pisanum* ingressus una cum *Antonio Pontadereo* viro impigro, & maxime *Florentinis* infenso, quem a *Philippo Lucensibus* subsidio missum diximus, nonnullis expugnatis, ac deditione sponte facta, receptis oppidis, exulum *Pisanorum* opera, qui undique spe patriam libertatem recuperandi ad eum confluxerant, ac proditione urbem solicitarant, civesque ad id studium suum pollicentes illexerant (in quos more majorum re palam facta, animadversum est) *Pisas* cum exercitum frustra admovisset, relicto *Antonio* cum copiis exulumque cohorte, qui fines *Pisanos* incendiis, excursionibusque vastarent, bellique terrores omni ex parte *Florentinis* inferrent, a quibus omnis fere *Pisana* nobilitas [5] *Florentiam* evocata erat, in *Volaterranos* flexit, primoque adventu pluribus castellis captis, castra posuit. *Michelettus* enim ad opem ferendam *Volaterras* missus & illius impetus comprimebat, & ne late prædabundus vagaretur, coercebat. Interim monendo, ac solicitando, ut *Senenses* ex fœdere arma adversus *Florentinos* moverent, obtinuit tandem, ut fide interposita, cum primum hostili more in illorum agrum impetum fecissent, duo equitum millia a *Philippo* promissa se illis missurum, ut in *Vallem Ambræ* improviso descenderent: quibus mature factis, *Alberico Cunii* Comite cum equitibus mille ex *Gallia* a *Nicolao* evocato, ac *Senensibus* præsidio relicto, ipse paratis omnibus quæ oppugnandis urbibus erant necessaria, in *Vallem Elsæ* proficiscitur. Inde spe injecta *Aretii* potiundi, magnis itineribus eo contendit. Egregia ad eam diem fide fuerant *Aretini*, amicoque in *Florentinos* animo post assecutum tantæ urbis imperium contenti rebus suis, præsenti fortunæ acquiescebant, meliori conditione sub alieno viventes imperio, quam cum sui juris civibus suis serviebant. Unus *Mariottus* obscuro ortus genere, sed cui divitiæ animos facerent, rerum novarum cupidus, & aliorum fortunis invidens inventus est, qui de prodenda urbe consilia cum *Piccinino* agitaret, illumque in spem adduceret oppidi potiundi. Verum re per quendam ex conjuratis detecta, appropinquante hoste, cum omnis juventus ad defendendam patriam una mente concurreret, isque omnia consilia sua patefacta, ad hæc urbem firmo teneri præsidio animadverteret, retro castris motis, agris, villisque incensis, pleraque castella vi, nonnulla dedentibus se oppidanis recepit. De proditoribus *Aretii* supplicium sumptum: indici vero præmia persoluta, & a *Senensibus Vallis Ambræ* tria [6] oppida capta. Interea cum *Cremona* binis obsideretur castris, copiæ vero *Philippi* diminutæ essent, quoniam *Tolentinas* [7] ad *Florentinos* transierat, atque ad *Eugenium*, ut illi succurreret, missus erat, *Piccininus* ex *Etruria* ad reprimendas hostium vires, qui validum exercitum confecerant, revocatur. Erant in *Venetorum* exercitu ad millia hominum quatuor & viginti. *Philippi* quidem copiæ nequaquam pares. Classem quoque majorem *Veneti*, quam superiori anno, in *Pado* paraverant navium LX. inque ea decem peditum millia præter remiges, aliamque locaverant calonum multitudinem, quæ ferme pedites æquabat, *Nicolaum*que [8] *Tarvisinum* ducem belli designarant. *Philippus* quoque & ipse classem in *Ticinio* instruxerat, sed paulo numero inferiorem, militibus tamen, bellique apparatu disparem; *Johannem*que *Grimaldum Genuensem* navalium rerum peritissimum, quo imperatore uterentur, illis præfecerat. At in *Etruria*, cum *Albericus* [9], qui omnibus copiis *Florentinum* agrum populabundus intraverat, acie victus, ac fugatus, ad mille equitibus apud *Collem* oppidum amissis, a *Micheletto* superatus esset, omnia secunda *Florentinis* esse, nihil timere, ac parta victoria facilem sibi propitiamque fortunam despondere videbantur, revocato præsertim *Alberico* a *Philippo*, cui maxime [10] suspectus erat. *Fortebraccius* vero rei bene gestæ gloria irritatus, ac *Michelettum*, se posthabito, primum apud *Florentinos* dignitatis gradum tenere indignatus, illis relictis *Tifernates* [11] invasit, Pontifici pollicitus illam se urbem (ab eo enim [12] desciverat) in ditionem Ecclesiæ redacturum: cujus defectione *Florentinorum* equitum vires paulo exhaustæ, lentiusque jam in *Etruria* gestum bellum. Apud *Cremonam* vero certabatur acrius, & cum *Venetorum* exercitus numero, ac robore præstaret, visum est *Philippi* præfectis classicæ expeditionis fortunam experiri. Provocabant singulis diebus *Philippi* equites levibus præliis hostem, quo animus illorum averteretur ab armandæ classis suspicione. Statuto vero tempore *Nicolaus*, ac *Franciscus* præcipui *Philippi* duces naves conscendunt, impositis lectis ex omni equitatus robore viris, qui de more armati adversus navales milites impares armis, tutiores, ac certamine potiores essent. Erat *Venetorum* classis ad certamen prompta, sed ignara *Phi-*

3. *Ad præscriptum tempus.* Matutina luce.

4. *Nonnullosque ex suis in arcem admisisset.* Ex composito introducti in arcem Carminiolæ milites, sed longe pluribus ex suis munitam, ut ipse Carminiola sine suspicione accederet.

5. *Pisana nobilitas Florentiam evocata.* Non nobilibus tantum, sed civibus omnibus a quintodecimo usque ad sexagesimum annum ut Pisis discederent imperatum ad exonerandam suspecta multitudine civitatem. Petr. Justin. *Hist. Ven. lib. VII.*

6. *Tria oppida capta.* Ad quatuordecim enumerat Malavolt. *Hist. Sen. p. III. lib. II.*

7. *Tolentinas ad Florentinos transierat.* Cum duabus cohortibus, indignatus quod Sfortiam militari dignitate sibi parem, Piccininum vero superiorem pati deberet, cum summum ei imperium promissum fuisset.

8. *Nicolaum Tarvisinum.* Non Tarvisinum, hoc est ex Tarvisii urbe, sed Trivisanum ex patritia Trivisanorum familia.

9. *Albericus.* Cunii Comes auxilio Senensibus missus.

10. *Cui maxime suspectus erat.* Delatum Philippo fuerat Albericum in hostium insidias de industria copias duxisse. Brevi enim ad Florentinos transiturus curabat, ut cladem, quam apud Zagonaram primo bello Florentini ejus caussa acceperant, ejus quoque opera compensarent.

11. *Tifernates.* Seu Civitatem castelli.

12. *Ab eo enim desciverat.* eique imperabat Guidantonius Urbinas.

13. *Eæ*

1431 *Philippi* naves (eæ [13] *Cremonam* appulerant) viris equo merentibus munitas; cumque ipso aquæ impetu *Philippi* classis in hostem ferretur, & ipsa forti animo se ad prælium expedit, atque hosti obviam procedit. Commissa pugna, acrique certamine, pluribus utrinque interfectis, cum thoraces ferreos milites indutos cum cassidibus, armatosque navalibus bellis insuetos viderent, ducesque in primis etiam pugnantes cognoscerent, *Tarvisinus* & ipse pro tempore rebus suis prospiciens, extemplo *Carminiolam*, quo in statu, periculove res *Venetorum* versetur, monet; postulat, obsecratque ni hostem victoria potiri velit; opem ferat; mature facto opus esse: facile id peragi posse, cum castra haud longe posita sint: ni accederet, frustra postmodum fortunam, cæteraque omnia incusaturum. Ille seu dolo, ut plures suspicati sunt, seu superbia, cujus erat impotentior, *Veneti* postulata contempsit, addita verborum contumelia; suo illum consilio ad eam diem rem navalem administrasse: suismet viribus certaret. Destitutus suorum auxilio *Venetus*, cum ad noctem usque pugnam protraxisset, tandem quatuor amissis navibus suos revocavit. Postera die auctis viribus *Philippi* præfecti, majoribusque in naves impositis copiis, diluculo ad hostem pergunt. Atrox, atque asperum certamen fuit: nec absque multorum cæde peractum: nam altera alteri navi inserta, veluti collato pede pugnabatur: saxis, verutis, sagittis, gladio, igne certabatur: ardentes volutabant faces, omnia cæde, & sanguine redundabant, nullusque fugæ relinquebatur locus. Ad hæc bombardæ multos mortales cadere compellebant: vulnera, & sanguis ante ora obversabantur: nec quicquam, præterquam de inferenda cogitabatur morte. Aderant exercitus duces, naviumque singularum præfecti, cujusque virtutis, aut ignaviæ testes, hortando, ac monendo, ne tantam opprimendorum hostium occasionem oblatam amitterent, eamque fortunam quam sibi quisque facerent sperarent. Victoriam (modo viri essent) in manibus esse. Tandem cum ad multam [14] diem pugnatum esset, *Philippi* classis integris, ac novis bellatoribus munita *Venetos Carminiolæ* [15] culpa, qui eos suo destitui auxilio passus est, superat, atque in fugam vertit. Quinque tantum naves ex tanta classe evasere. Reliquæ cum omni bellico apparatu in potestatem hostium venere: ad duo millia ex utraque acie, quod raro antea contigit, desiderati sunt: præda ingens fuit, partim distributa militibus, partim in castra convecta, duæ de xxx. ex majoribus navibus *Papiam* subductæ gratum *Philippo* spectaculum præbuere, ut qui *Venetos* maritimis expeditionibus assuetos navali prælio superasset. Magnum ex amissa classe detrimentum *Venetis* accessit; ad quadringenta enim aureorum millia ea calamitas existimata est. Non tamen minuit ea clades animos *Veneti* Senatus, sed acrius ardentiusque belli curam suscipere coegit. Nam e vestigio nulla adversa conterriti fortuna, duce *Petro Lauretano*, cujus virtus pluribus navalibus claruerat pugnis, triremes viginti parvo tempore instructas, paratasque in mare inferum adversus *Genuenses* misere, quo acceptam ab illis contra pacis antiquæ fœdera injuriam [16] ulciscerentur. *Genuenses* ad famam paratæ *Venetorum* [17] classis & ipsi quatuor & viginti triremes, ac onerariam navem ex navalibus deducunt, illisque ducem *Franciscum Spinolam* virum primarium, magnæque inter suos auctoritatis præficiunt. Appropinquaverat *Genuam* classis hostium ad millia passuum decem in sinum, quem *Rapallum* [18] vocant, una cum quatuor *Florentinorum* longis navibus, *Paulo Rucellario* duce electo, instructis milite, & pluribus *Genuensium* [19] exulibus, nobilitate gentis claris, quorum opera magno usui eo bello *Venetis* fuit. Re in urbem nuntiata, jussus *Spinola* in hostem ferri, libens, speique plenus (ut qui præteritam victoriam versaret animo) in conspectu adversariorum delatus suos corpora curare, arma expedire, seseque ad pugnam parare jubet. Præmissa deinde oneraria nave, quæ terrore incusso disjiceret suo impetu triremes, hostem [20] petit. Is simulata fuga, cœpit cedere, ut insequendi veluti fugientes cupiditate *Genuensis* incensa classis omisso ordine secura dissiparetur. Inde repressa [21] fuga in primam prætoriam navem conversæ triremes a suis inflecti remos, vela converti, atque hostes aggredi jubent, quem impetum impavidus *Genuensis* excepit. Pugnabatur congressis navibus utrinque [22] præsenti animo, atque viribus. Tres *Venetorum* triremes a *Genuensibus* premebantur, quas capiendi spe ductus *Spinola*, proram ad eas vertit. Tum *Florentina* navis una, cui *Ramundus Manellus* maritimæ expeditionis expertus præerat, suorum conspicatus periculum, magna remorum [23] vi infertur in *Genuensem*, latusque impetens, parum abfuit deterfis remis quin eo impetu prætoria submergeretur. Acerrimo tamen edito prælio, cum utrique pro victoria certarent, inque ea fortunam belli versare existimarent, tandem *Manelli* virtute miles hostis navem ingressus pluribus vulneratis, multis ex omni parte amissis superatam, devictamque capit. Quo facto cæteræ metu consternatæ, duce [24] in adversariorum potestatem redacto, haud incruento marte octo amissis navibus in fugam versæ [25]. Diutius tamen magnis utrinque viribus, majoribus odiis certatum est, *Venetis* vincere assuetis, acceptamque *Genuensium* opera in *Pado* cladem ulcisci cupientibus; *Genuensibus*, ne minoris viderentur, quam hi, qui in classe *Philippi* pugnassent summa vi pro victoria certantibus. Major tamen victoriæ pars penes *Florentinos* stetit, qui devicta prætoria 1431

13. *Eæ Cremonam appulerant.* Ut in antiquo Poëmate cui titulus *Nuovo Marte della Vita di Niccolò Piccinino cap.* 30.

Elli erano trentaquattro Galeone,
Nel Pò tirate con magna potenza
Sopra Cremona inver Pizichatone

14. *Ad multam diem.* Pridie kal. Junias.

15. *Carminiolæ culpa.* Cujus sibi conscius ne majus in facinus prolaberetur, Veneti ad eum misere oratores, qui ejus fraudem fortunæ tribuerent. Interim vero in tempus opportunius vindictam compararunt. Sabell. *Ennead. X. lib II.*

16. *Injuriam ulciscerentur.* Genuenses enim suis navibus Joannis Grimaldi ductu Philippum in Pado adjuverant.

17. *Paratæ Venetorum classis* Quæ jam Liburnum appulerat, ut quinque Florentinorum triremibus aucta in Genuenses se conferret. Petr. Justin. *Hist. Ven lib. VII.*

18. *Rapallum vocant.* Seu Caput Montis, promontorium oræ orientalis Genuensis.

19. *Genuensium exulibus.* Quorum Principes Jacobus Adornius, & Antonius Fliscus.

20. *Hostem petit* Classem Venetam ad ædem Divi Fluctuosi vigesimo a Genua lapide obviam habuit.

21. *Inde repressa fuga.* Fugam simulaverat Lauredanus, ut prætoriam Genuensium navem insequentem in altum perduceret, & aliarum præsidio spoliaret.

22. *Utrinque præsenti animo, atque viribus.* Antiquis æmulatione imperii revocatis odiis.

23. *Remorum vi infertur in Genuensem.* In ultima enim acie procul a ceteris constiterat, subsidio, quo res posceret, adventura. Exorti ergo venti beneficio utens in prætoriam navim ex transverso irrupit. Ubert. Foliet. *Hist. Gen. lib. X.*

24. *Duce, &c. in potestatem redacto.* Francisco Spinola.

25. *In fugam versæ.* Undecim portum Delphinum subierunt, ex duabus reliquis, una Genuam, altera Plumbinum appulit.

1431 ria nave principium victoriæ præbuerunt: in aliis quoque expugnandis egregiam operam navantes magnam ſunt laudem conſecuti. Egregia ex hoſtibus parta victoria. *Lauredanus* fugientes haud inſecutus, ſatis a ſe factum dictitans, ſi pro victis abirent, militibus ferme octingentis in ea pugna deſideratis, ad duo millia vulneribus confectis (quod unum maxime ab inſequenda claſſe tardavit) *Piſas* rediit. Dux hoſtium, naviumque præfecti *Florentiam* [26] primo, tum *Venetias* miſſi. In *Etruria* quoque res proſpere a *Micheletto* geſta. Recuperatis namque nonnullis de *Volaterranis*, ac *Piſanis* oppidis, ea regione, qua iter in *Florentinum* eſt agrum, quo tuta omnia ab incurſionibus hoſtium eſſent, liberque in urbem aditus, ad *Vicum Piſanum* (nam *Pontadereus* cum exulum manu ex caſtellis *Lucenſium* vicinas oras infeſtas populationibus reddebat) ſtativa habuit. His mari, terraque in *Etruria* feliciter geſtis, nil in *Gallia* ea æſtate memoratu dignum eſt actum. Suſpecta fide *Carminiola* apud *Venetos* erat, tum aliis de cauſis, tum propter auxilium laboranti claſſi denegatum. Diſſimulantes tamen omnia aſſeverabant ſingula ab eo maturo conſilio facta, in fortunam devictæ claſſis culpam rejicientes: quæ omnia ea mente ab eis agebantur, ne illius animus a conſiliis belli averteretur, quanquam in diem magis ſigna immutati animi oſtenderentur. Nam principio autumni capiendæ urbis *Cremonæ* facultatem oblatam ſua culpa omiſſam tradunt. Delituerant apud *Cremonæ* pomœria noctu *Venetorum* militum cohortes plurimæ, ac tamdiu quieverant, quoad murorum excubiæ circa diluculum cuſtodias relaxantes ſomno ſe darent; tum ſcalis admotis cum murum aſcendiſſent, nullo impediente propugnacula quædam turreſque [27] præſidio valido firmarant. Venerat ad tertium ab urbe lapidem cum exercitu *Carminiola*, peditatu ſilentio noctis, ut cæteris ſubſidio foret, præmiſſo: primi, qui murum aſcenderant venturo freti præſidio, e muro eiſdem ſcalis deſiluerant, ortoque ad clamorem occurrentium certamine, vi portam propinquam ceperant: repellentes cives, militeſque, qui eo defendendæ urbis gratia confluebant, duos dies cum portam a ſe captam defendiſſent, tandem nullo ſuppetias ferente deſerti a reliquis, vigilia, labore, & vulneribus confecti, deſperata ſalute, amiſſa porta, virili animo occubuere. Facillime, ut traditum memoriæ eſt, ea urbs capi potuiſſet, ſi *Carminiola* exercitum ad mœnia admoviſſet; ſed dum deliberabundus ſedet, dum ſimulato metu inſidias, & inanem timorem oſtentat, & milites fortiſſimos inique perdidit, & id egit, ut cauſam præberet ſuſpicionis, qua poſtmodum ſupplicio capitis afficeretur. Nihil enim illi cum

A tanto exercitu timendum videbatur, cum paucæ 1431 militum cohortes biduo portam abſque diſcrimine tenuiſſent. Et jam autumni tempus conti- 1432 nuis imbribus moleſtum maxima in caſtris equorum ſtrage advenerat; cum *Carminiolæ* exercitu in hyberna dimiſſo, *Piccininus* omni *Genuenſium* littore occidentali, quod auctore [28] *Barnaba Adurno* patria extorre a *Philippo* defecerat, non [29] ſine crudelitatis nota in poteſtatem redacto, arma in *Johannem Jacobum Monferrati* Regulum convertit, atque intra paucos dies exuſtis agris, incenſis villis, omnique clade vaſtatis regionibus, triginta oppidis ſpoliavit, ac deſperatis rebus ad B *Venetos* fugere compulit. Inde in *Cremonenſem* agrum deſcendens, duo [30] oppida de *Venetis* juxta *Padum* cepit: quæ res majorem in modum *Venetos* adegit, ut pro certo haberent *Carminiolam* animo a ſe alieno eſſe. Cum enim in propinquo plura oppida forent, in quibus in hybernis eſſent milites magno numero diviſi, ut facile his ſuccurri poſſet, tamen veluti res ſua minime ageretur, ſuos in otio continuit. Hæc tam aperta corrupti animi oſtentatio *Venetos* compulit, ut ſecreto de illius ſupplicio (jactabantur enim vulgo multifariam ejus deprehenſæ proditiones) agitarent: qua in re miranda Senatus *Veneti* taci- C turnitas, & priſcæ virtuti comparanda videtur; nam cum ducenti [31] ferme viri conſilio [32], quo ejus de pœna eſt actum, interfuiſſent, ad octavumque menſem ea res variis altercationibus, ac ſententiis protracta eſſet, nunquam tamen vel parva ejus ſuſpicio emanavit. Vocatus una cum *Mantuano* [33] *Venetias* per ſpeciem tractandæ pacis, cum urbi propinquaret, multi præclari viri de more obviam prodeuntes ad Principis ædes magna pompa eum deduxere. Ibi primo congreſſu benigne exceptus; cum per conſilii capiendi cauſam ad noctem uſque collocutio differretur, omnibus qui eum ſecuti erant abire juſſis, ipſe in D carcerem conjicitur. Quæſtionibus habitis, literiſque [34] productis, ad hoc domeſticis teſtibus proditionis, ut ajunt, convictus, vigeſimo [35] poſtquam captus fuerat die in foro inter duas [36] columnas, ore ne loqui poſſet occluſo, capite punitus eſt. Juſtitia in eo, ſummaque ſeveritas viguit. Latrocinia, furtaque in caſtris acerrime vindicavit; prædonibus infenſus, honoris vero cupidus multorum ſupplicio vias tutas a latronibus etiam inter arma reddidit. *Venetorum* [37] mores pertæſum, a fide prolapſum dicunt. Quidam [38] nulla culpa mortem meruiſſe tradunt, ſed ejus ſuperbiam in cives *Venetos* contumelioſam, E exoſamque omnibus, præbuiſſe cauſam necis. Quod veriſimile ferunt, cum os ejus adeo obductum fuerit, cum duceretur ad pœnam, ut ne verbum quidem proloqui potuerit, neque ulla mor-

---

26. *Florentiam primo.* Liburnum claſſis delata eſt, ut ſe reficeret; Florentiæ autem propinqui Veneti illuc captivos cuſtodiendos miſerunt, donec Venetias ducerentur, ubi in carcerem conjecti ſunt. Reliquam nautarum, militumque turbam libere dimiſſam teſtatur Ubert. Foliet. *Hiſt. Gen. lib. X.*

27. *Turreſque præſidio valido firmarant.* Cavalcabovis opera Venetis faventis S. Lucæ caſtellum occupatum fuerat, nec non urbis porta. Campi *Hiſt. Cremon. lib. III.*

28. *Auctore Barnaba Adurno.* Qui cum trecentis equitibus, & octingentis peditibus aliaque agreſtium turba Sextum uſque perrexerat. Ubert. Foliet. *lib. X.*

29. *Non ſine crudelitatis nota.* Multos enim jugulari juſſit, reliquoſque nulla ætatis, aut ſexus, aut ſacri ordinis ratione habita ſub haſta vendidit. Ubert. *Foliet. ibid.*

30. *Duo oppida de Venetis*, Turricellam, & Bordellanum, quæ prius Cremonenſibus erepta fuerant.

31. *Ducenti ferme viri.* Inter quos non pauci beneficiis, & ſpirituali affinitate Carminiolæ adſtricti.

32. *Conſilio.* Vulgo *de Pregadi.*

33. *Una cum Mantuano.* Joanne Franciſco Gonzaga.

34. *Litteriſque productis.* Ex literis ejus interceptis infidelitatis crimine damnatus.

35. *Vigeſimo.* Quinto kal. Majas.

36. *Inter duas columnas.* Vulgo *della Piazzetta*, ſuppliciorum loco.

37. *Venetorum mores pertæſum.* Licet a Venetis ſummis honoribus cumulatus fuiſſet, immo patritia nobilitate inſignitus anno MCDXXVI. *MS. de Venetis familiis, & eorum ſtemmatibus* apud me.

F 38. *Quidam nulla culpa mortem meruiſſe tradunt.* Mortis cauſſam Carminiolæ divitiis tribuit *Corius p. V.* quæ (ut ait) non parum Venetos ad belli ſumptus juverunt. Verum ſcriptores reliqui pene omnes infidelitatis in Venetos arguunt, his præſertim nominibus: 1. quod poſt Maclodii pugnam cum Philippi imperium everti deleto ejus exercitu potuiſſet, captivos omnes dimiſiſſet, & Soncino obſidendo de induſtria immoratus fuiſſet. 2. quod in Padana pugna Triviſano auxilium denegaſſet, unde Venetorum maxima clades. 3. quod Cremonæ portam tenentibus Venetis opem ferre noluiſſet, ut urbem illam Duci ſervaret.

39. *Obſcu-*

1432 mortis causa sit prolata. Utcunque sit, dux belli suæ ætatis præcipuus fuit, & obscuris [39] ortus parentibus propria virtute ad maximam [40] gloriam, & summum imperium evectus; dignusque qui majoribus illis sine dubio rei militaris scientia comparetur. Tanti ducis interitu mentio pacis de qua per oratores *Ferrariæ* agebatur sublata, atque in bello perseveratum; cujus gerendi cura omnis *Mantuano*, tribusque [41] ex senatorio ordine patritiis civibus a *Venetis* concessa. Sed dum tardiuscule armorum munia suscipiunt, *Piccininus* fortunam etiam *Carminiola* præsente cœptam prosecutus, cum multa de *Cremonensium* agro oppida recepisset, dum pontem, quo *Olium Veneti* junxerant transiturus oppugnat, & sine galea in primam aciem profectus suos ad pugnam adhortatur, sagitta occiput ictus, ex equo moribundo similis cecidit, qui militum manibus summo omnium mœrore relatus in castra, cum is nervus, quo læva pars corporis alitur, læsus esset, certisque signis appareret sagittam veneno illitam esse, ingenti medicorum cura adhibita, ac usu balneorum addito, sinistro tamen latere debilitato, in futurum claudicavit. *Piccinini* morbus res *Philippi* secundas compescuit, pluraque oppida opulenta, quæ præsente *Carminiola* defecerant, a *Venetis* recepta sunt, quædam machinis expugnata. *Johannis* [42] insuper *Jacobi* ad *Venetos* adventus, asse-

A rentis *Philippi* opes, & animum eo bello imminutum, multum animi ad gerendum bellum adjecit. At in *Etruria Tolentinas* aucto equitum numero, veniaque a Pontifice, cujus stipendia merebat, impetrata, pecuniis acceptis [43] ad *Florentinos* transiens *Soanam Ursinorum* oppidum profectus, populata maritima *Senensium* regione, *Grossetum* usque in agrum *Florentinorum* descendens, copiis cum *Micheletto* conjunctis, communique consilio bellum administrans, multa de *Senensibus*, atque omnia ferme, quæ ditionis *Pisanæ* amissa erant, recuperavit. Cum *Toporium* [44] pervenissent, ubi plures *Philippi* [45] equitum

B præfecti cum magno equitatu in *Senensium* fines transituri convenerant, hostibusque pugnandi copiam facerent, illi vero haud certandi occasionem oblatam detrectarent, præparatis omnibus pro tempore necessariis, acie commissa ingentibus animis prælium ineunt, eo consilio utrique, ut nisi victoria parta non discedant. Non majori itaque odio, nec majoribus viribus ad eam diem tanto bello in *Etruria* pugnatum. *Philippi* tamen exercitus quamvis numero superior, magna accepta strage, victus fugatusque est. *Bernardinus* [46] dux, *Antoniusque Pontadereus* equitibus supra mille amissis fuga saluti consuluerunt; haud multoque post, cum victor exercitus ad *Pontis Adheræ*

C oppidum proficisceretur, nullo cum labore eo potitur. 1432

39. *Obscuris ortus parentibus.* Colono patre natus prope Carminiolæ oppidum, unde illi cognomen inditum, cum antea Franciscus Busso appellaretur. Jovius, *Elog. Vir. Illust.* & *Albertus* in sua Italia. *Chies. Hist. Pedem.*

40. *Ad maximam gloriam.* Philippo Mediolani imperio ejus opera restituto. Genua per eum capta. Brixia Venetis acquisita, &c. Vid. Bugat. *Hist Univ. lib. V.*

41. *Tribus ex senatorio ordine patritiis.* Duobus tantum, nempe Georgio Cornelio, & Marco Dandulo. Petr. Justin *Hist. Ven. lib. VII.*

42. *Johannis insuper Jacobi ad Venetos adventus.* Montisferrati Marchionis, qui Alpes transgressus per Taurinos in Germaniam, dein Venetias se contulit, ut Venetorum auxilio ditionem a Piccinino sibi occupatam recuperaret. Agnel. Maff. *Hist. Mant. lib. V.*

43. *Pecuniis acceptis ad Florentinos transiens.* Anno superiore ad Florentinos transierat Tolentinas, a quibus Pontificis auxilio adversus Columnenses missus, pace facta ad priores dominos reverti negabat, nisi eodem ac Michelettus Cotignola stipendio conduceretur. Quo impetrato, pro Florentinis stetit.

44. *Toporium.* In agro Volaterrano.

45. *Philippi equitum præfecti* Antonius Pontadereus, præfectus Vicensis, & Bernardinus a Carda. Malavolt. *Hist. Senen. p. III. lib. II.*

D 46. *Bernardinus dux.* Seu Bernardinus a Carda ex Ubaldinorum gente, qui a Florentinis ad Philippum defecerat, summa ingrati animi nota, cum ab ultimo ordine ad summum militare imperium ab eis evectus fuisset. Ammirat. *Hist. Flor. p. I. To. 2. lib. XX.*



POGGII BRACCIOLINI,

Florentini,

HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI SEPTIMI EPITOME.

Post illata, acceptaque a Florentinis damna, Sigismundus Imperator Romæ a Pontifice coronatur. Pax variis agitata sermonibus, tandem cum Vicecomite, Venetis, Florentinisque componitur. Eugenius Pontifex, Roma amissa, Florentiam ignotus petit. Nicolaus Piccininus hostes apud Imolam fundit. Lu- A *censium in Florentinos bellum. Lucæ obsidio. Pax fit, sed a Philippo violatur. Piccininus in Gallia adversa fortuna utitur. Verona ab eo capta, & a Francisco recuperata. Vittelescus Patriarcha in carcerem conjicitur, ibique moritur. Piccininus in Etruriam exercitum ducit.*

LIBER SEPTIMUS.

1432 

INTER hæc Imperator *Sigismundus* cum e *Germania Romam* profecturus, *Philippi* [1] exhortationibus in *Etruriam* descendisset, *Lucæ*que plurima illius promissa frustra expectaret (affirmaverat namque inter cætera suis, cum copiis, opibusque ad urbem deducturum) *Hungari*, *Boemi*, *Germani*que equites, peditesque ad duo millia, qui eum sequebantur, cum *Florentinum* [2] ducem patentibus, apertisque campis in propinquo castra habere audissent, lectis ex omni equitatus robore sexcentis, additis præterea *Lucensibus* auxiliariis, portis egressi, hostes improviso invadunt. Unus maxime præ cæteris ætate, & viribus ferox audendum aliquid memoria dignum arbitratus, admotis equo calcaribus magno impetu ad tentorium ducis profectus, ut paludamento insigni ornatum aspexit, *Micheletttum* esse pro certo existimans, clavam ferream ingenti spiritu elatam in caput ejus demisit. At ille subito, insperatoque hoste haud territus, cum præsertim galea caput tectus nulla ex parte læsus esset, in barbarum repente conversus, eum gladio transfixum obtruncat. Milites repentino tumultu perculsi, arreptis armis in barbaros feruntur: dissipatos pluribus interfectis in fugam vertunt. Id *Sigismundus* cum non sua culpa factum excusasset, post duos menses pacato similis, & Pontifici, ac *Florentinis* infensus *Senas* petiit: cum tamen ante ejus profectionem corruptis segetibus, ac plantis ad unam succisis, omnis *Lucensium* ager igni ferroque, nulla belli crudelitate omissa, a *Florentinis* in ejus conspectu vastatus esset. Tenebant ad eam diem *Senenses* castella, quæ in *Valle Ambræ* ceperant, in queis oppidum erat mu- B nitum, quod *Caput Silvæ* appellant, proditione captum in finibus *Vallis Arni* superioris, unde variis hostium incursionibus ex propinquis locis in dies præda abducebatur. Suaserant Imperatori *Senenses*, ut arma adversus *Florentinos* sumeret. Ille imparatus bello, ut qui pacem præsetulisset, suis si qui vellent *Florentinos* oppugnandi arbitrium permisit. Quidam ad tuendum id oppidum accessere: plures in arce, cui nomen est *Castellina* (octo millibus passuum a *Senis* ea abest) simulata proditione deprehensi pœnas dedere: multi occisi sunt: plures truncati membris suæ temeritatis testes *Senas* reversi. Quinque menses C jam *Senis* degerat *Sigismundus*, cum missis [3] ad *Eugenium* legatis, qui de se coronando agerent, certis [4] conditionibus inito fœdere, *Romam* [5] mense Januario proficiscitur, anno secundo & trigesimo supra mille quadringentos. Locus ipse postulare videtur, posteaquam *Sigismundi* mentio incidit, ut paucis de hoc novo Imperatoris coronandi more differamus. Coronabantur [6] prisco tempore laurea corona, qui ob devictas bello urbes, aut subactas provincias, exercitusque hostium fugatos, ac cæsos a Senatu, vel ab exercitu Imperatores appellati triumphabant. Qui mos ab antiquis *Romanis* servatus amissa quoque liber- D tate a tyrannis, quos Cæsares aut Imperatores appellabant, retentus est: ideoque & ipsi ter quaterque, aut amplius se Imperatores dictos gloriabantur; idque summæ dignitatis loco monetæ inscribi mandabant. Eam coronam prisci illi triumphales viri ob virtutem meriti diebus solemnibus, aut ludis publicis honoris gratia gestabant. Cæsar [7] ipse Dictator gestandæ singulis diebus laureæ jus a senatu impetravit. *Carolus Magnus* apud *Latinos* ob ejus [8] in sacrosanctam *Romanam* Ec- 1432

1. *Philippi exhortationibus.* Mediolani commorantem Sigismundum ferreo diademate coronandum, ut in Etruriam transiret, a Philippo solicitatum putarem. Sed Pigna *lib. VI. de Princ. Atest.* refert, Philippum in oppido se usque ad ejus discessum continuisse, nullamque inter eos officiorum consuetudinem intercessisse.

2. *Florentinum ducem.* Michelettum de Attendulis.

3. *Missis ad Eugenium legatis.* Episcopo Curiensi, & Guaspare Schlik Cancellario.

4. *Certis conditionibus.* Se venturum Viterbium ad Pontificem cum propria duntaxat familia; fidem suam Pontifici ex consueta Cæsarum formula præstiturum; ditionem Ecclesiasticam non invasurum, & alia quæ in Rayn. *Ann. Eccl. ad ann.* 1433.

5. *Romam mense Januario proficiscitur.* Pridie vero kal. Ju- E nias a Pontifice coronatus est. S. Antonin. *p. III. Tit.* 22. *lib. X.* §. 1.

6. *Coronabantur, &c. qui ob devictas urbes.* Sic ob Græciam servituti ereptam Phocioni nihil quicquam præter coronas publico decreto datum. *Pascalius de coronis lib. I.*

7. *Cæsar ipse dictator, &c.* Calvitie ambitionem tegens. *Ex omnibus decretis sibi a Senatu populoque honoribus non aliud aut recepit, aut usurpavit, quam jus laureæ coronæ perpetuo gestandæ* Sueton. *in ejusd. Vita.*

8. *Ob ejus in Romanam Ecclesiam & Pontifices merita.* Subegerat enim Desiderium Langobardorum Regem, qui Ecclesiæ urbes occupaverat, & Constantinum fratrem Pseudopontificem tuebatur. Cotofrid Viterb. *Chronic. part.* 17. & Joann. Linturius *Chronic. Germanic. lib. VII. in To.* 2. *Pistorii.*

9. A

1432 Ecclesiam, & Pontifices merita adeptus imperium primus, & a *Romanis* dictus est Imperator, & a *Leone* [9] Pontifice coronatus; atque hinc nova coronandi a Pontificibus Imperatoris consuetudo est exorta. Qua vero [10] corona *Carolus*, & qui ab eo manarunt, usi fuerint, incertum. Duo autem, quos ipsi, coronati, vidimus, *Sigismundus*, ac *Federicus* auream coronam margaritis gemmisque distinctam semicyclo supra caput in crucem reflexo per *Eugenium*, ac *Nicolaum* Pontifices apud Divi *Petri* Basilicam capiti impositam ad *Lateranensium* sacras ædes euntes, redeuntesque ingenti pompa, apparatuque veste sacerdotali gessere. Inolevit autem usus, vel abusus potius, ut ante coronationem *Romanorum* Reges, postea vero Imperatores dicantur, quasi minoris fuerit Regem esse, quam Imperatorem. Quæ summa, ac barbara perversitas dicenda est: nam Regium [11] antiquissimum nomen est, & apud *Romanos*, dum liberi erant, propter *Tarquinii* superbiam execrandum; Imperatorium vero in libera civitate consuetum, ac laudabile, cujus gloria plurimi fuere nobilitati: neque post actum triumphum id nomen residebat, sed hi viri triumphales appellabantur. *Marcus Cicero* orator, ut innumerabiles præteream, Imperator est ab exercitu dictus, cujus triumphus belli civilis clade impeditus est. Hæc scripsi, ut plane constet quantum distet hæc fucata nullam ob rem præclare gestam coronatio ab illa vera, quæ alicujus singularis in bello virtutis gratia concedebatur. Nam eligendi Imperatoris nova extat inventio, & a *Gregorio* [12] *Quinto* ex *Germania* oriundo Pontifice maximo anno salutis tertio ac millesimo adinventa: quæ consuetudo *Italorum* ignavia ad hanc diem perseverat. Nunc ad institutum revertamur. Post *Sigismundi* ex *Lucensium* agro discessum *Florentini* coactis in unum copiis instructoque exercitu, *Senensium* fines ingressi, incensis villis, agris vastatis, præda hominum, pecorumque ingenti abacta, ac omni circa urbem ora devastata, ita ut nihil quod usui esse posset integrum relinqueretur, *Caput* [13] *Silvæ* obsidione cingunt. Quod cum acriter multis in locis oppugnaretur, tandem post sexagesimum diem pluribus utrinque magna edita cæde amissis, desperato subsidio, salute impetrata receptum [14]. A *Genuensium* [15] vero exulibus accepta a *Venetis* classe, orientale littus, nonnullis expugnatis oppidis, rapinis, incendiisque afflictum, *Ligurum*que naves triremibus tribus tempestate in *Siculo* freto absumtis in patriam reversæ. At in *Gallia Venetorum* fortuna cum belli ducibus immutata. *Bordellanum*, quod præsente *Carminiola* defecerat, vi expugnatum, deletumque proditionis pœnas dedit. 1433 *Romanengum* præterea, ac *Fontanella* opulentissima castella admotis castris recepta. *Suncinum* deinde exercitus ductus difficiliorem præbuit expugnationem. Admotæ bombardæ, ingentesque machinæ murum undique diruerunt. Oppidani, & simul milites defendendi causa eo missi pro muris aggeres præaltos, & fossas profundas, quibus tutarentur oppidum, instituerunt. Crebra erant undique prælia: ad hæc variis tormentis in oppidum saxa emittebantur, adeo domos disturbantia, ut sub dio habitare cogerentur, multique lapidum ictu cadebant: saucii præterea plurimi erant, & ob eam rem rariores coibant ad defensionem: malo tandem coacti post secundum obsidionis mensem se se dediderunt, ea tamen conditione, ut milites omnes secure abire cum suis bonis permitterentur. Arx deinde munitissima brevi tradente [16] eam custode recepta est. Inter hæc *Ferrariensis* [17] hortante *Philippo Venetias* profectus, Senatum multis verbis, rationibusque ad concordiam cohortatus, cum animo haud alieno a pace viderentur, id egit, ut legatos [18] ad se *Ferrariam* mitterent, apud quos pacis, ac belli arbitrium esset. Missi & a *Florentinis Pallas Strotius* equestris ordinis vir insignis, *Petrus Beccanusius*, *Johannes Eugubinus* Jureconsulti, ac *Nero Dietisalvius*. *Mediolanenses* [19] quoque oratores evocati. Dum altercationibus variis apud *Ferrariensem* res tractata *Venetorum* ambitione protrahitur, interim multis præliis in convallibus circa *Bergomum*, *Brixiam*, *Comum* pugnatum est; pluraque oppida a *Venetis* capta, ac *Georgii Cornarii* culpa haud parva clades in *Valle Tulina* accepta est; in quam cum magna equitum, [20] ac peditum manu majoris audaciæ, quam consilii dux incautius progressus, neque locis neque hostibus exploratis, a tergo, & a fronte clausus profligatus est, equitibus mille & ducentis amissis, cum vix trecenti [21] per difficilia loca hostium manus effugissent, & ipse, & quinque [22] equitum præfecti absque certamine capti in *Piccinini* potestatem devenere. Ea res Senatum movit, ut *Franciscum* Principem *Mantuanum* belli ducem crearent, qui, mense Decembri accepto exercitu cum *Camonicam Vallem Guelforum* auxilio recepisset, in propinqua oppida milites in hiberna distribuit. Pax interim variis agitata sermonibus tandem *Ferrariensi* [23] pro amico, atque arbitro se gerente, tertio ac trigesimo post mille quadringentos anno, Aprili [24] mense firmata est: conditiones dictæ, ut *Philippus Glarea Abduæ* (id nomen regionis est) oppidisque, ac locis cederet; quæ de *Brixiensi*, *Bergomensi*que ditione post pacis mentio-

9. *A Leone Pontifice coronatus.* Quem a Romanis in carcerem conjectum pontificiæ sedi restituerat.

10. *Qua vero corona, &c. incertum.* Aurea corona coronatum asserit Joannes Linturius *in Append. ad Fasciculum Temporum Werneri*; nec non Urstisius *Fragment. Hist. Anonymi*, qui ait hoc contigisse anno Chr. DCCC. in ejusdem natali die ante altare B. Petri.

11. *Regium antiquissimum nomen.* A Nini usque temporibus, qui Assyriorum Rex erat.

12. *Gregorio V. ex Germania oriundo.* E Saxonia, patre Othone: Bruno antea vocatus fuit. *Sanctionem* (ait Plat. in ejusdem vita) *hic retulit de eligendo Imperatore, nempe solis Germanis licere Principem deligere, qui Cæsar, & Romanorum Rex appellaretur; Augustus vero, & Imperator, si eum Romanus Pontifex confirmasset.*

13. *Caput Silvæ obsidione cingunt.* Palantes Florentini ad oppidum accessere, imparatum occupare putantes, sed Petrus Turcus arcis custos, agrestibus undique collectis, eos adortus, partim occidit, partim cepit, vexillumque ipsum ereptum in arcem detulit. Malavolt. *Hist. Sen. lib. II. p. III.*

14. *Receptum.* Opportune quidem, nam eo vix recepto, duo peditum millia cum sexcentis equitibus ipso Sigismundo duce auxilio venere. Ammirat. *p. I. To. 2. lib. XX.*

15. *A Genuensium vero exulibus.* Baptista Fulgosio, seu Fregosio, exulum ductore juvante, Veneti Genuæ portum subeunt. Ubert. Foliet. *Hist. Gen. lib. X.*

16. *Tradente eam custode.* Pecunia corrupto, ut Blond. Flav. *Dec. 3. lib V.*

17. *Ferrariensis.* Nicolaus.

18. *Legatos ad se Ferrariam mitterent.* Fantinus Michael a Venetis missus.

19. *Mediolanenses quoque, &c.* Philippi nomine Franciscus Gallina Ferrariam adiit. Petr. Justin. *Hist. Ven. lib. VII.*

20. *Equitum, ac peditum manu.* Cum tribus militum millibus Cornarium ingressum, Piccininus ab eo antea pene subactus, nihil tale putantem aggressus est. *MS. anonymi apud me.*

21. *Vix trecenti.* Via sibi per medios hostes facta, audaciores mortem effugere. *Ibid.*

22. *Quinque equitum præfecti.* Thaddæus Atestinus, Cæsar Martinengus, Italus Forojulianus, Baptista Capitius, & Antonius Martinascus.

23. *Ferrariensi pro amico, atque arbitro.* Nullum a Venetis Ferrariensi arbitrium permissum, sed eo ut amico usi sunt, qui Venetias ter se contulit ut Senatum adiret.

24. *Aprili mense.* Die octavo Aprilis. Pigna *de Princip. Atest. lib. VI.*

1433 tionem [25] cepisset, ablataque a *Montisferrati* Principe singula restitueret, ageretque cum Duce *Sabaudiæ* societatis [26] jure, ut ab eo capta redderentur, utque *Palavisinus* pro socio a *Philippo* haberetur: *Etruriæ* omnis imperio abstineret: infra *Pontremolum*, *Mutinensem*que agrum non exercitus mittere, aut quicquam sibi vindicare posset; nec ullum fœdus, aut amicitiam novam sociis insciis inire. *Florentinorum*, [27] *Senensium*que belli tempore utrinque occupata ad priores dominos ad trigesimum diem redirent: ni restituerentur, jus fasque esset ea repeti bello, cui *Philippus* nullum auxilium præstaret. *Loysius* quoque *Vermius* paternum imperium, quod in *Placentino* agro majores sui tenuerant, recuperaret. Captivi [28] omnes liberi essent; *Lucenses* vero quæ fervente bello amiserant, receptis oppidis, libertate fruerentur. *Plumbini* [29] Regulis suis contentus rebus acquiesceret, neque ullam in societatem præterquam *Florentinorum* venire liceret, utque cuncta a sociis, ac fœderatis bello capta redderentur. His legibus confecta pace, [30] ac die certa ei comprobandæ præfixa, cum viderentur res diutius quieturæ, *Italia*que confecta diutino bello respiratura; *Mediolanensis*, vir mobilis, ac in eadem sententia minime perstans, insita rerum novarum cupiditate bella ex bellis serendo, per speciem *Francisci* ad *Brutios*, & in *Apuliam* mittendi, ut quæ hæreditario jure tenebat, contra *Alfonsum* Regem tueretur, *Picenum* [31] omne de Pontifice occupat, armisque sibi vindicat. Ex quo secutum est, ut altero post factam pacem anno desciscentibus [32] ab eo *Philippi* opera *Romanis*, ex urbe [33] clam abire, & mari *Florentiam Eugenius* petere cogeretur; qui *Bononiam* [34] primo, postmodum *Ferrariam* profectus, *Florentiam* [35] ad *Græcorum* [36] Concilium celebrandum reversus est, quo tempore multa adversus illum a *Philippo* tentata, alienoque [37] nomine, atque auspicio, ne fœdera violasse existimaretur, acta sunt; cumque *Bononienses* auctore *Baptista Cannetulo* ab eo descivissent, Pontifexque, ut eam urbem recupe-

A raret, copias tum suas, tum *Venetorum*, *Florentinorum*que *Nicolao Tolentinate* duce in eos misisset, signis collatis, cum acriter pugnatum [38] esset, nostri a *Piccinino*, qui cum *Philippi* exercitu sociis opem laturus accurrerat, superantur, tribusque equitum millibus amissis, Dux *Tolentinas* 1434
[39] *Mediolanum* captivus abducitur. Tandem cum naturæ repugnare difficillimum esse animo versaret, nullusque locus diverticulis, ac simulationi- 1435
bus relictus esset, otio maxime infensus ad apertum prosilivit bellum. Nam post *Genuensium* defectionem, qui *Thoma* [40] *Fregosio* eorum Duce auctore anno pacis factæ secundo ab eo desciverant,
B cum urbis recuperandæ facultas, spesque adempta foret, *Piccininus* ex *Parmensi* agro in *Tusciam* cum tribus equitum millibus descendit, *Serezanam*que, quod oppidum *Genuenses* nullo [41] jure tenebant, vi cepit. Exinde pluribus captis, atque direptis castellis *Lucam* contendens, pacem abrumpere cives invitos coegit, nonnullaque ab eo in *Pisano* agro oppidula nullo obsistente hostili more vastata. Quo timore compulsi *Florentini* 1436
Franciscum [42] quem magna ex parte suis opibus sustentabant, ex *Piceno* evocatum in *Pisanos* cum exercitu, ut eorum fines ab hostium incursione salvos præstaret, mittunt. Simulabat *Piccininus* 1437
C se regnum petere *Neapolitanum*, quo *Alfonso* Regi auxilio esset, transitumque *Arni* fluvii parabat, quo *Florentinorum* agros popularetur; prædixerat enim militibus stipendia postulantibus, se in eam regionem illos ducturum, in qua ex prædæ copia facile ditarentur. At *Franciscus* cum in *Etruriam* venisset, citeriorem fluminis ripam observans, omnes aditus, ne qua hosti pateret transitus, præcludebat. Ille ea spe ductus, cum bimestre in eis locis consumpsisset, *Lucam* reversus in rerum omnium inopia hyemem transegit, eo consilio, ut *Baptistæ Fregosio* subsidio esset, pollicenti se fratrem urbis imperio spoliaturum,
D si præstituto tempore exercitum ad urbem admoveret. Quæ res successisset [43] profecto, fortuna res novas moliente, nisi civium conspiratio Thomam

25. *Post pacis mentionem.* Dictum est supra, dum Ferrariæ de pace ageretur, Venetos cum Piccinino congressos.

26. *Societatis jure.* Nec non affinitatis, quippe filiam ejus uxorem duxerat.

27. *Florentinorum*, &c. Omnia Pisanæ, & Volaterranæ ditionis oppida Florentinis redderentur.

28. *Captivi omnes liberi essent.* Omnes restituti præter Georgium Cornelium, qui morbo ex dolore animi contracto post initam pacem decesserat. Ad Venetum Senatum legati Bartholomæus Imperialis, & Franciscus Gallina a Philippo missi, qui hoc jurejurando affirmarent. *MS. ibid.* licet eum veneno sublatum, ejusque epitaphio in S. Helenæ æde sculpto confirmet: referat Petr. Justin. *Hist. Ven. lib. VII.*

E 29. *Plumbini Regulus.* Ludovicus.

30. *Confecta pace*, &c. Ad pacem Venetos compulsos ait *Corius initio p. III.* quod copiarum duce carerent, Carminiola sublato. Quod sane quam falsum sit, cum Poggius, tum ceteri omnes scriptores ostendunt. Franciscus enim Mantuæ Princeps in Carminiolæ locum suffectus fuerat.

31. *Picenum omne occupat.* Fraudulenter, jactans sibi a Basileensi Concilio, ut Ecclesiasticam ditionem occuparet, in itinere mandatum fuisse. Rayn. *Ann. Eccles. To. XVIII. ann.* 1433.

32. *Desciscentibus ab eo Philippi opera Romanis.* Nicolao Fortebraccio Columnensium auxilio misso qui pontem Milvium, & portam Flaminiam occupaverat. *Ibid.*

33. *Ex urbe clam abire.* S. Benedicti veste indutus una cum Valentino monacho navicula per Tiberim delatus, sagittisque appetitus ad Hostiensem turrim appulit. Blond. *Dec.* 3. *lib. V.* & Plat. *in ejusd. Vita.*

F 34. *Bononiam primo.* Se ab Hostia Civitatem veterem delatum, deinde Pisas, & Florentiam narrat ipse Pontifex in Epist. ad Joannam Siciliæ Reginam, nec non in sequenti ad Basileenses apud Rayn. *To.* 18. *ann.* 1433. Nullam vero in his sui per Bononiam transitus mentionem facit.

35. *Florentiam.* Ingressus est nono Julii die.

36. *Ad Græcorum Concilium celebrandum.* Quod antea Ferrariæ incæptum pestis caussa Florentiam delatum est. In eo de Græcis Romanæ Ecclesiæ conciliandis agebatur, qua de caussa Joannes Palæologus, & Josephus Constantinopolitanus Patriarcha Florentiam se contulerunt.

37. *Alienoque nomine, & auspicio.* Nempe Basileensis Concilii nomine, & Fortebraccii auspicio.

38. *Cum acriter pugnatum esset.* Nullum hoc neque incruentius, neque magis pudendum prælium. Quatuor in eo tantum occubuerunt, triginta leviter vulnerati, tres vero equites, & mille pedites capti. Petr. Justin. *lib. VII.* Ammirat. *lib. XX.* & Laurentius Spiritus Perusinus in Poemate *De gest. Nic. Piccinin. lib. II. cap.* 53.

Qui non si fece mai per niuno conto
Voltarsi colle spade ad far difesa;
Ma ciaschuno a campare, e fugir pronto.

39 *Tolentinas Mediolanum captivus.* Suo munere egregie functus cum timore perculsos retinere nequiret, in adversam fluminis ripam tranavit, ubi equo dejectus, armorumque pondere oppressus, captus fuit. *Ammirat. ibid.*

40. *Thoma Fregosio auctore.* Defectionis auctor Fregosius haud esse potuit, cum patria exularet, sed primores Genuensium ad eum Sergianæ morantem misisse qui ad civitatis libertatem recuperandam accenderent, refert Ubert. Foliet. *Hist. Gen. lib. X.* Poggius vero auctorem appellat, eo quod ipsi auctoritas a primoribus demandata fuisset. Caussa defectionis, nimium acre Philippi imperium, & nimis contumeliosum, victoriæ præsertim in Alphonsum ab ipsis partæ & lucro, & gloria fraudantis. Franciscum Spinulam defectionis auctorem vult Pigna *lib. VI.* & Petr. Justin. *lib. VII.* una cum *Sabellico.*

41. *Nullo jure tenebant.* Restituendum enim erat Thomæ Fregosio juxta pacis conditiones. Ammirat. *Hist. Flor. lib. XX. p.* 1087.

42. *Franciscum.* Sfortiam.

43. *Quæ res successisset.* Publicas ædes occupaverat Baptista Fregosius, absente fratre; sed Thomas civium auxilio fultus fratrem comprehensum, quem capite plectendum omnes dictitabant, humaniter dimisit, pietate injuriam ultus. Ubert. Fol. *lib. X.*

44. *Prius*

1437 mam tutata, Baptistam ex urbe ejecisset. Quo tempore *Nicolaus* relicta *Etruria Genuam* magnis itineribus contendit. Ea discessione *Franciscus*, castellis quæ de *Pisanis* perdita erant recuperatis, agrum *Lucensem* populabundus ingreditur, atque omnia ferro, & igne perturbans prius ferme [44] deperdita *Lucensium* oppida cepit, quam *Nicolaus* ad ferendam opem rediret. Is enim ex *Liguribus Parmam* ingressus, dum reficiundis militibus, parandoque commeatu, quo fame laboranti ubi subveniret, diutius immoratur, cives in extremum fere discrimen perduxit. Nam *Florentini* post pacem ab eis interruptam, *Nicolai*que discessum ad omnes urbis portas lignea excitaverant castella, quibus & cives exitu, & externi importatione frumenti privarentur. Munierant insuper loca, & montanos saltus, ex quibus *Piccininus* obsessis opem ferre posset. Erat in urbe præfectus [45] unus *Philippi* cum ala equitum, & peditibus trecentis a *Nicolao* urbis præsidio relictus, qui in tanta rerum omnium inopia versabatur, ut sæpius sit ab eo de tradenda urbe cogitatum. Sed venturi quamprimum auxilii data spes, tum multorum legatorum cohortationes, quos ad diversa loca pro impetranda pace destinarant, ne animo deficerent impulere, suadentes, ut nulla recusarent incommoda, cumpræsertim difficultates omnes quantumvis graves potiores servitute essent. Præparato tandem commeatu *Nicolaus* per montes asperos *Lucensis* oræ, inter *Pontremolum*, *Serezanam*que descendit. Cum autem *Franciscus* omnes ferme ad urbem aditus tum fossis, tum vallis, captis nonnullis humilioribus castellis, præclusisset, *Nicolaus* ad oppidum *Bargam* divertit tum loci natura, tum defensoribus munitum. Id positis castris cum obsideret, militesque nil hostile timentes (xxx. enim passuum millia *Franciscus* aberat) custodias obirent negligentius, maximam prope cladem accepit. Nam missus a *Francisco* cum levis armaturæ peditatu præfectus [46] incompositos de improviso adortus hostes, & simul qui in præsidio oppidi erant ex composito [47] portis egressi, majorem quam pro numero tumultum excivere. Aspera dimicatio fuit: tandem fusi, fugatique *Nicolai* milites: *Ludovicus* [48] adolescens *Mantuani* filius, qui custodiæ castrorum præerat, accepto vulnere captus est, reliquus exercitus facto globo, armis sumptis suis auxilio occurrit. Præfectus, direptis quæ paratiora ad manus venerunt, ad *Franciscum* cum *Ludovico* rediit. Obsidio postmodum ab hostibus relicta. Instabant apud *Florentinos Veneti*, ut quando *Luca* in eorum potestatem procul dubio ventura esset, *Franciscus* ad se mitteretur, ut additis copiis flumine *Abdua* ponte juncto *Mediolanensem* agrum depopularentur: fore, ut Dux propinquo fatigatus bello curam servandæ *Lucæ* abjiceret. Verum cum id impetrare nequivissent, id enim tentari opinio pervaserat, quo *Lucenses* obsidione liberarentur, ipsi suis viribus fabricato ponte exercitum traducere parant; quem procul dubio transmisissent, nisi maxima vis aquæ continuata procella cœlo missa rem disturbasset. Paratis omnibus, ac ponte curribus con-

A vecto, cum ea regione, quæ *Bergomensi* agro propinquior est, eum firmare decrevissent, præfectum magni animi [49] virum cum equitum turma nando in ulteriorem fluminis ripam evadere jubent, ut illius auxilio pons attolleretur. Is itaque lintribus pedite superimposito flumen ingressus, impetuque omni aquæ superato, diluculo in terram expositis copiis, cum nulla daretur facultas inundatione aquarum, quas nocturnæ pluviæ in immensum excreverant, palos, aut trabes in alveo sistendi, lembique pene aquarum gurgitibus absorberentur, ac nullus illorum usus esse posset, lucente vero die fama vulgata esset 1437

B transisse flumen hostes, omnis generis [50] hominum facto concursu, coactus est præfectus, ne suos proderet hosti, salutem nando quærere, neque enim a suis flumine disjunctis ullum auxilium poterat ferri. Præmissis militibus omnibus, cum partim trajecisse aquam, partim absorptos gurgitibus vidisset, ipse ultimus [51] flumen ingressus equo natante ad suos pervenit. Fabricandi pontis spe præcisa, *Veneti* cum a se renovatum contra Ducem bellum cernerent, *Mantuanum* belli ducem designatum in regionem *Glareæ Abduæ* traducere exercitum mandant, atque eo loci sita oppida expugnare. Quod cum subito præsensisset

C *Nicolaus* a *Philippo* redire jussus, confestim relictis rebus cæteris, quarta die cum ad *Padum* pervenisset, integrum diem eo trajiciendo moratur; tertiis mox castris in hostium venit conspectum. Qua illi re commoti in loca palustria, ad quæ unicus erat aditus, se contulere, omni pugnandi facultate hosti ablata; inde pabuli difficultate compulsi, motis castris apud oppidum *Bulgeriam Bergomensis* agri consedere. Hos montibus superatis adortus *Nicolaus*, pulsis loco *Venetis*, ad sexcentos [52] armis, commeatu, reliquisque rebus exercitui necessariis onustos currus intercepit. Conspicantes *Veneti* eorum consilia secus ac

D rati erant cecidisse, & *Nicolaum* viribus superiorem, rursus a *Florentinis* petunt, ut *Franciscum* in *Galliam* rebus suis subsidio contra *Piccininum* mittant: quod cum difficile factu existimarent, ob frequentem famam quæ in ore omnium versabatur, id quæri, ut obsidione *Luca* liberaretur, neque in rem *Florentinam* esset, tam longe talem ablegari belli ducem, impetrarunt, ut *Regium Lepidum Franciscus* peteret, ac *Parmensem* [53] (quo defendendæ illius urbis causa *Nicolaus* ab oppugnatione *Bergomi* evocaretur) popularetur agrum. Ceperat enim, demolitusque erat nonnulla de *Bergomo* castella, acriter incumbens urbis illius

E expugnationi. Sed cum nosset *Franciscum Regium* petiisse, timens *Philippi* rebus, e vestigio *Parmam* relicto *Bergomo* concessit, majore Ducis copiarum parte ad se eo convenire jussa: fabros præterea lignarios plurimos, currus, ac jumenta pontibus ligneis, scalis, commeatuique ferendis accommodata ferens, palamque jactitans se ad solvendam obsidionem *Lucensem* iter sumpturum. Hoc apparatu territi *Florentini*, cum *Venetis* egere, ut *Franciscum Lucam* reverti permitterent, quo facilius *Nicolao* obsisti posset; quod *Veneti* facile concessere, satis sibi factum exi-

44. *Prius ferme deperdita, &c. cepit.* Excepto Castelleone, ut Blond. Flav. *lib. VIII. Dec.* 3.

45. *Præfectus unus.* Philippus Nazareus.

46. *Præfectus* Petrus Brunorus.

47. *Ex composito portis egressi.* Noctu de præfecti adventu moniti oppidani sub ortum solis in hostes prosiluere.

48. *Ludovicus adolescens Mantuani filius qui, &c.* Cupiditate gloriæ ductus ad Piccininum confugerat Ludovicus, & dum Franciscus ejus pater Venetorum imperator erat, hic adversus eum militabat; ex quo adeo exarsit Franciscus, ut eum exhæredaverit, ne Veneti se autore filium hoc egisse

F opinarentur, memor recentis Carminiolæ eventus. Baptista Sacchius vulgo Platina *Hist. Mant. lib. V.*

49. *Magni animi virum.* Gattam Mellitam.

50. *Omnis generis hominum facto concursu.* Ludovico Severinate duce, cui illius oræ cura demandata fuerat.

51. *Ultimus flumen ingressus.* Horatii Coclitis exemplo.

52. *Ad sexcentos.* Quingentos tantum enumerat Blondus *lib. VIII. Dec.* 3.

53. *Parmensem, &c. popularetur agrum.* Licet a Venetis conductus Sfortia, in Philippum pergere negabat; se enim cum eo fœdere inito teneri dicebat, ne Padum transiret.

54. *Gui-*

1437 existimantes, belli molem a se in *Tusciam* trans-
latam. *Franciscus* igitur superato per *Mutinenses*
montes *Apennino Lucam* rediit. Secutus diversis
itineribus *Nicolaus* montium qui interjacebant ju-
gis appropinquavit. Quamvis autem peditatu
plurimum posset *Franciscus*, tamen veritus tum
hostis versutias, tum varias rerum vices, interci-
debat, obsepiebatque interim loca singula per
quæ *Nicolao* transitus daretur : quo tamen tutius
obsisteret hosti, augeri a *Florentinis* copias suas
enixe postulavit. Sed cum nulli essent in prom-
ptu equites, a *Venetis* petunt, ut *Guidantonium* [54]
Manfredum cum equitibus quingentis *Francisci* au-
xilio mittant. At is odio adversus *Venetos* conce-
pto cum jam missionem postulasset, re facile con-
cessa ad *Franciscum* transiit, qui auctis copiis,
& a *Florentinis*, & a *Venetis* præteriti tempo-
ris merita stipendia (pari enim [55] sumptu fue-
rat conductus) poscebat. A *Florentinis*, quam
primum ei satis est factum. *Veneti* ob denega-
tum antea ad se *Francisci* aditum indignati, de-
creverant nulli, exceptis qui in *Gallia* milita-
rent, stipendia præbere; ideoque variis addu-
ctis causis, cur nihil ab eis, nisi certa conditio-
ne deberetur, multa [56] adversus eum oblocuti
sunt : quæ altius quam quisquam ratus esset, in
pectus hominis descenderunt. Hæc omnia cum
plures existimarent, idque haud ambiguum esset
eo spectare, ut *Franciscus* ira percitus obsidionem
solveret, *Florentini*que turpiter rejecti ea urbe,
quam summis viribus, & infinitis sumptibus op-
pugnarant, minime potirentur, semperque pro
augendo illorum imperio ex antiqua consuetudi-
ne decertarent, cum *Francisco* his difficultatibus
adducti agunt, ut donec *Venetorum* erga se volun-
tatem de solvendis pecuniis, cæterisque rebus
perspectam haberent, postulata differret. Nam-
que ille paulum commoto animo turbatus, quæ
a *Venetis* debebantur, a *Florentinis* petierat, si-
gnaque reconciliati cum *Philippo* animi præ se tu-
lerat, oratoresque ejus ad se missos præter opi-
nionem benigne exceperat, & humaniter eos al-
locutus nullam neque verbis, neque nutu simul-
tatem, aut odium adversus eum ostendebat. Mis-
sus itaque confestim ad *Venetos* civis amplissimus,
summa prudentia, & virtute insignis *Cosmus
Medices*, ad id munus potissimum electus, tum
quia in Republica præstans, tum præcipue ac-
ceptus [57] *Venetorum* Duci, multisque civibus sum-
ma benevolentia conjunctus, quo potissimum
oratore rem communem absque difficultate cum
Venetis, ac *Francisco* transigi posse sperabant. Is
Venetias profectus variis rationibus summa cum
prudentia in Senatu disseruit : *Ita illius* [58] *fidem
promereri, qui omnibus posthabitis maximo rerum
suarum incommodo Regium profectus esset, ut a Pic-
cinino securi saluti suæ consulerent, ut promissa, ac
debita stipendia recipiat : Nihil majore reprehensione* 1437
*in privato, nedum in tanta Republica dignius, quam
datam fidem fallere, & jusjurandum, quod ita
sanctum apud majores fuerit, ut sacramento tantum-
modo in maximis Reipublicæ periculis contenti fuerint:
satisfecisse se jamdiu Francisco secundum fœderis for-
mulam : id unum restare, ut quod promiserint (nisi* 1438
*perfidia notari velint) exsolvant : Periculum esse ma-
ximum, ne veluti contemptus transitionem ad Philip-
pum faciat, qua sola re haud dubium esset illius
fortunam, opesque imposterum firmiores, ac superiores
fore.* At *Veneti* dominandi cupiditate elati, ac
jam tum *Italiæ* imperium sibi animo desponden-
tes, ut qui *Florentinorum* opibus parvo tempore
Tarvisium, *Brixiam*, *Bergomum* pluraque opulen-
tissima oppida in *Gallia* de hostibus cepissent, æ-
greque ferrent bellum non nisi in *Gallia* geri, quo
jure belli capta illis cederent; ad hæc *Lucam*
in potestatem nostram redigi permoleste ferentes [59],
sociorum vero damna pro nihilo ducentes, ami-
citias pro utilitate pensantes, & aliorum bonis
invidentes, fidem, ac legati cohortationes con-
tempserunt : qui indignatus legationis suæ & fi-
dei haud habitam rationem *Ferrariam*, ubi *Eu-
genius Græcorum* Concilium tenebat, revertitur.
Missus subinde *Venetias* & alter orator *Julianus
Davanzatus* equestris ordinis postulatum eadem
quæ *Cosmo* fuerant mandata, responsum [60] red-
ditum esse contumelia plenum, veluti in socio-
rum contemptum renuntiavit : Nuptiarum [61] a-
pud se tempus esse, quæ dies amplius quindecim
suspensos cives tenerent : difficile esse festos dies
civitate agente aliquid peragi. Interea *Piccininus*
nequicquam *Apennini* transitu tentato, commea-
tu quem *Lucam* comportaturus erat, carrisque
omnibus *Castilionem* (id oppidum de *Lucensibus* in
Apennini jugo situm est) missis, agrum *Mutinen-
sem* petit per *Bononienses* fines, aut per *Flaminiam*
in *Etruriam* descensurus. Inde *Bononiam* versus
iter ingressus ad *Eugenium* mittit, qui petant, ut
sine injuria, & maleficio per loca *Romanis* Pon-
tificibus subjecta transire liceat. Quod cum im-
petrasset, spem dedit *Eugenio* certam se contra
Franciscum exercitum ducturum, ut illius [62] ty-
rannide oppressa provincia tandem Pontifici re-
stitueretur. Fide utrinque publica interposita,
Nicolaus Bononiam prætergressus pacato similis,
ut ne vestigium quidem ullum belli extaret, po-
sitis apud *Indicem* fluvium via *Flaminia* castris,
cum fingeret se in *Etruriam* trajecturum, *Astor-
gio Manfredo* cum duabus equitum turmis ad ob-
sidendum *Oriolum* [63] *Florentinorum* in *Flaminia* op-
pidum præmisso, ipse e vestigio secutus oppidum
vi expugnatum hostili more diripuit. Desperato
Venetorum auxilio [64] *Franciscus* anno octavo ac
trigesimo post mille quadringentos jam antea ten-
tatam cum *Philippo* concordiam firmat, haud
ab-

54. *Guidantonium Manfredum.* Plures ductores Venetis indignatos asserit *Blondus* Pauli Throni verbis, qui eos ad Senatum partim negligentiæ, partim perfidiæ accusavit; unde multorum defectio orta est.

55. *Pari enim sumptu fuerat conductus.* Licet de fœdere cum Florentinis, Venetisque in Philippum inito, cui Genuenses quoque post defectionem accessere, nihil referat Poggius; attamen hoc innuere videtur, dum ait Sfortiam *pari sumptu a Venetis, & Florentinis conductum.*

56. *Multa adversus eum oblocuti sunt.* Quin immo Andreas Maurocenus Venetus ad exercitum legatus Franciscum trans Padum pergere negantem publico jussu dimisit. *Corius p. V.*

57. *Acceptus Venetorum Duci, multisque civibus.* Florentia exulans Cosmus Venetiis tribus annis immoratus, nobilium animos sibi devinxerat. Ammirat. *lib. XXI.*

58. *Illius fidem.* Francisci Sfortiæ.

59. *Permoleste ferentes.* Immerito Venetos objurgat Poggius, cum neque moleste tulissent Florentinos Pisas occupasse, nec auxilium Senensibus in Florentinos Lucam obsidentes petentibus præbuissent.

60. *Responsum redditum esse contumelia plenum.* Contumeliose loquenti contumeliosum jure responsum redditum est; namque & Florentinorum beneficia Venetis exprobravit, & exitum rei pœnitendum minatus est.


61 *Nuptiarum tempus esse respondit.* Hoc quidem a Poggio confictum arbitror, cum a Veneti Senatus gravitate alienum sit. Responsum esse ait *Petr Just. Blondus*, & *Sabell.* Venetos promissa soluturos fuisse stipendia, si promissam Venetis operam Sfortia navasset; sed cum pro Florentinis semper stetisset, ab eis stipendia postularet.

62. *Illius tyrannide oppressa.* Sfortiam Flaminiæ Marchionem, & Ecclesiæ Vexilliferum Eugenius declarare coactus fuerat, ut sibi eum conciliaret, quem nimis verendum hostem expertus fuerat. Oblata vero occasione Piccinini opera eum subigere studebat. Rayn. *Ann. Eccl. To.* 18. Pigna *lib. VI.*

63. *Oriolum* seu *Aureolum.* Castrum agri Faventini inter Faventiam, & Mutilum, 4. pass. mill. utrinque distans.

64. *Venetorum auxilio.* Nempe pecunia.

65. *Sup-*


COSMUS MEDICES,
Vir Civitatis primarius.



1438 abnuentibus *Florentinis*, qui cognita illorum mente, cum res suæ in arcto versarentur, & hinc instaret hostis acerrimus, hinc *Lucæ* potiundæ ablata spes videretur, propter occulta tum consilia, tum præsidia, quæ illi per suam invidiam suppeditabantur [65], suasores ejus fœderis fuere. Cernebant enim se a sociis præter spem destitutos, solos a *Philippi* copiis oppugnari, & omnem belli impetum in se esse conversum. Fœderis leges, nulla de [66] *Florentinis* publice mentione habita (ut quibus per *Franciscum* cavebatur) variæ fuere: inter cætera, ut ei *Philippus* certam pecuniam intra constitutam diem solveret, tum ut ex *Florentinorum* agro copias omnes revocaret, utque suæ ditionis per hostes capta restituerentur: *Lucenses* liberata bello patria, fœdus pacis in decennium cum *Florentinis* firmarent, castellaque, & oppida amissa *Florentinis* cederent; fines eorum intra sextum lapidem includerentur: quos agros, quas possessiones aliis quibuscunque in locis possiderent, optimo jure tenerent: eosque, qui armis alterum lacesserent, se bello persecuturum testatus est, oppugnaturumque pacis violatores. Filia [67] quoque *Philippi Francisco* desponsa. Multa præterea *Francisci* nomine adjecta, quibus nulla in re fœderi, quod *Venetos* inter, & *Florentinos* ictum erat, derogabatur. His peractis, cum principibus *Florentini* Senatus aliquo beneficio alliciendi *Lucenses* ad delendam contractam jam animo dominandi suspicionem viderentur, utque omnis præteriti belli memoria aboleretur, paxque aliquo vinculo astricta perpetua esset, *Montis Caroli* oppido decem millibus passuum urbi propinquo, & *Mutroni* portus arce reservata, reliqua omnia jure belli capta fœdere icto *Lucensibus* dono dederunt. Magna videbantur inter *Philippum*, ac *Florentinos* reconciliatæ gratiæ jacta fundamenta. Verum animus illius quietem horrens, spretis omnibus, quæ in fœdere continebantur, nihil eorum, præterquam de danda pecunia, & revocandis militibus servavit. At *Nicolaus*, cum *Oriolo* [68] excessisset, idque suo præsidio destitutum *Florentini* recuperassent, in finibus agri *Forolíviensis* castra posuit; inde *Ravennam* [69], quæ a *Venetis* tenebatur, profectus, cum eam [70] oppugnasset, deditione [71] tandem facta urbem recepit, relictoque ibi præsidio, *Imolam*, *Forlivium*, *Bononiam* [72] præter fidem datam proditione civium cepit. Quæ dum contra *Eugenium* aguntur, *Gattamelata*, vir strenuus, atque impiger rei militaris, *Venetorum* dux est factus; nam *Mantuanus* contracto in *Venetos* odio, quod se veneno eos appetiisse diceret, ad *Philippum* [73] desciverat; acceptoque exercitu in agrum *Bergomensem* profectus, omnibus locis, quæ a *Nicolao* occupata fuerant, in potestatem redactis, agrum *Cremonensem* (& jam flavescebant fruges) late populatur. Ea re motus *Nicolaus* contractis in unum copiis, præsidioque a se captis urbibus imposito, ipse confestim magnis itineribus *Pado* transmisso, *Casale* majus, agri *Cremonensis* oppidum, quod *Veneti* tenebant, obsidione cingit; unde vigesimo quo oppugnari cæperat die muris, turribus, tormentorum crebris ictibus dirutis, dedentibus [74] se oppidanis recipit. Solicitabat agri *Brixiensis* accolas *Nicolaus* ad defectionem, intentusque erat, si qua posset arte *Gattam*, qui in ulteriori *Olii* ripa transitum ejus dispositis frequentibus equitum, peditumque stationibus prohibebat, intercipere. Ad removendam transeundi suspicionem, pontem *Bimæ* [75] valida arce ab utroque latere munitum comportatis machinis se fingit oppugnaturum. Pluribus deinde diebus in fallendo, si posset, hoste nequicquam consumptis, demum ad id antea in *Pado* præparatum pontem in *Olium* introduxit: navibusque juncto ponte, partem copiarum, quæ *Mantuano* [76] jungerentur præmisit: ipse per agrum *Mantuanum* flumen cum reliquo exercitu transire in ulteriorem partem aggreditur, ea spe, ut clam junctis copiis *Gatta* ex improviso opprimeretur: & successisset res, nisi miles ex hostibus [77] captus imminens periculum aperuisset. Eo timore *Gatta* motis signis proxima *Brixiæ* oppida confestim petit. Duodecim passuum millia aberat, cum apud hostes illum in tuto esse præmissi equites nuntiant. *Nicolaus* omnibus copiis *Mantuani* opera trans *Olium* [78] traductis, omnia ferme *Brixiensis* agri oppida segetes amittendi metu (& kalendæ Juliæ erant) se se illi sponte dedentia cepit. *Mons Clarus* tantum, *Urcei*, ac *Palatiolum* in fide manserunt. Tam subito, atque insperato *Gattæ* ad urbem adventu, qui castra [79] ad quintum lapidem munierat, tum oppidorum defectione conterritis civibus, cum pars exercitus ad custodiendam urbem missa esset, ab diversa civium factione asserente satis ad tutandam urbem sibi solis virium adesse, rejecta est. Duæ factiones *Ghibellinorum* [80], *Guelphorum*que civitatem distinebant, utrique summa vi postulabant, 1439
ut arces sibi custodiendas demandarent. *Guelphi* maxime contendebant id sibi concedi, rationibus præcipue freti, quod diversarum partium viri pro *Philippo* starent: motus itaque varios concitarunt, & haud procul a seditione, & vi aberant, adeo ut ferro rem dijudicaturos appareret, nisi Prætoris *Veneti* virtus (is *Franciscus* erat [81] *Barbarus*, vir prudentia, & eloquentia præditus) sua-

65. *Suppeditabantur*. A Senensibus.

66. *Nulla de Florentinis publice mentione habita*. Cautum enim fœdere cum Venetis percusso erat, ne unquam illis inconsultis de pace agerent, eorumque arbitrio starent.

67. *Filia quoque Philippi Francisco desponsa*. Blanca, quæ jam illi promissa fuerat, cum adhuc viro matura non foret, ut jam adnotatum est præcedenti libro. Dotis nomine Dertona, & Asta Pompeja datæ. *Corius p. V*.

68. *Cum Oriolo excessisset*. Una cum præsidio. Noluit enim palam ejus deditionem facere. Mutilanenses hoste vacuum Florentinorum nomine occuparunt. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. VIII*.

69. *Ravennam quæ a Venetis*. Nondum a Venetis, sed ab Hostasio Polentano tenebatur, cum ea Veneti potiti sint anno tantum MCDXLI. ut Desiderius Spretus *lib. III. de magnitudine, excidio &c. Ravennæ*, & cum eo Rubeus *Hist. Ravenn. lib. VII.* refert.

70. *Cum eam oppugnasset*. Venetis, qui auxilio venerant, resistentibus.

71. *Deditione tandem facta*. Ab Hostasio invitis civibus, & tribus aureorum millibus Piccinino persolutis. *Rubeus ibid*.

72. *Bononiam*. Donatiana porta potiti Bentivolienses Piccininum introduxere.

73. *Ad Philippum desciverat*. Non veneni suspicione, ut ipse dictitabat, sed eo quod summam imperii auctoritatem uni illi non permisissent, sed duos Provisores addidissent, quibus inconsultis nihil agere posset. Ita refert *Baptista Sacchius*. Venetis ceteroquin non satis æquus, *Hist. Mant. lib. V*.

74. *Dedentibus se oppidanis*. Veneto præsidio in triduum abire concessum est.

75. *Bimæ*, seu *Binæ*. Castellum a Casali 12. milliaribus distans, cujus arces in utraque Olii ripa munitissimæ. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. VIII*.

76. *Quæ Mantuano jungerentur*. Etsi a Venetis discedens Franciscus Gonzaga, se nunquam in eos arma moturum promiserat; contra fidem tamen Philippo adhæsit. Petr. Just. *lib. VII*.

77. *Miles ex hostibus captus*. Beretha Gotholengensis, quem Piccininus ad Brixianos agrestes solicitandos miserat. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. VIII*.

78. *Trans Olium traductis*. Patefactis Marchariæ, & Canneti pontibus, quos Mantuanus tuebatur.

79. *Castra ad quintum lapidem*. Ad Balneolum.

80. *Ghibellinorum*, *Guelphorumque*. Quarum principes Martinengi, & Avogari.

81. *Franciscus Barbarus*. Cum de tanto viro scriptarum re-

1439 suadendo, hortando, monendo, pericula ostentando omnem compressisset tumultum. Non enim utile civitati asseverabat, neque id præsens tempus postulare, ut altera factio, velut invisa, ac suspecta a custodia urbis rejiceretur. Excitari enim perniciosum incendium, si parte civium contempta, reliqui servandæ urbis curam susciperent: dari profecto ex ea suspicione cæteris causam defectionis. Difficillimum in rebus dubiis esse, tum externos, tum maxime domesticos evitare hostes: magistratui ergo urbis sine cujusquam injuria, aut contumelia, & ex *Veneti* Senatus dignitate custodiam permittendam videri. Quod cum cives assentirentur, suscepta rerum omnium cura Prætor, diffidentes animos variis sermonibus confirmat: novis [82] præterea conjungit matrimoniis, quo præcipue pacto cum in fide perstarent cives, Prætoris virtute saluti urbis provisum est. *Gatta* cum inter [83] *Mincium* amnem, & lacum *Benacum* teneret exercitum, illumque a suis intercludere omni ope *Piccininus* conaretur, eo consilio, ut aut liberior proxima quæque loca facile expugnaret, aut præcisis commeatibus hostes fame conficeret; junctis copiis, ac in unum [84] contractis, copiam pugnandi facturus, mature *Nicolao* occurrit. *Clesius* fluvius, qui admodum excreverat, inter exercitus, certe majori odio, quam viribus prælium inituros, certamen diremit. Dum hæc aguntur, *Mantuanus* cum quatuor millibus equitum, peditumque in castra *Nicolai* venit. Commoti tanto hostium numero *Veneti*, simul veriti, ne qui ex eorum præfecti ad *Mantuanum* deficerent, parte exercitus per municipia distributa, reliquas [85] copias *Brixiam*, ut illius urbis præsidio essent, reduxerunt. Qua ex re præbita *Nicolao* facultate quo vellet castra circumferendi, multa oppida de *Venetis* tum suopte ingenio, tum partium [86] studio recipit. *Mantuanus* vero inter *Athesim*, *Minciumque Veronensis* agri castella plurima nullo labore capit. *Valisium* custodis arcis proditione occupat. *Johannes Malavolta Senensis*, *Venetorum* equitum præfectus, cum proditionis ignarus cum trecentis equitibus intrasset oppidum, amissis equitibus, solus atque inermis *Brixiam* rediit. Paucos deinde post dies in ulteriorem oram *Veronam* versus traductis militibus, omnia ejus regionis castella triduo in potestatem nullo obsistente redigit. *Montani* [87] insuper complures, qui variis inhabitabant convallibus, gens mobilis, atque inconstans, transiere ad *Philippum*. Missi tamen a *Venetis* eo nonnulli præfecti [88], & quidam contrariæ factionis viri, exsultantes victoria hostes magna edita cæde fuderunt. Alia in parte *Nicolaus Clario* opulento oppido deditione populi potitus, sexcentos equites cum præfectis [89] ad ejus loci custodiam missos cepit, spoliavitque, inde *Roadum* duxit: quo cum *Gatta* celeriter venisset, signis collatis inter utrunque exercitum ab ortu solis ad occasum usque æquo [90] marte pugnatum est. Nox inter fessos labore prælium diremit, incertos victine, an victores abirent. Cum terrestri bello impares *Philippi* copiis essent *Veneti*, classem, quam maximam ferebant tempora, parare in *Pado* adversus *Mantuanum* decernunt: quo discrimine perculsus ille ad sua tutanda revocaretur, & simul ut cæteris in fide perstantibus augeretur animus. Ei classi, quæ centum & sexaginta quatuor navium explebat numerum ad varios belli usus fabricatarum, dux *Petrus* [91] *Lauredanus*, vir ea tempestate & pace, & bello clarus, præficitur: has naves majores, sexaginta aliæ minores secutæ sunt usui necessaria ferentes. Ingens erat [92] classis apparatus, tum variis machinis, tum omni tormentorum genere ad expugnanda oppida, sive terra, sive aqua decertandum foret. Redeunti ad *Roadi* obsidionem *Nicolao* & ipsius oppidi, & aliorum [93] complurium paucos intra dies ultro deditio est facta. *Venetorum* copiæ, duce *Gatta*, majore ex parte *Brixiæ* moram trahebant. Ob eam rem parabat obsidere urbem *Nicolaus*, confisus eam se per inopiam commeatus fame expugnaturum. Quod timentes *Veneti*, cum *Gattæ* facultatem novos conscribendi milites dedissent, quibus *Piccinini* vires retardari possent, decrevere, ut *Gatta* cum majore equitum parte quo posset itinere *Veronam* [94] peteret, utque in ea, atque aliis urbibus opportuna disponeret præsidia. Noctu igitur cum quinque electorum virorum millibus urbe egressus ad *Mincium* venit, tentaturus, si quo daretur modo, flumen vado transire: quod cum diversis in locis quæreret, *Mantuani* milites per stationes fluvii ripam observantes cum ad arma visis hostibus conclamassent, territus ille, retroque, ne interciperetur [95] ab hoste, versus, tanta celeritate *Brixiam* contendit, ut die noctuque haud intermisso itinere, nullum neque quiescendi, neque cibi capiundi concederetur, spatium. *Nicolaus* desperans urbem fame ad deditionem compelli posse, frequenti præterea militum numero munitam, difficilem præbere expugnationem, exercitum ad oppugnandos *Urceos* novos duxit. Quatuordecim diebus in ea oppugnatione frustra consumptis, nullaque per vim illius potiundi spe proposita, præfecti [96] equitum, cui ea custodia demandata erat, proditione oppidum recipit. Magnam ea res *Brixiensibus* desperationem incussisset, nisi *Francisci Barbari* virtus & antea principum civitatis animos invicem conciliasset, & tunc conjurationem ad se delatam non vindicando, ne irritarentur civium animi, sed cavendo, ac dissimulando declinasset. Cum suaderent omnes *Gattam* cum equitatu, peditatuque pro defensione urbis retinendum, solus *Franciscus* patriæ salutem, ne defensoribus nudata pa- 1439

rum fama celeberrimo nullus ex coævis scriptoribus siluerit, nihil insuper addam iis, quæ in Poggii Vita perscripsi.

82. *Novis præterea conjungit matrimoniis.* Dissidentibus affinitate conjunctis, nec non Paride Ludronio præpotenti viro Leonardi Martinengi opera Petro Avogaro conciliato.

83. *Inter Mincium, &c.* Apud Bidiciolum, a Benaco, Mincio, & Brixia æquali distans spatio.

84. *In unum contractis copiis.* Hoc est militum non minus vigintiquinque millibus, in quibus duodecim millia peditum a Barbaro auxilio missa. Blond. *Dec.* 3. *lib. IX.*

85. *Reliquas copias.* Quas Gattæ auxilio missas diximus superiori nota.

86. *Tum partium studio* Salodium Benaci præcipuum oppidum a Pedemontanis Philippo traditum. *Blond. Flav. ibid.*

87. *Montani insuper complures.* Camonicæ Vallis Antonii a Beccharia impulsu exciti.

88. *Nonnulli præfecti, &c.* Joannes Contes, Bartholomæus Colleonius, & Leonardus Martinengus cum montanis suæ factionis hominibus.

89. *Cum præfectis.* Guerrerio Martiano, & Michaele Gritti.

90. *Æquo marte pugnatum est.* Quamvis Piccininus ad montana dispositis militibus in Gattam pugnantem nec opinatum impetum fecisset, nihil tamen territus exercitum continuit. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. IX.*

91. *Petrus Lauredanus.* Qui de Genuensibus victoriam retulit.

92. *Ingens erat classis apparatus.* Fuse narrat Pigna *de Princip. Atest. lib. VII.*

93. *Et aliorum complurium.* Bomadenses, Paterniani, Monticulani, Guglanenses, Orniani, Brienses, Tropienses Piccinino se dedere.

94. *Veronam peteret.* Thaddæi Atestini fidei ac virtuti Brixia commissa. Baptista Sacchius *Hist. Mant. lib V.*

95. *Ne interciperetur.* Ignaviam suam sæpius accusavit Piccininus, qui prædæ intentus hostem evadere permisisset. *Vit. Nic. Piccen.*

96. *Præfecti equitum.* Petri Lucensis CC. equitum præfecti. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. IX.*

97. *In-*

pateret hosti, cæteris præferens rebus, illum hortatus est, ut modico relicto præsidio reliquas copias, non qua prius tentarat via, sed per montes, superatis propinquis paludibus, *Veronam* traduceret. Quam sententiam ut meliorem secutus ille per montes asperrimos, infestosque [97] hostibus, *Tridentum* versus, perque saltus præcipites, & pene invios quatriduo profectus, cum pluribus in locis ferro via facienda esset, tandem pluribus præliis circiter octingentis equitibus amissis, labore ingenti, continuoque *Veronam* pervenit: quæ res plurimum ad confirmandos civium animos contulit. Interim cum maxima omnium expectatione classis parata esset, timens [98] rebus suis *Nicolaus*, *Ferrariensis*, incertus enim erat quos primos esset appetitura, duo millia [99] equitum, quingentos pedites adversus externam vim, si qua ingrueret, conduxit, *Eugenii*que [100] Pontificis, qui tum *Ferrariæ* erat, opera restituto *Rovico* [1] cæterisque ejus regionis castellis, quæ ad quadraginta [2] annos pignoris titulo *Veneti* possederant, fœdere renovato ad illos transiit. At classis ingressa *Padum*, dum moratur diutius, quam belli gerendi ratio poscebat, *Mantuano* tempus datum est ea loca, quibus classis obesse poterat, muniendi, ac præsidio firmandi. Castellis enim egregie juxta aquam munitis, ingentibusque palis, catenis colligatis juxta ripam triplici ordine defixis, quibus navium ad terram accessus impediretur. Ad hæc frequentibus propugnaculis castellisque in oportunis locis distributis, ex quibus in continentem prohiberetur discessus: arce præterea *Hostilia* in *Padi* ripa, [3] *Sermione*que fluviali oppido omnibus artibus, tum defixis palis, tum stationibus, tum catenis ferreis ad arcendas naves communitis, omnem fluminis suæ ditionis ripam variis refersit tormentis. Dum hæc a *Mantuano* adversus classem geruntur, *Piccininus* per exploratores certior factus *Gattam* procul abesse, oblatam *Brixiæ* capiundæ facultatem ratus, omni conatu obsidioni urbis incumbens castris prope positis, aquarum [4] venis, quibus cives utebantur succisis, fluminibus quoque, & propinquis rivis (quo penuria aquarum animis deficerent) derivatis, tria [5] castella oportunis in locis quo facilior esset oppugnatio circa urbem erigit. Erumpebant quotidie cives adversus castellorum custodes, multaque plurimorum cæde, & sanguine edebantur certamina, cum *Nicolaus* gloriæ cupidus, atque in omnes belli eventus summa cura intentus, arbitratus, aut vi, cum pauci milites urbem defensarent, aut fame, aut obsidionis tædio cives se dedituros, omnibus copiis eo contractis, simul magna agrestium coacta manu, ad hæc variis machinis, bombardisque [6] comportatis urbem undique obsidione cinxit. At præfectus equitum *Brixiæ Thaddæus Estensis* vir impiger, ac bello utilis, & Prætor [7] *Franciscus*, in quibus urbis defensio stabat, reductis in ordinem militibus, descriptoque per centurias populo, eruptione [8] facta cum in fugam hostes qua venerant, vertissent, magna strage edita in urbem redeunt. Quo veluti contemptu indignatus *Nicolaus* aucto militum numero, cum crebriores bombardas, quibus mœnia turresque dejicerentur disposuisset, pluribus insuper in locis varia tormenta, ac machinas ad prosternendos urbis muros collocasset, paucis diebus adeo frequentibus ictibus quassati, ac confracti sunt ut desperata salute cives de deditione cogitarent. Sed Prætoris diligentia singulis in locis præsidia præfectosque distribuentis, ad defendendam patriam urbem, Uxores, liberos, fortunas, templa, nominatim unumquemque appellans hortabatur: eos præterea quorum fides suspecta erat, in ea urbis loca, quorum de fide minime ambigebatur ire ad tuendam urbem jussit, tamquam ibi majori futuros utilitati. Qua prudentia factum est, ut omnes in fide præstantes uno animo obsidionis laborem, cunctaque pericula subituros se pro salute patriæ sponderent. Pluribus diebus aspera prælia cum hoste sunt commissa, quibus utrinque cadebant permulti: cum enim magna murorum pars machinis dejecta esset, ex ipsis ruinis cum hoste cominus pugnabant cives, quod illis aliquandiu maximo labori, ac discrimini fuit: nam præter labores, ac vulnera quæ interdiu pugnando subibant, noctu instaurationi murorum absque ulla quiete vacandum erat, & desperatio quædam mentes eorum incesserat tamquam lassitudine adductas. Sed fœminarum [9] virtus virorum vices subeuntium, plurimum profuit ad salutem: ipsæ enim viris permixtæ in opere versabantur, asperrima quæque pro patriæ salute subeuntes. Verum cum ea res haud satis firmo præsidio esset, aggere densissimo qui pro mœnibus esset ab interiori parte, murorum altitudinem adæquabant. Cuniculi quoque in urbem ab hoste acti, sed nullo cum civium detrimento: ipsi simili opere conatibus ostium occurrentes, igne, fumo, ferro eorum labores irritos reddiderunt. Tentata præterea a *Nicolao* alia ratio capiundæ urbis; nam murorum [10] partem a fundamentis defossam versus civitatem propellere, ac per eas ruinas urbem ingredi parabat. At præfecti ad singula intenti animadverso hostium opere, civium militumque opera, lignis, ac trabibus impulsum supra hostes murum in ruinam egere. Quo casu multi mortales ex hostibus oppressi interierunt. Compertum est fœminarum potissimum operam plurimum in defendenda urbe valuis-

97. *Infestosque hostibus Tridentum versus.* Ab Alexandro Mazoniæ ex Polonorum Ducibus Tridentino Episcopo, Friderici III. Imper. avunculo, montani homines in Venetos concitati, ut Philippo gratiam rependeret, qui Ripam Tridentini juris jam occupatam libere Episcopo concessisset. Jan. Pyrrhus Pincius *lib. III. de Vitis Pontif. Tridentinorum.*

98. *Timens rebus suis Nicolaus.* Venetos jure sibi infensos metuebat, quod ejus impulsu Franciscus Gonzaga a Venetis defecisset.

99. *Duo millia equitum.* Guido Antonio Manfredo conducto, & Borso filio spurio, qui apud Sfortiam erat, cum DC. equitibus revocato. Pigna *de Princip. Atest. lib. VII.*

100. *Eugenii Pontificis opera.* Venetos exorantis, ne armorum terrore Græcorum jam inceptum Ferrariæ Concilium dissolveretur, quod Græcus Imperator futurum denunciaverat.

1. *Rovico.* Seu Rhodigio cum ejus Policinio, vulgo *Polesine di Rovigo.*

2. *Quæ ad quadraginta annos pignoris titulo, &c.* Non XL. sed XLV. annis oppigneratum Rhodigium Veneti tenuerant, cum ab anno MCCCXCIV. quo eis datum fuit, usque ad MCDXXXIX. quo restitutum XLV. anni fuerint elapsi. Scutatorum 50. millibus oppigneratum una cum Abbatia, aliisque Policinii oppidis fuerat, restitutum vero est Nicolao, non plus decem scutatorum millibus persolutis. Nicolius Orig. *Rhod. lib. II. & III.*

3. *Sermioneque.* Seu Sermedo.

4. *Aquarum venis.* Unde aquam in urbem deducebant ad usum & ornamentum.

5. *Tria castella.* Terra lignisque compacta.

6. *Bombardisque comportatis.* Quindecim *quarum minima* ait Blondus *lapidem trecentarum librarum emitteret.*

7. *Et prætor Franciscus.* Barbarus, de quo supra, nec non Christophorus Donatus urbis Præfectus.

8. *Eruptione facta.* In Appollonianam ædem, in qua peditatum locaverat Italianus. Blond. *Dec. 3. lib. IX.*

9. *Sed fœminarum virtus.* Brayda ex Avogara gente illustris matrona, in centurias ceteris mulieribus distributis virilem tuendæ patriæ operam navavit. Corte. *Hist. Veron. p. II. lib. XIV.*

10. *Murorum partem a fundamentis defossam.* Turrem Mombellanam jam labantem, fundamentis bombardarum impetu succisis. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. IX.*

1439 luiſſe, magnamque tuliſſe laudem conſervatæ patriæ. Non enim ſolum viris arma opportuna ſubminiſtrabant, ſed ipſæ etiam armatæ pro viris pugnabant, aut inferentes vulnera, aut repellentes. Locum certe quemdam a civibus labore defeſſis deſperatione quadam deſertum ſolæ occurrentes fœminæ, ac locum tutantes hoſtes paulum repreſſere, quoad integri ſuccedentes feſſis prælium inſtauraſſent. Non virorum eas, non filiorum, non fratrum, vel interemptorum, vel ſauciorum dolor a tutela urbis, aut murorum defenſione avertit. Urgebat præterea cives peſtis valida, qua plurimi interibant; neque ea quoque animos debilitavit. Placuit ex ea cauſa emittere ex urbe voluntarios. Magna, & imbellis multitudo viri, mulieres, puerique urbem [11] deſeruere. Fuit [12] Prætoris & illa haud parva cura, mortuos publica impenſa ſepeliendi, ſaucios adhibitis medicis curandi, infirmiores ſuſtentandi, quæ prudentia, pietaſque incolas omnes ardentiores reddidit ad certamina ineunda, & accipienda pro tutela patriæ vulnera. Plura a *Nicolao* licet fruſtra tentata ad urbem expugnandam (nam aquarum ductus, fiſtulaſque in urbem fluentium interrupit, rivos haud procul ab urbe defluentes deflexit, muros diruit, cuniculos egit, continuis præliis, laboribuſque cives, ac milites fatigavit) hominem ira percitum irritarunt, ut omnibus copiis, viribuſque per Turris *Mombellanæ* ruinam urbem ingrederetur. Commiſſo acerrimo utrinque prælio, cum patriæ periculum ante oculos verſaretur, defendentiumque virtus, & fortitudo obſtinatis ad mortem animis audaciam hoſtium ſuperaret, aliquot horis aſpera, crudelique pugna certatum eſt. Pluribus vulneratis, amplius ducentis ex hoſtibus deſideratis, ex defenſoribus ad quadraginta. Omiſſa eo loci pugna *Nicolaus* ratus oppidanos labore defeſſos corpora quieti daturos, e veſtigio ad aliam [13] urbis partem oppugnandam cum omni exercitu advolat. Ibi quoque cum diutius aditum fruſtra tentaſſet, conſtanti civium animo, atque egregia opera urbem defendentium, eam oppugnationem reliquit. Peribant ex ſuis militibus multi, plures vulneribus debilitabantur, ut jam graviter tam moleſtam, ac diuturnam obſidionem ferrent. Sed perſiſtebat in incepto *Nicolaus*, ſiquo modo voti compos fieret. Sæpius igitur diverſis in locis, quæ commodiora expugnationi videbantur, comportatis variis ad uſum capiundæ urbis machinis, aſperrima [14] prælia ſunt commiſſa. Sed multis ubique pereuntibus, cum *Nicolai* equites, peditesque partim ſagittis, partim ictu lapidum occiſi, confractique, ac proſtrati eſſent, plures e muris dejecti præcipites, ſociorum quoque turbam, tum cæſam, tum igni, ac ferventi aqua ſemiuſtam conſpicerent, ſublato clamore Ducem increpabant, qui tot præclaros viros veluti pecora certæ morti nulla cum ſpe vincendi addixiſſet: nequaquam ſe amplius vitæ diſcrimini incaſſum oblaturos teſtabantur. Itaque tum ſuorum vocibus, tum deſperatione urbis expugnandæ motus relicta (& jam finis menſis Decembris aderat) *Brixia*, exercitum [15] in hiberna diſtribuit. Octingentos amplius ex civibus, ex mercenariis militibus ducentos, ex hoſtibus ultra duo millia ea in oppugnatione cecidiſſe tradunt. Ne tamen omnino omiſſa obſeſſio putaretur *Italianus* [16] cum duobus equitum millibus in captis a ſe oppidis ad impediendos commeatus relictus, variis excurſionibus, nulla ad reſpirandum quiete data, urbem, atque agros infeſtos reddebat. Soluta obſidione urbis, præcipua *Venetis* eo comportandi frumenti cura erat. *Nicolaus* quoque ad id maxime inſtabat, ne quid ad victum ſpectans deferri poſſet. Erectis enim frequentibus in convallibus, montibuſque caſtellis, foſſis inſuper obductis, omnem ademerat devehendæ annonæ facultatem. Conatus [17] eſt tamen *Gatta* variis artibus, ut in urbem frumenta ſupportarentur, quæ omnia non abſque defendentium detrimento in itinere per *Nicolaum* intercepta ſunt. Accepta tamen eſt apud pontem *Sarchæ* fluvii per *Italianum* clades, qua & præſidium [18] captum eſt, & filius [19] interfectus: reliqui ad montem cum refugiſſent, commiſſa cum *Venetorum* præfectis pugna, profligati ſunt. In ea ad mille hominum ex *Philippi* militibus occubuere; qua victoria paulum res *Venetorum* eſt reſtituta. Poſtea vero quam obſeſſis itineribus omnis ferendi ſubſidii *Brixiæ* aditus præcluſus erat, alia, & difficilior ratio a *Venetis* ſubveniendi fideliſſimæ urbi excogita eſt. Res profecto ardua, & digna quæ litterarum monumentis mandetur. *Lacus Benacus* [20] ex quo *Mincius* fluit, *Veronæ* [21], *Brixiæ*que fines interjacet. Ejus [22] longitudo triginta millibus paſſuum, latitudo vero decem protenditur. Extremus angulus ad *Tridentum* vergit: hujus [23] in littore circum plurima ſunt oppida caſtellaque ſatis opulenta. Ubi *Mincius* [24] lacu egreditur, oppidum eſt *Piſcaria Veronenſis* agri, quod a *Mantuano* tenebatur. Ut ergo quæ *Venetorum* ditionis erant expugnarentur facilius, ſimul ne qua daretur hoſti facultas annonam per aquam *Brixiam* comportandi, plures minores naves per *Mincium* in lacum *Nicolaus*, *Mantuanuſ*que tranſmiſere. Horum conatibus, ut obſtarent *Veneti*, utque urbs in fide conſervaretur, triremes duas, pluraque minora navigia per *Atheſim* ſupra *Veronam* ad viginti paſſuum millia remiulco traxere: in- 1439

11. *Urbem deſeruere.* Quod ſalubritati, & annonæ plurimum profuit. Baptiſta Sacchius *Hiſt. Mant. lib. V.*

12. *Fuit prætoris &c.* Duo licet Veneti forent, ut diximus, præſides, de Barbaro tantum loquitur, a cujus prudentia & conſilio alter minime diſcedebat.

13. *Ad aliam urbis partem.* Quæ S. Appolloniæ ædem reſpicit.

14. *Aſperrima prælia, &c.* Maximum tamen omnium id, quod ad Ravarrotum commiſſum eſt.

15. *Exercitum in hiberna diſtribuit.* Cum antea quater urbem aggreſſus eſſet, ut in *Blondo*, *Platina*, & *Petro Juſtin.*

16. *Italianus.* Forojulianus.

17. *Conatus eſt tamen Gatta.* Per montes Tridentinorum, ſed ab Italiano frumenta comportantes obſeſſi captique cum ſarcinis fuerunt. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. IX.*

18. *Et præſidium.* Quod in Ponte conſtituerat.

19. *Et filius.* Italiani interfectus, & cum eo Petrus Capotia equeſtris ordinis, Polonus, Tridentini Archiepiſcopi copiarum ductor. Hæc autem geſta a Gerardo Dandulo, & Paride Ludronio. Petr. Juſt. *Hiſt. Ven. lib. VII.*

20. *Benacus.* De Benaco *Virgil. 2. Georgic. Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino.*

21. *Veronæ Brixiæque fines interjacet.* Eo in loco, cui *Campio* nomen. De quo *Dantes Infer.* 20.

Lugo è nel mezzo la; dove l' Trentino.
Paſtore, & quel di Breſcia, e 'l Veroneſe
Segnar poria; ſe feſſe quel camino.

22. *Ejus longitudo, &c.* 35. millium paſſ. latitudo 19. ut *Jodocus Bergani*, Monacus S. Zeni, de quo Hieronymus a Curte. Utcunque ſentiat *Poggius*, & cum eo *Blondus*, *Strabo* 500. ſtadiorum longitudinem, & 30. ejus latitudinem eſſe teſtatur, quorum prima 63. milliaribus, ſecunda 4. æquivalet: quod aperte falſum quidem noſtris temporibus.

23. *Hujus in littore.* Quo vix tota Italia aliud pulchrius tum odorum ſuavitate, tum arborum fertilitate, tum variorum piſcium copia præcipue: illi autem *Ripæ Salodienſis* nomen.

24. *Ubi Mincius lacu egreditur.* Ex Benaco Mincius effluit, imo Benaco ipſi, ubi rapidius fertur, *Mincii* nomen inditum, juxta illud *Dantis Infern. lib. XX.*

Toſto che l'acqua a correr mette cò,
Non più Benaco, ma Mencio ſi chiama
Fin a Governo dove cade in Pò.

25. *Ad*

1439 inde ex flumine deductas, junctis turribus machiniſque ſubditis camuleis uſque ad lacum [25] quendam parvulum montibus propinquum ſex millibus terra funibus perduxerunt, eoque naviculæ diſſolutis compagibus ſuper [26] impoſitæ turribus ſunt convectæ. Eſt mons [27] arduus, aſperque, qui lacui imminet, homini etiam inermi aſcenſu difficilis: magna igitur agreſtium operariorumque undique contracta manu cæſis arboribus, effractiſque ſaxis interciſo monte amplam quanta triremis eſſet latitudo maximo labore viam munivere; inde funibus, variiſque ad id præparatis ædificiis maximo conatu per mille paſſus ad ſummum traxere montis. In eo parva planities jacet, qua facilior navium fuit comportatio. Reſtabat labor omnium difficillimus, naves per abruptum, præcipitemque ſcopulum, atque invium ad ſtadia quatuor deorſum per denſas arbores in ſubjectam planitiem dimittendi. Erat præceps deſcenſus, & præruptus, eoque opus difficilius. Repleta igitur arboribus, ac lapidibus quæ interjecta erat convalle, exciſis, & dimotis ſaxis iter impedientibus triremes paulatim retinaculis demiſſæ ſunt, atque inde in lacum [28] protractæ. Multo laborioſiorem quam fuerat aſcenſus, plures difficultates deſcenſum præbuere: Neceſſe enim erat dimitti craſſioribus reſtibus paulatim naves ne ſuo pondere præcipitarentur. Spectandum [29] opus, & apud priſcos [30] illos, quorum facta admiramur maximi extimandum. His in lacum deductis, annona ad aliud littus, indeque jumentis per *Brixianos* montes magna cum difficultate itinerum in urbem delata famem ſedavit. Quæ ad *Brixiæ* ſtatum pertinebant compoſitis, haud ignorabant *Veneti Mediolanenſem* numero, & virtute militum ſuperiorem proxima æſtate, ſicut accidit, *Veronam*, aut *Vincentiam* oppugnaturum: cumque non eſſet, unde novi milites compararentur, id unum ſuarum rerum præſidium ſperabant fore, ſi *Franciſcus* ex *Piceno* in eorum auxilium accerſiretur; quod propter contractam cum eo in negandis pecuniis debitis offenſionem difficile ducebant. Non tamen diffidebant illum ad ſuas partes trahi poſſe, *Florentinorum*, quibus amiciſſimus erat, opera. Verebantur tamen, ne id a *Florentinis* impetrarent, memores quanto cum faſtu, & ſociorum contemptu nuper & *Coſmo* [31] & *Juliano* [32] oratoribus de communi ſalute agentibus reſpondiſſent. Suppudebat a *Florentinis* orare ſubſidium, faterique ſe eorum ope egere. Neceſſitas tamen pudorem excuſſit, miſſoque *Florentiam Jacobo* [33] *Donato* oratore, qui *Coſmo*, *Laurentio*que fratri (hi primarii civitatis habebantur) ſumma familiaritate conjunctus erat, mandant, ut ab eis,

A cæteriſque civibus, qui ad id opportuni viderentur, contendat, dent operam, ut *Franciſcus* mature eis ſubſidio ſubmittatur. Audito legato, cum conſultus Senatus eſſet, ac magna ex parte infida *Venetorum* ſocietas judicanda eſſe videretur, amicitiaque illorum ut inutilis rejicienda, cum ſemper ex commodo ſuo eam penſitarent, ac tamdiu in ea perſeverarent, donec res propria ageretur, ubi viſum eſſet inſciis ſociis pacem inirent, & nova fœdera: tamen animo *Philippi* inconſtantiam verſantes, quem nihil eorum quæ ex fœdere debebat ſervaſſe ajebant, haud maximo labore poſtulatis annuerunt; ſæpius enim fidem
B illius dubiam, & inſtabilem animum experti victorem contra *Venetos* eſſe nolebant. Nam ſi futura ex præteritis penſanda ſunt, veroſimile erat illis ſuperatis ſe quoque pro libertate certaturos. *Eugenius*que Pontifex interim ex *Ferraria* [34] *Florentiam* profectus, oratoris precibus motus publica interpoſita fide, ſe quæ de *Romana* Eccleſia teneret (id enim petebatur) *Franciſco* conſervaturum, cauſam fœderis maturandi præſtitit, quod in quinquennium his conditionibus firmatum [35] eſt. Ut *Venetorum*, *Florentinorum*que dux unicus belli eſſet, quatuorque equitum, & duorum peditum millium ſtipendia [36] ſibi penderentur.
C Utriuſque inſuper Reipublicæ tum conductæ, tum conducendæ copiæ ſibi parerent, utque *Nicolaus Ferrarienſis* cum mille quingentis equitibus, quorum *Guidantonius* eſſet præfectus, & *Borſius Nicolai* filius cum equitibus mille ſimili ſtipendio ſub *Franciſco* militarent. Publicato fœdere *Piccininus* arbitratus facile *Veronam* a ſe capi poſſe, antequam ei ſubveniri a *Franciſco* poſſet, coactis in unum extemplo copiis, ut primum per anni tempus licuit, atque a *Benaci* ora profectus, pluribus in locis *Mantuani* ope *Atheſim* traducere exercitum conatus, ac ſæpius ab hoſte repulſus, tandem ductorum, quibus id negotii demandatum erat, ignavia ponte navibus juncto in ulteriorem ripam evadit.
D Transgreſſus flumen, *Limacum* [37] primo opulentum oppidum cum aliquandiu ſummis viribus oppugnaſſet, facta deditione capit. Eodem modo *Baldum*, plurimaque [38] de *Veronenſibus*, ac *Vicentinis* caſtella tum ſponte, tum vi in poteſtatem redigit. Omnibus ferme agri *Veronenſis* oppidis potitus una cum *Mantuano* obſidere urbem tum natura loci, tum copiis, tum fide civium munitam ſtatuit; annona tantum, quæ ſumma erat in caritate, vacuam. Interea juxta *Benacum* fortuna paulum *Venetis* favit. Nam cum *Italianus* magno cum equitatu ad *Madernum* oppidum
E deſcendiſſet, tum *Brixienſium* [39] copiis, quæ oppidis *Venetorum* ſubſidio venerant, tum militibus [40] quos triremes vexerant occurrentibus, cum ab or- 1439

25. *Ad lacum quendam.* Divi Andreæ appellatum. Blond. *Dec.* 3. *lib. XIX.*

26. *Super impoſitæ turribus.* Seu vehiculis.

27. *Eſt mons arduus.* Ubi *Penetra* Caſtellum ejus in cacumine ſitum eſt, ex quo Monti nomen.

28. *In lacum.* Benaci.

29. *Spectandum opus.* A Cretenſi quodam, cui nomen Jarbolus, excogitatum.

30. *Apud Priſcos illos quorum facta admiramur.* Nempe Xerſis, qui Athon, Hannibalis qui Taurinum montem exciderunt; Auguſti Cæſaris qui naves per medium Corinthyacum Iſthmum in alterum mare compulit; Nicetæ Baſilii Imperatoris ducis, qui cæſaris exemplum ſequutus eſt.

31. *Coſmo.* Mediceo.

32. *Et Juliano.* Davanzato.

33. *Jacobo Donato.* Ut Blondo placet, cujus cauſa in errorem tum *Poggius*, tum *Petrus Juſtinianus* ductus. Miſſus eſt enim Andreas Donatus, quod Florentinis acceptus crederetur, quippe qui ann. MCDXXXIII. apud eos legatus cum eſſet, Florentina civitate donatus fuerat. Ammirat. *p. I. To.* 2. *lib. II.* Quin *Blondus* paulo infra non ſatis memor ait, *Andream Donatum, qui Venetias interea reverſus, Patavium Prætor advenerat.* Reverſum vero Florentia Andream Donatum, & Patavii præfectum creatum refert Hyeron. Corte. *p. II. lib. XIV.*

34. *Ex Ferraria Florentiam profectus.* Ann. MCDXXXIX. XXII. Januarii peſtis cauſſa quæ Ferrariæ inoleverat, ut Platina *in Vita Eugenii.*

35. *Firmatum eſt.* Ann. MCDXXXIX. XVIII. Februarii, cui Eugenius Pontifex, & Genuenſes acceſſerunt, *Simoneta* teſte. *Sabellicus*, & cum eo Ateſtinarum rerum ſcriptores Nicolaum quoque adjungunt. Adjungit & Capponius, non tamen, ut ſocium, ſed ut ad ſtipendia vocatum.

F 36. *Stipendia ſibi penderentur.* 220. ſcutatorum millia, quorum nonaginta millia Florentini, cetera Veneti perſolverent. Hyeron. Corte *p. II. lib. XIX.*

37. *Limacum*, melius *Lemniacum*, & *Portum*, oppida in adverſa Atheſis ripa poſita, 24. a Verona paſſ. mill.

38. *Plurimaque caſtella.* Ceretam, Sanguinetum, Leonicum; Montembellum, Brendolam, Pontechium, Montorſum, &c. Bapt. Sacchius *Hiſt Mant. lib. V.* & alii apud Hieronymum a Corte *Hiſtor Veron lib. XIX.*

39. *Brixienſium copiis.* Petro Avogaro duce.

40. *Militibus quos triremes vexerunt.* Petro Zeno, Caroli cla-

1439 ortu solis ad vesperam usque dimicatum esset, fusus, fugatusque multis interfectis, & ipse dejectus equo noctis beneficio [41] evasit. Quadringenti in ea dimicatione capti, in queis equitum præfecti [42] tres haud ignobiles fuere. Hæc apud *Veronam*, & *Benacum* principio æstatis vario marte gesta. At vero *Franciscus* præparatis copiis, eæ ad sex millia erant, *Piceno* relicto per agrum *Ferrariensem* ad vicum [43] quendam tribus passuum millibus antiquæ *Adriæ* propinquum venit. Inde impedimentis alio itinere præmissis, ipse per ligneos pontes tum in *Pado*, tum in paludibus junctos navibus, adhibitis etiam galeonibus, qui ab hostium incursu transitum tam variis locis tutarentur, in agrum *Patavinum* [44] copias transmisit, quibus in terram expositis, confestim dux belli peritissimus quam primum *Venetorum* præfectos omnes cum [45] reliquis copiis ad se convenire jussit, ut juncto exercitu hostem victoria exultantem reprimeret. *Nicolaus* cum *Veronam*, admotis ad mœnia machinis, bombardisque ad muros diruendos, summa vi oppugnaret, audito *Francisci* adventu desperata victoria obsidionem relinquens, ac omni expugnationis apparatu *Mantuam* remisso, ad oppidum *Suavium*, quod in potestate erat, exercitum duxit. Duo erant itinera, quibus *Veronam* adire posset, alterum per montes, alterum per planitiem inter urbem, & montes sitam. Montium transitum arduum reddebant castella, & ea frequentia, quæ *Nicolao* parebant. Planitiei vero aditum lata impediebat fossa multis munita propugnaculis, turribusque, quinque millibus passuum longitudine a *Suavio* montano oppido in subjectas ad *Athesim* paludes magno auxiliariorum, quos undique conciverat, labore ducta, opus vel apud antiquos commemorandum. Id eo consilio a *Nicolao* factum, ut utraque via prohiberetur *Francisco* aditus ad liberandam obsidione urbem. Erat *Venetorum* exercitus quatuordecim millium equitum, peditum vero sex. *Nicolao* haudquaquam pares erant copiæ: quæ res metum injecerat, ne summam belli fortunæ crederet. At *Franciscus Leonicum* [46] oppidum in primis stadiis viginti *Nicolao* propinquum, validoque munitum præsidio, in ejus ferme conspectu obsedit. Cum aspero prælio muros adoriretur, oppidanique rebellionis conscientia ultimum supplicium veriti omnia pericula, tamquam pro vita certantes subirent, plures equites, & in his præfecti duo [47] graviter saucii adeo ad iram *Franciscum* commovere, ut ni se dederent, excidium patriæ, oppidanis in captivitatem adductis, minaretur. Acrius igitur instauratis viribus ad expugnationem intentus, cum nil quietis daretur obsessis, tandem illos desperata salute compulit ad deditionem, veniam potius ea oblatione sperantes, quam si vi capti forent. Recepto oppido *Franciscus* ira deposita existimans sola clementia cæteros quoque, qui descivissent, illorum exemplum secuturos, omnibus ut parcerent [48] militibus indixit. Quæ mansuetudo minime sapientem ducem fefellit: parvo enim labore cuncta ferme de *Veronensibus*, ac *Vicentinis* ad eam diem capta ad *Venetos* rediere. Cum vero *Suavium Franciscus* peteret, comperit *Nicolaum* copias ibi contraxisse, eo animo, ut quacunque, sive planitie, sive montibus hostis *Veronam* pergeret, transitum impediret. At ille, priusquam *Nicolaus* suspicari posset, qua iter esset facturus, juxta montem in loco quem *Rognam* vocant, consedit, missisque *Veronam*, qui milites, ac populum ad invadenda montana castella cohortarentur, ipse per montes, qui ad quindecim passuum millia protenduntur, aciem direxit, expugnatisque iter impedientibus castellis, ac partim direptis, partim præsidiis impositis, *Veronam* nullo hoste obvio proficiscitur. Sed cum in urbe pestilentia ingrueret, transmisso *Athesi* ad tertium lapidem, via qua itur *Hostiliam*, castra mense Augusto locat. *Nicolaus* timens, ne a reditu intercluderetur, incensis propugnaculis, castellisque omnibus in fossa erectis, & ipse *Athesim* transit. Qua ex re *Franciscus* e vestigio ad oppugnandum *Suavium* concessit: quod oppidum, cum aliquandiu summa vi defensum esset, tandem fessi vulneribus incolæ una cum præsidio se se dedidere. Eo recepto ad cætera, quæ adhuc in *Philippi* perstabant fide exugnanda *Vicentinum* agrum petit. Recuperatis, quæ defecerant, locis *Athesim* reversus, ac eodem quo antea loco castris positis, summa ei cura commeatus *Brixiam* convehendi erat. Etenim præter famem bellumque, quæ biennium jam urbem vexabant, accedebat & pestis ingens, singula per se mala perniciosissima admodum terrentia cives. Deferebatur tamen ex *Benaco* per montanas semitas ad cives annona licet pauca, & quæ ad alendam urbem minime sufficeret, ex quo, & herbis undequaque conquisitis, & fœdis etiam animalibus plurimi sedare famem cogebantur. *Nicolaus* qui castra in plano locaverat, quo iter ad *Brixiam* præcluderet, audiens *Venetorum* naves secundum *Benaci* littus seductas, milites vagos ferri, ac negligentius custodiri omnia, cum paucis equitibus castris egressus ad lacum pergit, coactisque propinquis copiis, nautas, ac milites nil tale veritos aggreditur, commissoque prælio, & naves, & milites omnes præter paucos capit, quos fuga per montes tutos fecit. Deletis navibus, cum *Nicolaus* in castra revertisset, *Franciscus* ineunte hyeme bidui juxta *Athesim* iter emensus ea, qua naves traductæ erant, via ad lacum profectus data opera, ut classis ex materia, quæ multa erat littori propinqua, de integro restauraretur, quæ brevi tempore constructa plurimo usui fuit, circa lacum, qua parte ad [49] *Veronam* vergit, tum *Venetorum*, tum *Philippi* castella plurima inter se partium studio bellantia fere omnia in potestatem suam redigit. Qua re motus *Nicolaus* adverso littore suis auxilio accurrens ad extremam lacus oram quæ *Tridentum* respicit, apud oppidum, quod *Ripam* dicunt, parva cum manu consedit, annona *Brixiam* prohibiturus. Cum varia utrinque juxta lacum inirentur certamina, demum justa acie, ac signis collatis pugnatum est diutius. *Nicolai* copiis superatis, fusisque, multi [50] capti sunt, plu- 1439

clarissimi illius viri filio eis imperante. Petr. Justin. *lib. VII.*

41. *Noctis beneficio evasit.* Salodium petens.

42. *Præfecti tres.* Nicolaus Guerrerius, Antoninus Trivultius, & Gerardinus Tertius. *Blond. Flav.*

43. *Ad vicum quendam.* Ghorium appellatum.

44. *In agrum Patavinum.* Ad Concas, ut vocant. Petr. Just. *lib. VII.*

45. *Cum reliquis copiis.* Nempe cum duodecim millibus militum, queis Gatta præerat, Montagnanamque tuebatur.

46. *Leonicum.* Agri Vicentini oppidum.

47. *Præfecti duo graviter saucii.* Petrus Brunorus, & Troilus.

48. *Ut parcerent militibus indixit.* Solus adversus omnes scriptores *Pactius Ariminensis*, militibus nihil vetitum, asserit.

49. *Veronam, &c.* A Nicolao Tolentinate, qui præsidio Veronæ erat, lignea hostium propugnacula jam capta fuerant.

50. *Multi capti sunt.* Præcipui Carolus Gonzaga Marchionis filius, Cæsar Martinengus, & Sagramorus Vicecomes. *Corius p. V.*

51. Ni-

1439 pluresque ad vicina caſtella, monteſque fugere. *Nicolaus* [51] pro temporis anguſtia *Turrim* propinquum oppidum [52] confugit, ac noctu per hoſtium ſtationes clam a *Germano* milite, quem poſt debilitatum latus ſemper ſecum habere ſolitus erat, delatus humeris, nonnullis conniventibus, periculum evaſiſſe traditur; qui ægre acceptam ferens ignominiam, copiis in unum redactis, *Franciſcum* ex ea regione pellere ſtudebat. Quod præſentiens ille, tribus milliibus retrocedens loco editiore [53] communivit caſtra: ita ſpes in irritum ceſſit. Cum parum ſuccederent *Nicolai*, prudentis, ac ſolertis ad omnia ducis, adverſus *Franciſcum* conſilia, relicto lacu cum majori exercitus parte *Veronam*, injecta ſpe urbem per deditionem recipiundi, redit, ac per arcem, quam *Civitatulam* veterem appellant, urbem ingreſſus, præter arcem [54] veterem edito in colle ſitam, ac inter alias munitiſſimam; & pontem illi ſubjectum, eam omnem in poteſtatem ſuam dedentibus ſe civibus redegit. Poſt *Nicolai* diſceſſum, *Franciſcus* cum aſcendiſſet montes, itinere verſus *Tridentum* ſumpto, montanis quæ deſciverant caſtellis recipiendis intentus accepit *Veronæ* defectionem... Variæ ſuorum præfectorum, militumque erant ſententiæ. Suadebant quidam, *abjiciendum eſſe ejus urbis recuperandæ conſilium, & aliarum ſaluti, cuſtodiæque vacandum: hoſtes magno numero tenere civitatem, ex qua difficillimum foret eos ejicere: ignotum eſſe, quo animo cives eſſent; Nicolaum ad omnia præcavenda ducem ſagacem, ſimile veri eſſe ſingulos obſepiſſe aditus, quibus urbi ſuccurri poſſet: videri ſatius Vincentiam petere ac Patavium eaſque ab hoſte tutas reddere.* Ab aliis alia tum pericula, tum difficultates adeundi variæ afferebantur, quibus facultas omnis auxilii ferendi præcluderetur: *Iter aliqui nivibus, montibuſque impeditum* aſſerebant, *quibus longum iter conficiundum erat. Viam amplius quadraginta millibus paſſuum interjectam, per quæ loca nedum tantis frigoribus aſpera, hyeme, glacie, ac nivibus oppleta, ſed ne æſtate quidem aditus facilis foret. Quamnam ſpem dari fatigatis itinere equitibus, equiſque, integros quietique deditos ſuperare dimicando? Satis verendum eſſe, ne urbis jacturæ detrimentum ſuorum militum adderetur: quæ extrema pernicies Venetorum futura eſſet.* His aliiſque multis in eamdem ſententiam dictis, Dux *cæterorum* [55], *ſuam, Venetorumque ſalutem expoſtulare* dixit, *ut quamprimum ad recuperandam ab hoſte urbem contenderet: non requirere tempus verborum diſceptationem, ſed ſubveniendi celeritatem, in qua omnia repoſita viderentur: ubi facto ſit opus, nequaquam verba ſerenda eſſe.* E veſtigio itaque cum electis equitibus, peditibuſque (& jam veſper erat) per montes coopertos nivibus iter faciens ad primam noctis horam octo millibus paſſuum confectis parum quieti [56] temporis dedit. Deinde ante diluculum, nihil enim ea nocte, aut equi pabuli, aut homines cibi ſumpſerant, longa confecta via in planitiem ad flumen *Atheſim* deſcendit, vigintique millium con-

A fecto itinere montem [57] iterum conſcendens, duodecim millium paſſuum emenſa via *Veronam* pervenit. Qui in arce [58], quam nondum ceperat hoſtis, erant, adventu ſuorum cognito multa lætitiæ ob inſperatum ſubſidium ſigna dederunt. Qua ex re præfecti quidam hoſtium moti cum parte exercitus porta [59] qua venturus erat *Franciſcus* egreſſi, prælium commiſere. Diutius eſt aſpera certatum pugna: urgente tamen *Franciſci* milite, ac ardentius pugnante, dare terga hoſtes compulſi ſunt. Immixti victi, victoreſque una, proſequente *Franciſco*, urbem ingrediuntur; quo tumultu tantus reliquos terror invaſit, ut relictis B omnibus uſui neceſſariis, quæ in urbem comportarant, confeſtim quarto poſt captam urbem die, veriti ne ab hoſtibus intercluderentur, ſimul paucitate militum, & adverſantibus civibus eam ſe tenere poſſe diffiſi, cum omnibus copiis *Piccininus*, *Mantuanuſ*que noctu [60] abierunt. Recuperata *Verona Franciſcus* (qua jure *Venetorum* ſtatus eſt conſervatus) adverſariorum prædam (multa enim per varia loca nihil adverſi ſuſpicantes reliquerant) militibus ſuis in inſtaurationem eorum, quæ veniendo amiſerant, diſtribuit. Sunt qui opinentur, voluntate, atque opera *Philippi*, ne in *Mantuani*, cui ex fœdere ſi capta foret debe- C batur, ditionem veniret, urbem fuiſſe amiſſam: maluiſſeque redire ad hoſtes civitatem tam amplam, quam illius viribus accedere. Id certe ſuæ voluntatis indicium haud parvum fuit, omnibus ſuis equitum præfectis circa *Brixiam* gerentibus bellum mandaſſe, ne fines *Brixienſes* egrederentur, aut *Nicolao* parerent: ſe enim inconſulto *Veronam* aggreſſum eſſe. His geſtis *Franciſcus* ad *Benacum* reverſus ad reficiendas de integro naves, quibus *Brixienſes* ab inopia frumenti ſublevarentur, enixius operam dedit; accitis operariis, ex materia propinqua haud priore inferior claſſis inſtauratur, quæ ad frumenta comportanda, & ad D ejus regionis tutanda oppida plurimum opis tulit. Montes inde ad *Brixiam* pertinentes aſcendens, plura quibus tranſitus commeatus ferentium impediebatur, caſtella recuperavit. Animadvertens autem *Nicolaus* ſummis defendi *Brixiam* viribus, majorique omnium rerum diligentia, neque expugnandæ civitatis duce [61] *Franciſco* ſpem dari ullam, conſilium ſumpſit in *Etruriam* adverſus *Florentinos* tranſcendendi. Tradunt nonnulli id *Philippi* factum voluntate, ut *Johannis Vitelleſchi* Cardinalis, quem Legatum Pontificis ſecum contra *Florentinos* conſpiraſſe ajunt, copiis jungeretur. Alii ea mente in *Etruriam* tranſiſſe ferunt, E quo *Franciſcus* opem *Florentinis*, relicto *Venetorum* bello, cogeretur ferre. Et id veriſimile videbatur, cum equitibus peditibuſque ad *Franciſcum* miſſis, pauci admodum in *Tuſcia* milites forent. 1440 Annus erat ſalutis ſupra quadrageſimum milleſimus quadringenteſimus cum *Nicolaus* aſſumptis ſelectorum equitum, peditumque millibus quinque, Februario menſe trajecto *Pado* reficiendis macie confectis equis, *Placentino*, *Parmen-*

---

51. *Nicolaus, &c.* Sunt qui Nicolaum ab equo dejectum, captumque aſſerant, ſed ex induſtria dimiſſum. *Ammirat. ibid.* Alii ſacco involutum militis humero, tanquam ſarcinam, extra hoſtium caſtra delatum referunt. *Laurentius Spiritus* Peruſinus in Poemate de geſtis Nicolai Piccinini, cui titulus *Novus Mars, lib. II. cap.* 57.

Feceſi dentro un ſaccho per huom morto
La notte trare fuor molto naſcoſo
Portato di lontan per fino al porto.

52. *Turrim propinquum oppidum.* Non Turrim, ſed Tiennium, ut *Corius, Blond. Hyeron. a Corte, Ammirat. Plat. &c.*

53. *Loco editiore.* Montibus Ripæ oppido imminentibus. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. X.*

54. *Præter arcem veterem.* Et præter S. Felicis arcem, in quam Veneti præfecti Antonius Diedus, & Victor Bragadenus ſe receperant. Cort. *Hiſt. Veron. lib. XIX.*

55. *Cæterorum.* Hoc eſt aliorum fœderatorum.

56. *Quieti temporis dedit.* In pago S Ambroſii, in quo F frigoris vi multi militum periere. Ammirat. *lib. XXI.*

57. *Montem iterum conſcendens.* Ut tutiori ab hoſtibus via, utpote magis aſpera milites traduceret.

58. *Qui in arce, &c.* In arcibus, ut ex ſuperiori nota.

59. *Porta, &c.* Quæ S. Felicis arcem reſpicit.

60. *Noctu abierunt.* Porta S. Crucis egreſſi Vigaſium petierunt, relicto Joanne Gonzaga Mantuani Principis fratre, qui tragula circa Felicianam arcem ictus, occubuerat. Petr. Juſt. *lib. VII.*

61. *Duce Franciſco.* Barbaro Brixiæ Præfecto.

62. *Bo-*

1440 *mensique* agro paulum substitit. Lento postmodum gradu (nam navibus itinera asperrima, & pene invia reddebantur) mense Martio copias *Bononiam* [61] perduxit: statuerat vero ante profectionem, quo quique præfecti loco bellum pro *Philippo* gererent. Quosdam enim *Brixiam* armis infestam reddere, alios obsistere circa lacum hostibus, nonnullos *Veronam*, quo *Franciscus* missis in hiberna copiis hyemandi gratia concesserat, continuis populationibus jussit lacessere. Sed major rerum moles, quam præ se ferret *Nicolaus*, *Florentinis* parabatur: in ipsam enim *Florentinam* urbem, in ejus libertatem evertendam insidiæ quærebantur. Erat tunc in urbe *Roma* cum exercitu *Johannes* [63] Cardinalis Patriarcha *Alexandrinus*, Pontificis Legatus, summo in *Florentinos Venetosque* odio, sed adeo Pontifici carus, ut omnium *Romanæ* Ecclesiæ populorum imperium teneret. Odii causam præbuere millia aureorum viginti antea Cardinali ea conditione data, ut *Apenninum* cum suis copiis transiret, opem sociis contra *Philippum* laturus. At ille accepta pecunia, *Florentinis*, ac *Venetis* præter datam fidem contemptis, animum ad obsidendum *Fulginium* convertit: quam urbem diutius obsessam proditione [64] civium cepit. Hanc injuriam questi apud Pontificem sociorum legati ad iram, atque odium Patriarcham concitarunt. Augebat insuper iram indignatio in *Franciscum*, a quo e *Piceno* ejectus erat, concepta; quem belli ducem factum gravissime ferebat. Per internuntios autem clam Pontifice cum *Philippo* inito fœdere postulavit, ut *Nicolaus* posthabita *Brixia* ad expugnandum ipsum belli caput veniret. *Florentinis* nullos, præter admodum paucos milites adesse, neque dari unde novi conscriberentur. Haud magno negotio improvisam urbem vel posse opprimi, vel datum iri exulibus reditum in patriam. Permulti enim erant, qui contra *Venetos* Duci faverent *Philippo*: sibi quatuor millium equitum, duorum peditum exercitum esse. Si *Nicolao* jungeretur, haud dubiam in manibus victoriam fore. Vulgata, & an vera incertum, fama est, si ex voto res cessisset, illum subactis *Florentinis*, & *Eugenio* per occultam mortem sublato, Pontificatum sibi vindicaturum. Quicunque tamen ejus fuerit animus futurus, fœdus certe cum *Philippo* ab eo sancitum de inferendo *Florentinis* bello, quod interceptis [65] literis compertum, maturandæ Patriarchæ mortis causam præbuit. Nam quorundam opera, quibus & patriæ, & Pontificis salus erat cæteris antiquior, quo die urbem exibat, in ponte juxta *Adriani* sepulchrum captus [66], atque in arcem vulnere [67] accepto perductus, aliquot post dies expiravit. Eodem fere tempore & Patriarcha præmiserat exercitum, ipse paulo post secuturus, & *Nicolaus* quamvis iniquo anni tempore *Bononia Flaminiam* petens quædam [68] de *Florentinis* capta castella *Guidantonio Manfredo* tenenda dedit. Existimans vero jam tempus adesse, quo *Apenninum* superaret, per saltum, quem divi *Benedicti* incolæ dicunt, transitu frustra tentato, paulum regressus per *Vallem Amonis* fluvii, quamvis nives plurimæ, quas per loci accolas submoveri jubebat, essent impedimento; ubi *Marradi* [69] castellum *Florentinorum* militibus firmatum erat, pervenit: quo in loco facillime propter montium asperitatem aditu prohiberi poterat. Nam unica tantum, & ea arcta via accessus patebat, ni varii generis milites præsidio [70] saltus positi audito *Nicolai* adventu adeo pavore consternati essent, ut vix hoste conspecto relicta loci custodia in præcipitem fugam versi liberum aditum hosti dedissent. Dejecto *Florentinorum* præsidio, & *Apennino* superato, in *Mugellum* descendit, castellumque parvulum *Politianum* obsidens, aliquando ibi stativa habuit, multisque ab eo frustra præliis est oppugnatum. Erant cum eo *Florentini* exules, quorum consilio utebatur, permulti, quod civibus, Pontificique, quibus *Philippi*, ac *Nicolai* notæ versutiæ erant, eosque semper hostes fuerant experti, magnum timorem incussit. Itaque post Patriarchæ obitum Pontifex fœdus contra *Philippum* cum *Venetis*, ac *Florentinis* iniit, ea inter cæteras conditione, ut paribus sumptibus administraretur bellum. In primis *Ludovicum* [71] Archiepiscopum *Florentinum*, quem postea Cardinalem creavit, virum magni animi, ingeniique, ac solertis, & ad res gerendas prompti cum pecuniis *Romam* pro Legato misit ad eas copias quæ a Patriarcha instructæ erant, quam primum in *Tusciam* deducendas. Erant exiguæ admodum copiæ *Florentinis*, neque quibus hosti obviam iri posset: eæ vero omnes prope urbem morabantur. Erant cives, tum propter exules, nequi eorum gratia novi in civitate motus orirentur, tum propter *Nicolai* vires de urbis salute anxii [72] dubiique. Non enim tantum *Mugelli* oppida hostibus videbantur exposita, sed urbis quoque salus (nam ad quartum usque lapidem excursiones hostium fiebant) adire discrimen videbatur. Urgebat præterea annonæ [73] caritas, quæ solicitos tenebat solito gravior cives, ut si *Nicolaus* ad ea loca ex quibus [74] advehebatur, quod facile poterat, exercitum duxisset, magnum ex inopia cibi tumultum fuisset excitaturus. Sed raro fortunam sequuntur hominum consilia, paucique illius beneficio utuntur. Dum *Nicolaus* humiliora [75] petit, fortuna rei bene gerendæ de manibus elapsa est. 1440

---

62. *Bononiam perduxit.* Ubi 20. aureorum millia ei persoluta. Blond. *Dec. IV.*

63. *Johannes.* Vitelleschi, patria Cornetanus, Cardinalis Florentinus.

64. *Proditione civium cepit.* Conrado Trincio, urbis Tyranno, Cardinali tradito.

65. *Interceptis litteris.* Apud Politianum oppidum, & Pontifici delatis.

66. *Captus.* Ab Antonio Ridio S. Angeli arcis præfecto, cui hoc ab Eugenio demandatum fuerat.

67. *Vulnere accepto.* Dum enim Cardinalis denudato ense ab insidiis evadere, concitato equo, tentabat, in summa cervice unco ferro vulneratus est; cujus vulneris dolore vigesimo post die defecit, tumulatusque est in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam. Rayn *Ann. Eccl. ad ann.* 1440.

68. *Quædam de Florentinis capta castella.* Cassianum, Porticum, Terdocium, Aureolum, Mutiliana. Blond. Flav. *Dec.* 4. *lib* I.

69. *Marradi castellum.* In Alpium pede situm, quæ Etruriam a Piceno dividunt.

70. *Præsidio saltus positi.* Bartholomæo Orlandino Florentino cive præfecto. Ammirat. *lib. XXI.*

71. *Ludovicum.* Mediarotam, cognomento Scarampum, Patriarcham Aquilejensem, origine Patavinum (*Garimbertus* in ejus Vita *lib. I.*) Hunc in demortui Vitelleschi, Florentini Archiepiscopi, ipsis petentibus Florentinis, Eugenius suffecerat. Rayn. *Ann. Eccl. ad ann.* 1440. *Ammiratus* hunc Pontificis medicum fuisse, ipsique valde familiarem asserit, quod & Ciaccon. *in Eugen. IV.*

72. *Anxii dubiique.* In centurias ipsi distributi cives, armis arreptis, militum munere fungebantur.

73. *Annonæ caritas.* Quam augebant agrestes omnes, qui Florentiam confugerant. Blond. *Dec.* 4. *lib. I.*

74. *Ex quibus advehebatur.* Per Marinam Vallem Pisis Florentiam annona advehebatur. Ammirat. *lib. XXI.*

75 *Humiliora petit.* Nempe parvi momenti castella, Florentiæ potiundi occasio elapsa est.

POG-

POGGII BRACCIOLINI, *Florentini*, HISTORIARUM FLORENTINI POPULI LIBRI OCTAVI EPITOME.

Piccininus *infeſto exercitu* Florentinorum *opes affligit, ab iis vero apud* Englarium *ſuperatur.* Puppii *Comes* Caſentino *imperio a* Florentinis *ſpoliatur. Pax inter* Philippum *&* Venetos Florentinoſ*que per* Franciſcum Sfortiam *conciliata. Pontificis in* Sfortiam *bellum.* Sfortia Piceno *expulſus.* Eugenii Philippi*que mors.* Alphonſus Neapolitanus *Rex in* Florentinos *arma vertit.* Federicus Urbini *Comes* Florentinorum *dux deſignatus. Pax fit cum* Alphonſo. Mediclano Sfortia *potitur.* Alphonſus Ferdinandum *filium in* Florentinos *mittit. Hi cum* Sfortia *fœdere inito* Andegavenſem *Ducem ex* Gallia *contra* Alphonſum *advocant. Poſt varios belli eventus pax* Neapoli *conſtituitur fœduſque cum multis* Italiæ *Principibus feritur.*

LIBER OCTAVUS.

1440 Dversum populo *Florentino* martem fore cum plures arbitrarentur, pluſque timoris quam ſpei ineſſet; multa enim propter varios rerum caſus animo volvebant: inter civitatis principes, & publicis in concionibus agitari cœptum eſt, revocanduſne *Franciſcus* in *Etruriam* ad auxilium ferendum, an iis quæ aderant copiis urbis ſalus tuenda eſſet. Cenſebant quidam tutioribus ſtandum conſiliis, quod fore videbatur, ſi *Franciſcus* cum parte exercitus accerſeretur. Dubium eſſe, ne *Nicolaus* aut caſtellum, aut aliquam belli ſedem vel vi, vel exulum gratia, quod foret pernicioſiſſimum, recipiat: facile obſeſſurum itinera ſi velit, quibus frumenta ſubminiſtrentur: ignotam eſſe populorum voluntatem ſemper ad pejora mobilem, & ut plurimum fortunam reſpicientem, præſertim ubi ingruat fames, quæ omnem timorem abjicere ex animis conſueverit: etiam beſtias ſævire ſolitas, laceſſente fame. Si paulum *Nicolao* fortuna indulſerit, novos timendos eſſe hoſtes, qui ut plurimum in rebus dubiis, & ad levem fortunæ auram exſurgant: orientia quæque mala facilius contundi ſolere, quam cum majoribus viribus nituntur. Non enim de aliquo oppido, aut caſtello, ſed de patria, de urbe, de Republica certamen eſſe. Ideo videri tutius imminens diſcrimen vitare, quam in eum deduci locum, ex quo haud facile emergi queat. Alii majoris animi, nec conſilii minoris ab ea ſententia diſſidebant, arbitrantes nullo pacto *Franciſcum* eſſe revocandum; utebanturque rationibus, quæ plurimum veriſimiles videbantur: nihil eſſe, quod magis optet *Nicolaus*, & id ſemper eum ſperaſſe, quam ut per *Franciſci* diſceſſum *Brixia* ejus nudata præſidio *Philippo* ſubjiciatur, quod procul dubio ſi ille abeat ſit futurum. Eam profecto ſi *Philippus* ceperit, & reliquas vicinas urbes capturum: *Franciſci* enim conſiliis, viribuſque & retentam ad eam diem *Brixiam*, & *Veronam* ſua virtute de manibus hoſtium ereptam: cupere *Philippum* ejus ducis auxilio privari *Venetos*, cujus opera ad eam horam ipſorum ſervatæ opes eſſent: non ſuis, ſed alienorum fiſum viribus ſuperaſſe *Apennini* juga *Nicolaum* propter Patriarchæ fœdus. Nunc ea deſtitutum ſpe remiſſurum animos, neque fortunæ, quæ plurimum in bello poteſt, & in qua verſaretur *Philippi* ſalus, periculum facturum. 1432 Solere in ejuſmodi tumultu majorem motum, quam pro re excitari: diem mitigare timorem, & graves res uſu leviores videri: præſto futuras Pontificis [1] copias, quæ ferme ſint hoſtibus pares: adequitaſſe quondam ad urbis *Romæ* mœnia cum exercitu *Hannibalem*, ut ab oppugnanda *Capua* ad defendendam patriam exercitum revocarent, quam tanti ducis adventu nequaquam Conſules omiſiſſent. Nullo igitur modo *Franciſcum* accerſendum eſſe, ſed præſentibus copiis Rempublicam tutandam, urbeſque, & oppida præſidio firmanda: neque enim ſiqua caſtella ab hoſte quocunque modo capiantur, libertatis minimum imminere periculum: reditura omnia in fidem, cum deferbuerit *Nicolai* impetus, quem neceſſe ſit in hoſtili terra fieri in dies remiſſiorem, præſertim tam [2] procul a domo militantis. Diverſis dictis ſententiis, decretum eſt, eo qui ad urbem eſſet exercitu defendendam patriam eſſe. Penes *Politianum* caſtra habenti *Nicolao* mors [3] Patriarchæ nunciata dolorem ſimul, & pavorem incuſſit. Nam & conſilia ſecum inita in irritum ceſſerant, & ſuis tantum copiis diffidebat debellari *Florentinos* poſſe: retrocedere turpiſſimum ducebat, & ſua laude indignum. Ulterius igitur progredi ſtatuit, & aliquod memorandum audere facinus, anteaquam vires hoſtium augerentur: quæ opinio *Franciſci Puppii* Comitis rebellione eſt confirmata. Qui cum eo erant *Florentini* exules, promiſſa totius *Caſentinatis* oræ (cujus majorem tenebat partem) ditione, ut a *Florentinis* deficeret pellexerunt [4]. Ille immemor ſe ab eo populo, quem ſibi pater tutorem moriens reliquerat, ad eam diem opibus auctum, & dignitate, ſeque eo ipſo tempore, quo *Nicolaus* in *Mugellum* deſcendit, præſidem, cuſtodemque ejus regionis adverſus hoſtes deſignatum, miſſis ad eum variis tormentis, machiniſque, quibus ab impetu hoſtili tutus eſſet, ex amico hoſtis factus ad adverſarios deſcivit. Motis [5] igitur caſtris *Nicolaus Caſentinum* ingreditur. *Bibiena* oppidum, caſtellaque omnia *Florentinæ* ditionis parvo capta labore Comiti traduntur. Inde *Sancti Nicolai* caſtello, ſexto ſupra trigeſimum oppugnationis diem recepto, cum reliquis Comiti concedit. Plures *Piccinini* prudentiam requirunt, qui in ignobili oppidulo tantum temporis terens rei bene geren-

1. *Pontificis copias.* Earum duce Ludovico Mediarota, Archiepiſcopo Florentino.
2. *Tam procul a domo.* Non a Peruſio ejus patria, ſed Mediolano.
3. *Mors Patriarchæ.* Vitelleſchi.
4. *Pellexerunt.* Non his promiſſis eum deſciviſſe inquit Machiavellus, ſed ſuaſione Raynaldi Albitii exulis ſibi amiciſſimi. *Ammiratus* vero *lib. XXI.* a Florentinis deſciviſſe ait ira in Coſmum Mediceum, qui ejus filiam ſibi nurum fieri reſpuiſſet.
5. *Motis igitur caſtris* Politiano, duodetrigeſimo, ex quo conſederat, die potitus eſt, ut Blond. Flav. *Dec.* 4. *lib. XI.* licet *Ammirat. ibid.* nullatenus potitum aſſerat.

rendæ occasionem amisit. Nam interim animis hominum ab hostili terrore confirmatis, & spatium *Florentinis* concessum est novos milites conscribendi, & Legato Pontificis *Ludovico*, qui *Florentinis* favebat, ad copias per varia dispersas loca contrahendas, ac præparandas facultas concessa. His accessere equitum præfecti [6] duo a *Francisco* via *Mutinensi* in *Etruriam* missi, quæ res civium erexit animos, & spem attulit posse præsentibus copiis Rempublicam defendi. *Ludovicus* equitatu, ac peditatu Pontificis, quem quatuor millium electorum hominum dicebant, magno in unum coactis studio, majori diligentia magnis itineribus in *Aretinorum* finis pervenit, ubi & suæ, & reliquæ copiæ coierunt. *Nicolaus* cum ad *Burgi Sepulchrum* venisset, recepto oppido *Tifernum* profectus est, ac civibus nequicquam ad deditionem tentatis in agrum *Perusinum* transiit: ibi aliquandiu veluti in pacato commoratus, pecuniaque, & commeatu sublevatus in otio quievit. *Franciscus* interim certior factus *Nicolai* vires *Florentinis* haud terrori esse (equitum quippe, ac peditum numero superiores erant) ponte supra *Mincium* juncto, traductoque exercitu, oppida, & castella singula (ea ad triginta ferebantur) quæ aut sponte defecerant ad *Nicolaum*, aut vi capta erant, ea æstate expugnavit: illa insuper, quæ olim *Mantuanus* de *Veronensibus* occuparat, in potestatem redegit. Sæpius etiam [7] secunda cum hostibus prælia commisit, in quibus ad mille & quingentos equites captivos abduxit. *Brixiæ* quoque annonam tum comportatum frumentum, tum nova messis, quam liberi ab hoste in urbem convexerant, reddidit leviorem. Ad hæc juxta lacum classe expugnata, nonnulla oppida in *Venetorum* ditionem redegit. Qua fortuna usus, ponte juncto, transmissa *Abdua*, cuncta ferro, ignique, præda ingenti abacta, populatur. Dum hæc in *Gallia* geruntur, Pontificis, *Ludovico* duce, *Florentinæ* que copiæ, ut *Nicolao* opponerentur, cum apud *Aretium* in unum convenissent, *Anglarium* profectæ juxta oppidum in colle castrametati sunt, prohibituri *Nicolai* ex ea ora populationes. Ille cum *Perusium* volentibus civibus paucisque comitantibus ingressus [8] esset, paucos post dies accepta [9] pecunia ad obsidendum *Tifernum* redit, urbem commeatus inopia laborantem, quam procul dubio dedentibus se civibus recepisset, nisi equitum præfecti [10] duo a *Ludovico* missi de improviso per medias hostium stationes in urbem penetrassent. Venerat major quam pro re sparsus rumor in *Gallia* commutatam esse fortunam, equites *Philippi* captos, oppida amissa, prostratas acies, liberatam obsidione *Brixiam*, quæ amissa erant loca *Francisci* virtute recuperata, & ipsi jam *Philippo* discrimen imminere [11]: revocatum quoque per literas crebris nuntiis a *Philippo Piccininum*, mandatumque, ne acie confligeret. Quare permoti *Nicolai* equites, *Galli* præcipue totius exercitus robur, cum quæ afferrentur, ac vulgo jactarentur, vero simillima viderentur, salutem patriæ aliorum calamitati præferentes, sparsim fremere, rerum suarum curam non esse negligendam: aut sibi commeatum det *Nicolaus*, aut ipse in *Galliam* redeat: satius videri sua tueri, quam aliena appetere: consectari eos castella quædam rustica, ac montana, ut opulentissimam regionem, fertiles agros, villas frequentes, opimam prædam, domos, uxores, liberos nulla vincendi spe proposita hostium libidini exponant. Hujusmodi vocibus *Nicolaus* permotus, cum propediem aut omnium rerum copia beatos se eos facturum respondisset, aut subituros quem casum prælii fortuna dedisset, motis a *Tiferno* castris ad *Burgum* pervenit, ea mente, ut insidiis, & calliditate hostes superaret. Consueverant initio *Florentinorum* præfecti diligentius pabulatores structis, paratisque equitibus mittere, ne quid a propinquo hoste de improviso detrimenti caperetur, servare vigilias, insidiasque præcavere. Sed parum in ea diligentia est perseveratum. Ad tertium kalendas Julias, qua die *Petri*, & *Pauli* Apostolorum dies festus agitur, cum equites permulti pabulatum negligenter, & absque ullo issent præsidio, omnes autem in castris (& æstus erat fervens) stratis corporibus quieti indulgerent, licentiamque ferret disciplina militaris, *Nicolaus*, cui hæc erant nota, relictis impedimentis, expedito milite duplici instructus acie, una qua pabulatores, altera qua ipse castra peteret, citato gradu, velut ad exploratam victoriam, in hostem ferebatur. Norant Decemviri *Nicolaum* & nuntiis, & literis a *Philippo* revocatum, ideoque mandarant exercitus duci, ne quo pacto manus cum illo consererent: satis videri si nullo Reipublicæ detrimento salvis rebus omnibus necessario relicta *Etruria* in *Galliam* revertatur. Quod cum *Piccinino* haud ignotum esset, adversarios ad pugnam allicere studebat; sperabat enim cum a diversis [12] ducibus, ac præfectis hostium exercitus regeretur, vitium in militari disciplina pernitiosissimum, fore, ut nequaquam in capescendo certamine in unam sententiam convenirent, sed quemlibet pro arbitrio proprio consilio staturum. Eoque illos absque ordine in prælium euntes sperabat facile superari posse, prætertim insperata acie, nullis id suspicantibus circumventos. Diem præterea sibi elegit festum, quo sciebat solere observari omnia incuriosius; & fortasse successisset consilium magna *Florentinorum* clade, nisi *Michelettus* dux veteranus, ac prudens armatus equo ascenso lustrans castra, omniaque circumspectans, adventum hostis ex colle ubi oppidum est ex moto pulvere perspexisset. Est planities, quæ ad *Burgum* pertinet subjecta colli quatuor millium passuum: ad hanc respiciens ex sublata nube pulveris, atque adesse *Nicolaum* cum suis copiis clamitans, arma omnes capere jussit, accersitisque suis in primis ad pontem quendam in via extructum descendit, quo videbatur hosti transitum dari. Eo & reliqui præfecti confestim accurrunt de genere pugnæ consultantes. Tribus aciebus [13] rem geri placuit, & quis cuique præesset decretum. Subsidiariæ cohortes cum signis apud Legatum relictæ, qui si opus foret laborantibus subsidio esset: pedites, ac sagittarii juxta ripam *Tiberis* latera hostium ferire jussi. Inito prælio, varie, diuque æquis viribus pugnatur, tum hoste ob præteritas victorias elato, ac turpissimum vinci ducente, tum nostris pro ulciscendis injuriis, consequendaque ejus belli gloria nihil laboris periculique recusantibus. Aderant hortatores, tum Legatus, tum seniores [14] præfecti, quorum diligentia, & virtus eo maxime die laudata est. Cum omnia consilia, cum vires, cum ad suos cohortandos, laudandosque singula expertus esset *Nicolaus*, summi ducis munia obeundo, tandem equites ejus cum longo itinere, tum pugnando fessi vertunt terga. Victus, fugatusque cum paucis *Burgum* petiit, reliquis aut captis, aut per varia loca dispersis: numerus utrinque pugnantium octo millium equitum fuisse traditur, ad mille, & octingenti capti, & in his præfecti [15] haud vulgari fama plures: qui omnes postridie armis, atque e-

6. *Præfecti duo.* Bosius, & Troilus.

7. *Secunda prælia.* Apud Urceos, Suncinum, & Jenepaltam vicum.

8. *Ingressus esset.* Non alia de caussa ingressum in urbem petiisse, quam ut matrem & senem, & ægrotantem videret, ait Pellin. *Hist. Per. p. II. lib. XII.*

9. *Accepta pecunia.* Et decem aureorum millia ei persoluta, & Perusii Dominus factus est. *Pellin. ibid.*

10. *Præfecti duo.* Troilus, & Paulus Molarianus Patritius Romanus cum 300. equitibus. Blond. Flav. *Dec. 3. lib. XI.*

11. *Jam discrimen imminere.* Cum Mediolanensem ditionem Sfortia jam ingressus fuisset.

12. *A diversis ducibus, & præfectis.* Nempe a Ludovico Pontificis Legato, a Micheletto Sfortiæ præfecto, & ab Joanne Paulo Ursino Florentinorum duce.

13. *Tribus aciebus rem geri placuit.* Ad æmulationem invicem excitandam.

14. *Seniores præfecti.* Et cum his Florentini Commissarii Bernardus Medices, & Ginus Capponus.

15. *Præfecti &c. plures.* Præter quosdam ultro dimissos capti sunt Astor Manfredus, Ludovicus Parmensis, Romanus Cremonensis, Sacramorus Vicecomes, Antonellus, & Danus a Turre.

16. *Per-*

1440 equis amissis ad suos rediere: ad quadraginta intercempti ex militibus *Nicolai*: permulti [16] vulneribus confecti sunt: plura hostium signa militaria *Florentiam* in speciem victoriæ delata. Oppidanorum *Burgi* magnus numerus, ut qui velut ad certam prædam *Nicolaum* secuti erant, capti, ac pretio redempti. Visus est non ea qua solitus erat prudentia *Nicolaus* uti, qui suos duodecim [17] millium itinere confecto, nullo quieti dato spatio, in discrimen certaminis adduxisset: sed victoriæ spe id ab eo actum esse dicunt, quo imparatiores hostes aggrederetur. Ipse [18] ea nocte, cum parum somno tribuisset, postridie relicto [19] oppido per *Flaminiam Mediolanum* concessit, crebro dictitans actum fuisse de *Philippi* imperio, si præfecti veteranique milites, in quibus exercitus robur erat (ii quadringenti numerabantur) aliquandiu detenti in captivitate forent. At ipsi [20] liberaliter accepti, dimissique eorum ducem consecuti sunt. Hac victoria perculsi *Burgi* accolæ, veritique, ne in eos asperius animadverteretur, quoniam a Pontifice descivissent, missis oratoribus veniam precantibus se se Legato dedidere. Gratissima ea victoria tum *Eugenio*, tum *Florentinis* fuit, quamobrem & Deo supplicationes solemni pompa pluribus diebus festis actis *Florentiæ* decretæ, & a Pontifice ob liberatam bello *Etruriam*, ac de inimicissimo hoste partam victoriam Legatus [21] Cardinalis designatus est. Post hæc exercitus in *Casentinum* ductus, ut *Francisci* [22] injurias ulciscerentur, qui parvo tempore omnibus spoliatus castellis, obsessus *Puppii*, urgente fame ea conditione, ut incolumi cum liberis, rebusque suis abire liceret, deditionem fecit. Periit ea familia e statu rerum dejecta, quæ Comites *Guidi* appellatur, post quadringentesimum, quam in *Italiam* cum primo *Othone* (ut ferunt) venerat annum. In ea multi præclari fuerunt viri, & plurimis oppidis, castellisque tum in *Casentino*, tum *Valle Arni* superiore longo tempore imperitarunt. *Montem Varchium* nobile oppidum tenuerunt, quod *Guidoguerra* moriens liberum reliquit. Plura insuper castella, quibus demolitis, *Terranova* [23] oppidum splendidum facta est, alter possedit *Guido*, & *Marcoaldus* Comites, ob sævam tyrannidem imperio pulsi, annis amplius centum viginti. Culpatur merito ultimi Principis *Francisci* temeritas, qui nullam ob justam causam ad *Philippum* transitionem fecerit, ignarus Respublicas, optimis præsertim fundatas legibus, diuturniores unius hominis vita esse solere. Genus illi perantiquum erat, ac nobile, dignitas, atque opes non contemnendæ, hæreditas majorum ampla; sed virum nimis fortunæ blanditiis fretum majorum cupiditas præcipitem egit: qui dum aliena appetit, suis amissis, patria extorris inopia consenuit, posteris futurus documento, fidem servandam esse, & in rectis consiliis constantiam habendam. 1440 Expugnata insuper, & recepta sunt, *Montechium* oppidum, & arx *Valialtæ*, qua per lacunas ponte transitur, per *Anfrosinam* mulierem, & familiam *Petramalæ* semper *Florentinis* inimicam antea longo tempore possessa. Hæc in *Etruria* ea æstate gesta. *Franciscus* vero secunda fortuna usus plura [24] oppida de *Mantuano*, & *Cremonensibus* expugnavit. Nam præter arces [25] tres pone *Olium* vi captas, *Piscariam* [26] insigne oppidum, situ amœnum, atque arce munitissimum, vi tormentorum quassatum diutius, ad deditionem coegit. Pluribus deinde castellis *Mincio* trajecto potitus est. Reversus *Mediolanum Nicolaus* reparandis militibus intentus, data a *Philippo* potestate magnam pecuniarum vim hortando, cogendo, auferendo, nullo rerum, aut hominum habito discrimine, brevi tempore coegit. Multis quibus nummi deerant, arma, equos, vestes imperavit. Instauratum brevi equitatum per hiberna [27] divisit. Copiis itidem *Franciscus* per loca de hoste capta hyemandi causa distributis, frumentaria re comparata, & exercitus commeatui, & oppidorum saluti prospexit. Excitatis utrinque ad bellum animis, *Nicolaus Estensis Ferrariæ* Princeps nullarum eo bello partium illata pacis mentione, ac oratoribus [28] ad Ducem, & fœderatos missis, cum nulli eam aspernari viderentur, tandem variis utrinque postulatis nulla certa sententia res est protracta. *Philippi* filia *Blanca* ante *Francisco* desponsata [29], *Nicolai* adhortationibus *Ferrariam* summa cum pompa, atque honore mittitur, ut ea tamquam pacis sequestra summoto bello concordia firmaretur. Sperabatur enim *Franciscum*, reliquosque ad pacem procliviores fore, cum viderent *Philippum* paratum stare promissis, & antea *Francisco* matrimonio junctam uxorem cum dote [30] tradi. At cum is novisset ad instaurandum bellum *Nicolai* apparatum, alieni consilii ignarus, ut ad omnes conatus, insidiasque paratior esset, neve quid incommodi per socordiam a *Piccinino* acciperetur, *Johannem* fratrem cum quatuor equitum millibus *Suncinum* (id oppidum præcipue hosti oppositum est) proficisci jussit. *Nicolaus* idibus Februariis cum equites peditesque in agro *Placentino Cremnonensique* ad decem millia comparasset, transmisso *Pado* reliquas, quæ in *Cremonensi* 1441
erant, copias sibi jungit. Simulans vero se oppidum *Urceos* petiturum, ad sinistram flexit. Noctu postmodum longo itinere confecto rediens, flumen [31] ad *Rodianum* omni nudatum præsidio trajecit. *Venetorum* exercitus cum *Nicolai* copiis impar esset, ad oppidorum custodiam conversus, quatuor in locis *Urceis*, *Suncino*, *Clario*, *Palatiolo*, ut ab ho-

16. *Permulti vulneribus confecti sunt.* Unum tantum hominem interemptum asserit *Macchiavellus*; quod falsum omnes auctores, & præcipue *Blondus* coævus testis ostendit. *Dec.* 3. *lib. XI.*

17. *Duodecim millium.* Passuum.

18. *Ipse ea nocte, &c.* Adeo acceptæ cladis dolore perculsus fuit Nicolaus, ut referente *Lagisiano* bis gladium in se converterit, nisi ut hoc averteret, Jacobus ejus filius paterno lateri semper adhæsisset. Justin. *Hist. Ven. lib. VIII.*

19. *Relicto oppido* Burgi, quo confugerat.

20. *At ipsi, &c.* Eodem modo Carminiola captivos dimittendo, Venetis totius Lombardiæ imperium ademit.

21. *Legatus.* Ludovicus Mediarota Cardinalis factus, & Presbyterali titulo S. Laurentii in Damaso insignitus. Ciaccon. *in Eugen. IV.*

22. *Francisci.* Puppii Comitis, qui, ut supra dictum est, a Florentinis defecerat.

23. *Terranova.* Natale Poggii solum.

24. *Plura oppida.* Ita ut in ea agri parte, quæ Mantuam Brixiamque respicit, solum Casale Majus in Padi ripa Philippo relictum fuerit. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. XI.*

25. *Arces tres.* Asulam, Canetum, & Marcariam.

26. *Piscariam insigne oppidum.* De qua Dantes *Infern. lib. XX.*

Siede Peschiera bello, e forte arnese.
Da fronteggiar Bresciani, e Bergamaschi,
Onde la riva intorno poi discese.

27. *Per hiberna divisit.* In Picenum Guidantonio Manfredo, & Francisco ejus filio ducibus. Blond. Flav. *Dec.* 3. *lib. XI.*

28. *Ac oratoribus ad Ducem, &c.* Ipse Nicolaus Atestinus Mediolanum se contulit. Pigna *lib. VII.*

29. *Ante desponsata* Sed quæ, ut diximus, viro immaturo apud patrem remanserat.

30. *Cum dote.* Cremona, & Pontremulo dotis titulo assignatis.

31. *Flumen.* Olium.

1441 hoste tuta essent, consedit. At *Nicolaus* exercitu ad oppugnandum *Clarium* ducto, oppidanisque obsidionem nequaquam ferentibus, prodito octingentorum equitum præsidio, ad deditionem compulsis (maxima omnium rerum jactura, quæ ad id temporis *Francisco* obtigisset) *Palatiolum* venit; quod perfugiente in arcem præsidio, primo adventu cum cepisset, ejus oppugnatione cæteris permissa, ipse ad alia oppida [32] recipienda pergit, quæ plurima ejus regionis non expectato *Nicolao* se se illius arbitrio permisere. Septimo obsidionis die arce *Palatioli* capta, præsidium incolume cum impedimentis abire permissum est: quæ singula tanta celeritate facta sunt, ut *Franciscus*, qui spe pacis de qua agitabatur, *Piscariæ* [33] ferme otiosus residebat, uno tempore & *Piccininum* in armis esse, & ea omnia amissa cognosceret. Quare auditis quæ ab hoste gerebantur, ad se equitatum, peditatumque omnem diversis in regionibus hyemandi causa dispersum, convenire jussit. Vulgaverant hostes, ad debilitandos, alienandosque populorum animos *Franciscum* a *Venetis* interfectum, ideoque illius oræ transitionem ad *Philippum* esse factam: quæ fama cives *Brixienses* paulum titubare coegit: non enim fieri posse credebant, ut vivo illo tanta calamitas apud *Clarium* aut accepta, aut inulta esset; neque passurum solertissimum, ac victoriis florentissimum ducem fuisse tam libere, tam licenter, tam impune hostem, qua velit, vagari: siquæ vero afferrentur literæ hominem vivere incolumemque esse, pro confictis, simulatisque habebantur. Hac *Franciscus* fama motus, nondum coactis copiis falso rumori occurrendum ratus, cum trecentis tantum equitibus *Brixiam* petiit, cujus adventu confirmati civium animi summa alacritate eum suscepere. Ibi paucos dies commoratus, *Veronam* ad milites ex hibernis educendos rediit. *Nicolaus* pluribus oppidis, variis in regionibus, quæ tum defecerant, tum oppugnata se illis permiserant, receptis equites hyemis asperitate, pabulique inopia confectos per loca a se capta distribuit. Ipse *Mediolanum* ad augendum exercitum, ut par numero, ac viribus *Venetis* esset, proficiscitur. *Philippus* interim arbitratus *Franciscum* proprio perculsum periculo necessario impelli, ut si sua salva esse vellet, copias distraheret, cum *Alphonso* [34] Rege egit, ut loca [35], quæ olim a patre in regno possessa teneret, bello repeteret: facile expugnari posse omnia, si exercitus tantummodo admoveatur. Qua [36] occasione cupidissime arrepta Rex, motis armis, extemplo quæ illius ditionis erant, cuncta haud magno negotio nudata defensoribus cepit. Sed nil profuit ea res *Philippo*, nisi quatenus illa *Francisco* auferrentur. Nam ipse nunquam copias aliqua ex parte minuit, ac tantam paterni imperii jacturam, ut fidem servaret, æquo animo tulit: neque eo damno motus, bellum quod suis auspiciis gerebatur sui commodi gratia deseruit. Verum equitum sexdecim, peditum septem millium contracto exercitu, cui *Michelettus* [37] patruus, *Venetorum* dux designatus, præerat, *Brixiam* petens, transmisso *Mella* flumine, *Cignanum* [38] adiit, quo in vico *Nicolaum* cum decem millibus equitum, tribus peditum consedisse noverat, ut ei pugnandi copiam faceret: at ille detractans certamen locum munierat fossa, quam aqua decurrente impleverat. In via vero ad vicum ferente currus, crassioraque ligna iter impeditura disposuerat, ne invitus pugnare cogeretur. Hujus munitionis ignarus *Franciscus* cum exercitu progressus, præclusa cum hoste decernendi facultate, asperum [39] certamen commisit: sed multis ex suis, qui in locum iniquum subierant, amissis, signo receptui dato, satis sibi factum ob belli famam, opinionemque existimavit, palam fieri ultro ab se hostem ad pugnandum provocatum, non armis, sed loci fiducia fretum congressum refugisse. Ea fama id est assecutus *Franciscus*, ut multorum animi populorum excitati ad *Venetos* desciscerent. Nam e vestigio *Minervium*, pluraque castella ultro se dedentia recepta sunt. Pons quoque *Olii* deditionem fecit, quorum exemplum imitati complures se sponte dedidere. *Franciscus* cum in agrum *Bergomensem* exercitum duxisset, expectans quo tenderent *Nicolai* consilia, *Jacobum Vicensem* illius oræ præfectum cum mille equitibus, peditibus sexcentis cognovit *Martinengum* amplissimum oppidum missum; quos ut una cum oppido caperet, alio se iturum fingens, quo destinaverat, flexit iter, oppidumque confestim corona cingens, latam fossam insuper in planitiem, quo tutior ab hostili incursu esset, induxit. Omnis quoque generis machinas, tormentaque comportari jussit, quibus muri solo æquari solent. *Nicolaus*, ut obsessis ferret opem, contractis [40] undecumque militibus, mille passus prope hostem castris positis, ea & fossa, & aqua communivit: sæpiusque propter hostilia castra instructa acie obequitans pugnandi facultatem præ se ferebat. At *Franciscus* remisso priori ardore manum cum hoste conserendi, urgebat oppidi expugnationem. Norat enim *Nicolaum* non dimicandi voluntate, sed solvendæ obsidionis causa ostentare decertandi potestatem. Utriusque erat opinio in ejus solius oppidi, aut expugnatione, aut defensione totius belli fortunam consistere: ideoque castra utraque novis in diem subsidiis augeri, ut non de unico agi oppido, sed de summa rerum periculum verti videretur. In vigesimum diem obsidione protracta præter spem omnium pax [41] subito secuta est. Agitata antea erat occulte & ad eam proniorem *Philippum* reddebat nulla victoriæ spes, & imminens status sui discrimen. Ferebatur [42] enim meliori vincendi spe oppidi *Franciscum* niti, quam *Nicolaum* defendendi. Itaque in varia tractus [43] consilia *Philippus*, nulla superandi hostes spe oblata, tutiorem tandem partem secutus est. Ex insperato cum maxime vigeret bellum, *Franciscus* soluta obsidione, exercitum pacato similis in castra reduxit, illis, qui in 1441

32. *Ad alia oppida.* Minerbii, & Pontis Olii.

33. *Piscariæ ferme otiosus residebat.* Venetias profectus fuerat Sfortia, ut res gestas Senatui exponeret, pacemque suaderet. Petrus Justin. *lib. VIII.* & *Corius p. V.*

34. *Alphonso Rege.* Neapolis.

35. *Loca, &c.* Trojam, aliasque civitates in Apulia. *Comment. Pii II. lib. II.*

36. *Qua occasione, &c.* Multum enim Philippo Alphonsus debebat, quod bello navali a Genuensibus captus, Mediolanumque perductus, non solum vita, ac libertate donatus, sed regiis muneribus a Philippo cumulatus fuerat.

37. *Michelettus.* Attendulus in Mellitæ locum (qui Patavium desperata salute accesserat) Sfortia petente, a Venetis suffectus. *Corius p. V.*

38. *Cignanum.* Duodecim pass. mill. Brixia dissitum.

39. *Asperum certamen.* Quo Cavalcabos vir fortissimus occubuit, Troilusque vulneratus est. Major cædes utrinque edita fuisset, ni nox adveniens eos diremisset. Justin. *Hist. Ven. lib. VIII.*

40. *Contractis undecumque militibus.* Ad viginti millia. *Justin. ibid.*

41. *Pax sequuta est.* Urbano Rosano, & Guidobono Dertonense eam cum Sfortia Philippi jussu conciliantibus.

42. *Ferebatur, &c.* Nihil minus. Nam Piccininus Philippo scribens, se Sfortiam cum toto exercitu capturum promiserat; clausus enim undique fame urgebatur. Ammiratus. *lib. XXI* & Corius *p. V.*

43. *In varia tractus consilia.* Piccinino iratus, qui Placentiam donari sibi cupiebat, & postulabat, timensque ne devicto Sfortia imperiosior evaderet. *Corius ibid.*

1441 in oppido inclusi erant, libera quo vellent & abire, & morari permissa facultate. Postridie decem dierum datis induciis duces ambo inermes cum inermi comitatu in pratis proximis amice, humaniterque, data invicem, ac reddita salute, collocuti in mutuum amplexum occurrunt, multaque benevolentiæ signa verbis ostendentes, ac gestu, præsentes omnes in admirationem traxere. Mirum erat eos cernere, quos inter multa invidiæ, ac æmulationis, odiique expressa vestigia longo tempore apparuerant, adeo concordi esse animo, & ad mutuum amorem prompto. Prior Nicolaus, *Non suo, aut parentum odio*, inquit, *neque vindictæ, aut ulciscendæ injuriæ causa, quam nullam ab eo acceperit, sed honoris, ac gloriæ inter eos certamen fuisse. Utrunque boni ducis officio functum, qui pro eorum, quibus militabant salute bellum ex fide administrarint. Ex summa contentione summam pacem secutam, quam optabat utrisque commodo, & saluti fore.* In eandem ferme sententiam Franciscus ait: *Laudis, & famæ quærendæ gratia, arma a se contra Philippum pro Venetis, ac Florentinis sumpta, seque ea fide suscepisse, ac gessisse belli curam, quæ in optimo duce requiratur: pacem salutarem videri, quæ mentes omnium ad concordiam traduxisset. Præteritas utrinque injurias perpetua oblivione esse abolendas. Se quidem quoad honos, & fides pateretur, semper in Philippi, suique potestate fore.* Ab hoc digressi sermone, ambo ad suos rediere, e vestigioque *Venetos*, ac *Florentinos Franciscus* per literas [44] certiores facit, quæ illum causa primum ad inducias, deinde ad certam spem pacis, ad quam eos pro communi quiete, quoad posset, hortaretur, impulisset: finem bellorum, aut pacem, aut victoriam esse. Interea haud desperata victoria ad pacem videri confugiendum Suscipi enim bella, ut concordiam pariant; quæ si afferatur honesta, minime videri repudiandam: multa bellis imminere pericula: vincere homines, & vinci pro fortunæ arbitrio solitos: plurima discrimina, insperataque in acie versari: in pace omnia tuta esse, quæ incertæ victoriæ cupiditate non esset a sapientibus viris aspernanda. Se a *Philippo* constituendæ pacis arbitrum quibus velit conditionibus factum: cui rei ita *Philippus* fide publica, jurequejurando astrictus esset, ut nulla componendæ concordiæ fraus, aut dolus subesse queat. Sibi quidem persuasum esse, *Philippum* ab his quæ a se decernerentur, minime recessurum: afferrent ipsi quæ viderentur jure postulanda, quæve rejici haud honeste possent: omnia illum, quæ de *Brixiensibus*, aut *Bergomensibus* post priorem pacem cepisset, redditurum. Filiam quoque *Blancam*, ut antea despondisset, uxorem, *Cremonam* insuper atque omnia ejus agri oppida, *Pontremolum* quoque dotis nomine sibi traditurum. Cum multa in utraque Republica variis sententiis agitata essent, visum est tandem obla-
A tam pacem, veluti rem tutiorem, accipiendam 1441
esse, quæ anno primo & quadragesimo post mille quadringentos per *Francisci* his legibus firmata [45] est: Ut capta post pacem proximam utrinque restituerentur: *Genuenses* pro sociis haberentur: *Mantuano* nonnulla ex suis belli tempore capta redderentur [46]: quæ *Venetorum* ditionis ante bellum fuerant, ad illos redirent: multa præterea, quæ ad socios, fœderatosque pertinerent, adjecta.
Uxor [47] *Francisco*, & promissa dos tradita. Tu- 1442
lit ægre admodum *Eugenius* Pontifex *Bononiam*, cæteraque *Flaminiæ* loca, cum ex fœdere belli socius esset, non fuisse sibi restituta; idque *Fran-*
B *cisci* culpa factum accusabat, qui cæteris sociis, se posthabito, de amissis restituendis cavisset; in eoque suam auctoritatem neglectam, ac spretam quærebatur, *Francisco* tantum, penes quem liberum ejus pacis arbitrium fuisset, infensus, ac magno adversus eum odio incitatus. Tradunt quidam *Franciscum* de *Bononia* [48] reddenda Pontifici tractasse; sed *Philippum* alienum ab ea sententia fuisse, idque ab eo negatum, ne animo inquieto, & parvo tempore uno in consilio perstanti, semina dissensionum deessent, utque aliqua nova rerum perturbandarum occasio relin-
queretur. His conditionibus habita pace, *Itali* 1443
C ferme omnes admodum lætati sunt, cum existimaretur a singulis, inter tales duces populosque firmata concordia, omnem ferme *Italiam* ab armis quieturam. *Franciscus Cremonæ* [49] celebratis de more nuptiis cum Uxore in *Picenum* revertitur. Nulla res videbatur fore tanta, qua tam solemni fœdere pax facta violaretur. At *Philippi* pacem quietemque exosi, semper novis studentis rebus calliditas modum excogitavit belli de integro excitandi. Nam posteaquam *Franciscus* in
Picenum venit, vir otii impatientissimus, *Eugenio* 1444
per internuntios persuasit, ut illum [50] ea provincia, quam contra suam voluntatem teneret, ex-
D pelleret. Ad id tum copias [51] suas, tum pecunias pollicitus, *Eugenii* animum ad bella proclivem, & *Francisco* ob non restitutam *Bononiam* 1446
maxime infensum, promptumque ad injurias ulciscendas perpulit, ut ei bellum moveret: quod ut facilius ex desiderio succederet, fœdere secum, & cum Rege [52] *Aragonum Alphonso* inito, eorum præsidiis, Regis præsertim, qui in *Picenum* venit, eam provinciam pulso *Francisco* recuperavit. Ipse [53] deinceps a *Philippo* mobilis animi in *Galliam* evocatus, cum omnibus copiis ad eum [54] proficiscitur. Ante receptum *Picenum* *Eugenius* contra *Florentinos* quoque, quoniam ho-
E sti suo [55] auxilia subministrasse dicebantur, majora versans animo, occulte conspiravit, ob eamque causam *Alphonsum* a regno adversus *Florentinos* excivit, existimans, si suis, si Regis, si *Philippi* tribus exercitibus illos adoriretur, facile eam urbem in quas vellet conditiones adductum iri. Rex

44. *Per litteras.* Ipse Sfortia una cum Florentinis legatis Venetias se contulit, cum penes Venetos arbitrium pacis & belli foret. Justin. *lib. VIII.*

45. *Firmata est.* Caprianæ, quo Pontificis, Venetorum, ac Florentinorum legati convenerant. *Justin. ibid.*

46. *Redderentur.* Præter Asolam, Lonatum, & Piscariam. Platin. *Hist. Mant. lib. VI.*

47. *Uxor, &c.* Longe a Cremona mille pass. in æde Divi Sigismundi desponsata est Blanca, & Sfortiæ dotis nomine Pontremolum, & Cremona tradita. Campi *Hist. Cremon. lib. III.*

48. *Bononia, &c.* A Piccinino jam occupata.

49. *Cremonæ celebratis.* Die XX. Octobris, de quibus pulcherrima Oratio a Lanfranchino Castilioneo habita est. *Campi ib.*

50. *Ut illum, &c.* Oderat Generum, ut Venetis nimis faventem.

51. *Copias suas.* Quibus Guillelmus Monferratus, & Carolus Gonzaga præerant. Plat. *de Vit. Pontif. in vita Eug. IV.*

52. *Cum Rege Aragonum Alphonso.* Qui libenti animo fœdus iniit; timebat enim ne pace facta Sfortia ad sua oppida recuperanda, quæ illi anno elapso occupaverat, in se arma converteret.

53. *Ipse* Nempe Alphonsus.

F 54. *Ad eum proficiscitur* Neque solus, neque cum copiis Mediolanum Alphonsus se contulit; nam Tibur profectus est, legatosque ad Philippum misit, qui excusationem afferrent; sed nihil apud Philippum iracundi animi virum profecerunt. *Corius par. V.*

55. *Hosti suo.* Sfortiæ quem Florentini juverant. Conquestus est Eugenius Ludovico Cardinali scribens, dum ait, *Cum jam pluribus annis iniquitatis filius Franciscus Sfortia, communitatis Florentiæ favoribus, ope, & præsidiis suffultus, &c.* Rayn. *Ann. Eccl. sub. ann.* 1446. Ammirat. *lib* XXII.

 56. *Ti-*

1447 Rex *Tibur* [56], propinquam *Romæ* urbem, mense Februario accedens, tempus belli gerendi observabat. Interim *Eugenius* primo, eodem mense [57], anno sexto & quadragesimo post mille quadringentos, tum *Philippus* altero anno, Augusti mense moriuntur. Creato [58] *Nicolao Quinto* Pontifice maximo Regem suspensum, dubiumque animi, retrone cederet, an destinatum sequeretur bellum, *Senenses* [59] duo, quorum per civiles dissensiones opes alebantur, adeunt: ii novas res appetentes, Regi, ut mentem ad *Etruriæ* imperium adjiciat, suadent. Quod asserebant procul dubio fore, si *Senas* profectus, ea urbs (& id facile pollicebantur) in potestatem veniret. Haud magno labore quæ afferebantur credita, *Simonetti*que a *Florentinis* defectione, in quo eorum præsidium versari credebant, confirmata sunt, ac spes facta, cuncta prospere successura. Erat enim unicus quingentorum equitum, quibus *Florentini* stipendia darent, præfectus; ideoque cum ad Regem transisset, simile videbatur vero, milite externo destitutos, cum neque [60] præsens auxilium esset, neque cito accersiri daretur facultas, aliqua insigni calamitate affici. Verum utraque frustratus est spe; nam cum æstate transacta cum duodecim millibus hominum, magnoque belli apparatu *Senenses* pervasisset, ac per oratores postulasset, ut sibi tamquam amico urbem ingredi liceret: cives quod suum erat in alterius ponere arbitrio haud tutum censentes, neque dubium esse existimantes, quin si urbem ingrederetur, multorum animi, plebis præsertim ad levem auram mobilis, tum promissis tum pretio corrupti in Regis voluntatem inclinarent, tumultus populares veriti, contra spem oblatam ingressu prohibuere. Commeatum tamen exercitui se daturos polliciti sunt, suisque militibus, si cui quid usui esset, urbes, & oppida eorum ingrediendi facultas concessa est. *Florentini* cum nihil a Rege suspicarentur mali (neque enim ulla res intercesserat, quæ Regis animum juste ad bellum provocaret, neque illud more gentium indictum erat, nisi quo die primum populari agri eorum cœpti sunt) postquam illum agro *Senensi* propinquantem, præfectique [61] defectionem audiere Decemviros creant, qui provideant, ne quid a Rege detrimenti capiatur. Illi tumultuario milite, quem paucis diebus summo studio comparaverant, loca *Senensibus* finitima pro temporis angustia muniunt, *Federicum*que *Feretranum*, *Urbini* Comitem, virum bello, ac pace egregium, socium atque amicum in primis, conducunt; qui cum equitibus mille, peditibus optato tempore, summa celeritate subsidio *Florentinis* veniens, ad corroborandos civium animos, & cohibendas hostium incursiones maximo præsidio, ac saluti fuit. *Alphonsus* interea *Senensium* perturbatus responso, magnaque [62] spe dejectus, agros *Florentinorum Senensi* conterminos haud adversantibus illis late populatus, captisque duobus [63] castellis ignobilibus minimo cum præsidio relictis, alterum vi, deditione alterum, in *Volaterranos* flexit. Inde cum *Florentinorum* equites Duce *Federico* extremum agmen caperent, dispersique per oppida, ut ab hostili oppugnatione tutiora essent, instarent, nec vagari late finerent: urgente hyeme per *Senensium* fines maritimam oram petens, *Castilionem Piscariæ* mari, ac stagno propinquum paucos post obsidionis dies dedentibus se oppidanis recepit. Arx deinde cum plures menses (& hyems erat aspera) defendi potuisset, præfecti [64] ignavia est tradita. Post hæc in hiberna distributo per oppida exercitu, ipse in locis [65] maritimis consedit. Ea hyeme ab incursione hostium, nisi latronum more, quieta loca, 1448 præter pauca *Florentinorum* fuere. Æstate sequenti, ne tantis copiis nihil actum esse videretur, *Plumbini* oppidum mari proximum, ac opibus validum, non absque data spe brevi ejus potiundi, expugnare adoritur. Magno apparatu ad occidentem castris positis oppidum [66] circumsedit, utque commeatus exercitui suppeteret (neque enim omnia usui necessaria a *Senensibus* [67] poterant perferri) classem, qua *Neapoli* tum annona, tum instrumenta bellica ad prosternendos muros subveherentur, paravit: ita & res frumentaria abunde in castris erat, & bombardæ ingentes, aliaque tormenta delata sunt. Castra ab hostium incursu tum militibus, tum loci natura munita erant: nam mari propter paratam classem nil timeri poterat; a continenti tum stagna, tum montes difficiles aditu intercedebant; qua adiri ad castra poterat, fossa, & repagulis munierant. *Renaldus Ursinus*, magni vir animi oppido imperabat, qui Regis antea explorato animo, frumento, militibus, armis, diversisque ad resistendum machinis egregie oppidum firmaverat, fœdusque cum *Florentinis* inierat, a quibus nihil, quod ad defendendum oppidum pertineret, prætermissum est. Nam & commeatum [68] invehi, & peditibus oppidum tueri curabant, conducto insuper ad quatuor millium virorum equitatu, regiones castris propinquas tutas ab incursu hostium præstabant: & nisi inter quosdam equitum præfectos simultas, atque invidia, dum de dignitate contendunt, suborta foret, haud inultas *Alphonsus* injurias tulisset. Data est enim sæpius facultas nocendi castris, si communi consilio rem aggredi voluissent: sed dum quisque alterius spreto consilio suum rebus gerendis præfert, ostenderunt eam verissimam haberi sententiam, plurium [69] imperium in gerendo bello perniciosum, & in magnarum rerum administratione ad unum deferri imperium debere. Præter equites, peditesque Regi oppositos, a Decemviris insuper in *Pisano* portu trire-

56. *Tibur.* Urbem olim Latii, nunc agri Romani 16. mill a Roma in ortum distantem.

57 *Eodem mense.* Februario, VII. kal. Martias. Pontif. ann. XVI. ætatis LXVII. S. Antonin. *p. III. Tit.* 22. *c.* 11. § 17. *Platina* aliique, ætatis anno LXIV. occubuisse referunt.

58 *Creato, &c.* Pridie nonas Martias intra duodecim dies a defuncto Eugenio, novus Pontifex electus Thomas Sarzanus a Sarzana Lucensi agro, qui Nicolaus V. dictus est.

59. *Senenses duo.* Quorum princeps Antonius Petruccius. Malavolt. *lib. III. p. III.*

60 *Cum neque præsens auxilium esset.* Præsens auxilium adfuisse testatur Ammirat. *p. II. Hist. Flor lib. XXII.* deficiente enim Simonetto, Urbini Comes cum mille peditibus, & octingentis equitibus supervenit.

61. *Præfectique* Simonetti.

62. *Magnaque spe dejectus.* Urbis potiundi, quod facile sibi suaserat.

63. *Duobus castellis.* Ceninæ, & Ripomerantiæ. Ammirat. *p. II. lib. XXII. p.* 55.

64. *Præfecti ignavia.* Bernardi Aringherii, qui absens capite damnatus est. *Ammirat. ibid.*

65. *In locis maritimis.* In Aquærivæ oppido.

66. *Oppidum circumsedit.* kal. Juliis.

67. *A Senensibus poterant perferri.* Qui Plumbini Regulo auxiliari tentabant, quippe amico, suæque tutelæ commendato.

68. *Commeatum invehi.* Quatuor triremibus tercentos pedites una cum commeatu Plumbinum invexere, dum aberat Alphonsi classis. Ammirat. *lib. XXII.*

69. *Plurium imperium in gerendo bello perniciosum, &c.* Quod & *Torquatus Tassus in lib. I.* innuit.

Ove un sol non impera . . . .
. . . .
. . . .
Ivi errante il governo esser conviene.

1448 remes quinque, quibus & oppidi maritimam oppugnationem cohiberent, & classi regiæ ad subvehendos in castra commeatus impedimento forent, paratæ sunt. Eæ *Plumbinum* profectæ cum in conspectum hostium venissent, non exploratis eorum [70] viribus, non cognito navium numero, nulla rei bene gerendæ expectata facultate, pugnandi copiam e vestigio fecere. Ingens certamen, & anceps diutius pugna fuit: primo impetu naves quædam regiæ captæ in quas dum milites ex suis triremibus insilirent [71], hosti in eas defensore vacuas transeundi locum dedere. Plures numero triremes regiæ erant; ad hæc minores naves illis aderant. Demum subministrante in horam Rege parvis navigiis novos, ac recentes in classem milites (nam prope littus gerebatur res) cum integri sauciis, fessis succederent validi, haud parva [72] utrinque cæde *Florentini* superantur. Duabus captis triremibus, reliquæ in fugam versæ *Pisas* redeunt. Eam cladem præfecti [73] culpa, maritimæ pugnæ penitus inscii, qui neque loco, neque tempore in conspectu exercitus hostium temere decertavit, acceptam ferunt. Elatus ea victoria Rex, cum mare tutum ab hoste relictum esset, acrius ad diruendos machinis muros instabat. Verum quod interdiu ceciderat, noctu ab oppidanis reficiebatur. Aggere præterea interius, quo à lapidum jactu firmiores essent, muri corroborabantur. Sæpius etiam variis præliis victoria tentabatur, sed defendentium virtus hostium vires superabat. Pollicitus quoque *Renaldo* est *Alphonsus*, pro unico oppido plura se illi, atque ampliora, adjecta etiam pecunia, in regno daturum. Quæ omnia ab eo contempta sunt, certum imperium dubiis promissis præferente. Ita æstate integra ferme in ea oppugnatione [74] nequicquam absumpta, fesso labore, incommodisque exercitu, ac multis affecto vulneribus, necessitas *Alphonsum* compulit ad omittendam obsidionem. Missa terrestri [75] itinere majori exercitus parte, ipse *Castilionem* profectus classe [76] *Neapolim* petit. Poterant *Florentinorum* præfecti nullo ordine abeuntes, atque incompositos magno cum detrimento hostes insequi, nisi satis abunde factum duxisset Senatus noster, illos rebus omnibus amissis turpiter fugere. Mirum erat videre equos, hominesque prope urbem iter facientes, confectos macie, sordidos veluti silvestres, quosdam ferme nudos, præmissis equis, pedibus redire. Agi deinde per *Nicolaum* [77] Pontificem de pace cœptum est, tentataque Regis voluntate, cum ad concordiam inclinaret, *Florentinis* persuasit, ut oratores [78] *Neapolim* mitterent: sperare se procul dubio omnia conventura. Qui prius ad Pontificem, tum ad Regem profecti pacem composuere. In conditionibus aliquamdiu variis sententiis certatum, æquum censentibus oratoribus, *Castilionis* arcem per injustum ereptam bellum restitui. Rex se nequaquam pro sua dignitate id ex pacto facturum dicere. Est tamen per eos, qui consilio Regi aderant, haud dubia spes [79] oblata, illum ad eam ultro reddendam liberalem fore. Decreta omnia aboleta, hactenus ab altero in alterius damnum, injuriamve facta. Immunitates quoque, ac exemptiones negotiatoribus restitutæ, quibus in Regis ditione *Florentini* antea usi essent. Id est præterea fœderi adjectum, ut siqua imposterum dissensio, discordiave ex quavis causa Regem inter, ac *Florentinos* emergeret, ejus cognoscendæ jus, arbitriumque in solo esset *Nicolao* Pontifice, ad quem omnis futuræ controversiæ haberetur provocatio; utque nulli liceret alterum armis incessere, aut appetere bello, nisi ex decreto Pontificis, & ejus sententia prospecta. Ingens quoque pecuniæ pœna injuncta est fœderis violatori. Anno quinquagesimo supra mille quadringentos his aliisque legibus firmata pace, cum in otio quieturus *Florentinus* populus videretur, *Venetorum* ambitione simul, & *Alphonsi* ampliandi imperii cupiditate, novo bello, insperatoque est provocatus. Quod sane periculosissimum fuit, & maximis viribus gestum; nam validæ utrinque opes erant, & pari odio dimicabatur. Ad cujus originem explicandam paulo videtur ab instituto digrediendum. Defuncto [80] *Mediolani* Duce absque heredibus *Philippo*, cum cives libertatem asseruissent, *Veneti*, qui post ejus mortem ad *Galliæ Cisalpinæ* imperium aspirabant, *Placentiam*, *Laudam*que urbes [81] per intestinas factiones occupavere: cæterasque vicinas urbes facile in suam redegissent potestatem, utpote novam Rempublicam non satis firmam viribus arbitrati, nisi *Mediolanenses Franciscum*, qui in propinquis locis erat, a *Philippo* ante obitum accersitum, ducem belli adversus *Venetos* sibi delegissent. Is e vestigio occurrens hostibus, in primis *Placentiam* obsedit, expugnavitque [82], licet firmissimo *Venetorum* præsidio, & duabus arcibus munitam. Sed animi magnitudo *Francisci*, virtusque superavit omnia, quæ multa proposita erant discrimina. Unica pugna, & ea admodum aspera urbem maximo vitæ discrimine sola vi cepit. Nam cum muri partem, qua oppugnabatur, obequitans, milites ad prælium, & ascendendos scalis muros hortaretur, equo bombardæ lapide ad terram prostrato, ipse telis, sagittisque hostium, ac saxis, utpote in fossa jacens lacessitus, concursu suorum ad casum ejus supervenientium vix interitum evasit: nec tamen propterea ardorem remisit pugnæ, sed surgens instabat ardentius oppugnationi, cohortationique suorum; donec multis cum hostium, tum suorum interfectis, virtute militum urbem cepit, ac diripiendam militi concessit: pauloque post arces deditione [83] facta recepit. Trajecto deinde *Abdua* flumine, apud oppidum *Caravagium* ab eo obsessum, *Venetorum* exercitum commissa acie prostravit [84]. Fusis fugatisque hostibus, 1448

70. *Eorum viribus.* Decem triremes aliasque corbitas fuisse narrat *Capponius*, sex tantum triremes, & tres corbitas enumerat Barthol. Facius *lib. IX. de Gestis Alph.*

71. *Insilirent.* Prædæ intenti.

72. *Haud parva utrinque cæde.* Usque ad noctem pugna protracta. Ammirat. *p. II. lib. II.*

73. *Præfecti &c.* Hujus nomen Ammiratus ipse se ignorare fatetur: præfectus vero hostium fuit Garzerarius Rechesensius Hispanus. Barth. Facius *lib. IX. de Gest. Alph.*

74. *In ea oppugnatione.* Haud diligenter narrat *Barth. Facius ibid.*

75. *Terrestri itinere.* Per Senensem agrum confecto. Malavolt. *p. III. lib. II.*

76. *Classe Neapolim petit.* Cajetam classe petiit, deinde terrestri itinere Neapolim. Ammirat. *lib. XXII.*

77. *Per Nicolaum Pontificem.* Qui Joanni Cardinali Morinensi munus hoc injunxit. Rayn. *Ann. Eccl. ad ann.* 1448.

78. *Oratores.* Jannotius Pandulphinus, & Francus Sacchettus missi. Barth. Facius *lib. IX. de Gest. Alph.*

79. *Spes oblata.* Vanam fuisse spem exitus probavit. *Barth. Facius ibid.*

80. *Defuncto Mediolani Duce.* Apoplexia correptus occubuit mense Augusto, ut *S. Antonius* narrat. Alii alio fato sublatum volunt, inter quos *Corius* fluxu sanguinis. Vide Gobel. *in Comm. Pii II. lib. I. &* 3.

81. *Urbes.* Guelphi eas, missis ad id legatis, Venetis dedidere. *Corius p. V.*

82. *Expugnavitque.* Disjectis muris ingressus Sfortia, Gerardum Dandulum, & Thaddæum Atestinum cum mille peditibus, qui paulo ante urbis præsidio advenerant, cepit. Petr. Justin. *Hist. Ven. lib. VIII.*

83. *Deditione facta.* A Thaddæo Atestino, qui illuc confugerat Placentia, ubi captivus detinebatur. *Corius p. V.*

84. *Prostravit.* Navalem classem, cui Andreas Quirinus præerat, apud Casale subactam igne absumpsit, deinde Michelettum apud Caravagium superavit, captis Guidone Rangono, Jacobo Catelano, Matthæo Capuato, *Corius ibid.*

85. De.

1448
bus, magnaque ex parte captis, *Brixiam* obsedit, quam ad se tradendam suadendo potius, quam viribus allicere conabatur. Varie tum *Venetorum*, tum *Mediolanensium* animos ea victoria versabat. *Veneti*, ne capta *Brixia*, quam amisso exercitu defensare difficile videbatur, & reliquarum insuper urbium ad defectionem spectantium discrimen subirent, addubitabant; & *Mediolanensibus* suspicio injecta erat, ne *Francisci* validiores opes in suam pernitiem verterentur. Quo timore ab eis secreto cohortatos *Brixienses* fama est, ne se *Francisco* dederent. Exorta inter eos simultate, *Venetis* occasio data est de pace [85] cum eo agendi, quam sibi necessariam iniqua etiam conditione ducebant. Itaque fœdere inito, *Lauda* [86] oppido concesso, & simul tribus equitum millibus, & certa pecunia [87], si in *Mediolanenses* arma verteret, ad triennium promissis, ad eam expeditionem hominem cohortati sunt, ut a se omnia belli pericula avertentes, *Franciscum* novo, & minime facili implicarent bello. Quibus pollicitationibus confisus, bello *Mediolanensibus* indicto, auxilio *Venetorum* *Papia*, pluribusque præterea oppidis receptis, ipsam urbem [88] fame compulsam quam primum se recepturum sperabat. At *Veneti* timentes, ne si tantæ urbis, talisque regionis imperio potitus, non eum quem cupiebant, modum statueret cupiditati: mutato consilio, copiisque suis revocatis, denegata pecunia, societatem cum populo [89] *Mediolanensi* adversus *Franciscum* coierunt. Existimabant enim eum nequaquam suis opibus id bellum gesturum diutius, & simul sibi persuaserant *Mediolanenses* longo perfractos bello, *Venetorum* potius, qui amici, sociique essent, quam *Francisci* & hostis, & irati imperio se, suaque permissuros. Hac defectione perturbatum *Franciscum*, suasque pensitantem vires, multaque animo rerum pericula versantem, *Cosmus Medices*, vir præstantissimus, maximis in Reipublicæ pace, ac bello gerendis rebus versatus confirmavit, cujus pecunia [90], opibus, consilio innixus in oppugnanda urbe perseveravit; majorique animo bellum gerens, eam multis tandem fessam calamitatibus, quamvis renitentibus *Venetis*, populi excitato [91]
1449
tumultu, in quo & ipse legatus [92] *Venetus*, ut non sani consilii auctor, occiditur, se dedentem [93] capit, anno nono & quadragesimo post mille quadringentos; e vestigioque reliquis locis, quæ ad *Philippi* regnum spectarent, in deditionem receptis, Ducis nomen [94] assumpsit. Conturbati ea victoria *Veneti*, arbitratique Ducem ab adolescentia bella ex bellis ferendo rei militaris scientia clarum, armis ad eam diem, exercitibusque succinctum, laudis, & gloriæ cupidum sibi propinquum haud satis tutum rebus suis fore: quo ille modo aut e statu ejiceretur, aut redderetur infirmior, consultabant.
1450
Igitur cum *Alphonso* inita [95] societate, facultatem *Florentinis*, reliquisque, qui socii in ea ascribi vellent, reliquerunt. Per oratores [96] quoque eos, ut secum sentiant, hortantur. Omnis ea machinatio eo pertinebat, ut novus Dux, nondum firmato imperio, externa ope destitutus, armis parto imperio pelleretur, ipsique *Galliæ* soli Principatum tenerent. Animadversa a prudentioribus, & his paucis civibus *Venetorum* mente in Senatu, obtinuerunt, ut oratoribus responderetur [97], cum pax ubique fo-
1451
ret, nullo novo fœdere opus esse. Quo responso conturbati *Veneti* cum ægre ferrent veluti [98] certam prædam e manibus ereptam, conversi ad belli curam, publico edicto statuerunt, ut qui in sua urbe, suisque finibus negotiarentur, *Florentini* omnes pellerentur [99], quos secutus *Alphonsus*, sui regni usum & iis interdixit: quæ decreta inhumanissima [100] visa sunt, & longe priori amicitiæ, fœderique contraria; qua re admiratus est admodum *Florentinus* omnis populus, a *Venetis*, quibuscum pace juncti essent, & ad quorum ampliandum imperium nec laboribus, nec sumptibus summa cura adhibita pepercissent, iniquissimam legem promulgatam, cum satis nossent illorum opibus, auxilioque *Brixia* se, ac *Bergomo*,
1452
maximaque præterea *Galliæ* parte potitos. Igitur Legati ad *Venetos* decreti sunt percontatum tam insolitæ, tam iniquæ rei causam, & simul expostulata decreti immanitate, ut hortarentur ad pacem, & priorem amicitiam conservandam. At ii, qui jam spe sibi victoriam despondissent, aditum [1] ad se oratoribus, negata fide publica, ne quid de communi quiete agi posset, prohibuerunt; quod etiam apud barbaros culpandum videretur. Quibus rebus *Florentiam* renuntiatis, desperata *Venetorum* concordia, variisque contumeliis lacessiti, extemplo omni aliarum rerum cura posthabita, ut aliorum invidiæ, & ambitioni obviam iretur, simulque re ipsa demonstraret, pacem bello redimendam esse, viresque consilio non deesse, fœdus cum *Francisco*, auctore & suasore *Cosmo*, licet multis adversantibus, renovant [2]; quo haud dubie *Florentinæ* Reipublicæ salus stetit. Nam si *Venetis* hæsissent, Dux procul

85. *De pace cum eo agendi.* Angelo Simonetto pro Sfortia, & Jacobo Antonio Marcello una cum Paschali Maripetro pro Venetis eam agitantibus. Petr. Justin. *lib. VIII.*

86. *Lauda &c.* Dummodo ille castella, & captivos restitueret. *Corius p. V.*

87. *Pecunia.* Tredecim aureorum millia in singulos menses promissa. *Ibid.*

88. *Urbem fame compulsam.* Castris enim in suburbio positis, undique urbem circundantibus, nihil importari poterat.

89. *Cum populo Mediolanensi.* Henricum Panigarolam Venetias miserant Mediolanenses, qui ante Ducis pedes provolutus, ne se civesque suos Sfortiæ potestati permitteret, precatus est. *Corius. p. V.*

90. *Cujus pecunia.* Florentina Respublica 25. aureorum millibus Sfortiam prius juverat, dein Cosmus Medices majore auri pondere eum sublevavit. Ammiratus *p. II. lib. II.*

91. *Excitato tumultu.* Ob frumenti inopiam.

92. *Legatus Venetus.* Leonardus Venerius Marci filius, qui Mediolanenses in Sfortiam confirmaverat, occisus est a Guaspare, vel Joanne Stampa civibus Mediolanensibus. Comment. *Pii II. lib. III. Corius p V.*

93 *Se dedentem capit.* Ducalibus insignibus ei ultro a populo oblatis. *Comment. Pii II. lib. I.*

94. *Ducis nomen assumpsit.* Die XXV. Martii ann. MCDL. Camp. *Hist. Cremon. lib. III. Cor. ibid.*

95. *Inita societate.* Licet antea mari congressi fuissent, attamen per Victorem Maripetrum fœdus inierunt, ad quod confirmandum ab Alphonso Venetias missi Ludovicus Todius, & Antonius Panormita. Barth. Facius *de Gest. &c. lib. IX.*

96. *Per oratores.* Unum tantum oratorem, nempe Matthæum Victurium Florentiam miserunt Veneti, a Florentinis vero duo Venetias missi, Jannotius Pittus, & Lucas Albitius. Ammirat. *lib. XXI.*

97. *Responderetur.* A Cosimo Mediceo cive suæ Reip. principe.

98. *Veluti certam prædam.* Venetis Mediolanense imperium e manibus ereptum, ob auxilium a Florentinis Sfortiæ præstitum.

99. *Pellerentur.* Diebus 20. ad discessum constitutis.

100. *Inhumanissima visa sunt.* Quin immo optimo jure facta, cum vigente pace, Florentini Sfortiæ Venetorum hosti pecuniam publice dari decrevissent. Quid ergo, si in fœdifragos animadversum fuit? Adde a Florentinis legatos gratulatum Sfortiæ de adepto imperio missos. Ammirat. *lib. XXII. Corius p. V.* ne Venetis utar Scriptoribus.

1. *Aditum ad se oratoribus, &c. prohibuerunt.* Non enim inscio Alphonso Rege fœderato cum Florentinis communicare licebat. *Ammirat. lib. XXII.*

2. *Renovant.* Ad annos decem pro communi defensione. *Amm. ibid.*

3. Co-

1452 cui dubio in novo imperio, & viribus exhauſto ſuccubuiſſet, ex quo & nobis poſtmodum illorum arbitrio parendum erat. Venerant interim in *Venetorum*, *Alphonſi*que ſocietatem *Sabaudiæ*, *Monſerrati*, *Carpi*que (quorum oppida *Parmam* cingunt) Principes, conveneratque inter eos, ut *Florentinos* longe inferiores bello Rex, ipſi Ducem, tanquam eorum viribus imparem, adorirentur, ea ſpe ut tot finitimis hoſtibus circumventum facile debellarent. Quapropter copiis in unum [3] contractis, rebuſque omnibus ad bellum neceſſariis comparatis, flaveſcentibus frugibus agrum *Cremonenſem* populantur. In hos *Franciſcus*, *Ludovico Gonzaga Mantuæ* Regulo in amicitiam recepto, delatus, exercituque in hoſtium fines traducto, primo impetu *Bimam* caſtellum, quod flumen *Olium* ponte jungit, ut tranſitus fluvii ad hoſtem pateret, de *Venetis* capit, pluraque [4] deinceps caſtella expugnata occupat: inde ſtructa acie fortunam belli tentaturus ad hoſtes pergit, ea ſpe, ut victoriam parta ingenti præda conſequatur, cum apud illos nullus eſſet certus [5] exercitus dux: ſed viciſſim plurimi imperarent. At illi prælium detrectando, bellumque trahendo, ac cunctando ſuas res firmiores fore arbitrantes, omne certamen conſulto evitabant: utque præliandi ſpem præciderent, paludes, quæ *Brixiam*, *Bergomum*que interjacent, petunt, eo animo, ut nulla rerum conditione diſcrimen fortunæ committant. *Franciſcus* pluribus de *Brixienſibus* caſtellis captis, caſtriſque [6] in conſpectu hoſtium poſitis, obſervaturus ſiqua pugnandi occaſio forte offerretur, aggredi nullo modo illos poterat, cum & copiæ ſuæ iis oppoſitæ, qui cum *Venetis* ſentiebant, plures in partes diſtractæ, & hoſtium caſtra vallo, ac foſſa egregie munita, & ſaltus occupati eſſent. Haud parva tamen ea æſtate jactura ab *Alexandro* Ducis fratre accepta eſt, qui cum mille equitibus *Laudam* urbem profectus, ut eam omnem oram tutam ab hoſtium incurſione redderet, provideretque, ne quid detrimenti caperent, magnam equitum partem incuria amiſit. Nam confecto ferme itinere, cum prope pontem *Cerreti* conſediſſet, nulliſque firmatis ſtationibus, nulla inſidiarum habita cura, vagi, diſperſique equites quietem in otium reſoluti ſumerent, eos aggreſſi de improviſo hoſtes [7] nullo certamine ſuperant. *Alexander* facto ſuorum globo, viaque ferro patefacta, manus hoſtium effugit: hi quoque, qui pabulandi cauſa procul profecti erant, cognita ſuorum ſtrage, evaſere, reliqui omnes capti. Ea victoria admodum lætos hoſtes, ac præ gaudio laſcivientes fortuna haud multo poſt mentem mutare coegit. *Alexander* enim cupidus præterita damna reſarcire, ac acceptam ulciſci injuriam, cum eoſmet a quibus detrimentum acceperat ad loca paluſtribus aquis tuta diverti ſſe compertum haberet, copiis de integro, quas pro tempore potuit, paratis, plures ſarmentorum, atque arbuſtorum faſces ſecum deferre peditem jubet, quibus in aquam conjectis locum pervium pediti facit: equites aquas ſuperant. Cum hoſtes dormientes comperiſſent, ignis tormentorum, pulvere adhibito, in tentoria paſſim jactus, ſubita flamma tabernacula corripit: equi, impedimentaque ſingula, milites quoque permulti miſerabiliter igni pereunt, plures ſeminudi, inermeſque per devia, & nox erat intempeſta, evadunt. *Alexander* maximo *Venetorum* damno jacturam ultus, qua venerat rediens ad fratrem [8] revertitur. At in *Etruria Ferdinandus Alphonſi* Regis filius ex forma fœderis cum decem millibus [9] equitum, quatuor peditum *Federico* [10] *Urbini* Comite exercitus duce in agrum *Cortonenſem* deſcendit. Erat enim id temporis *Ferdinandus* adoleſcens, & illius conſilio regebatur. Nam præter eloquentiam ſummam, ac humanitatem, plurimas corporis, animique dotes egregias a natura tributas, rei militaris ſcientia in illo homine principatum obtinebat, adeo ut omnibus ætatis ſuæ Ducibus par haberetur. Nam conſilium in agendo, celeritatem in conficiendo, prudentiam in judicando quis ignorat? quæ omnia tanta in eo erant, ut aliquem ex priſcis illis ſummis viris cunctis imperatoriis artibus inſtructum ea tempeſtate repræſentare videretur. Sub hoc duce *Ferdinandus* in militiam profectus late ea regione populata, *Aretium* verſus iter ingreſſus ad ſiniſtram flectens, *Fojanum Aretini* agri oppidum, quo ſibi veluti ſedem gerendi eligeret belli, obſidet: oppidani [11] cum conſtanti ſe defenderent animo, mulierum quoque mira eſſet virtus, viriſque haud inferiores fortitudine ſe præberent, tandem poſt quadrageſimum obſidionis diem magna ex parte confractis muris, Viris, ac fœminis laſſitudine, ac vulneribus confectis, deſperato [12] ſubſidio ſe ei dedidere. A *Florentinis* interea creatis [13] Decemviris, equites, ac pedites ad ſex millia ſcribuntur, in quibus *Aſtorgius Manfredus*, *Sigiſmundus Malateſta* [14], variique inſuper equitum nobiles ductores accepto ſtipendio auxilio venere. *Ferdinandus* relicto *Fojano*, impoſitoque [15] præſidio, per agrum *Senenſem* a quibus ob *Florentinorum* odium fovebatur, populata omni qua tranſibat ora finitima, in agri *Florentini* finibus ad arcem, quam *Rencinam* vocant, pervenit, qua ſeptimo die præfecti deditione capta, ad *Caſtellinam* quatuor millibus paſſuum arci propinquam caſtra poſuit: nulloque intermiſſo tempore variis tormentis oppidum oppugnat. *Sigiſmundus* exercitus dux cum omnibus [16] copiis ad montem, quem Imperialem vocant, *Bonitio* [17] imminentem, caſtris poſitis, cum præcipue locum ſibi delegerat, tum

3. *Copiis in unum contractis.* Quindecim equitum, & ſex peditum millibus. Petr. Juſtin. *Hiſt. Ven. lib. VIII.*

4. *Pluraque deinceps caſtella.* Pradelboinum, Manerbium, Quintianum &c. Plat. *Hiſt. Mant. lib. VI.*

5. *Nullus eſſet certus exercitus dux.* Certum Venetorum ducem tunc fuiſſe Gentilem Leoneſſium, & quidem celeberrimum, conſtat ex Petro Juſt. *lib. VIII.* & Pigna *lib. VII.* Plat. *Hiſt. Mant. lib. VI.*

6. *Caſtriſque in conſpectu, &c.* Ad Quintianum. *Plat. ibid.*

7. *Hoſtes.* Carolus Montonius Bracchii filius Venetorum præfectus Alexandrum Sfortiam ſuperat. Sabell. *Dec. 3 lib. V.*

8. *Ad fratrem* Franciſcum Mediolani Ducem.

9. *Decem millibus equitum, quatuor peditum.* Duo tantum peditum, & ſex millia equitum refert Barthol. Facius *de Geſtis Alph. lib. IX.* Octo equitum, & quatuor peditum millia Platina *Hiſt. Mant. lib. VI.* Viginti peditum, & ſex equitum millia *Collenutius a Coſto* merito objurgatus.

10. *Federico Urbini Comite.* Huic Baptiſta Poggius patris Hiſtoriam dicavit.

11. *Oppidani.* Petrus Somma cum CC. militibus oppidum tuebatur.

12. *Deſperato ſubſidio.* Pactus enim fuerat Petrus Somma, ſe Ferdinando oppidum dediturum, ni intra octo dies auxilium ſuperveniret. Ammirat. *lib. XXII.*

13. *Creatis Decemviris.* Non hoc anno, ſed ſuperiori. Hi fuere Coſmus Mediceus, Nerius Capponus, Angelus Acciajolus, Lucas Albitius, Otho Nicolinus, Caſtellus Quarateſius, Dominicus Boninſegnius, Franciſcus Orlandus, Julianus Particini, & Bartholomæus Franciſci. Ammirat. *lib. XXII. p. 68.*

14. *Malateſta.* Nec non ejus frater Dominicus Ceſenæ dominus, Angelus Simonetta, Michael Cutiniola, Thaddæus Manfredus, Carolus de Oddis. Clementinus *p. II. lib IX.*

15. *Impoſitoque præſidio.* Quadringentorum equitum.

16. *Cum omnibus copiis.* Ad ſex hominum millia. Platin. *Hiſt. Mant. lib. VI.*

17. *Bonitio.* Seu Poggio Bonitio. Briet. *Parall. Geog.* ubi de Etruria.

1453 tum ne caperetur ab hoſte (nam facile communiri poterat in totius oræ illius pernitiem) tum ut præſto poſſet, ſive *Piſtorium*, ſive quam aliam partem peteret hoſtis, obviam prodire, obſtareque, ac extrema veſtigia carpere, ne longius vagarentur. Oppidum interim non ſatis valido præſidio firmatum cum nullo reſpiramento ad quietem dato variis operibus, atque machinis oppugnaretur, timerent vero plurimi, ne diutina obſidione, ac laſſitudine confecti oppidani deficerent, *Aquilanus* quidam vir magni animi, cognomento *Travaglinus*, pedibus ſtipendia faciens, multis oneratus promiſſis, turma peditum ex omni numero ſelecta, ſimulata ad hoſtes fuga, non multos poſt dies obſervato tempore in oppidum improviſo confugiens & obſeſſorum confirmavit animos, & adverſariorum debilitavit. Itaque amplius menſem omnibus fruſtra tentatis, hyemis intemperie fatigati, illius potiundi ſpe abjecta retroceſſere; ſolutaque obſidione, ac motis inde caſtris, qua proficiſcebantur regionibus late vaſtatis, in *Senenſium* loca mari propinqua, ubi commeatus, & pabuli copia abunde erat, in hiberna conceſſere; quibus ex locis crebræ in *Florentinorum* agros a *Ferdinandi* exercitu, quibus ſola præda pro ſtipendio erat, incurſiones per hyemem factæ. Ab *Alphonſi* quoque claſſe agri *Volaterrani* arx munitiſſima Vada nomine, præfecti [18] proditione capta, qui pecunia accepta, hoſtes, ut primum in conſpectum venerunt, admiſit. Dum hæc aguntur, *Florentini* cum grave ducerent ſolos ſe cum *Mediolani* Duce tantam rerum molem ferre (nam contra *Alphonſi*, *Venetorum*que opes terra marique pollentium pugnandum erat) in ulteriorem *Galliam* ad Regem [19], cujus majores plurima in eorum Rempublicam beneficia contulerant, ſummaque illis amicitia affecti fuerant, legatum *Angelum Acciajolum* [20] equeſtris ordinis civem ampliſſimum, & ad omnes tum pacis, tum belli artes prudentiſſimum, Regique admodum notum mittunt: cujus [21] oratione Rex motus cum *Florentinis*, & *Franciſco* fœdere icto, cum audiſſet *Sabaudiæ* Regulum conjunctis *Allobrogibus* ſumma cura cuncta parare, ut *Mediolanenſi* bellum inferant, cum duodecim equitum millibus magnis itineribus, quo illorum motus compeſceret, ad *Rodanum* pervenit, quo ex loco extemplo certis nuntiis negotio dato, literis bellum iis indicit, ni arma deponant, & ab injuriis deſiſtant. Mirari ſe ſummopere aciem eos adverſus illum ſtruere, qui ſecum fœdere junctus eſſet. At illi inſcios ſe ejus fœderis teſtati, mature imperio paruerunt. Tanti Regis profectio tum ad ſalutem, tum ad belli famam, quæ plurimum ad victoriam valet, multum Duci contulit. Sequens annus, & rebus geſtis & pace, quæ bellum ſecuta eſt, inſignior fuit, *Angeli*que [22] opera, qui orator in *Galliam* acceſſerat, *Renati* Regis ad *Italiam* adventus ſecutus eſt. Qua ex re ſecundiores res Ducis factæ, ad quærendam æquis conditionibus pacem proclives *Venetos* reddidere. Interea cum hiberno rigore terra late nivibus operta, Dux exercitum in loca quæ de *Venetis* cepiſſet, in hiberna diſtribuiſſet, ac *Mediolanum* petiiſſet, vere appropinquante a Decemviris major, quam antea, fit belli apparatus, *Alexandrum*que *Sfortiam* data pecunia cum mille quingentis equitibus in *Tuſciam* accerſitum copiis ſuis conjungunt. At *Renatus*, cui perſuaſum ab *Angelo* erat, auxilia ſua, auctoritatemque maxime ad victoriam conferre, in qua & ſua quoque res verſaretur, cum debellatis *Venetis* facile *Florentinorum*, & *Franciſci* opibus in *Neapolitano* regno omnia perturbari poſſent, ac recuperari, quod non multo [23] ante tempore ab *Alphonſo* ablatum fuerat; duobus electorum equitum millibus comparatis, ac egregie omnibus rebus bello neceſſariis inſtructis (cum quæ offerebantur, veroſimilia viderentur) æſtatis initio Alpes ſuperaſſet, ſi per [24] *Sabaudiæ* Ducem, qui auro a *Venetis* corruptus, ſaltus omnes per quos tranſeundem erat, occuparat, licuiſſet. Qui cum diutius a *Renato* nullis precibus flecti poſſet, fruſtraque literis, & oratoribus tempus terere appareret, neceſſitate urgente, diverſo itinere profectus, æſtatis in fine *Saonam*, inde *Genuam* mari cum paucis, atque ad *Franciſcum* venit. Equites poſtmodum *Ludovici*, *Caroli Septimi Galliæ* Regis filii opera, qui ſe ducem illis advenientibus præbuit, in *Italiam* deſcendentes, ſe ſe *Renato* junxere; qui copiis cum *Franciſco* junctis, in *Brixienſi* agro, eodem in loco, quo priori anno caſtra [25] poſuerunt. *Veneti* vero dedita opera omne certandi diſcrimen evitantes, & ipſi quibus [26] antea paludibus, firmarunt caſtra, eo conſilio, ut diuturnitate belli pecuniis exinanitum, & laſſitudine affectum *Franciſcum* deficientibus viribus debellarent, & quod proximo anno ſperarant, præſenti præficerent. Diutius itaque cum *Jacobus* [27] *Piccininus*, *Nicolai* filius, paterni nominis gloria, & rebus geſtis clarus, florente ætate juvenis, conſilio vero, & animi indole egregius *Veneti* exercitus dux, & *Franciſcus Sfortia* ſuſpenſis animis ſtarent ex alterius factis conſilia ſumpturi, *Florentini* valido confecto exercitu [28], in quo ad ſex equitum, totidem peditum millia cenſebantur, omni ſtudio intenti, ut quæ amiſerant recuperarent, quamprimum per anni tempus facultas data eſt, eductis in campum copiis primi *Rencinam* profecti, obſeſſam parvo poſt tempore recipiunt. Inde copiis omnibus *Fojanum* ductis, prope oppidum caſtris poſitis, illud firmis præſidiis obſident. Sexcenti [29] regii equites, peditesque mœnia ſumma vi defenſabant. Poſt paucos tamen dies variis oppugnationibus, ſed maxime lapidibus, quæ a tormentis conjiciebantur, effracta porta, disjectaque murorum parte, titubantibus regiis, defenſionemque deſperantibus, impreſſione facta, oppidum eſt una cum præſidio captum. Direptis bonis, præda victoribus conceſſa, caſtellum libidine, atque avaritia militari incenſum eſt, hoſtes ad unum capti. Spoliato incenſoque oppido, cum equitum præfecti (neque enim dux unus erat certus) ſingulis ferme parere alteri, aut ſubeſſe renuentibus, parum in bel-

18. *Præfecti.* Rubei Attavanti Florentini civis, qui Olcinæ claſſis imperatori cum octingentis militibus arcem obſidere fingenti ultro ſe dedidit. *Ammirat. lib. XXII. p.* 74.

19. *Ad regem.* Carolum VII.

20. *Acciajolum.* Una cum Franciſco Venturio. *Ammir. ibid.*

21. *Cujus oratione Rex motus.* Spoponderant enim Florentini, ſi Renatum Andegavenſem Ducem, & jam Neapolitanum Regem, ſibi auxilio miſiſſet, ſe ſuam operam ad regnum recuperandum illi præſtituros. *Ammirat. ibid.*

22. *Angelique opera.* Acciajoli, qui rurſus in Galliam una cum Mediolanenſi legato miſſus fuerat.

23. *Non multo ante tempore.* Anno MCDXLII. Junio menſe, Neapoli potitus eſt Alphonſus, per aquæductum militibus urbem ingreſſis. Collenutius *Hiſt. Neap. lib. VI.*

24. *Per Sabaudiæ Ducem.* Ludovicum Amedei filium. Pingonius *Auguſt. Taurin. Hiſt.*

25. *Caſtra poſuerunt.* Apud Manerbium, per caduceatorem bello indicto. Petr. Juſt. *Hiſt. Ven. lib. VIII.*

26. *Quibus antea paludibus.* Quæ Brixiam, Bergomumque interjacent.

27. *Jacobus Piccininus.* Qui in defuncti Gentilis Leoneſſii locum a Senatu ſuffectus fuerat. *Juſtin. ibid.*

28. *Exercitu.* Emanuelem Appianum Plumbini Regulum cum 1500. equitibus nuper conduxerant. Ammirat. *lib. XXII.*

29. *Sexcenti.* Quadringenti tantum, ut ſupra adnotavi.

30. *Si*

1453 bello administrando concordes, malle trahi rem, quam pro victoria decertare viderentur, instantibus *Florentinis* legatis, quos varios etiam superiori anno Decemviri destinarant, ut eorum consilio gereretur bellum, tandem in æstatis fine ad *Vadam* recuperandam abeunt. Obsidione posita, cum hostibus neque animus, neque vires ad defendendam sua ope arcem diutius suppeterent, post mensem desperatis auxiliis suam, rerumque suarum salutem pacti eam tradidere, quæ diruta est, nequando in posterum hostis receptaculum esset. Hoc apparatu, atque his viribus per *Ferdinandum*, ac *Federicum* capta, in potestatem redacta sunt. In *Gallia* vero *Franciscus*, cum in hostium agro diutius fuisset, ac nonnulla de *Venetis* oppida sub suo redegisset imperio, in eo solum versabatur, ut castra castris conferret, ac signis collatis pugnaret. At *Veneti* in castris otiosi sedentes, bellum detrectando, trahendoque Ducem inopia confectum diutino bello facile vinci posse arbitrati, in aciem copias educere, ac fortunæ summam rerum committere non ausi, exercitum intra munimenta continebant. Verum autumno appropinquante cum duobus maximis exercitibus castra in conspectu fere habentibus æstatem omnem transegissent, *Renatus*que auxilio venisset, necessitate acti tabernaculis correptis, ac in quo diutius steterant, loco derelicto, commeatus gratia *Veronam* versus juxta *Benacum* concessere: qua ex re *Francisco* facultas data est, ut omissa omni decertandi cura, ad *Brixiam* occupandam mentem converteret: quod fieri posse tantis viribus conjunctis non magno labore existimabat. Itaque castris cum *Renato* motis, *Urceos* oppidum nobile obsessum, summis expugnatum viribus ad deditionem compulit: Pontem *Vicum*, qui ab eo defecerat, vi captum præda militi concessa diruit, brevique omnem *Bergomensem*, ac *Brixiensem* agrum tanto terrore ac tumultu involvit, ut partim metu, partim *Venetorum* odio castella ad quadraginta occuparit, ac in fidem susceperit. Jamque summa hyems aderat, & Rex ob aeris intemperiem *Mediolanum* concesserat: *Francisci* tamen animus victoriæ cupidus, *Asulam* oppidum opulentum obsidere, atque expugnare statuerat. Bis cum exercitu eo proficiscentem tanta nivium, ventorumque, atque imbrium vis ingruens militum oculos, oraque verberantium suborta est, ut præ frigore, ac tempestate retrocedere, & sententiam mutare cogeretur. Itaque copiis ad castella de hoste capta in hiberna deductis, *Renatus* cum suis in *Galliam* relicto *Johanne* filio rediit. Constans inter omnes fama est, si *Renato* [30] liber ad *Italiam* patuisset aditus, adversam ejus belli sortem *Venetis* subeundam. Nulli enim dubium videbatur, quin, si Vere novo *Renati* copias *Franciscus* secum educere potuisset, loco in quo se tamdiu *Veneti* continuerant, ut postea contigit, pellere eos, & longius progredi compulisset: quo pacto *Bergomum*, & *Brixiam* cogente fame, auxilioque destitutas facile expugnasset. Illud quoque nequaquam ambigitur, suis tantum viribus *Franciscum Venetis* imparem, haud longiori tempore tantam vim belli potuisse ferre: præsertim *Florentinis* tam graves in milites sumptus jam aperte detrectantibus: 1453
frequens præterea erat opinio, qui primi hibernatum issent, veluti suis diffidentes rebus pro victis habitum iri. Utrinque tum ad præsidia adversus hostes, tum ad hibernandum traducto exercitu, raræ per anni tempus excursiones in agros hostiles factæ. Sopierat frigus omnium fe- 1454
re mentes, & quasi laborum pertæsi pacem plures appetebant: cum *Nicolaus* Pontifex maximus insita otii, & quietis [31] cupidine, ut tandem si posset *Italiam* pacatam redderet, ac bellis finem imponeret, cunctarum partium oratores ad se vocat. Ad quem a *Florentinis Johannotius Pittus*, & *Bernardus Junius* equestris ordinis viri mittuntur. Sed adeo adversa invicem petita sunt, ut diu frustra quæsita sit, neque spes facta, pacem repugnantibus iis, quibus odio erat, componi posse, Rege bellum protrahi exoptante, novasque adjiciente in diem leges, ac multa ad bellum pollicente, quibus *Venetos* ab ea cogitatione averteret. At illi Regis calliditate perspecta, arbitrantis aliorum dissensiones & calamitatem, auctoritatem viresque sibi adjecturas, diversis rationibus eam quæsiere. Et sumptus enim belli, & licentiam exosis militarem, cum victoriam desperassent, pacis incesserat cupido: iisdem difficultatibus & Ducem, & *Florentinos* implicari, distinerique censebant. Non enim jam occulte, sed palam *Florentiæ* audiebantur voces bellorum impensam execrantium, eosque detestantium, qui belli quam pacis dicerentur cupidiores. Pacem igitur omnibus exoptantibus, temporum insuper, in quibus res omnis consistit, opportunitate confisi *Veneti*, Religiosum [32] quendam probum (ut ducebant virum) regio oratore [33], qui tum *Venetiis* belli, quam pacis cupidior degebat, inscio, ad *Franciscum* mittunt, qui animum ejus pertentaret: quem cum quietem haud horrentem retulisset, in eademque sententia *Florentinos* esse pro certo haberent, per eundem de conditionibus agitant, ac demum secreto fœdere, cum varia omni ex parte postulata essent, conveniunt; missoque ad *Franciscum* oratore, doctrina, & probitate claro, *Paulo* [34] *Barbo* Pontificis *Eugenii* Nepote, pacem, in qua & *Florentini* per [35] oratorem, qui apud Ducem erat, accessere, firmant mense Aprili, anno quarto & quinquagesimo supra mille quadringentos, ea præcipue lege, ut *Brixiensis*, *Bergomensis*que agri per *Franciscum* capta, *Cremonensis* vero a *Venetis* occupata illius imperio parerent, cui ante bellum serviverant: utque exules captivique factionum, ac civilium seditionum causa facti liberarentur, bonaque [36] sua recuperarent, ac frui illis libere possent, sociique, ac fœderati utrinque dicti eodem jure, quo cæteri tenerentur. Multa [37] præterea, ut omnium bellorum semina, & injuriarum causas tollerent; quæ ut minime necessaria omittenda viderentur, ascripta. Paci vero ut auctoritas, dignitasque adderetur, oratores ad *Venetos* decreti sunt, *Johannotius Pandulfinus* equestris ordinis, & *Petrus Cosmi* filius, viri primarii civitatis, qui exponerent: *Non videri satis ad communem quietem pacem esse constitutam, sed societatem insuper, & pristinam amicitiam culpa temporum intermissam communis*

30. *Si Renato liber &c.* A Ludovico Taurinorum Duce, ne in Italiam Renatus descenderet, aditu prohibitus est.
31. *Et quietis cupidine.* Ut pace inter Christianos Principes firmata, eos in Mahometem, qui nuper Byzantio potitus fuerat, excitaret.
32. *Religiosum quendam.* Fratrem Leonem Camertem. ut *Corius p. V.*
33. *Regio oratore.* Ludovico Podio.
34. *Paulo Barbo.* Petri Barbi fratre, qui deinde Pontifex electus fuit, Paulus II. vocatus, anno MCDLXIV.
35. *Per oratorem.* Dietisalvium Neronem.
36. *Bonaque sua recuperarent.* Florentini Castilionem Piscariæ, & Gavorranum ab Alphonso non recuperarunt, ut *Ammiratus* in fine *lib. XXI. p. 78.*
37. *Multa præterea.* Inter quæ, ut Carolus Gonzaga in pristinum dignitatis ac benevolentiæ statum a Ludovico restitueretur. Platina *Hist. Mant. lib. VI.*

1454 *nis utilitatis causa renovato fœdere stabiliendam esse. Nam duabus Rebuspublicis idem sentientibus neminem in Italia formidandum, aut existimandum quempiam in futurum novas res moliturum. Ita pace diutissima frui utrisque civibus licere.* His dictis, cum quæ afferrentur, vera apparerent, novum fœdus, societatemque cum eis, ac *Mediolanensi* [38] coierunt, quibus comprobandis locus Regi [39] est servatus. His peractis, visum est æquum esse ad *Alphonsum* honoris gratia legatos a singulis decerni, qui hanc communem *Italiæ* pacem ineundam cum cæteris suaderent, ne, nulla de majestate sua mentione facta, se spretum queri posset, neve cui daretur occasio turbandi ocii, aut de novo bello cogitandi. Itaque a *Venetis* [40], & *Francisco* [41] oratores, a *Florentinis* vero *Bernardus Medices*, & *Dietisalvius Nero* missi. Pontificis quoque nomine *Dominicus* [42] *Sanctæ Crucis* Cardinalis *Firmanus*, vir summæ prudentiæ, atque auctoritatis, ut cohortando, monendoque apud Regem pacis, & concordiæ arbiter esset, Legatus eo proficiscitur. Cum omnes *Neapoli* convenissent, diutius re agitata, cum multæ injectæ dissensiones legatorum sapientia sublatæ essent, pax tandem, cui & Pontifex [43] ascribi voluit, eademque fœderis lege teneri, constituitur, nonnullis [44], quæ ad Regem pertinerent, conditionibus additis. Id inter cætera decretum, ut siqua imposterum discordia inter eos quocumque modo excitaretur, Pontifex ejus judicandæ jus, potestatemque haberet; neque cuiquam arma adversus alium sumere jus esset, nisi postulato prius, expectatoque Pontificis decreto. Data publica per omnes fide, jurequejurando sancita, 1455 pax [45] denuo *Neapoli* firmatur, anno ferme post superiorem pacem.

38. *Mediolanensi.* Qui hac de caussa Guernerum Castilionensem, & Nicolaum Arcimboldum legatos miserat. Ammirat. *Hist. Flor. lib. XXIII.*

39. *Regi.* Alphonso.

40. *A Venetis.* Hieronymus Barbadicus, & Zacharias Trivisanus.

41. *A Francisco.* Bartholomæus Vicecomes Novariensis Episcopus, & Albericus Mallectus.

42. *Dominicus.* Capranica, vir sanctitate clarus, cujus vitam pereleganter scripsit Baptista Poggius, quæ habetur in *Miscell. Steph. Balutii To.* 3.

43. *Pontifex ascribi voluit.* Ut socius, & ut sequester.

44. *Nonnullis &c.* Nempe ut Alphonso in Genuenses, ac in Sigismundum Malatestam arma movere liberum integrumque esset.

45. *Pax denuo Neapoli firmatur.* Iisdem conditionibus, quibus a Venetis apud Laudum cum Francisco, ac Florentinis facta fuerat, paucis tantum verbis ad regiam ostentationem mutatis, ut adnotat Barth. Facius *lib. X. de Gestis Alph. I.*

F I N I S.

O R A T I O
in Funere
LEONARDI ARETINI
a P. O G G I O habita.

Ann. 1443.



Odiernus, Florentini, dies atque hic publicus mœror communi voluntate susceptus declarat quanta hujus præstantissimi atque omni laude dignissimi viri virtus extiterit, & quàm cara & grata universæ sit civitati, cùm videamus omnes magistratus hujus urbis, omnium ordinum consensum, universum populum ad ornandam hanc funeris pompam una mente suis decretis ultro in eandem sententiam convenisse. Nullus est enim qui se civem esse existimarit, qui non suum studium atque operam præstiterit ad cohonestandas hominis exequias optimè de repub. meriti, & ejus cui parem rara secula protulerunt. Magnum quippe & præclarum hoc testimonium virtutis est & laudis, & mea sententia plurimi æstimandum. Is enim justus & verus est honor qui soli virtuti sponte conceditur & rectè factis, non qui aliunde quæritur, aut precibus est aut suffragiis hominum mendicatus. Non generi, non majoribus, non parentibus Leonardi, non amicis rogantibus, ii honores tribuuntur, sed probitati, prudentiæ, continentiæ, integritati vitæ; ut non externo opere quæsitus, sed à sola virtute profectus appareat. Itaque cùm cetera vitæ commoda nobis quærenda sunt, tum verò maximè virtutis ratio omni conatu appetenda, cùm tanta illius cultoribus tum vivis tum mortuis sint honoris præmia constituta. Licèt autem satis fructus virtutis in ipsa virtute positus videatur, tamen ad laudem quoque confert & posteritatis memoriam ab his diligi, coli, ornari prædicari qui & ipsi in laude vixerunt. Sed mihi pietas præcipuè civitatis, tum celebris hoc in ornando funere civium frequentia maximè laudanda esse videtur, qui hujus singularis viri memoriam tam grata significatione benevolentiæ prosequantur. Quæ res tum spectat ad mortui gloriam singularem, tum vivos excitat ad capessendum eum vitæ cursum quem propter conspiciant hunc civem tales honores consequutum ac tam carum reip. extitisse. Quamvis autem Leonardi virtus nullius externa laudationis opera egeat


LEONARDUS ARETINUS,
Orator et Historicus insignis.



egeat ad se ornandam, quippe qui sibi vivens laudem peperit immortalem, tamen præstandum est à nobis debitum officium amicitiæ nostræ, quæ jam amplius annis quatuor & quadraginta inter nos similium studiorum cursu cœpta semper viguit sanctissimè absque ulla querela aut benevolentiæ intermissione. Solent quandoque inter amicos dissensiones, jurgia, & contentiones exoriri, ut intermissio quædam benevolentiæ fieri videatur. Sed nostra semper inviolata permansit animorum conjunctio, quorum amorem nullius unquam dissidii causa distraxit. Et id quidem jure inter nos contigit. Ea namque vera est ac stabilis amicitia quam optimarum artium studium & bonorum morum similitudo contraxit; quæ quoniam mutua benevolentia & officiis fovetur, necesse est ut ita sit firma ac diuturna. Et licèt ab omnibus doctis ac eloquentibus viris hoc munus postuletur ut famam ejus qui hujus seculi nostri & doctorum omnium maximum fuit ornamentum celebrem reddere ad posteros debeant, tamen id præcipuè à nobis suo quodam jure videtur exigere jus nostræ amicitiæ & voluntatum studiorumque conjunctio; ut in quem vivum summa beneficia contulimus, defuncti quoque memoriam aliquo munere afficiamus. Sed antequam de eo quod proposui dicere aggrediar, paucis mihi queri liceat de communi omnium nostrum conditione, quæ mihi in angusto nimis & in incerto rerum statu videtur esse posita, deque fatorum injuria, quæ me omnibus his privarunt quos mecum ab ineunte adolescentia litterarum studia summa caritate & benevolentia devinxerunt. Nam primò communem doctorum omnium parentem Colutium Salutatum humanissimum ac doctissimum virum, tum Robertum cognomento Rufum, deinde Nicolaum Nicolum, viros omni litterarum genere & humanitatis studiis præstantissimos, deinceps omni virtute virum celebrem Laurentium de Medicis, pluresque alios summa mihi amicitia conjunctos eripuit nobis. Restabat hic unus veterum studiorum & quasi renascentis olim Academiæ Socius, quocum non solùm studia sed cogitationes quoque communicare solitus eram, revocans sæpe sermones nostros ad illam prioris ætatis nostræ jocunditatem, cùm omnes hi viverent quos modò nominavi. At hunc quoque in ipso fructu laborum suorum interceperunt, ostenderuntque nihil extremo die esse incertius, nihil hac nostra infirmius vita. Et quidem hic obitus nos admonet magis de futuro quàm de præsenti tempore esse cogitandum. Incertus est enim ac dubius status vitæ, fragilis hominum natura, corpus imbecille & quod multos subeat casus. Nam si, ut inquit Varro, homo bulla est, eo magis senex. Erat Leonardus noster septuagenarius, tamen valido corpore ac robusto, quippe qui raro adversam valitudinem sit expertus, ut nihil ei ad præsens quàm mors repentina extimescendum esse videretur. Sed nihil nos fallit magis quàm quòd nemo adeo senex est quin annum, ut scribit Cicero, speret se esse victurum. Quo fit ut longiùs quandoque trahamus res nostras quàm deceat viros sapientes & cogitata vitæ ratio postulet. Mors enim à tergo instat, & conatus nostros, quamvis honestos, in medio apparatus interscindit atque abrumpit, & omnia secum aufert, nisi quæ virtute & vitæ bonitate fuerint comparata. Itaque perbeati meo judicio illi æstimandi sunt, quorum vita non hac brevitate temporis circumscribitur, quæ omnibus animantibus est communis, sed ad posteros longo intervallo virtutum beneficio propagatur. Quamvis autem nihil sit in morte mali, neque post ipsam quidem, his qui justè & rectè vixerunt, (nam in ea vitæ anteactæ viri boni præmia adipiscuntur, totaque vita sapientis nihil aliud quàm mortis meditatio esse debet) tamen dolendum est nobis, qui reliqui sumus talium virorum præsidio & virtute privati. Etenim mors non his deflenda aut misera videri debet qui diem obeunt, si justitiam coluerunt, sed illis potiùs qui supersunt. Illi enim fortunæ omne arbitrium effugerunt, his novarum rerum impetus pertimescendi. Illi suum finem, in quo est vitæ perfectio, sunt sortiti; aliis asperum iter agendum. Quò verò meliores habentur fines quàm ea, quæ ad finem spectant, eò sapientis mors melior perfectiorque quàm hæc vita æstimanda est. His mors gravis esse debet quorum vita morti est similis, nulli virtuti conjuncta. Quibus autem perpetua laus & gloria vitæque anteactæ fructus proponitur, ii mortem æquo animo ferunt, tamquam laborum finem & præmia meritorum. Quoniam verò (ut jam redeamus quò nostra defluxit oratio) illius laudes sumus prosequuturi, cujus nulla pars vitæ laude vacavit, ita eas distribuemus ut tum vitam omni commendatione exactam, tum opera quæ in nostram utilitatem edidit recenseamus. Natus est hic Aretii civitate admodum antiqua ac maximè nobili & olim inter capita Ethruriæ, cùm ea potens viris armisque esset, æstimata. Hæc olim urbs adeo opibus virisque magnifica & opulenta fuit, ut eam solam quondam P. Scipioni ad bellum Punicum proficiscenti triginta millia scutatorum pollicitam esse, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas millia quinquaginta, summamque pari cujusque generis numero expleturam, secures, rutra, falces, alveolos, moles, quantum in quinquaginta longas naves opus esset, tritici centum & viginti millia modia, & viaticum decurionibus remigibusque allatura T. Livius refert. Magna profectò potentia, amplitudo, opulentia ejus civitatis censenda est, quæ tantum ad belli Punici expeditionis attulit quantum universa Ethruria vix hodie possit efficere. Sed & nostris quoque temporibus duabus rebus quibus honor & fama præcipuè acquiritur semper claruit, militari gloria, & studiis litterarum. Multos illa civitas nobiles & egregios in re

Vide Aretin. lib 1. epist. 1. & seqq.

T. Livius lib. 28.

militari viros, ut de superioribus sileamus, nostra ætate protulit, plures litterarum studiis in omni genere doctrinæ præclaros, quorum pars diem suum obiit, pars Dei beneficentia ad communem eloquentiæ & sapientiæ usum nobis reservavit; qui cùm sint vobis notissimi, eorum nomina, ne eis blandiri videar, prætermitto. Unum non præteribo, quod forsitan multis ignotum est, Francisum Petrarcham virum doctissimum ac sapientissimum, cujus ingenio plurimùm debemus, patria, ut ipse testatur, Aretinum fuisse. Itaque maximas civitati illi docti omnes & habere & agere gratias debent, quæ Musarum domicilium videtur nostris temporibus extitisse. Certè ab eis humanitatis & sapientiæ studia exculta maximè sunt atque amplificata. Et genere Leonardus minimè claro fuit. Sed quod natura non attulit, virtus elargita est. A se ipso enim nominis claritatem ac generis nobilitatem traxit, quæ vera est & perfecta nobilitas. In quo enim virtutum splendor consistit, in eo ingenua ac perfecta nobilitas inest, non exteriùs proficiscens, sed nascens domi, non alieno sed proprio beneficio parta, non majorum opera, sed suis vigiliis, laboribus, studiis acquisita. Nam qui genus jactat suum, ut tragicus inquit, aliena laudat. Et quidem quanto præstat lumen præbere aliis quàm alieno splendore lucere, tanto satius est sibi peperisse nobilitatem quàm alteriùs munere accepisse; si tamen accipi potest, & non sibi quisque nobilitatem comparat virtutum gloria & rectè factis, ex quibus maximè nobilitatis aura resplendet. Itaque sive, ut Aristoteli videtur, ei nobilitas virtute & opibus comparatur, hic egregiè nobilis evasit; sive ut Stoicis placet, sola virtus illam parit, satis abundè nobilitatus est & claritate nominis per ora omnium pervulgatus. Ab ineunte adolescentia Latinas litteras in patria percepit; & cùm animo majora quædam conciperet, Florentiam se contulit, in qua uberior discendi facultas & amplior consequendæ laudis campus esse videbatur. Ibi quadriennio juri civili operam dedit. Quo in studio cùm plurimùm profecisset, supervenit Manuel Chrysoloras ex urbe Constantinopoli, Græcorum omnium sapientia & eloquentia tum facilè princeps, qui studia Græcarum litterarum, quæ jamdiu in Italia oblita & sepulta erant, apud nos primus excitavit. Et cùm plures ad ejus doctrinam confluerent, haberenturque cœtus præstantiores, Leonardus illorum gloria commotus, cùm in eo studio magnam laudem propositam videret, posthabita juris civilis cura, adhæsit Manueli; brevique effecit ut omnes coauditores tum bonitate ingenii, tum studio diligenti facilè superaret. Exercebatur tum Latina in Græcum sermonem, tum Græca in Latinum convertens. Sed cùm utraque in lingua adeo profecisset, ut eloquentia excelleret omnes, qui tum doctissimi habebantur, labores verò suos tantummodo laudari, nihil verò sibi afferre emolumenti cerneret, & premebatur inopia, ut qui tenui esset censu, rediit ad disciplinas juris civilis, quæ suis cultoribus opes & divitias pollicentur. Querebatur sæpe mecum pro nostra familiaritate se invitum & necessitate compulsum relinquere ea studia ex quibus magnam sibi gloriam paratam omnes prædicabant, & ad eam scientiam quæ jam antiquasset se everti; præsertim cùm tanquam studiorum suorum primitias jam quædam opuscula edidisset summa cum eloquentia & omnium commendatione. Accidit interea ut ego ad curiam Romanam proficiscerer, Bonifacio IX. Pontifice, fieremque paulò pòst quàm accesseram litterarum apostolicarum scriptor. Quod officium & utile est & honestati dignitatique conjunctum. Successit anno post Innocentius VII. defuncto Bonifacio in pontificatu. Et cùm antea Leonardus, qui illam legum molestiam effugere cupiebat, primò verbis, deinde litteris egisset mecum, ut curarem, ut in curiam accerseretur ad aliquod exercitium, ex quo victum honestum posset consequi, mihi verò cum his, qui essent Innocentio proximi summa esset necessitudo, laudando Leonardum, & orationis elegantiam virtutemque præ ceteris extollendo, ac simul quædam ejus scripta ostentando, effeci, ut is, licèt ignotus tum Pontifici tum ceteris, ab Innocentio Secretarius fieret, duorum præsertim opera, qui Pontifici etiam carissimi, mihique satisfacere cupiebant. Qua in re multas ac graves contentiones suscepi adversus quosdam, qui illud idem summopere ambiebant. Sed ego omnia pro amico subeunda esse judicans, & illius desiderio satisfacere cupiens, nullum laborem, nullam diminutionem honorum, nullam malevolentiam pro nostra conjunctione declinandam putavi. Meis itaque litteris accitus ad Urbem, pauloque pòst meorum opera Secretarius effectus, ostendit vera esse, quæ à me de eo ferebantur; brevique se in Pontificis, qui humanissimus erat, benevolentiam insinuans, illi acceptissimus fuit. Eodemque officio, quod semper summa integritate, fide, innocentia administravit, Gregorii quoque atque Alexandri & Johannis tempore, cujus pontificatus quæstuosissimus fuit, functus est, multasque tum pecunias Johannis indulgentia contraxit. Sed cùm Johannes esset Bononiæ, Leonardus accitus est à vobis in Cancellarium. Quo in officio paucis mensibus præfuit. Nam tum novi exercitii difficultas, tum majoris spes emolumenti, eum coëgerunt ut abdicato officio, ad prioris exercitii vitam rediret. Romam, in qua Johannes Pontifex aderat, profectus est. Paulòque pòst uxorem duxit adolescentem optimam, ex qua unicum filium suscepit, quem mœstum & sordidatum flentemque videtis. Tum ad Urbem rediens, Pontificem sequutus est quoad Constantia civitate Germaniæ, quò Concilii causa accesserat, aufugeret. Hìc cùm cerneret Johannem præcipitem se agere, multa

[Margin note: Vide Aretin. lib. 1. epist. 1. 2.]

[Margin note: Vide Aretin. lib. 3. epist. 12.]

ta verò tum pericula illum sequentibus impendere viderentur, finem illius sequendi sibi constituens, Florentiam reversus est. Et cùm litteris ac scribendi rure contentus, ac honesto otio frueretur, iterum cancellaria ei à vobis demandata est; quæ summa cum laude atque auctoritate usque ad extremum vitæ tempus ab eo gesta est. Functus est etiam summis magistratibus civitatis. Nam bis ex Decemviris summo civium favore factus fuit, vexillumque societatis tribus gessit, ac ex Prioribus unus creatus est. Ad id quoque (quod præcipuum est in civitate) vexillum pervenisset, nisi mors vivendi finem attulisset: quæ licèt in ætate provecta contigerit, tamen acerba dici potest atque immatura, si virtutes ejus consideretis, si mores, si scribendi utilitatem, si gravitatem, si prudentiam, si otium quod semper ad scribendi curam utilitatemque viventium conferebat. Quæ omnia nobis dies unus abstulit, eumque abstulit quem, si fas esset optare, oportebat fieri immortalem. Quia autem duo genera sunt hominum qui procul à laude militari vitam honestam sequuntur, alterum eorum qui animum suum applicant ad rempub. gubernandam, inque ea administranda labores pro communi utilitate suscipiunt, alterum eorum qui otio dediti litterarum quiescunt procul à turbine populari, utrumque Leonardus noster est summa cum laude complexus. Nam otii fructus uberrimos nobis & quamplurima ingenii sui monumenta reliquit. Rei etiam publicæ curas gubernandæ adiit; in qua ita versatus est, ut summa continentia, integritate, & virtute, atque innocentia nemini cesserit, & præstiterit multis. Magna hæc summi ingenii argumenta sunt & præstantis naturæ insignia, cùm in otio tantum reipub. muneribus sit impartitus quantum qui nihil aliud agunt, & tanta conscripserit quanta ne illi quidem assequuntur qui procul à reip. laboribus summa in quiete consenescunt. Vita fuit per omnem ætatem parcissima ac severa. Summa vixit æquitate, continentia animi, modestia, justitia, ut qui neminem unquam lacessierit injuria, nemini maledixerit. Amicis præsto erat, si quid ejus opera uti vellent. Prudentia ac gravitas in eo viguit singularis. Quod ei tempus à litteris supererat & à reip. negotiis, tum privatæ rei impartiebat, tum cœtui amicorum, quibus admodum delectatus. Domi severus, foris humanus fuit. Morosior paulùm difficiliorque habitus est quàm studia humanitatis & doctissimi viri ratio postulare viderentur. Sed morositatem parcitatemque à natura contraxit, virtutes sibi studia ac scribendi agendique diligentiaque pepererunt. Verùm quod multis vitio tribuitur, id ego in viris doctis minimè judico reprehendendum. Non enim aliquando non sibi nasci hominis est virtute præstantis, sed trunci potiùs ac stipitis insulsi. Quidam tarditate mentis & stupore quodam pigrescunt, nihil sentientes, etiamsi more bubulcorum stimulo pungantur. Quod non virtutis videtur esse, sed stupiditatis. Nam excitata ingenia prompta vigentia necesse est commoveri quandoque ad breve tempus; & aut aliorum timiditate aut injuria aut errore subita quadam indignatione excitari, id magis naturæ ingentis ac perspicacitatis esse videtur quàm aut dissimulare passionem, ut multorum qui se bonos haberi volunt mos est, aut omnino non commoveri, quod nulla virtus præstat, sed mores aut callidi aut hebetes sensus aut ignari. Non autem subita effervescentia & repentina quædam indignatio, quæ nemini noceat, est vituperanda, sed potiùs commendanda. Excitat enim animum, & ingenium solet reddere perspicacius. Hæc vitæ ratio viri optimi fuit, quam paucis prosequuti sumus, ut ad ea quæ majora sunt, quæque mihi secundo loco proposueram dicenda, veniamus. Cum adhuc Græcis auctoribus Florentiæ vacaret, transtulit sermonem quendam beati Basilii, quem habuit ad discipulos instituendos mira dicendi suavitate, ut non traducta oratio, sed à se profecta videretur. Deinde summa elegantia dialogum quendam edidit, in quo cum primo libro viros præstantissimos doctissimosque Dantem, Franciscum Petrarcham, Johannem Boccatium, eorumque doctrinam, eloquentiam, opera impugnasset, secundo in superioris excusationem ipsorum & virtus laudata est. Et vita Tiberii & Cai Gracchorum, Pauli Æmilii, Catonis posterioris, Sertorii quoque & Ciceronis ex Plutarcho Latinas fecit. Sed vitam Ciceronis non tamquam interpres sed velut à se editam composuit, multa addens à Plutarcho prætermissa. De laudibus hujus florentissimæ urbis edidit librum unum. Transtulit præterea libellum Xenophontis de tyranno, ex Platone verò Gorgiam & Phœdonem & epistolas quasdam. Ex Aristotele autem œconomicam, in cujus explanationem quædam edidit, ac ethicorum & politicorum libros, in quibus rejecta barbarie pravorum translatorum, ita ad verbum ferè sententias exprimit ut facilè intelligi queant à Latinis. Insuper Aristotelis vitam scripsit multis ex auctoribus tam Græcis quàm Latinis contractam. Commentaria quoque primi libri belli Punici ex Polybio Græco historico duobus libris expressa reliquit. Ex Procopio historiam Gotthorum quatuor libris complexus est. Volumen quoque epistolarum & plura opuscula, velut de militia, contra hypocritas nostri temporis, separatim historiam; multaque præterea composuit in quibus dicendi elegantia & summa ingenii vis apparet. Sed quod sibi summam etiam laudem omnibus affert seculis, historia est de rebus Florentinorum duodecim libris scripta. Orsus est eam paulò supra trecentesimum annum, à quo tempore res populi Florentini certiores ex superiorum scriptis reperiuntur, opus certè luculentum, & quo fama nomenque Florentinæ urbis in æternum ad po-

posteros certo & maximæ auctoritatis scriptore demandabitur. Non autem quod proposuerat ad extremum deduxit. Nam cùm constitueret ad hæc nostra tempora usque historiam prosequi, bella solummodo quæ cum priori Duce Mediolani gessimus conscripsit, reliqua perficere conantem mors interrupit. Hujus historiæ causa singulare à vobis est ei virtutis præmium constitutum, quod & gratæ & ob susceptum beneficium civitatis memoriam præberet & alios excitaret ad commendanda gesta ejus urbis quæ tam memorem se præstaret bene erga patriam meritorum. O civitatem egregiam! O rempub. & summis laudibus extollendam! O dignam maximo imperio urbem, in qua tanta doctrinæ præmia exposita esse videamus! Neque ullam esse rempublicam, ullum populum, ullos Principes, apud quos studiis humanitatis & eloquentiæ deditis majora virtutis munera sint concessa, apud quos tantus habeatur optimarum artium studiis honor. Nam cùm primùm domicilium Leonardus Florentiæ elegit historiamque cœpit contexere, civitate à vobis & certa census quantitate, quæ etiam ad filios manaret, in civitate donatus est. Eadem immunitas & Carolo quoque Aretino summa eloquentia atque sapientia prædito postmodum concessa. Postremò quoque & mihi, licèt in doctorum aut eloquentium numero minimè sim censendus. Sed tamen mihi, eadem similium studiorum de me concepta opinione, idem muneris tribuistis. Leonardi verò, quæ antè ad tempus concessa erat, immunitatem in laborum suorum retributionem perpetuam effecistis. Tantum abest ut hanc rempub. pœniteat gratias beneficii reddidisse, ut illud majore liberalitate voluerit esse accumulatum. Ubinam gentium audimus tanta beneficia cives, tam propensam in ornandis viris excellentibus civitatem, tanta suffragia eloquentiæ studiis impensa? Hæc verò præstans humanitate ceteris gentibus communis bonarum artium patria dici debet & dicendi artis officina, quæ humanitatis doctrina præditos recipit, colit, fovet, & summis honoribus ornat, tum dum spiritum trahunt, tum etiam dum vita funt functi. Apud Athenienses olim magna copia fuit scriptorum qui eorum res gestas suis vigiliis ornarunt, tum Græci, tum peregrini; sed nullum eorum legimus aliqua ab Atheniensibus suorum laborum præmia publicè consequutum. Romanorum facta ac dicta multa præclara ingenia conscripsere. Ennium tantùm civitate donatum accepimus opera P. Scipionis. Nullum ex reliquis, cùm plures fuerint, comperimus aliquo à repub. munere affectum, cùm sua in tradendo posteritati Romanorum memoria vitam & operam collocassent. Hæc sola inter ceteras urbes, tamquam sapientiæ domicilium & studiorum optimorum auctrix, admirabili quadam virtute & animi excellentia Pierum, qui primus ejus gesta suis scriptis in lucem prodere est aggressus, maxima beneficia in vivum, singulares honores in mortuum collocavit, ostenditque quam accepti ii sibi essent quorum opera in suo honore & laudibus versaretur. Magnum hoc in reliquis incitamentum ad capessendum id doctrinæ genus in quo qui elaborant, maxima suorum laborum vigiliarumque sunt præmia consecuti. Major illorum consolatio quibus civitatis indulgentia fuit tam propensa ut singuli munere fungerentur maxima civium gloria, quorum nomen reddetur scriptorum studiis & tali beneficentia immortale. Sed quoniam Leonardus iter nobis ostendit, tum virtutibus suis, tum ingenii præstantia, ad laudem & gloriam consequendam, hortor eos quorum vitæ ratio est à literis aliena ut ejus virtutem, continentiam, probitatem, caritatem erga patriam imitentur. Licet enim etiam sine litteris civem esse præclarum & eum rempubl. tum consilio atque opere juvare. Nam & apud priscos illos & apud posteriores fuere permulti absque ulla doctrina excellenti virtute præditi, qui res & bello & pace præclaras magna cum laude gessere. Et cum virtutis laus in actione consistat, continentiam, probitatem, innocentiam, animum in consulendo liberum, in agendo diligentem potiùs quàm scientiam civitas desiderare atque appetere videtur. Verùm litteræ si accedant, minimè sunt repudiandæ, sed appetendæ potiùs si desint, quoniam afferunt summum ornamentum earum cultoribus, & ad res agendas doctiores ac perfectiores solent reddere. Illos verò quibus Musæ sunt cordi, quique bonarum artium studiis deduntur, obsecro ut eum vitæ cursum quem cœperunt, dicendo scribendoque prosequi omni conatu atque animi contentione nitantur, sectenturque illius vestigia cujus laudes in cælum consensu omnium efferuntur, in primis autem virtutem colant & habeant vitæ ducem, sine qua & litteræ contemnendæ sunt, & doctrina omnis videtur esse repudianda. Nam quibus pluris est scientia quàm virtutis indagatio, ii viri evadunt callidi & perniciosi & tum reipubl. tum ceteris inutiles. Longè enim errant illi à quorum mentibus abest virtus suorum actuum atque operum moderatrix, doctrinamque ad salutem hominum comparatam ad perniciem gentium convertunt. Re enim honesta abutuntur ad scelus & perfidiam, & tamquam virginem castam videntur prostituere in nefarios usus. Itaque omnes qui viri magni & ceteris præstantiores esse volunt nomenque suum reddere clarum, litterarum studiis & doctrinæ exercitia virtutum adjungant, eaque ad reipub. & ad singulorum utilitatem conferant. Præstat enim indoctum civem esse quàm malum, minúsque malus civis rudis quàm doctus qui rempubl. perturbat & nocet civitati. Qui autem hæc duo enixè amplectuntur, necesse est ut primùm beata vita fruantur, quæ virtute & rectè factis acquiritur, tum verò assequantur memoriam nominis sempiternam,

postre-



Epitaphium LEONARDI ARETINI, Florentiæ in Templo S. Crucis.

poſtremò felicitatem futuræ vitæ, quæ eſt vera & perfecta felicitas, quámque omnes debemus appetere, conſequuntur.

Epiſtola POGGII ad GUARINUM, in qua ſcribit *Quintilianum* ſeſe apud Monaſterium S. Galli, ac *Aſconium Pedianum* adinveniſſe, ob quod communi Rhetorum utilitati gratulatur.

POGGIUS GUARINO VERONENSI *Sal. pl. d. Licet inter quotidianas occupationes pro tua in omnes humanitate & benivolentia ſingulari commodum ſemper tibi mearum litterarum adventum eſſe non ignorem, tamen ut hiſce perlegendis præcipuam quandam præſtes attentionem. Te majorem in modum obſecro: non quidem ob eam cauſam, ut aliquid in me ſit, quod vel ſumme otioſus requirat; ſed propter rei dignitatem, de qua ſcripturus ſum; quam certe ſcio, cùm ſis longe peritiſſimus, non parvam tibi ceteriſque ſtudioſis hominibus eſſe allaturam animi jocunditatem. Nam quid eſt (per Deum immortalem!) quod aut tibi, aut ceteris viris poſſit eſſe jocundius, gratius, acceptius, quam cognitio earum rerum, quarum commercio doctiores efficimur, & quod majus quiddam videtur, elegantiores? Nam cùm generi humano rerum parens natura dederit intellectum ac rationem; tanquam egregios duces ad bene beateque vivendum, quibus nihil queat præſtantius excogitari; tamen haud ſcio, an ſit omnium præſtantiſſimum, quod ea nobis elargita eſt uſum atque rationem dicendi, ſine quibus nec ratio ipſa, neque intellectus quicquam ferme valerent. Solus eſt enim ſermo, quo nos utentes ad exprimendam animi virtutem a reliquis animantibus ſegregamur. Permagna igitur habenda eſt gratia tum reliquorum liberalium & artium inventoribus, tum vel præcipue his, qui dicendi præcepta ac normam quandam perfecte loquendi ſuo ſtudio & diligentia nobis tradiderunt. Effecerunt enim ut qua in re homines ceteris animantibus maxime præſtant, nos ipſos & homines antecelleremus. Hujus autem ſermonis ornandi atque excolendi cum multi præclari, ut ſcis, fuerint Latinæ Linguæ auctores, tum vel præcipuus atque egregius* M. Fabius Quintilianus*: qui ita diſerte, itaque abſolute ſumma cum diligentia exequitur ea, quæ pertinent ad inſtituendum perfectiſſimum oratorem, ut nihil ei vel ad ſummam doctrinam, vel ſingularem eloquentiam meo judicio deeſſe videatur: quo uno ſolo, etiamſi Cicero Romanæ parens eloquentiæ deeſſet, perfectam conſequeremur ſcientiam recte dicendi. Is vero apud nos antea (Italicos dico) ita laceratus erat, ita circumciſus, culpa, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognoſceretur. Tute hominem vidiſti hactenus*

lacerum crudeliter ora;
Ora manuſque ambas populataque tempora, raptis
Auribus & truncas inhoneſto vulnere nares.

Dolendum quippe erat & ægre ferendum, nos tantam in hominis tam eloquentis fœda laceratione jacturam oratoriæ facultatis feciſſe. Sed quo plus tunc erat doloris & moleſtiæ ex ejus viri mutilatione, eo magis nunc eſt congratulandum, cum ſit in priſtinum habitum ac dignitatem, in antiquam formam atque integram valetudinem noſtra diligentia reſtitutus.

A *Nam ſi M. Tullius magnum præ ſe fert gaudium pro M. Marcello reſtituto ab exilio; & eo quidem tempore, quo Romæ plures erant Marcelli ſimiles, domi foriſque egregii ac præſtantes viri: quid nunc agere docti homines debent & præſertim ſtudioſi eloquentiæ, cum ſingulariſſimum lumen Romani nominis, quo extincto nihil præter Ciceronem ſupererat, & cum modo ſimili lacerum ac diſperſum non tantum ab exilio, ſed ab ipſo pæne interitu* [1] *revocaverimus? Nam me hercule! niſi nos auxilium tuliſſemus, neceſſe erat illum propediem interiturum. Nam neque eſt dubium virum ſplendidum, mundum, elegantem, plenum moribus, plenum facetiis fœditatem illius carceris,* B *ſqualorem loci, cuſtodum ſævitiam diutius perpeti non potuiſſe. Mœſtus quidem ipſe erat ac ſordidatus, tanquam morti rei ſolebant: ſqualentem barbam gerens ac concretos pulvere crines: ut ipſo vultu atque habitu fateretur ad immeritam ſententiam ſe vocari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritum fidem, ut ſe ab iniquo judice tuerentur; poſtulare & indigne ferre quod qui quondam ſua ope, ſua eloquentia multorum ſalutem conſervaſſet, nunc neque patronum quempiam inveniret, quem miſereretur fortunarum ſuarum, neque qui ſuæ conſuleret ſaluti, aut ad injuſtum rapi ſupplicium prohiberet. Sed quia temere perſæpe eveniunt, quæ non audeas optare, ut in-* C *quit Terentius noſter, fortuna quædam fuit cum ſua, tum maxime noſtra, ut cum eſſemus Conſtantiæ otioſi, cupido inceſſeret viſendi ejus loci, quo ille recluſus tenebatur. Eſt autem Monaſterium S. Galli prope urbem hanc millia paſſuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi, & ſimul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus eſſe dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertiſſimam librorum copiam quos longum eſſet recenſere,* Quintilianum [2] *comperimus, adhuc ſalvum & incolumem, plenum tamen ſitu, & pulvere* [3] *ſqualentem. Erant enim non in Bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas poſtulabat, ſed in teterrimo quodam & obſcuro carcere,* D *fundo ſcilicet unius turris, quo* [4] *nec capital. quidam rei damnati retruderentur. Atqui ego pro certo exiſtimo, ſi eſſent qui hæc barbarorum ergaſtula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac cognoſcerent more majorum, ſimilem fortunam experturos in multis, de quibus jam eſt conclamatum. Reperimus præterea libros tres primos & dimidiatum quarti* C. Valerii Flacci Argonauticon, *& expoſitiones tanquam thema quoddam ſuper octo Ciceronis Orationibus* Q. Aſconii Pediani, *eloquentiſſimi viri, de quibus, ipſe meminit Quintilianus. Hæc mea manu tranſcripſi & quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum & Nicolaum Florentinum.* E [5] *Habes, mi ſuaviſſime Guarine, quod ab homine tibi deditiſſimo ad præſens tribui poteſt. Vellem potuiſſem etiam librum tranſmittere; ſed Leonardo noſtro ſatisfaciendum fuit. Verum ſcis, quo ſit in loco, ut ſi eum voles habere, puto autem te quamprimum velle, facile id conſequi valeas. Vale & me, quoniam id mutuo ſit, ama. Conſtantiæ XVII. KL. Jan. Anno Chriſti M CCCCXVII.*

---

1. *In avitam patriam*, addit Mabillon.
2. *Reperimus.* Mabill.
3. *Refertum.* Mabill.
4. *Ne vita quidem damnati detruderentur*, Mabill. *ne capitales quidem rei*, Menag.

F 5. Addit Mabillon: *qui cum a me hujus theſauri adinventionem cognoviſſent, multis a me verbis Quintilianum per ſuas literas quamprimum ad eos mitti contenderunt.* Hæc in noſtro codice deſiderantur.

FRANCISCI BARBARI EPISTOLA AD POGGIUM,

In qua gratias agit ob varia & utilia Reipublicæ Literariæ allata.

Etsi præclari facti tui conscientia & eruditorum hominum, de quibus bene meritus es, tanta etiam voluntate contentus sis; tamen pro ea litterarum necessitudine, qua non mediocriter devincti sumus, nostra interesse putavi tibi gratias agere, ut humanissimum hoc officium tuum minime silentio præterirem: cùm illorum indicium librorum ad nos dimisisses, quos opera & diligentia tua nobis & posteris recuperasti, ut privatim & publice maximo gaudio & gratulatione frueremur. Nihil enim prope gratius ac jocundius indicari potuisset, quam id, quod communiter ad laudem tuam, quæ (ut debet) nobis carissima est, & ad humanitatis & doctrinæ amplitudinem maximum in modum pertineret. Quis tantum in bonos omnes studium, tot pro communi utilitate labores, tot immortalia beneficia, nisi ingratus esse & haberi velit, tacitus cogitare posset, non intelligo. Tu Reipublicæ causa quid facturus esses facile declarasti; cum te non vis hyemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, ut monumenta literarum e tenebris in lucem erueres, retardarunt. Tu Tertullianum, *tu* Marcum Fabium Quintilianum, *tu* Q. Asconium Pedianum, *tu* Lucretium, Silium Italicum, Marcellinum, *tu* Manilium Astronomum, L. Septim. Valerium Flaccum, *tu* Caprum, Eutychium, Probum, Grammaticos, *tu complures alios Bartholomæo Collega tuo adjutore vel fato functos vita donastis, vel longo, ut ajunt, postliminio in Latium reduxistis. Quo factum est, ut in medio desiderii tui cùm a me abesses, te potissimum isthic esse gauderem. Quidni, cum nihil tibi propemodum honorificentius ac doctis viris acceptius assequi potuisses, quam ut antequam postulares, majora quam velles, plura quam sperares vetustatis monumenta in squalore latentia ad eruditorum hominum conspectum retulisses. Lycurgo summo viro gloriæ datum est, cum primus Homerum variis in locis per frusta dispersum, quem apud Creophyli pronepotes integre servatum invenerat, ex Asia totum in Græciam reportasset. Si quid illi doctissimi homines, ubicunque sunt, sapiunt, nonne civicam tibi coronam, quæ vitæ ac salutis a te restitutæ testimonio sit, debent, cum tua virtute factum sit, ut deinceps immortalitatem facile sperare possint: præsertim cum non modo clarissimi viri, sed etiam infimus quisque civis conservatores suos hoc honore dignos judicarit. Aesculapium inter Deos relatum accepimus, postquam cum alios nonnullos, tum Hippolytum supremum vitæ diem functum, aliquot tamen post annos moriturum, ab inferis revocavit: cui si populi, nationes, provinciæ sacras ædes dicaverunt, quid vobis (nisi hoc consuetudo jam pridem abolevisset) faciundum putarem, qui tot illustres ac sapientissimos viros mortuos inperpetuum resuscitastis? quorum ingeniis ac institutis nonsolum nos, sed etiam posteri bene dicere ac honeste vivere poterunt. Si his, qui castella, urbes, provincias, receperant, triumphum dari majores nostri censuissent, & ego dignitate ac auctoritate & gratia tantum possem, quantum hi, qui fuerunt amplissimi in literario senatu & in æde Musarum, te triumpho dignissimum decernerem; quippe cum eorum doctrina & ratio humano generi longe plus adjumenti afferre possit, quam aliquorum illustrium ducum res gestæ attulerunt. Nam ut hæ paucos indices aliquando ut unam civitatem & unam*

A *interdum provinciam ab imminentibus periculis cum magna mortalium occasione deliberaverunt & a frugalitate ad omne libidinis genus plerumque converterunt; sic humanitatem & disciplinam, quæ ad bene beateque vivendum & ornate dicendum accommodatæ sunt, non modo privatis rationibus, sed urbibus, nationibus, universis denique hominibus non mediocres utilitates afferre posse dubitandum non est. Athenienses enim cùm Apollinem opinione sua sapientissimum Deum consulerent, responsum retulerunt: Se præstantissimos cives habituros, si quod optimum ac pulcherrimum esset, liberorum suorum auribus imponerent. Quod cum doctrinam, quæ libero homine* B *digna, liberos facit, prætenderet; id Indorum gemmas male & aurum interpretati sunt; cùm id non ad probitatem, non ad continentiam, non ad constantiam, sed ad avaritiam, cupiditatem, libidinem ac levitatem propensiores reddat. Cato ille perfectus, Ciceronis sententia, Stoicus, cum ex Asia Athenodorum gravissimum Philosophum deduxisset, plus sibi gloriæ, quam Cn. Pompeio ac L. Lucullo deberi censuit, quod inermis ex Asia honestiora spolia retulisset, quam ipsi maximis copiis, magnis rebus gestis, essent consecuti. Ex quibus ille superior Mithridatico bello, cum Possidonii doctissimi viri visendi ac salutandi causa domum venisset, fores percuti de more* C *a lictore vetuit, ac fasces litterarum domicilio submisit; is cujus imperio ortus occasusque parere didicerat. Quid multa? Nonne Cæsar Dictator M. Tullium hostem quondam suum omnium triumphorum majorem lauream adeptum esse confessus est? Quid quod majores nostri eadem corona Poetas & eos, qui triumpharent, dignos esse censuerunt? Innumerabilia exempla sunt, quæ hic loci, ne infinitus sim, prætermitto. Nec ab honore collegæ & tuo quispiam alienior esse debet, quod M. Marcellus & P. Scipio curru triumphali invecti non sunt, cum Syracusas & Hispanias sine magistratu in potestatem redegissent; quod te & Bartholomæum ad hoc munus obeundum summi &* D *honestissimi ecclesiæ Romanæ Pontificis delectos publice dimiserunt. Quod si Q. Fulvio Capua capta & Opimio Fregellanis ad deditionem compulsis triumphus decretus non pro recuperatis, quæ aliquando Reipublicæ fuissent, laurea decerni jus esset; quis ita de rebus male sentiet, ut vos vel honore statuæ dignos non putet, cum Olympionicis qui nunquam ex se, sed ex lateribus & lateratis suis nobilitati sunt, statuas dicatas acceperit, vos autem ingenio & industria ea perfecisse cognoscat, quæ nisi per homines & peritos & diligentes effici non potuissent. Præterea Sex. Pacuvius Taurus, Ædilis plebejus, cùm unam Sibyllarum statuam, duas autem M. Messala, quæ* E *juxta rostra positæ fuerant, restituissent, & plerique sacras ædes ac privatas domos refecissent, non mediocrem laudem adepti sunt; Vos vero quid non estis consecuti, cum Oratores, Poetas, Historicos, Astronomos, Grammaticos, qui jam sine ulla dubitatione deleti erant, restituissetis? Profecto non usitatus honos ac pervulgatus vobis tribuendus est, sed novi singularesque debentur. Ignominia econtra notandi sunt illi Germani, qui clarissimos viros, quorum vita ad horum memoriam sibi commendata esse debuit, quantum in se fuit, vivos diuturno tempore sepultos tenuerunt: quod si prudenter factum est, quid negligentius? si ex sententia, quid crudelius?* F *An quisquam ita invidus esset, ut vos exornari nimium a me censeat? Quos autem orno? Eos nempe, qui hujus litterariæ reipublicæ plurima adjumenta atque ornamenta contulerunt. Libero patri veteres aram dicare, templa collocare, & hecatombas facere voluerunt, qui reperiundi vini usus auctor fuisset, quod plerumque libidinis, furoris, insaniæ instrumentum est. Nos vero præstantissimorum librorum inventoribus vel mediocrem honoris gradum nega-*

gabimus? Profecto si majores nostri novitati invidissent; nec virtutem, nec industriam multis ac praeclaris monumentis honestassent, nobis tot bene dicendi praecepta, tot bene vivendi exempla defuissent. Constat statuam C. Terentiae sive Suffeciae virgini Vestali decretam fuisse, ut poneretur ubi vellet, quia nescio quid campi Tiberini gratificata esset Populo Romano: quae femina si hoc fortunae munere tanto honore donata est, quis iniquum putarit, si tibi & collegae non loricatam, non equestrem, non inauratam, sed togatam & aeream in aede Camoenarum decernerem. Vellem, Poggi carissime, ut omnes vel exemplo meo curam & industriam, ac diligentiam tuam in imitationem dignam, non invidiam putarent. Profecto nisi hic honestissimus prorogandi memoriam hominum mos prorsus sublatus & antiquatus esset, honorificentissimis verbis hujus monumenti caussas complecterer ipse scriptura, sed quoniam hanc veniam nobis & aetatis nostrae & reipublicae status non praebet, vel senioris illius Catonis mei consilio contentus eris, qui suas res gestas non marmoreis ac argenteis imaginibus, quae tempestate & vetustate intereunt, sed diuturna civium suorum memoria in perpetuum commendavit. Haec si tecum cogitabis, aequiori animo & majori consolatione nostrorum temporum injuriam feres. Quid enim magnificentius ac praeclarius assequi poteras, quam immortalia haec tua merita non latere in tenebris, nec esse abdita; sed cum in luce Europae tum in oculis Germaniae provinciae, atque in auribus omnium gentium & nationum esse posita? Quantum & illud est, quod in hoc communi gaudio vobis omnes gratulantur, vobis gratias agunt, quod curas vestras in Reipublicae dignitatem ac utilitatem defixistis? Quo fit, ut sperem, quemadmodum cerasa Luculliana, Zizypha Papiniana, cum alter e Ponto post Mithridaticam victoriam, alter e Syria in Italiam detulisset, & quemadmodum mala ab Appio e Claudia gente Appiana & pira a Mallio Malliana cognominata sunt; sic haec litterarum scientia, quae vestra ope ac opera e Germania in Italiam deferetur, aliquando & Poggiana & Monte-Politiana vocabuntur. Cur autem id sperem? Quod si peregrini quidam frutices, retentis vocabulis, transmigrationis suae auctoribus aeternam memoriam propagaverunt, quid de vobis exspectari par est, qui hos honestissimos & singulares humanitatis & disciplinae fructus ad nos attulistis. Accedet ad gratiam, cum uberrimam laborum tuorum mercedem suscepturus sis, si quando, quod maxime vellem, is in universam rempublicam summam potestatem habebit, cui in doctrina, cui in virtute, cui in laude percipienda ab ineunte aetate plurimum studii fuit & temporis. Erit enim sapientis Pontificis Max. beneficiis vestram memoriam persequi & magna vobis praestare, quandoquidem non parva in hoc genere a vobis accepit, quae eo majora judicio meo censeri debent, quo minus erant exspectata. Sententiam de te & collega non levem & republica dignam dixisse videor: si quis tamen eorum, qui favent laudi tuae, honorificentiorem dixerit, in eam me iturum facile recipio; hac tamen mea te contentum fore existimo, cum pro tua singulari prudentia eum honestum tibi triumphum videri putem, cum bene de republica meritis, verbis testimonium, ac consensu spectatissimorum hominum datur. Haec hactenus. Reliquum est, ut te moneam & horter, ut incumbas toto animo & studio omni in eam rem, & reliquam illam peregrinationem, ad quam, ut ad optimum ac doctissimum Guarinum Veronensem scripsisti, probe te comparaveras, ne ullam publicae & amplificandae tuae dignitatis occasionem deseras ac praetermittas. Majus enim quoddam a te Romanae litterae, quam adhuc praestiteris exspectant; quod in eam spem abductae sunt, (ad hoc enim natus esse videris) ut per te Ciceronis *de Republica*, & Varronis *divinarum ac humanarum rerum*, & Crispi, & Livii *libros*, & Catonis *Origines (ut ceteros omittam) recepturae sint. Quare, Poggi suavissime, perge, ut coepisti: nihil tibi sit antiquius, quam quod in his studiis & liberalissimis artibus conducere judicabis. Hi labores quietem, & haec impensa gloriae & fortunae tuae fructum quam amplissimum reddent. Quod eo diligentius tibi faciundum est, quod & valitudo Bartholomaei nostri hoc tibi munus magis necessarium efficit. Cum enim illius operam ac vigilantiam non parum his litteris allaturam sperarem, nescio quo casu suo, & fato nostro magna ex spe decidimus. Quamobrem omnes in te conversi sumus, quemadmodum vectores saeva tempestate vexati & cunctis navalibus armamentis nudati oculos in sacram anchoram vertere soliti sunt. Tu igitur solus pro tua cetera diligentia tantum proficis, ut hac tua cura & industria Bartholomaei valitudinem ad hoc munus minus graviter feramus, quae certe literatis hominibus permolesta est. Id vero nisi tu conficias, quis alter exspectationi nostrae respondeat, nescio; & tu communi utilitati & tuae dignitati defuisse videberis. Quam quidem ad rem ut commodius navare operam queas, quaecunque inveneris, modo digna judicaris, ut scribi cures, & rogo & oro: quid invenisse enim prodest, nisi inventis uti liceret. Nam ut illud plerumque fortunae, sic hoc virtuti attribui justis ex caussis solet: nec indecorum erit beneficium tuum tueri, cujus fundamenta non opinione solum feceris, sed re quoque ipsa auxeris & confirmaveris. Andronici Rhodii vetus vocabis exemplum: nam cum Sylla Apelliconis Bibliothecam Athenis Romam misisset, eique Tyrannionem Grammaticum praefecisset, Andronicus adhibitis librariis & Aristotelis & Theophrasti libros, qui paene ignoti erant, conscripsit, eosque doctissimis hominibus misit, unde ferme reliqua omnia exempla nata sunt; & ipse apud posteros diligentia sua nobilitatus est: quod tibi quoque faciundum esse judico. Ita enim videri videor: omnes qui favent Poëtis, Oratoribus, Historicis, Philosophis, Mathematicis, qui Latinis denique literis dediti sunt, tuas in laudes certaturos, quod non parvi genus ornamenti censeo. M. Varronis, librorum, qui primo Romae constituti sunt, curam habentis, ab Asinio Pollione imago posita est, quae sibi, judicio meo, non minus honoris attulit, cum a principe oratore ac cive amplissimo sibi collocata esset, quam cum eundem classis praefectum Pompejus ille Magnus confectis piratis navali corona donavit. Quod si fortunarum tuarum ratio impedimento sit, hujus impensae partem in me & alios, qui veteris scipturae vestigia colimus, arbitratu tuo conferas: tibi enim nonmodo velut censori parendum statui, sed extra ordinem munus hoc sine provocatione decrevi. Quare voluntati meae, & honestissimae peritorum omnium expectationi satisfacies. Quod de tanto singulari in nos amore scribis, gratissimum est: hunc & tu fovebis, & ego quibuscunque potero rebus augebo. Vale. Ex Venetiis pridie Nonas Julias Anno Christi M. CCCC. XVII.*



INDEX
NOMINUM AC RERUM.

Bri-

G.

I.

Jo-

L.

M.

N.

R.

S.

T.

V.

EMENDANDA.

Pag. 129. lin. 15. pro equi- *lege* equites, pag. 136. lin. 10. pro datus *lege* datas.

NOI REFORMATORI
dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Tommaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato : *Poggii Historia Florentina nunc primum in lucem edita, &c.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi. & buoni costumi, concedemo Licenza a *Gabriel Hertz* Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 15. Luglio 1715.

(Carlo Ruzini K. Pr. Ref.
(
(Alvise Pisani K. Pr. Ref.

Agostino Gadaldini Segr.

F I N I S.



JOANNIS MICHAELIS BRUTI,

HISTORIÆ FLORENTINÆ,

LIBRI OCTO.

Editio Noviſſima, priori multo emendatior atque correctior.

Tabula totius Etruriæ Geographica aucta,

Atque

Urbis Florentiæ Delineatione locupletata.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
NOVÆ HUJUS EDITIONIS.

NOn eſt, quod multis ampliſſimis & ſeſquipedalibus verbis hocce tibi opus commendem, Mi Lector, illudque ad cœlum uſque laudibus efferam. *Ubi* enim *rerum teſtimonia adſunt*, *non opus eſt verbis.* Paucis tamen multifarium ejus uſum Tibi proponere operæ pretium duxi, ut primò quaſi intuitu, quid illud in ſe contineat, oculis perluſtrare poſſis. Apparent itaque hic virorum inſignium ac perilluſtrium, qui olim in *Florentina* non tantum, ſed & in multis aliis adjacentibus Rebuſpublicis, & regionibus floruerunt, & res præclare geſtæ, & totum eorum vitæ curriculum. Quorum prudentia, ſummaque rebus in adverſis conſtantia, ad majora tendenti calcar addere poſſunt. Hicce profecto liber hominibus ad majora natis, non ſolum lectu jucundus, ſed etiam ad virorum illorum exemplum vitæ curſum bene inſtituendum maximum præbebit uſum. Ut itaque haud amplius utilitate hujus perrari & valde cari libri orbis literatus careret, quantum potui nitidiſſime illum de novo imprimi curavi, in cujus editione ſequentia à me emendata & adjecta ſunt: nomina virorum, urbiumque propria, aliaque maxime notatu digna diverſis à textu characteribus diſtinguere volui; Indicem præterea ad paginas ſingulas non tantum, ſed & ad literas inter columnas Capitales cura mea poſitas, fieri juſſi. Porro à mendis, & abbreviationibus, quibus hicce liber in editione priori ſcatebat, purgavi. Habes tandem hic non ſolum Geographicam totius *Hetruriæ* tabulam à me huic operi appoſitam, ſed & urbis *Florentinæ* delineationem. Superſedeo prolixiori hujus libri encomio: in perlegendo enim hujus dicti veritatem comperies: *opus laudare artificem.* Vale.

JOANNIS MICHAELIS BRUTI

In Octo Libros Florentinæ Hiſtoriæ ad PETRUM CAPONIUM *virum clariſſimum,*

PRÆFATIO.

MULTI (Petre Caponi) *in omni memoria extiterunt, qui ea quæ Reges maximi ac populi potentiſſimi geſſiſſent, literis mandarent: ex quorum numero nonnulli ſemper, cùm genere ſcribendi excellerent, magnam ſibi eloquentiæ laudem comparare, non æquè facilè ſuam fidem probare in rerum explicatione potuerunt. Quam quidem laudem, ſi qui unquam minus ſunt aſſequuti, propterea quòd cum vetuſtioribus de rebus ſcribere inſtituiſſent & magna in obſcuritate latentibus, minus cognita atque explorata afferrent: eſt aliquid cur dandam iis veniam putemus: veterum enim monumenta illis unde ſumerent certiora, defuerunt. Ac quando placet hominum inertiæ indulgere, ſi qui ita ſunt lapſi in ſcribendo, ut quicquid offenderent, propter eorum magnitudinem, quæ ſuis ſcriptis complecterentur, ſint memoriæ excuſatione deprecati: totum hoc illis æquiore animo remitti, diſſimulari quidem facilè & ferri poteſt. Illud ſanè & magna dignum admiratione eſt, & nullo modo ferendum, doctiſſimos ſæpè homines & magni nominis, cum levitatis illi ſuæ perexigua propoſita præmia haberent, gravitatis & conſtantiæ multa & maxima: ea aut mutuari ab aliis, aut excogitare ipſos potuiſſe (quod multò fœdius eſt) quæ eorum quoque fidem elevare videantur, quæ magna illis cum eruditionis atque ingenii laude hominum memoriæ tradere licuiſſet. Atque* Herodotum *quidem quem* Græcæ *hiſtoriæ parentem in primis admirata* Græcorum *natio eſt, cum plurimum cultu atque elegantia orationis enituiſſet, qua ille ex re ſatis ſolidam veramque laudem erat conſenſu doctorum hominum conſequuturus, leviſſimas fabulas & inanes conſectando, quibus referta illius ſcripta ſunt,*

illud quidem assequutum esse videmus quod illi propositum fuit, plurimum ut voluptati aurium morigeraretur: ejus gravitatis & fidei, quam maximè in rerum scriptore quærimus, nullam rationem habuisse eundem animadvertimus. Cum autem alii multi qui de eo scripserunt, tum Plutarchus *maximè hoc in illo visus est studium desiderare, gravis auctor, & quod inter omnes video constare, summæ eruditionis & ingenii. Quæ quanquam ad hunc modum se habent, ita multi fabulis tamen & mendaciis ducuntur, ut non defuerint nostra ætate, qui* Herodoti *patrocinium suscipere,* Plutarchum *tantæ hominem gravitatis & defendentem optimam æquissimamque causam, reprehendere verbis gravissimis & perstringere maledictis etiam impudentissimè sint ausi. Video de* Thucydide, *quid veteres senserint, cum quidem eorum multa adhuc de eo & præclara testimonia supersint: prudentem illum scriptorem & gravem, scribendi artificio ac sententiarum ubertate & copia longe semper cæteris* Græcis *scriptoribus antecelluisse: at in eo tamen est hominis moderatio desiderata, quòd inimicorum magis quàm sui memor, & plus æquo* Lacedæmoniis *tribuerit eorum victoriis efferendis, & detraxerit de suorum laudibus, eorum cladibus calamitatibusque augendis. Et si autem cum nulla sua culpa rem malè in* Thracia Athenienses *gessissent, pulsum ab illis injuria in exilium ferunt, id minimè tamen ab eo erat, pro cetera vitæ constantia & gravitate expectandum. Atque eadem in invidia & Philosophiæ idem, & eloquentiæ studiis clarus dicitur* Xenophon *fuisse. Cum enim ex* Socratis *schola sapientissimi hominis, pariter se & ad scribendam historiam, & ad res gerendas contulisset, nimium nonnullis visus est in* Lacedæmonios *propensus. Nam memorabili illa* Cyri *expeditione, qua illius opes fractæ postremò sunt,* Lacedæmonii Cleandri *auspiciis in* Asiam *profectus, incolumes* Græcorum *copias Duce* Cleandro *mortuo, in* Græciam, *magna eo bello partu gloria, reduxit. Quin etiam virtutis causa dicitur* Scillunte *oppido esse à* Lacedæmoniis *donatus: quo ille in loco templum* Dianæ *ejus civitatis beneficentiæ in se monumentum, & suæ religionis amplissimum erigendum summo studio exstruendumque curavit. Reliquos esse video ex veteribus* Græcis, *quorum celebre atque illustre nomen apud posteros manarit,* Siracusium Philistum Thucydidis (*ut ferunt*) *imitatorem: cujus si quis contendat minus liberum judicium in scribendo fuisse, quòd familiariter cum* Dionysio *Tyranno vixit, non mala is conjectura utatur: tum* Ephorum & Theopompum, *utrumque ex* Isocratis *officina summi hominis, atque eloquentis profectum: quorum quidem alterum* Timæus *reprehendit, multa in altero veterum testimonio accepimus, & fabulosè, & ad voluptatem conficta. Nam* Callisthenes, Aristotelis *auditor, cùm rerum explicator prudens, tum Philosophus gravis cum primis ejus ætatis fuisse fertur: veritatis quidem usque adeò studiosus habitus est, ut libertatis immoderatæ pœnas, elato jam rebus secundis* Alexandri *ingenio, cujus erat comes in* Asiam *profectus, capite luisse dictus sit. Sed de eo, quemadmodum de aliis qui per ea tempora extiterunt, cum nostra memoria nulla eorum scripta extent, nisi nobis standum veterum judicio censeamus, ferre nemo sententiam potest. Jam* Timæum, *quem tradunt Philosophiæ studiis perpolitum, magnam eloquentiam atque eruditionem attulisse ad scribendum, constat minus suam fidem, in iis quæ scripta reliquit, posteris probasse* Polybius *quidem, cum eum ipsum libere, tum* Callisthenem *reprehendit: atque adeò cum ostendisset (id quod facilè potuit, vir non minus militiæ gloria quàm scribendi studio excellens) utrumque in iis quæ scripsisset magnopere offendisse, ejus rei rationem attulit, quæ cuivis probabilis videri possit, & aliarum rerum, de quibus illis fuerit scribendum, & rei militaris homines imperitos, haud satis tutos se ab hac parte, ut summa etiam haberent cætera, præstare potuisse. His omnibus multò antiquiores, sed in numero tamen scriptorum habiti,* Xanthus, Lydius, Pherecides, Hellanicus, Hecateus, Charon Lampsacenus, *is qui* Darii *superioris temporibus, dicitur de rebus* Ethiopicis *scripsisse, cum rudes homines & impoliti, fabulosa multa undique in sua scripta congessissent, brevi cum meliores successissent, legi à suis (id quod fuit necesse) desierunt. Nam qui iisdem temporibus res ad* Trojam *gestas conscripserunt, tanta laboraverunt levitate & inconstantia, ut nisi* Thucydides, *cujus meritò magna auctoritas est, nobis fidem fecisset, esse* Græcos *in* Asiam *profectos, nemo jam qui eorum scripta legere æquo animo posset, fuerit unquam apud posteros futurus. Quanquam & is ita bellum gestum esse narrat, ut aliquanto majorem famam, quæ* Homeri *carminibus illustris ad posteritatem manarit, multis rationibus fuisse contendat.* Dion *quidem* Prusieus *non ignobilis rerum scriptor (dictus est enim* Chrysostomus *à genere orationis quo est usus in scribendo) constantissimè adversus pugnacissimos homines, causa pro popularibus suscepta,* Græcos *ita ait defunctos* Trojano *bello, ut unus ferè contra gentium omnium consensum, victos illos à suis atque adeò cæsos ad internecionem tradat: non desunt certè hoc tempore, graves homines & minimè ineruditi, qui hoc illi facile assentiantur: credo quòd* Græcorum *levitas suspecta omnibus sit & invisa, qui paulo modo accuratius, in rebus eorum sint, scriptisque versati. Non est consilium singulos ex* Græcis *scriptoribus persequi, quibus cultus atque elegantia orationis non defuit, studium illud acerrimum, quod maximè est in scriptore requirendum inprimis defuit. Ex quorum tamen numero si quis paucos esse tollendos censeat, haud magnopere pugnabo. Nam* Polybius Megalopolitanus, *is qui cum posteriore* Africano *vixit, cum præclarus historiæ autor & gravis haberetur, ad cæteram gloriam bellicas laudes etiam sibi comparavit. Ejus enim egregia ac forti opera magnis gerendis rebus usus summus Imperator fertur: ut venire in ejus gloriæ societatem, capta atque excisa* Carthagine, *meruerit.* Dionysius *quoque ex* Halicarnasso, *qui floruit* Augusti *temporibus, non solum studiis eloquentiæ, cum magister dicendi celebris atque illustris esset, sed scribenda etiam historia, magnam*

est laudem consequutus. Ac si quis alius unquam fuit, cui suæ fidei potior cura, quàm gratiæ potentium fuerit, ita idipsum concedam, ut haud magni tamen faciendum id putem. Ex infinita enim penè eorum hominum turba, qui aut nostra, aut patrum memoria hac gloria scribendi floruerunt, perpaucos semper fuisse intelligo quibus incorruptæ fidei laus, & invictæ cujusdam à labore diligentiæ, qualis in eo exigenda est, qui tanto fungitur munere, debeatur. Atque ex Latinis, *quorum modò scripta à nobis legantur, nisi quis* Sallustium *excipere velit, religiosum quidem illum in primis & severum rebus explicandis, qui prorsus hac nota caruerint, quam paucissimos esse animadvertimus. Nam* Dion Nicæus *rerum* Romanarum *scriptor, acerrimè illum reprehendit, cum quidem turpe esse & flagitiosum contenderet, quæ vitia esset in historia stylo orationis persequutus, fœdatum iis atque inquinatum fuisse. Quin etiam & in hunc ipsum* Sallustium, *ut in* Thucydidem Dionysius *scripsisse* Livius *fertur: sive homo eloquens scribendi rationem, qua est usus, quòd verisimile est, sive in rerum explicatione fidem & studium visus est minus probare. Jam &* Asinius Pollio *in* C. Cæsare, *quem omnium ejus ætatis elegantissimum scriptorem & politissimum, nostri homines merito plurimi faciunt, studium acrius & diligentiam sæpe desiderat, majorem nonnunquam etiam fidem. Quanquam neque ille, cùm esset omnium reprehensor acerrimus, aliorum reprehensione caruit. Dicitur enim unus maximè studiosus* Pompejanarum *partium fuisse: quæ res sæpe, ut magna etiam prudentia sit, impedimento esse potest, quò minus liberum sit scriptoris judicium fide sua quibus debet repræsentanda. Ac* Livius *quidem* Romanæ *historiæ tantus auctor, eam (quod vix ferendum est) scribere à fabula instituit. Cum enim* Juliam *gentem videri posteris ampliorem velit, dandam esse hanc veniam antiquitati existimat, si divinis humana miscendo origines suas & principia augustiora efficiat: neque tamen laborat, quid ita illi danda venia sit, magnopere probare. Id autem erat illi in primis agendum, ne autoritate magis sua, quæ etiam si summa meritò est, videri nulla scribenti debet, quam niti certa ratione videretur. Eadem infecit labes, quicunque ab inclinatione* Romani *imperii, hujus se scriptionis studio dederunt, & quidem multò etiam quam superiores fœdius. Inter perpetuas enim bellorum clades, quas majores nostri pertulerunt, ingenuis omnibus artibus in* Italia *sublatis, si quis animum intenderet ad scribendum, neque ille magnopere habebat, quo homines voluptate ulla in legendo tenerentur: neque in rebus quicquam facile poterat afferre, quod in magna rerum perturbatione, planè compertum testatumque esset. Extulit sese tamen historia paulò ante nostram ætatem, cum permulta secula jacuisset: ac doctorum hominum magno labore & studio, comptior paulo & nitidior videri est cœpta: ut hoc quidem tempore, & si nondum illa ita est exculta & perpolita, ut quò perfecta dici atque absoluta possit, non quædam illi etiam desint, parvo tamen adjecto studio, ad veterum nitorem atque elegantiam proximè accedere videatur. At nihilo tamen nostri diligentiores cæteris sua fide præstanda extiterunt. Si quis enim eadem legat à diversis conscripta, nunquam ille satis mirari queat, cum perpetuò inter se differant, varia ferè semper, pugnantia nonnunquam & contraria afferant, ita gratia, studio, odio efferri, ut non solùm scribendis iis quæ procul à nostra memoria absunt, sed iis etiam ipsis, quorum qui adhuc supersunt, excitari testes multi possunt, suam fidem desiderari, diligentiam certè ac studium, nulla sui pudoris habita ratione patiantur. Video me in lubricum planè locum incidisse, qui de summis hominibus non liberè solum sententiam ferre, sed detrahere etiam de eorum dignitate atque existimatione mea oratione audeam. Sed tamen in re tanta, & quæ magno est hominibus ad vitam rectè agendam adjumento, quærenda tandem causa erat, cur homines excellentissimis ingeniis, & philosophiæ atque eloquentiæ studiis clari, cum illi essent sua scripta hominum memoriæ mandaturi, cui se maximè prospicere videri vellent, per illi brevis temporis voluptatem atque incertam adeo dubiamque spem immortalitati anteferrent. Ac scio equidem plerisque videri, minimè hoc pertinere ad summam felicitatem, & quæ sit hominum de nobis post multa secula sententia futura, haud nobis esse magnopere laborandum. Sed cum iis nobis res est, qui cùm famæ & nomini student maximè, tum ut hoc ipsum apud posteros consequantur, dies noctesque constantissimè adversus voluptates omnes pugnando, maximis vitæ laboribus & gravissimis perfunguntur. Quod autem multò est gravius, neque hoc illi ignorant, ut quanta maxima in homine esse potest, eloquentiam rebus narrandis & copiam adhibeant, hac una cura neglecta suæ fidei hominibus probandæ, nullam se quidem, aut perexiguam gratiam apud posteros inituros. Enimvero in eo homine, qui rem tantam sibi suscipiat agendam hujus vitæ communis causa, nihil est temeritate, ac levitate turpius: plurimum certè vel iis ipsis videtur obesse, quibus consulere debet maximè scribendo. Nam ubi quis semel animum induxit, ut à veritatis studio deflecteret, ægrè etiam ea, quæ vera sunt, quibus debet poterit probare. Sive autem ea ipsa, quoniam recta sint, exemplo hominibus ad rectè, & cum laude vivendum esse possunt: sive eadem à malè agendo retardare, quoniam auctoritate summorum hominum improbantur: neutrum assequitur, is qui in hoc scribendi genere minus, sibi potuit à mendacio temperare. Ut enim maximam vim veritas habet, ubi certa afferuntur ad animos permovendos, ita ubi eadem aspersa fabulis & mendaciis leguntur: ferunt homines improbi non molestè, quò suam nequitiam tegant, ea quorum essent exemplo meliores futuri, aut ludicra, aut falsa existimari. Est hoc quidem vitio dandum rerum scriptori, grave idipsum semper & perniciosum hominibus futurum, nemo negat: ita enim illi parum esse memores suæ constantiæ videntur; ut antiquiorem sua fide gratiam potentium habeant: quæ una res minimè iis cùm hoc tanto fungerentur munere erat spectanda: sed bona tamen ejus culpæ pars, est in Reges & magnos Principes rejicienda, qui cùm ea sæpe agant, quæ literis tradi sine summo eorum dedecore non possint, paratos eos homines habent, qui turpi pretio empti, magna quidem cum eorum laude, qui sunt di-*

digni infamia, majore sua tamen cum invidia, eadem audeant monumentis literarum consignata literis mandare. Qua quidem in re tamen longe illi falluntur. Neque enim modò quantopere laudati discedant, sed quorum etiam testimonio, iis curæ esse debet. Ac quando ita res videtur postulare, quid tota hac de re sentiam dicere minimè gravabor. Nunquam improbitas etiam si illa arcibus & mœnibus munita, latè in multos populos teneat & gentes imperium, diu esse tuta ab infamia & dedecore potest. Veritas enim ita suos vindices habet, ut cum magis conticescere videatur, sese prodat, vocemque mittat, atque eam quidem quæ multa etiam post secula exaudiatur. Cum igitur alatur hominum nequitia tanta non magis eorum culpa qui ipsi improbi sint, quàm eorum dissimulatione, qui cum æquè debeant & possint, eandem negligant tamen vindicare, multò illi gravius esse reprehendendi videntur, qui alendæ improbitati materiam ipsi præbent in quam vehementius animadvertere debuerunt. Ac si quis unquam alius extitit, cui fuerit scriptoris fides desideranda, una est civitas Florentinorum *hoc tempore, quæ id maximè requirat. Ita autem ea tradita literis leguntur, quæ majores eorum gesserunt, ut quæ absunt à nostra memoria quam longissimè, in his nemo ferè habeat quæ reprehendat; ubi propius ad nostra tempora accedat, unius familiæ* Medicum *perpetuas laudes, confictas in civitatem gravissimas criminationes, maledicta, convitia, mendacia impudentissima altero quoque verbo deprehendat. Neque verò ego is sum, qui cùm* Florentinam *historiam scribere instituerim, censeam mihi, ut colligam certorum hominum gratiam, quicquam de eorum existimatione detrahendum, qui in amplissima familia & nobilissima aliquando cum laude floruerunt. Nam & de* Cosmo Medice *& de* Laurentio, *summis illis quidem hominibus & clarissimis, ita omnia cum fide profiteor me tradidisse, ut iis scribendis quæ illi, aut præclare gesserunt, aut aliqua cum hominum offensione, non diligentiæ laudem modo, sed gravitatis & constantiæ etiam (si id modò à me dici mea modestia patiatur) relaturum me non desperem. An verò ego putem mihi esse verendum ne mea mihi fides fraudi in scribendo sit: qui sciam* Asinium Pollionem *summæ hominem dignitatis, in* Cassium & Brutum *qui* Cæsarem *interfecissent, laudationem* Augusti *tempore edidisse? Qui verò id fieri ab illo potuit, sine magna ejus offensione qui interfecti in tanto imperio hæres, interfectores bello acerrimo persequutus esset? At idem cum historiam scripsisset, eorum temporum æqualis, studiosus etiam (ut diximus)* Pompejanarum *partium habitus est. Quod idem* Livio Augustus *vitio vertit, quem solitum ab eo appellari* Pompejanum *eam ipsam ob causam ferunt: ut jam hoc sit indicio, eos minimè veritos, suæ fidei & religioni eo genere scribendi consulere, cum aliquid dandum esse tempori videretur. Quid* Cicero, *qui in acie armatus contra* Cæsarem *stetisset? An non est ausus ab eo conservatus,* Catonem *laudare ejus inimicum acerrimum? Neque verò* Cæsar, *cum utrumque liceret, ferro magis quàm stylo orationis suum dolorem est ultus. Quo quid æquius excogitari aut moderatius in summa rerum omnium potestate atque imperio potuit? Ac nemo ferè est magnus Princeps, cui si data optio sit, non* Augusti & Cæsaris *malit, quàm* Alexandri *imitatorem videri, qui præclarius duxit servis cum liberis liceret suis imperare. Nam* Cæsare *Dictaturam perpetuam gerente,* Cicero *consulari loco in Senatu sententiam dixit: apud* Augustum Livius *gratia floruit honoribus amplissimis auctus: propè* Asinius *regnavit: cum quidem apud* Alexandrum, Philippum *patrem laudare tantum Regem capitale esset, & non agnoscenti Jovis filium vitæ periculum intenderetur. Ac cum alii sunt, de quibus habent* Florentini *quod querantur, tum unus in his maximè* Paulus Jovius *excellit. Tanquam enim bellum iis perpetuum indixerit, ubi de eorum rebus gestis scribit, non ille quidem historiam contexere, sed instituere in eos accusationem videtur. Itaque cum injustè facit, qui non solùm plurimos lædit, sed mendacio etiam lædit, tum verò neque id quod vult efficit, iis ut gratificetur, quorum causa illos suscepit lædendos. Ex rebus enim præclaris sumptum testimonium, non ex testimonio ad gratiam res confictæ sunt hominibus ornamento. Atque ut non possum non in eo plurimum à* Jovio *dissentire, ita dignos eos Principes summa laude existimo, per quos magna administrantes imperia, liceat rerum scriptori suam fidem quibus debet, quasi religioso testi & gravi, rebus narrandis probare. Tametsi autem non ea est modò* Florentinorum *querela (nemo enim ferè nostra memoria, magnis gerendis rebus clarus habitus & illustris est, qui non vindicem ab illius injuria & mendacio quærat) at insigne magis in illos odium conspicitur, studium minimè dissimulatum in* Medices, *in* Clementem *maximè familiæ principem, quem dignitatis & fortunarum autorem habet. Ea autem una est familia, aut nulla alia præterea, quæ nostra ætate evecta in cælum, minimè assentatoris levissimi laudibus indigeat ad gloriam & famam hominum colligendam. Neque verò est hoc scriptoris munus, qui pudens modo haberi & moderatus velit, ut cum aut civiles contentiones, aut bella narret, altera parte dissidentium suscepta & gerentium arma, ut illi gladiis in acie, ita is stylo pugnet & maledicendi impunitate. At raro accusator nisi in causa turpissima, id quod* Jovius *facit, insectandis iis, qui minus æqui causæ* Medicum *videntur, vitam ejus retexit, quem accusare instituit: ne odio adductus & morbo animi cum æquitate causæ debeat, id fecisse videatur. Ita autem ille partium causa multos* Florentinæ *damnatos, proscriptos, cæsos, pulsos in exilium narrat, ut cum aliunde criminationes non suppetant, confingat ipse, comminiscatur, addat de suo. Qua licentia atque intemperantia animi, quid fingi turpius aut commemorari potest? Atque in petitione summi magistra-*

tus Thomam Soderinum & Alphonsum Strozzam, *duos cives nobilissimos & clarissimos civitatis, tanquam concitatores multitudinis & aditum sibi ad Reipublicæ imperium malis artibus quærentes contumeliosè insectatur. Hos autem? Quid* Franciscum Cardutium *eum jam honorem adeptum? Nescias majore id contumelia eorum, qui iis comitiis interfuerunt, an ejus cui est magistratus horum suffragiis mandatus.* Hominem (*inquit*) dudum in Hispania Decoctorem paucis in republica notum tenuioris Fortunæ. *Permagni hoc fit à* Jovio *cui fortunæ bona sunt prima. Neque verò hoc ipsum, decoxisse, habet reprehensionem: causa cur quis decoxerit spectatur. Quid enim si res naufragio, incendio, bello periit? Probro est alea, conviviis, popinis, lustris, Fortunam miseri nemo insectatur nisi* Jovii *similis. At ne hoc satis videatur, obliquo oculo, ait, fuisse & pallenti facie: ut* Jovii *judicio jam* Philippus *Rex*, Antigonus, Annibal, Sertorius, *tanti Imperatores quòd altero oculo essent capti, fuerint ab exercitu atque acie, in Gynæceum amandandi. Nam pallor in viro quid detrahit de dignitate? At in* Gallia *matronæ hoc pertinere putant ad formæ bonitatem, & quæ minus pallent natura, arte pallent. Nam quod de vetustate familiæ, ait, quod item in* Balthasare Cardutio *animadverterat, veretur ne parum nobis videatur contumeliosus in eam familiam extitisse, si semel modò maledicti in eam aculeum emisisset. At* Cicero *cùm quidem non historiam sed epistolam scriberet, & quidem ad hominem amicissimum & sibi persamiliarem, ita de petitione consulatus agit, ut de* Catilina *competitore parcius loquatur impuro homine & nefario. In tota verò legatione irridenda, quam civitas* Bononiam *ad* Clementem *decrevit, mendacio etiam abutitur ad risum movendum: ut jam sacerdotem non pudeat (mitto enim rerum scriptorem) mimum & scurram agere. Quem ille sequatur autorem planè ignoro. Video enim* Livium *in re simili: sed quæ plurimum tamen differat causa, cum de legatione* Carthaginiensium *ageret, qui à* Scipione *victi, à Senatu pacem petebant, causam modò, cur eam Senatus rejecerit, referre: temperare sibi à maledicto & contumelia. At quid erat cur* Jovius Aloysio Soderino *malediceret? in quo homine ait, nihil præclari præter nomen familiæ fuisse? Cur igitur ego putem Reipublicæ maximè adverso tempore, legatum à civitate hominem, qui* Jovii *testimonio minimè esset tanto muneri obeundo par? Sed homo mirificus atque elegans in simili re* Livium *tamen voluit æmulari. Habet enim cum eo institutam contentionem laudis non infelix in deligendo, si æquè in repræsentando felix. Verum illud non animadvertit, quæ in* Florentinorum *legatione nulla erat, justam Senatui causam, cur* Carthaginiensium *rejiceret fuisse. Falsa enim spe pacis in fraudem impellebatur:* Florentini *à cive pacem petebant, à Pontifice Maximo, à pacis autore, afflicta sua maximè, atque adversa fortuna. Quin autem illum flecti sperarent suorum precibus, quæ* Coriolanum *victorem à patriæ exitio avertissent? Neque verò erat credendum Christianum Pontificem malle similem, aut* Themistoclis, *aut* Alcibiadis *haberi, qui exilii solatium ex eversione patriæ quæsissent: quàm* Camilli & Scipionis, *quorum alter æquissimo animo tulit suorum injuriam, alter patriæ exul saluti fuit. Namque & illud non vidit (quod tamen permagni refert) non à* Livio *quod sibi is sumit, sed à Senatu legatos objurgari. Semper enim ille, si quando id res postulat, habet à suscepto scribendi munere sejunctum: has partes iis tribuit, quibus debentur. Qua etiam moderatione utitur notandis legatis, qui ad* Prusiam *Regem à Senatu mittebantur. Refert enim dictum* Catonis *senis, qui in illos jocatus, dixerat Senatum legationem ad Regem decrevisse, quæ capite, corde, pedibus careret. Id quidem, quod unus è legatis podagra laboraret, alter capite, parum mente valere tertius diceretur. Quam se ea in re* Jovius *jactasset? qua petulantia verborum esset in amplissimum ordinem invectus! Jam cavillatione, joco, sale (est enim in hac re totus) nos obruisset. Ac sordes quidem legatis objecit. Quod ut faciat oblitus personæ, quam gerit & memor suæ, usque eò se demittit, ut quid in jurgio cum iis apparitores garrierint ad portam, tanquam is redempta à civitate portoria haberet, cum stomacho quidem & indignatione, sed scurriliter tamen narret. Nam quod ait institutum ea de re sermonem inter* Clementem & Cæsarem *fuisse, nisi ipse scenam egit, cui rei magis aptus habebatur, quàm scribendæ historiæ, nemini id verisimile videatur, cui perspecta eorum gravitas esset. Sed illud interea non est prætereundum cum bello confecto, in* Soderinum *capite esset animadversum, ut jure damnatus videretur, criminis gravissimi loco, ei* Jovium *mendacium objecisse. Primum illud pulcherrimum,* Paulum Jovium *audere quenquam mendacii insimulare. Ausum enim, ait, reversum è* Bononiensi *legatione elevare verbis* Cæsaris *vires, exhaustum affirmare Pontificis ærarium (quid hoc magis verisimile directa atque eversa urbe? territos* Germanos *haud procul abfuisse à seditione. Ita si verum retulit, non debuit plecti: si mendacio est usus ad suorum animos confirmandos, quod erat prudentiæ, laudem meruit, dignus certè maximè visus, qui ea legatione fungeretur,* Jovium *ipse mendacii arguit, qui hoc illi non tribuit. Nam in* Cardutio *summa illius inconstantia deprehenditur. Ubi enim de illius damnatione agit, perfidiæ (inquit) hominem in Rempublicam fuisse convictum: literas enim ad se missas è* Gallia, *suppressas in principio habuisse: easdem à* Donato Jannotio *ne argumento populus offensus animos ad pacis consilia inclinaret, nefaria interpretatione conversas ostendisse. Eas falsò parata à Rege firmissima auxilia confirmasse. Ejusdem criminis damnatum* Soderinum, *dixerat, paulo antea capitis pœnam subiisse. Ad eundem ait (quod summæ virtutis*

est

est in homine administrante civitatis imperium) à Dictatura incorruptum domum abstinentissimas manus retulisse. Sive autem is de Republica benè sensit, quid erat cur Jovius *immemor quæ dixisset, ita acerbè in illum inveheretur? sive malè meritus de suorum libertate tempori serviendum statuit, dignus* Jovio *debuit videri, quem prosequeretur verborum honore, hominem minimè ab illius instituto discedentem. Verùm ego in præsentia non statui præripere* Jannotio *suam laudem doctissimo homini atque innocentissimo: qui si tacet,* Jovium *contemnit, si refutare ejus petulantiam instituit, habet ipse qui suum nomen à tam gravi mendacio atque impudenti tueatur. Quid quòd* Aloysium Guiciardinum *incertæ hominem fidei appellat, quòd avidus libertatis haberetur? Magnum hoc crimen* Jovio *videtur, homini diuturna servitute ad omne assentandi artificium accommodato. Uberem autem ille servitutis quæstum fecit, sed non tamen sua spe majorem. Nam neque semper aderat licitator, & sæpius quanti alter vellet, non quanti ipse, libertas pretio addicebatur. Atqui in eandem invidiam vocat* Nicolaum Rodulphium Cardinalem, *quem ait miti hominem ingenio fuisse, sed libertatis appetentem. Quæ hæc malum amentia est? An verò* Jovio *autore, non liceat impunè servitutem odisse, appetere libertatem? cui autem id unquam probro datum est? Reprehendit verò idipsum aliquantò gravius in fœmina: quam quidem lectissimam atque ornatissimam civitatis, muliierculæ nomine contumeliosè appellat: cum eam vel ejus testimonio virilis animi & constantiæ fuisse oporteat. Ejus enim objurgationibus territum Cardinalem legatum qui cum imperio urbi præerat, atque exturbatum è civitate ait. Quid porrò erat mirum si* Philippum Strozzam *virum atque ejus ex se liberos susceptos adolescentes clarissimos, parere legibus, quàm aut fratris filio aut patrui malebat? Quin autem illa suorum libertatem alieno Regno anteferret? mitto enim publicam causam, cum quidem non solum quo parente esset nata, sed cui esset viro adjuncta meminisset. Atque odii causam explicat: quæ quidem si fuit (id quod mihi verisimile minimè videtur: erat cur à Pontifice alienata nonnihil suo dolori indulgeret. Cur enim non ferret iniquo animo, filio tantæ indolis & virtutis adolescenti, aditum ad summum honorem Pontifice propinquo non patere, quem (ut mittam cæteros)* Jovius *assecla Pontificis sibi animo sponderet? At is postea docuit, magnitudine rerum gestarum & gloria, si cujus ea in re jactura fuit, ad neminem minus quam ad se unum spectasse. Quid autem nostra ætas habet uno* Petro Strozza *clarius atque illustrius? Sed non hi solum à* Jovio *malè accepti ægre effugere illius maledicentiam potuerunt: cum aliis intemperantius etiam agit: quos quidem non est necesse ut appellem nominatim. Una enim* Florentinorum *causam constituit, in quos acerbitatis suæ virus atque odii evomeret. Verum hoc mitius malum. Quid cum toti civitati conviciatur? Qua verborum gravitate, qua contentione animi severus & gravis censor in* Florentinorum *mores invehitur? Ea (inquit)* est natura Populi Florentini nullis ut beneficiis placari nullis vel extremæ benignitatis obsequiis obstringi possint. *Quanti porrò ea videntur beneficia æstimanda, quæ præmia servitutis constituuntur? His* Jovius *se obstringi patiatur qui alios fingit ex suo ingenio. Nati homines liberi, omni peste pejus oderunt, quicquid illud esse videatur in quo sit incitamentum atque illecebra ad serviendum. Quis autem non malit siti discruciari, quam se* Cretico *aut* Falerno *vel optimo explere, quod veneno dilutum sciat?* Superbo livore præditos *ait*, inexplebili cupiditate ardere omnes & prorsus insanire. *Nonne ipse furere potius videtur qui adeo ampullata verba fundat?* Non posse conspicere clariorem virtutem & meliorem Fortunam in aliena Domo nisi ægris oculis. *Hoc scilicet causæ est cur* Jovio *licuerit minus sua spe fortunato* Florentiæ *agere præclarè.* Notæ homines tenacitatis. *Neglexerunt enim se pretio redimere à* Jovii *petulantia*, plerumque decus in lucro ponere, *mirum id verò, cujus rei causa is neque se esse hominem unquam meminerit, hasta* Romæ *posita & proscripta venali fide. Hinc illud fama celebratum, cum is dicere consuevisset, plures se annulos hominibus laudandis, quàm* Annibalem *perdendis in scribenda historia legisse. Nam ne quis hoc ignoret, in locanda opera ita perscriptam auctionis tabulam constituebat, editurum se historiam, ea scribenda, aureo stylo argenteo uti (quid verò mirum? demissum hominem è cœlo atque è Jovis sinu?) cujus id interesset, videret quò se uti mallet, eo se æquè facile usurum. Id perinde erat ac si diceret, habere se qui de meliore nota, qui deteriore laudaret: certam esse cuique laudis generi mercedem constitutam. Eam se non quàm quisque mereretur, sed quanti emeret spectare. Nam si videri vellet aureum esse genus scribendi quo uteretur, quis illum ferret? Totus tamen ille sibi placet atque aureus videtur qui plumbeus cæteris, luteus, terreus. Sed sibi ille est satis, neque cujusquam testimonio indiget ad laudem, qui nititur suo. Enimvero* Florentini *documento sunt, ita illum sensisse (crebro id usurpare solitum quis non novit? dubitabunt posteri, propter impudentiæ magnitudinem) cum autem aliis de causis illos infestos habet, tum quoniam divino illo atque aureo uti neglexerunt & ad cotem expolito illius ingenii, locupletes homines atque opulenti. Itaque illos ferreo impetit, atque adeò ut semper faciat vulnus. Quid autem ea voce impurius? ut magnificentius lauderis, ut mitius accipiare, pacisceris, transiges, decides, solves. At ut vites infamiam, ut dedecus, ut videaris esse vir bonus qui sis improbus, vicisse qui victus sis, ut inimicus ignominia notetur, ut calumnia innocenti intendatur, tantum dabis. Ita ne vero? quid si non dabo? non feres impune? inveniam tamen qui aliquam tibi inurat notam infamiæ: non effugies: explorabo vitam*

tam

tam omnem anteactam, dicta, facta: non admisero· quid mea? ipse excogitabo. Hac licentia scimus certum hominem traditum ab eo & proditionis damnatum & supplicio affectum, qui illi adhuc superstes suum ordinem inter suos honestissimè retineat Immoderatisque & sæpe parum piis quæstibus, *quid magis ridiculum quam* Jovium *disserere de pietate? Atque hæc è secunda eorum fortuna colligit, quæ reprehendenda ducat. Quæ tamen si accusaret, non historiam scriberet, non carerent gravi reprehensione. Vertit enim vitio* Florentinis, *quod in omnes cadit, quicunque ferè quæstum faciunt, aut mercaturam exercent. Quid enim* Florentini *magis quàm* Genuenses, Veneti, Lucenses, Insubres, Galli, Hispani, *impietatis accusatore* Jovio *damnentur? Qui tamen visi essent hoc reprehensionis genus vereri, cum illis non apud* Jovium *scribentem historiam, sed fungentem sacerdotis munere esset causa dicenda. Quid autem habeat* Jovius *quod* Florentinis *respondeat, homo* Insuber? *si celeberrimis* Europæ *conventibus, qui pecuniam populo mensa posita, fœnerentur, quod est genus quæstus maximè infame, (certè ita impium est, ut iis aqua & igni quotannis interdicatur) esse* Insubres, *contendant? Atque ut sunt, ita etiam nomine* Insubres *appellantur. Sed non facient ut* Jovium *æmulati contumelia verborum in nobilissimam gentem atque humanissimam utantur. Improbi si qui sunt, ii infamia atque ignominia notandi, à tota gente & natione contumelia removeatur. At veluti nondum satis civitati maledixerit, ex ejus calamitatibus arrepta ansa criminandi, vehementius in eam atque acerbius insultat.* Per trecentos annos (*inquit*) Discordiis intestinis laborasse, *eo verò morbo quæ* Italiæ *civitas ab inclinatione* Romani *Imperii non laboravit? At* Flaminiæ *urbes desertæ à suis (ut alias omittam) vastitate, solitudine, squalore perditæ, satis faciunt fidem minimè hoc crimen (si modò est) ad unos* Florentinos *pertinere. Sed quorsum hæc commemoratio? peropportuna illa quidem ad misericordiam excitandam: ad odium & invidiam quid affert?* tanta (*inquit*) rabie, ut modo populares, modo patritios expellerent. *hoc non furoris potius quàm inconstantiæ: quæ quidem quod habet crimen in multitudine? est enim illi levitas atque inconstantia innata.* Sævis cædibus integras sæpe Familias delerent, *video quid ita rabie incitatos dixerit, id quod tamen præposterè facit. Norunt enim* Florentini, *quot familiæ nobilissimæ & amplissimæ coactæ sint è civitate exulare & quorum injuria, quod minimè* Jovius *ignorat, consultò ubi illi expedit, parum memor. Libentius autem id illi obliviscuntur, ne domestica mala commemorare cum cujusquam contumelia cogantur.* Crudelissimis incendiis in nobilissima tecta grassarentur nec in his malis unquam mitigata feritate. *Fluunt grandia atque ampla verba ex ubere ingenio & divite vena. Detestatur autem vir mitis feritatem, qui nulla ipse lacessitus injuria, in civitatem nobilissimam sæviat. Est autem hoc argumento non ut* Florentini *partium odio, sed suo ingenio efferatum animum* Jovium *habuisse.* Non dispuduisse a sordido opifice jugum accipere. *Quid* Roma? *nonne ex laniena arreptum hominem Consulem fecit? At eadem &* Marium *Consulem &* Ventidium *non novum modò hominem, sed sordidum* Romanæ *majestatis vindicem agnovit. Enimvero quid erat dicturus* Clemens *Pontifex qui sacrosanctam violatam potestatem à suis civibus, ejectos suos per summam injuriam è civitate querebatur? si eum* Jovius *expostulantem de suorum injuriis induxisset? Cujus quidem nomini & memoriæ faveo, quòd spe hominis levissimi elusa, cum is opima sacerdotia, legationes, provincias, sibi polliceretur, impunitatem ei modò pretium quæstuosæ dicacitatis statuerit. Nam inde totus in adulationem effusus* Leonem & Clementem, *ait,* Salutari sidere suis ortos affulsisse, *quibus quidem facile* Florentini *patiuntur* Jovium *assentari, modò id sine patriæ tanta contumelia, rerum scriptorem se profitentem cujus testimonium posteris non minus quàm iis qui nunc sunt, sanctissimum esse ac gravissimum oportet. At in his laudandis erigit se, turget totus, & cum classicum inflat, prodigia & portenta verborum edit.* In cives suos (*inquit*) nihil tale merentes. *at (ut cætera absint) hoc nomine merentur, quòd sunt cives.* Cuncta honorum commoda & totius certioris opulentiæ ornamenta, insatiabili studio redivivaque semper liberalitate congessisse, insana atque iniqua usos benignitate. *En cujus eloquentiam homines admirantur: Tametsi autem satis intelligo quid velit, non tamen qui idipsum velit, æquè facile assequi possum.* Nunquam Florentinos ingenio pacato, nunquam exuta Malignitate pœnitentes, renovare perfidiam, odium vetus exercere. *Nunc* Jovius *dicere aliquid videtur. Neque verò hi debent facere, ut serò atque agentes animam (quod ipse egit) resipiscant: suppeditat enim ipse exemplum pulcherrimum, quem pœnituisse ferunt extremo suæ vitæ tempore tantæ in* Florentinos *maledicentiæ, & pollicitum esse, non modò quæ in illos scripsisset, si convaluisset, sed universam historiam crematurum. Nihil autem hac re clarius. Scilicet quòd metu religio extorquebatur, non convaluit. Jam illa rursus magna cum totius civitatis invidia, quæ ad paucos tamen pertinent, & eos quidem* Clementis *propinquos: mandata esse omnia sacerdotia, urbium & provinciarum Præfecturas unis* Florentinis. *Hoc verò est quod* Jovius *ferre non potest. Quid non enim* Novocomensi *civi? nam antea questus erat, bene de virtute meritos homines præteriri. Habet enim* Jovius *qui de virtute præclarè mereatur, quod novum est. Una enim est virtus quæ juvare omnes maximè, juvari ipsa ne minima quidem in re possit. Sed intelligo quid velit. Latius patet virtutis nomen: & non jam pictor aut musicus, sed scurra, mimus, planus, saltator, habere se virtutem jactat quam profiteatur. Itaque facit homini injuriam* Clemens (*mitto philosophum, medicum,*

cum, historicum) hilari, festivo, dicaci, architecto maximarum voluptatum & beatæ vitæ, familiæ clienti ac defensori acerrimo, qui non illi aut Bononiensem *legationem, aut* Viterbiensem, *aut* Flaminiæ, *aut* Piceni *Præfecturam ultrò extra ordinem mandet. Atque illud etiam queritur homo* Insuber, *abradentibus omnia* Hetruscis, *nihil cuiquam vel honestissimo esse* Romæ *relictum, ad sacri vel profani juris proventus: sunt hæc illius verba, optimè illa quidem congruentia cum cæteris. Suo autem more loquitur, hoc est nullius præterea, qui latinè scribere aut loqui didicerit: omnes enim contemnit præ uno se. Huc verò omnis illius querela spectat, nullam esse spem compendii sacerdoti* Romæ *relictam. Scilicet hoc non est decus in lucro ponere, quod* Florentinis *paulò antè objecerat: sed lucrum in dedecore, turpitudine, petulantia, infamia, quod* Jovii *similes faciunt. Quis autem qui ita ut ille vixit, defuisse sibi unquam* Romæ *lucrum questus est? Ac non me fugit, liberum esse debere scriptoris judicium in hominum vitiis notandis. Sed multum interest, & cujusmodi ii sint quos reprehendas, & quæ ea vitia quæ reprehendantur. In homine insigniter improbo, in crudeli, immani, facinoroso scriptoris severitas, laudatur. Ita* Livius *constantiæ suæ & gravitatis memor, in* Tarquiniis, *patre & filio, & acer & vehemens & severus fuit: Regem socerum alter, virum sanctissimum scelerate interfecerat, stuprum filius per vim matronæ castissimæ nobilissimæque intulerat. At* Tulliæ *scelus perpetua gravitate orationis & quæ in ea apparet, vehementissima contentione animi exagitat, importunissimæ fœminæ & barbaro atque efferato ingenio, quæ virum abhorrentem à gravissimo scelere, in patris Regis cædem incitasset, quæ interfectum lætata esset, quæ carpentum agi in jacentis corpus, omnibus à tam fœdo spectaculo aversis, à quo suscepta in lucem, in spem successionis certam educata, collocata Regio juveni, non pietatis, non officii, non humanitatis memor, crudelissimè jussisset. Eadem verborum gravitate detestatur impium & sceleratum* Appii *facinus & autoris legum & violatoris, quibus libertas, salus populi* Romani, *atque imperii dignitas continebatur. Verùm quid hoc tam immani scelere importunius, tetrius, execrabilius, atrocius? raptam ad libidinem è parentum laribus, è matris sinu, è viri complexu ingenuam, à vindice libertatis, à magistratu, ab obtinente summi potestatem imperii, populo, civitate uniuersa inspectante: patrem frustra magistratus jura implorantem superbissimè rejectum, coactum familiæ pudorem à stupro à dedecore à contumelia, filiæ innocentis sanguine & morte vindicare. In* Annibale *perfidiam reprehendit, crudelitatem, jus gentium, socialem fidem violatam, impietatem, Deorum contemptionem, tum* Campanorum *defectionem à conjunctis propinquitatis jure, cognationis, affinitatis, quorum erant semper in se experti mitissimum imperium, ad* Pœnos *hostes, ad barbaros, ad homines nulla humanitatis, nulla quæ colerent gentium jura, nullam religionem agnoscentes. Idem in* Catilina Sallustius *& quidem magna cum laude, immiti, crudeli, nefario, patriæ exitium moliente, omni dedecore, turpitudine scelere cooperto. Quid igitur? non placet improbum reprehendi? imò placet, & verò etiam summè placet. Sed ea prima lex sit, ne falsum crimen apponatur & quæsitum calumnia, ne lateat, ut appareat, ut sit insigne, ut lædat exemplo, atque adeò quod caput est, ut ad summam rerum pertineat, de quibus agimus. Neque enim notantur quæ* Annibal *in ludo egit, in commessatione, in balneo, in covivio, in cœna: sed quæ in bello, in castris, in acie, in curia. Nam de* Campanorum *deliciis, quòd ad rem pertinebat, illud modò* Livius *notavit, invictum* Annibalis *exercitum* Capuæ *hybernis corruptum atque enervatum esse. Neque est magis scriptoris animadversio, quid ille cum fœneratore transegerit, num illi solverit ad diem, quo sit medico usus, quo atriensi, quo pistore, coquo. Si cujus autem hoc munus est, pertinere ad illos videtur, qui vitam illustris hominis scribunt. Quanquam & in eo est modus adhibendus. Itaque & ea laudem habent suam, cùm appositè, purè, dilucidè narrantur, quo quis studio sit oblectatus, armis, venatione, literis, musicis, pictura, quæ agere consueverit in cœna, quæ à prandio, meridiatione uti, deambulatione, ludere tesseris, alea, talis, sæpius uti toga, pallio. Quo in genere* Cornelius Nepos *videtur excelluisse:* Tranquillus *& diligentiæ laudem summam & fidei retulit, elegantiæ in scribendo nonnullam. Scripsit enim non ut illius ingenium, sed ut ea tempora, quibus vixit, ferebant. At* Jovius *non ut* Livius, *non ut alii, sed novo more, hoc est suo. Si quando odio fertur, habet appositum speculatorem, obsidet domum, perscrutatur latebras, adit interiora, tabulas, codicillos, adversaria. Syngraphas excutit, quid sit actum cum argentario, quid cum procuratore, cum villico: ita eruit maledictum è sordibus, sæpius è suo ingenio, & profert in lucem. Quo quid putidius? Est domi rixosus, difficili ingenio, morosus, non tenet imperium in suos, tum illa, lusit alea, decoxit, signis capita ademit, circumvenit, fraudem fecit, vapulavit, audiam à maledico accusatore, aut à lacessito injuria: maximarum rerum scriptor, spectat illustria, humilia contemnit, neque quid in popina & ganea agatur, sed quid in campo, in pulvere, in luce ad se pertinere existimat. Aliquis magistratum est adeptus, non continuò quæram utrum ille sit aliquem mutuatione fraudatus, sed utrum Rempublicam compilarit, vexarit socios, civitates alienarit. Atque in eo etiam ero religiosus, ut non omnia in quibus malè de Republica promeritus sit: sed quæ eo tempore gesserit, quo est illi magistratus delatus. Neque enim* Livius *cùm de damnatione* Salinatoris *ageret, etiam si id illi non semel licuit, plura dixit, quàm moderatum hominem & gravem decebat. Jamdiu in* Livio *moror, quòd is eum unum habet*

qui

qui cum certet de dicendi gloria. Quid Cæsar? *video enim illum commentarios de rebus ab se gestis confecisse, tum* Gallico, *tum civili bello, fuisse in* Pompeji *castra eos homines, qui in illum inexpiabili odio essent, ex iis improbos multos, cupidos, nefarios, cum latissimus ei campus pateret in quo ejus oratio exultaret, in neminem unquam paulò acerbius esse invectum, neminem verbo graviore, aut inclementiore appellasse, quæ ab iis in se dicerentur, non reticuisse, religiosè, castè explicasse res, iracundiam, animi vim, cupiditatem ulciscendi cùm scriberet, in potestate habuisse. Sed neque is* Livii *neque* Cæsaris *gravitatem magis unquam æmulandam, quàm parendum sibi suo ingenio duxit. Hoc usus est duce in scribendo, ex hac tanquam officina luculentas illas laudationes & præclaras, conflatas habet, tum accusationes & calumnias, crimina, mendacia conficta ad gratiam, quibus non jam privati, sed civitates universæ infamia atque ignominia notentur; quibus, ut quoad possem, vindicarem* Florentinorum *civitatem, ita profiteor* Petre Caponi *) me accessisse ad scribendum, ut neque gratia adductus neque odio, omnia sim explorata diligentia & studio, cum fide certè summa posteritati traditurus. Quantum enim ad* Jovium *attinet hominem neque mihi de facie cognitum (ingenium quidem ex illius scriptis, mores ac vitæ instituta, ex sermone hominum & fama novi) non verebor, nequando videar minus esse moderatè locutus quàm deceat gravem hominem & constantiæ suæ memorem. Etsi autem est turpe dicere in mortuum, at tueri adversus mortui maledicta, vivorum existimationem, videtur maximè ejus esse, qui cum possit, quid homo item homini debeat, novit. Parcitur quidem mortuo atque adeò inimico, qui nihil reliquit, quod cuiquam sit in vita timendum. At si non modò læditur lingua & manu, sed multò etiam scripto gravius, quis eum audeat reprehendere, qui illata tot vulnera nobilissimæ atque amplissimæ civitati à maledico scriptore, atque obtrectatore, sua sedulitate & studio suscipiat curanda? Ita autem* Jovius *discessit è vita uti ad octingentos annos (nihil enim perennius eo qui historiam scribit etiam cùm malus & ferreus est) impositam plagam* Florentinæ *Reipublicæ sint posteri magna cum animi offensione ac doloris sensu acerbissimo excepturi. Ea est autem una res cujus quicquid est quod offendat, tolli non magno negotio à præsentibus potest, neglectum, ut morbi, qui incuria fiunt insanabiles, perpetuò posteritati inustum ad contumeliam atque infamiam hærebit. Quæ me autem causæ (*Caponi*) moverint, ut tui nominis auspiciis proferre in lucem* Florentinam *historiam instituerim, & si omnes non est necesse explicare non gravabor. Ac de nobilitate, de splendore familiæ, de rebus gestis à majoribus, quoniam illæ à multis sunt monumentis literarum consignatæ, minus multa mihi esse censeo commemoranda. Cui verò non est* Nerii *virtus explorata proavi tui, magnitudo animi, sapientia? Quæ res, unquam est aut domi aut foris gesta, in qua esset summa virtute opus, cujus non ille autor, suasor, dux, transactorque fuerit? Cujus inquam fuit tanta potentia, administrante illo Rempublicam cujus opes tantæ, quæ civitati esse formidabiles, quæ obesse suorum civium libertati potuerint? Quæ autem ulla ætas de* Petri Caponii *gloria conticescet, qui unus in libera civitate, adversus victorem Regem, maximis viribus nitentem, exaudiente exercitu armato, quem* Italiæ *civitates, nationes exteræ horrebant, ausus mittere liberam vocem, majestatem imperii à* Gallorum *ferocia atque insolentia vindicavit? Hinc celebre illud* Florentinorum *atque acutè dictum, multas* Gallorum *cohortes unius* Caponis *voce exterritas, cohorruisse? Mitto* Nicolaum Caponium *virum optimum & civem clarissimum, quem unum maximè nostra ætass vidit, in secunda fortuna summos honores moderatione & æquitate animi, in depressa & afflicta vitæ integritatem atque innocentiam magnitudine animi & constantia adversus improborum consensum, magna sua & majorum gloria, tueri. In te uno sita sunt omnia, quæ etiam si nullam haberes à majoribus relictam nobilitatem, quam habes maximam, efficerent tamen ut te autore & principe, summam posteri haberent. Dicerem verò qua es in patriam pietate, multis jam illa monumentis illustrata & clarissimis, qua in exteros liberalitate & magnificentia, quo studio, qua beneficentia in doctos homines & claros virtute: quod propè mihi esse necessarium ducerem, ut justam mihi esse causam illustrandi tui ac celebrandi nominis probarem. Sed hæc omnia ita commemorari à me posse intelligo, ut cum mea fide quæ hoc postulat, pudor qui est in te summus & moderatio pugnet tua. Constitutum enim habes fructum tuæ virtutis, in recta animi conscientia, quo qui frui potest, ei nihil esse potest præterea in vita jucundius, gloriam, nomen, famam, non tu quidem superbè contemnis, sed ita promereri studes, ut quàm illa sint alii meriti modo spectes, quàm facilè partis fruantur, non labores. At si tibi est satis præclarè agere, non tibi æquè est curæ quàm audias præclarè: næ tu in eo ipso minus etiam quod velis assequare, ubi aliis ipse sis impedimento quo minus sibi faciant satis in rectè agendo. Quòd igitur multos comprehensos tuo beneficio habes, quòd expositas divitias ad magnificentiam, ad liberalitatem, ad viros bonos atque honestos juvandos, ad provehenda honesta studia, finem tu quidem constituis in uno te qui est optimus & pulcherrimus, eum qui est in opinione multorum positus, contemnis. Sed si quis est, in quem merita tua & beneficia sint multa: facile etiam pati debes, eum sine ulla modestiæ tuæ offensione, grati hominis officium præstare, atque id causa etiam tua, ne videaris malè tuum beneficium posuisse. Abutuntur autem multi liberalitatis nomine, decoris, magnificentiæ, splendoris, ad colligendam popularem auram quæ brevi tamen collecta effluit. Itaque patent domus florentes*

Brutus.

tes divitiis & cumulatæ fortunæ bonis, hospitiis clarissimorum hominum: excipiuntur Regum legati, insignes homines militiæ gloria, viri principes: convivia copiosè, splendidè, lautè celebrantur: at contemnuntur, humiles, miseri, non imaginibus majorum, sed rectè factis, honestis studiis, virtute clari, quæ cum esse debeant magno homini multò illis potiora, efficiunt neglecta, ut ea sint dedecori quæ putant sibi, cum magnificentiæ studiosi sint, esse ornamento. Quis autem non eum reprehendat, qui cum inani re si quis illam propius intueatur, immensas habeat effusas opes, idem ope sua indigere viros multos honestos patiatur, qui beati atque opulenti hominis convivio annum familiam alere commodè possint? At tu quidem utrumque agis, & quidem magna cum laude. Facit enim alterum, in quo non tam speciosa & vendibilis, quàm vera commendatio & diuturna ad gloriam est sita, ut alterum magis ab ingenio & vera virtute proficisci quàm ab insolenti & vana divitiarum ostentatione videatur. Itaque longè ego præfero, omnibus Regum hospitiis, perbreve illud tempus, quo tibi in domus amœnissimæ recessu, cùm aliorum honestissimorum hominum, tum verò Donati Jannotii *consuetudine licuit frui. Quem ego hominem antea amabam, illius eruditionis atque ingenii opinione adductus, & si quid hoc ad rem pertinet, præclarè de mea patria meritum: nunc amo multò impensius, perspecta ejus mihi ac cognita virtute, pudore, probitate, ex multis tuis sermonibus illustribus, quos sæpè de illo audiente me habuisti. Nam absentem* Jacobum Nardum *senem sanctissimum, tanquam parentem filius in illius adversa & jactata fortuna colis pietate & studio, id quod tribuis hominis singulari virtuti, doctrinæ, ingenio, quæ una tibi est causa gravissima ad omnes amandos. Quæ res cum ita sit, meritò tuo video* Ugolinum Martellium *fecisse, qui cum sæpe honorifica mentio haberetur de* Florentinis *civibus qui* Lugduni *negotiantur, præsente me, perpaucos habebat quos tibi æquaret, neminem, quem anteferret ulla in re, quæ clarum virum & magnum deceret. Cujus hominis testimonium cum tanti à me fiat, quanti, illius virtus fidesque postulat, (ea autem non est illius nobilitas major, gloria majorum, eruditio, cognitio rerum maximarum atque usus, quæ tamen in eo omnia sunt summa) non dubito quin ipse facias plurimi. Cumulatè enim is laudat, in quo ne velit fallere probitas & religio, ne possit prudentia efficiat atque judicium acerrimum. Legent igitur nostri homines* Florentinæ *historiæ libros hos octo, tuo nomine quasi insigni prælato, in lucem à me editos, quos brevi, si dederit Deus ut honestissimo labori vita ne desit, alii consequentur, * qui ad nostra usque tempora ea ferè complectuntur, quæ sunt in* Italia *ut nunquam antea memoria majorum clariora, atque illustriora gesta. Ea autem spe accessi ad scribendum, ut certam mihi & solidam laudem, fide mea ab errore vindicanda diligentia & studio, ingenii nonnullam genere scribendi compararem: tantum flagitium, ut aliquid consultò gratiæ darem, quod minus esset constantia scriptoris & gravitate dignum, hoc verò longè à me abfuisse penitus probarem. Ac quantum universa scribenda historia, profecerim studio, quivis facile conjiciet, qui ea quæ scripta ab aliis leguntur, cùm hisce octo libris conferre volet. Tametsi autem eorum temporum res, tenues magis esse atque exiles videntur, quam ut in his ubertas orationis & copia conspici possit, nemo est tamen ita mihi iniquus futurus, quin hoc mihi tribuat, plurimum me ut aliqua conspiceretur, laborasse. Sed de hoc ii viderint, qui sibi hoc totum quasi suo jure sumunt, ut de scriptis doctorum hominum statuant. Sive autem rectè illi hoc possunt, facit honestissimus à me susceptus labor, ut voluntatem etiam eorum, non magnopere desiderandam mihi & requirendam putem. Qui enim ipse assequutus est, ut de re tam gravi ferre sententiam possit, nunquam ita invidebit cujusquam laudi, ut non liberum afferat judicium in judicando. Neque verò semper ita esse solet infelix juvandi studium, ut cum debeat laudem, obtrectationem referat, haud satis æquum præmium constitutum iis quæ rectè à nobis & laudabiliter fiunt. Sive autem sunt qui audeant quod non possunt, non habeo ego potius quod de illis expostulem, quàm quod de se ipsi querantur. At quicquid de me aut parum æqui homines & malevoli, aut imperiti judicaturi sint, quos fore multos non ignoro, in eo maximus mihi mei laboris fructus constabit, si quod maxime spectandum est, fidem meam probari rebus narrandis iis quibus cognitæ & perspectæ sunt, rationem scribendi qua sum usus, viris iisdem bonis & non imperitis, quos spero me æquos habituros haud penitus improbari intelligam. Vale Lugduni Calendis Augusti.*

* Nunquam, aut saltem in hunc usque diem, libri a Bruto, postea scripti, aut ab eo scribendi hanc tangentes historiam, in bibliothecis virorum præ aliis literatorum, quantum mihi hoc indaganti constat, sunt inventi.



JOAN-

JOANNES MICHAEL BRUTUS
BACCIO TINGIO
S. D.



Unquam (mi *Tingi*) fore putavi, ut cùm *Florentinam* hiſtoriam ederem, meliore eſſem conditione, quàm viri docti & eloquentes permulti, qui minimé invidorum maledicentiam atque obtrectationem effugiſſent: fore tamen ut iis uterer iniquis, antequam ſuſpicari poſſent quid illud eſſet quod improbarent, mihi verò id nunquam in mentem venit vereri. Sed in eo tamen illud cadit præclarè, quod non diſſimulant, quid ſentiant: ajunt enim hiſtoriam me earum rerum confeciſſe, quæ cum ſcriptæ ſunt doctè ab aliis & disertè, tum longè etiam à noſtra memoria abſunt. Nam de genere ſcribendi non habent, quid ſtatuant: affirmant quidem id doctis hominibus probari. Hoc verò illi non male. Satis enim noverunt, quanti eſſet eorum judicium apud homines non imperitos futurum: ſi illud in re tanta interponere auderent. Quanquam non ſemper faciunt, ut ſibi in eo temperent. Audacia enim provehuntur, cum illos deficiunt vires. Sed tamen ita hoc ipſum agunt, ut non magis oſtendant, quid alii poſſint in ſcribendo, quàm quid ipſi legendo aſſequantur. At quid illud eſt, quod in me reprehendunt? Audire enim operæ pretium eſt, graves homines & ſapientiæ opinionem toga & ſupercilio captantes. Scripſi enim quæ alii, atque ea quorum jam memoria effluxit. At quid hoc habet reprehenſionis? tueri enim eorum memoriam, quorum merita multa in homines & præclara extiterunt, æquitatis & juſtitiæ laudem habet. Aſſequuntur enim ſcriptoris ſtudio, famam, nomen, gloriam, quod præmium longè honeſtiſſimum, rectè hominum factis conſtitutum eſt. Sive autem hoc ſibi ſtatuunt eſſe agendum, ut poſteris conſulant: quid eſſe poteſt toto in eo genere præclarius? Neque enim magis homines moventur, ullis philoſophorum præceptionibus, quæ multæ ab illis ad vitæ inſtitutionem traduntur, quàm eorum exemplis, qui domi foriſque multa cum laude agendo, materiam illis unde hæ ipſæ præceptiones manarent, præbuerunt. Sed jam uno verbo rem totam complectar: licet enim de horum ſententia, omnia veterum monumenta & rerum tollantur, quæ ſcriptis doctorum hominum ſunt conſtituta: quòd ea ſint à noſtra memoria remotiora. Verùm illud ipſum urgent. Scribit eadem quæ multi. At & *Polybius*, quæ *Romani* homines ſua majorúmque memoria: & *Livius* quæ ille, quanquam autor graviſſimus, & *Dionyſius Halicarnaſſeus* quæ *Livius*, atque adeò (quod me iſti feciſſe accuſant) priſca tantum & quæ eſſent remotiſſima ab iis temporibus, quibus vixit: Floruit autem ut *Livius Auguſti* ætate. Atque eaſdem res *Lucejus* ſcripſit *Salluſtius*, *Livius*, *Aſinius Pollio*, *Vellejus*, *Eutropius*, *Dion Nicæus*, *Plutarchus*, *Appianus*, atque is quidem, ut integra capita è *Plutarcho* ſumpta, in ſua transferat. Quod quidem tantum abeſt, ut ipſe faciam, ut modò fides mea legenti conſtet, quæ eſt mihi antiquiſſima, ordine rerum, differendi ratione in deliberationibus, explicatione conſiliorum, ſententiarum varietate, animadverſione omnium, conſultò cum iis videar pugnare, qui iiſdem de rebus ante me ſcripſerunt. Video (*Tingi*) eſſe mihi deprecandum arrogantiæ crimen, quod quidem à me abeſt quàm longiſſimè: ſed laceſſito tamen quod te non fugit, erit hoc quidem ignoſcendum. Non video quid *Machiavellius* habeat, qua de re, ſi mihi ſit cum illo ſuſcepta contentio, magnopere mihi eſſe verendum videatur, ne victus ipſe aut inferior diſcedam. Vinco enim fide, induſtria certè diligentia, ſtudio explicandis rebus, quod minimè mihi ſumerem, niſi res ipſa loqueretur. Laudem ingenii ita illi concedo, ut mihi tamen à nemine ademptum iri exiſtimem. Facit enim mea conſtantia, ut meo teſtimonio illum laudem: aliorum æquitas, ut ſperem ne mea mihi laus præripiatur. Scripſit autem ille modò in *Italia* natis hominibus: ita ego ſcribo ut non noſtris tantùm, ſed exteris nationibus atque adeò populis ab *Italia* remotiſſimis, quæ *Florentini* geſſerunt, nota ſint. Sed quid ſi ego plura? ſi certiora? quid ſi varia ab illo, ſi contraria & pugnantia? quod tamen facio nunquam niſi cum ita mihi ſit res explorata, ut dubitari non poſſit, quin is aut conſultò lapſus, aut incuria & impudentia, erraverit. Dicerem quæ adjumenta mihi ad ſcribendum & à quibus ſuppeditata eſſent, ſi hoc eſſe neceſſarium exiſtimarem. Illud tantùm verè affirmare poſſum, neque *Florentiæ* nato homini aut magis recondita, aut vetuſtiora eruere magno etiam adhibito ſtudio, licuiſſe, qui ſe totum huic generi ſcribendi tradidiſſet. Quæ quanquam ita ſint, minimè hoc tamen mihi eſſe omittendum cenſeo, & invitum me & recuſantem, amicorum modò ut priores hoſce libros ederem, adduci autoritate potuiſſe: cùm quidem non prius quàm univerſam hiſtoriam abſolviſſem, hoc mihi ſtatuerem eſſe agendum. Ita autem in hanc unam rem totus animo & ſtudio incumbo, ut brevi (ſi mihi ſit comes vita futura) ſperem me probaturum, non oſtentaſſe unquam me id quod minus poſſem, ſed quod oſtentaſſent alii, qui ſunt permulti hoc tempore, multa opera me & ſtudio aſſequutum eſſe. Ac me tamen

ea

ea mente fuisse, cùm alii sunt testes viri honestissimi & mihi amicissimi, tum ipse unus es, *Bacci*, in primis. Scis enim cum *Jacobo Florido* esse actum diligentissimè, viro optimo & virtutis atque industriæ singularis, ut hæc suo sumptu imprimenda curaret, inscio primùm, mox plurimum etiam repugnante me: cùm penitus staret, nihil inchoatum & non plané absolutum in lucem proferre. Qua tamen in re non me pœnitet, fateor, amicis morem gessisse. Quid enim esse æquius videtur, quàm cùm insigne meæ voluntatis documentum & studii in tuos cives constituerim, illud extare, si quid mihi (ut mortales sumus) humanitus accidat. Commemorarem autem quanti hoc illis esset faciendum, quod quidem cùm habeat arrogantiæ suspicionem & levitatis, ab aliis præteriri, quàm à me prædicari malo. Quæ res tamen, quamdiu tu eris (faxit autem Deus ut sis quàm diutissimè, & ut maximè velis) nunquam mihi erit magnopere timenda. Ita autem multi te audiunt effusum in meas laudes: ut credant te plurimum amicitiæ nostræ tribuere, qua in re quidem non falluntur: judicium tamen iidem peracre atque ingenium, non voluntatem solùm in me propensam & benevolentiam concedant. Vale. Lugduni Calendis Augusti.


JOANNIS MICHAELIS BRUTI VITA,

è Virorum Doctorum testimoniis extracta, breviterque hìc descripta.

Joan. Michael Brutus, *Historicus Cæsareus percelebris, sui seculi satis decus. natus* Venetiis *vel secundum* Konigium Florentiæ. *Claruit, ut quidam opinatur*, *A. C.* 1573. Viennæ. *Orationem de rebus à Carolo* V. *Cæs. gestis. Antv.* 1555. *Hanov.* 1611. *apud Freherum* Script. German. Tomo 3. *M. Tullii Ciceronis* Orationum ab eodem emendatarum volumina tria in lucem edidit: quibus accesserunt breves animadversiones ex Doctiss. Virorum Commentariis. *Lugd.* 1570. *in* 8°. *Antverp.* 1584. Analysin & Var. Lect. in Comment. C. Jul. Cæsaris. *Basil.* 1564. 8°. *Franc.* 1606. *Notas fecit in* Horatium. *Collegit* Epistolas clarorum virorum. *impr. Lugd.* 1561. *Crac. & Colon.* 1583, 8°. *Cracov.* 1589. 8°. De Historiæ Laudibus & recta ratione, qua rerum scriptores legendi sunt. *Cracov.* 1583. 8°. Conjugalia præcepta conscripsit. *Cracov.* 1583. 8°. Ad Polonorum Lithuanorumque senatum universosque Regni Polonici ordines de Ernesti Archiducis Austriæ & universæ familiæ Austriacæ Laudibus orationem habuit. *Ejusd.* Responsio & censura in orationem Lucæ Chwalkowski, qua Sueci Principis petitio in comitiis Warsaviensibus de novo Rege creando commendatur. *Franc. ad Mœn.* 1590. 4°. 1599. 4°. Florentinæ historiæ Libros octo composuit *Lugd.* 1562. 4°. Vitam Philippi viri Experientissimi Florentini: quam ejus Historiæ de Uladislao Rege Poloniæ præmisit. *Franc. ad Mœn.* 1600. *Aug. Vind.* 1519. Bartholom. Facii Genuensis Libros x. de rebus ab Alphonso I. Rege Neapolitano gestis. *Item* Francisci Contareni de rebus Florentinis *opus in lucem protraxit. Aliquot ejus scripta propter singulare ingenium summamque doctrinam, & quod ista rarò etiam invenirentur, jam olim de novo in Octavo* Berolini *in lucem sunt edita. Quidam doctus, si mors non prohibuisset, alia adhuc de isto Auctore curiosis quoque dedisset.*



JOAN-





MAGNUS DUCATUS HETRURIÆ.
LUGD. BAT. Excudit PETRUS VANDER AA.
Scala di Miglia Quindici.
5 10 15
MARE INFERIORE OVERO TIRRENO, Ó PURE MAR TOSCO
PARTE DI LOMBARDIA
PARTE DELLA LIGURIA
STATO DI MODENA
STATO DI BOLOGNA
ROMAGNA
STATO DELLA CHIESA
STATO DI URBINO
STATO DI LUCCA
STATO DI SIENA
MAREMMA DI SIENA
SIGNORIA DI PIOMBINO
CONTADO DI CITTA DI CASTELLO
STATO DELLA CHIESA
CASENTINO
PRATO MAGNO
MUGELLO
Lunigiana
Fiorenza
Pistoia
Lucca
Pisa
Livorno
Siena
Volterra
Arezzo
Cortona
Perugia
Lago di Perugia
Orvieto
Lago di Bolsena
Forli
Cesena
Rimini
Bertinoro
Borgo S. Sepolchro
Piombino
Grosseto
Gorgona
Capraia
Porto Baratto

JOANNIS MICHAELIS BRUTI HISTORIÆ FLORENTINÆ,

LIBER PRIMUS.

Florentia, quæ urbs post eversionem *Romani* Imperii, in primis *Italiæ* nobilissima semper ac florentissima habita est: cùm diu suis usa legibus & institutis, rerum in *Hetruria* potita esset: nostra ætate, coacta unius imperio parere, libertatem, quam ingentibus studiis & gravissimis contentionibus perpetuò adversus paucorum potentiam retinuisset, ac dignitatem simul & jus imperii amisit. Quam quidem rerum commutationem, cùm insignes calamitates in Republica ac bella gravissima consecuta essent: ea quemadmodum gesta administrataque sint, tum causas, initia, progressionesque rerum (id quod scriptores eorum temporum tradere neglexerunt, & plurimi faciendum est) repetito altius principio, explicare instituam. Ita autem semper esse statuendum censui, cum hoc unum maximè eos spectare æquum sit, qui scribendi tantum munus susceperunt, ut quoad ejus fieri potest, in rerum explicatione vitæ hominum consulant, cujus rei causa se illas tradere posteritati profitentur, ubi ea nostri homines cognita perspectaque habeant, fore ut propter eorum magnitudinem & varietatem quæ ex his extitisse animadvertent, magnos usus atque uberes ad vitam agendam confirmandámque consequantur. Namque (id quod verè affirmari potest) præter *Romanorum* civitatem, quæ parto orbis terrarum imperio, leges gentibus & jura descripsit: nulla unquam in *Italia* civitas extitit una aut altera excepta, quæ simul aut magnitudine rerum, aut vicissitudine temporum, & conversione commutationéque fortunæ, quæ res in omni libera civitate casus maximè memorabiles ac rerum eventa efficere consuevit; hac una superior videri possit. Causa autem ejusce rei, tum ex eo hominum genere qui urbem à principio incoluerunt, tum ex certa ratione administrandæ constituendæque Reipublicæ manasse videtur: cùm quidem vis temporum ac perturbatio accederet, qua sæpè aliæ ferè civitates omnes *Italiæ* ad perniciem laboraverunt. In magnam enim urbem & loci natura munitam, & qua maximè excellit, fertilitate, ubertatéque agrorum opportunam: cùm eam unam vicini populi haberent, certum adversæ & jactatæ fortunæ perfugium, si qua illos vis externa aut domestica urgeret: nobiles homines & potentes patriis sedibus ejecti confluxisse complures dicuntur: quibus indies auctior ac firmior urbs, ut permulti sua sponte, quorum integræ fortunæ ac magna æquè nobilitas esset, sibi eam patriam deligerent, perfecit. Ita cùm jam nobiles familiæ permultæ & opulentæ minimè quidem secunda populi voluntate in urbem immigrassent: quæ parum legibus & jure munita adversus vim & conspirationem potentium videretur: gravissimis sæpè ortis dissensionibus est inter eos armis dimicatum: cùm in magistratuum atque honorum petitione, comitiorum jus sibi populus sumeret, nobilitas eos sibi deferri multitudinis suffragiis iniquum censeret: quibus contentionibus plerumque populus victor, eam illis partem, quæ videretur honorum, mandabat: ut nonnunquam in iis creandis qui summo civitatis magistratui præessent, nobilissimis civibus præteritis, per sui ordinis homines honestos illos quidem & locupletes, Reipublicæ imperium administraret. Erat enim ita civitas divisa, ut ex iis quos majorum nobilitas commendaret, eorum ordo constitueretur, quos, ut videtur, invidiæ causa, Potentes vulgò homines appellabant: populi quidem esset duplex ordo, in quorum altero qui ditiores opulentioresque erant, quorúmque ratio in magistratuum comitiis habebatur, in altero ex infima plebe homines, & qui sordidas artes exercerent, quibúsque præcluderetur aditus ad honorum petitionem, censebantur. Atque hi quidem in medii ordinis homines quod eò propior illis esse accessus videretur, inclinabant. Sic fiebat, ut cùm illi nobilitate & divitiis, hi numero & viribus præstarent: ubi in honorum contentionem descenderent, victi Principes multitudinis consensione, in suffragiis præterirentur. Plebs enim cùm hostili odio à nobilitate dissideret, facilè ab eorum causa stabat, quos suæ libertatis vindices futuros, ubi Potentes cives res novas molirentur, atque eorum audaciæ posse obsistere & cupiditati existimaret. Ita nobiles homines, quibus haud facile esset jus suum adeò adversis populi studiis retinere, eas leges sunt accipere coacti: quæ quidem cùm ad augendam populi potentiam adversariorumque minuendam à popularibus hominibus latæ essent, tanquam earum condendarum causa in his constitisset, gravi illis atque insigni nota inusta ad posteritatem leges de potentium ambitione & libidine coërcenda perdiu sunt appellatæ. In his præter alias de ambitu severè latas: erant quibus cavebatur, ne cui qui ex potentium ordine esset, domo egredi per noctem liceret, qui egressum interficeret, ei id apud magistratum populumve fraudi ne esset. Atque aliquando accidisse ferunt, ut si quid populares homines admisissent, quod severius vindicandum à magistratu videretur: tanquam ea una esset animadversio gravissima, iisdem legibus quibus clari & nobiles cives tenebantur, subjicerentur: solverentur contrà illi legibus, atque in eorum ordinem cooptarentur, quibus capessere Rempublicam, & magistratus gerere legibus permitteretur, si qua in re præclarius de Republica meriti, afficiendi munere ampliore essent. Itaque legum tanto metu & judiciorum injecto, cùm victam nobilitatem ab magistratuum petitione populus amovisset, omnes Reipublicæ functiones atque amplissimi magistratus jura, cum ex plebe homines, & qui infimum civitatis locum tenebant, vetere instituto, interclusi aditu ad jus comitiorum, se ad eorum rationes adjunxissent, quos dominari in suffragiis & summam Rempublicam administrare suo arbitratu videbant, in popularium ordine constiterunt, qui inter duos medius, ut diximus, Opulentiorum ordo, nomine non ad contumeliam magis quàm ad invidiam excogitato, vocabatur. Ac non modò in aliorum magistratuum comitiis, quibus summa

JOANNIS MICHAELIS BRUTI,

HISTORIÆ FLORENTINÆ,

LIBRI OCTO.

Editio Novissima, priori multo emendatior atque correctior.

Tabula totius Etruriæ Geographica aucta,

Atque

Urbis Florentiæ Delineatione locupletata.



LUGDUNI BATAVORUM,


Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

Respublica permittebatur, jus suffragii per popularium hominum coitionem videbatur ereptum nobilitati esse: sed in eorum etiam petitione qui honoris dignitatisque causa ambiri à principibus civibus atque honestis solerent. Itaque cum *Carolo* IV. *Cæsare Bohemiæ* Rege maximè vigentibus partium studiis, honorificam legationem ad *Ludovicum Pannoniæ* Regem civitas decrevisset: in decem legatis, qui numerus aut levius populi beneficium eo honore affectis, aut graviorem injuriam præteritis efficeret, omni studio adversariis contrà tendentibus, ex nobilitate ne uni quidem licuit locum tenere: magna id quidem totius ordinis offensione, qui jam non in suis modò fidem desiderari in Reipublicæ procuratione, sed lædi etiam communem omnium existimationem, id quod videretur nullo modo ulterius ferendum esse, quererentur. Atque ita gravis multis injuria & insignis est visa: ut viri boni & qui, quanquam diversarum partium haberentur, consulendum tamen magis communi saluti, quàm seditiosorum hominum libidini atque audaciæ censerent: & populi judicium in comitiis, & verò eorum cupiditatem magis, qui his habendis præfuissent, improbare palam auderent. Factum enim eorum pertinacia atque ambitione esse, ut dubio Reipublicæ tempore, quod in posterum omen, à civitate Dii immortales averterent, hi tumultus & seditiones exorirentur, quæ ægrè sine magna omnium clade sedari tollique possent. Erat enim tanta affectis injuria, certum paratum perfugium in externis armis, si quando illi memores majorum, quorum insignis virtus & nobilitas fuerat, ad vim & ad arma spectarent. Nam *Ludovicus* ubi *Joannam Neapolitanorum* Reginam bello vicisset: cui secunda maximè hominum fama intulerat arma, propterea quòd *Andream* virum eundem *Ludovici* fratrem interfecisse, pertæsa illius nuptiarum ferebatur, validissimis copiis instructus, tantique regni accessione auctus, formidabilis videbatur *Hetruriæ* imperio imminere, unde erat omni ratione & consilio avertendus. In his quos civitas ad Regem legavit claris civibus, & populo probatis, *Vannes Medices Mannii* filius habetur: ut hinc conjici possit, nobilem quidem familiam & honestam, sed quam populus in suorum ordinem adoptatam foveret, in ejus causam, cujus studiis & suffragiis crevisset, inclinasse, quousque vires majores & robur nacta, & aspirare ad Reipublicæ imperium, & pervenire etiam sensim populari aura provecta potuerit. Ad hunc maximè modum Republica diu per hujus ordinis homines administrata: cùm graves sæpè excitati tumultus, tum incendia, populationes & cædes factæ, ut tandem fessa civitas modum aliquem tot malis & finem quæreret, effecerunt. Ergo CCC. circiter ab hinc anno, quo tempore *Manfredo* devicto *Carolus Andegavensis* Regnum *Siciliæ* occupavit fracta ferocia animorum, qua planè populus efferatus pertinaciter sibi principibus esse obsistendum statuerat, cùm hi debitos, ut credebant majorum nobilitati honores minimè sibi per beneficium & gratiam petendos ab iis existimarent, quibus appellandis, conveniendis, prehensandis cùm dignitatis jactura summa inesset, non eam tamen certior honoris spes, quàm repulsæ indignitas sequeretur: novam magistratuum petendorum rationem iniri placuit. Ita delectis ex omni artium numero, quæ liberaliores haberentur, qui modò in earum aliquam adlectus, sive is ex populo, sive ex nobili familia & clara magistratum peteret, ei lege lata permissum est, vt magistratus ejus fungendi potestas esset. Nam qui amplissimus postea in civitate habitus & *Vexillifer* dictus est, is in principio vexillo Reipublicæ accepto à magistratu, unde illi occasio nominis extitisse videtur, cohorti prætoriæ


A Præfectus eas impositas partes habebat, ut quæ magistratus edixisset ea adversus potentium civium conspirationem, si quando juris sui obtinendi causa coirent, curaret à civibus servanda. Ac cùm ita cætera nobilitati permissa essent: una erat tamen legi exceptio adscripta, extra quàm si summum Reipublicæ magistratum peterent: quem quidem nemini ex eo ordine, atque adeò quanquam in jura populi adscito, inire ullo modo liceret. Rem autem ita esse, illud facilè declarat, cùm populares homines per magistratuum adeptionem, à quibus potentes arcebantur, eos facilè dignitate æquassent, superassent potentia & gratia
B (quicquid enim illis de suo jure coacti decessissent, accedere his legis beneficio videbatur) ordinum concordia ac per eam Reipublicæ statu constituto: haud temerè unquam in ejus magistratus comitiis cujusquam habitam rationem esse, qui quidem in potentium ordine haberetur. Itaque ad *Alexandri* VI. Pontificatum, quanquam quicquid esset discriminis inter nobiles familias & quas populares vocabant, Reipublicæ tempora sustulissent: nemini autem, qui modò in civium ordine censeretur, interdictum esset, quò minus delata sibi populi suffragiis omnia Reipublicæ munera obiret. nemo ferè eum honorem gessit: qui etiamsi ex fa-
C milia populari clarus civis vetustate familiæ ac majorum gloria esset: invisus tamen multitudini, in ejus offensionem domestica potentia incurrisset. Longè diversa de eo magistratu alii tradunt. In principio quidem creatum, ut esset qui populi autoritatem, si quando eam principes obterere conarentur, armis tueretur: eidem sub Reipublicæ signis armatorum delectis millia attributis quorum præsidio subnixus potentes magistratui cogeret dicto audientes esse, cum nihilo minus nobilitas pergeret se gerere insolenter, nonnullis semper ex eo ordine eadem potestate fungentibus placuisse *Vexilliferum* inter eos assidere, qui magistratum ge-
D rerent ac pari imperii jure, principe tamen loco, cum his Rempublicam administrare, aucto armatorum numero qui illis præsidio essent. Qua tanta accessione dignitatis facta, peti honorem cœptum à principibus summa contentione, atque ad c. ferè annum, qui fuit annus CCCLXXXI. cum CCLXXXII. princeps eam potestatem *Ubaldus Ruffulus* iniisset, promiscuè ac nullo discrimine omnibus mandatum esse, quos modò dignos populus suis suffragiis judicasset. Ab eo tempore sive lege lata, sive quod probabilius est, pertinaci studio nobilitate pro eo honore decertante, qui summus in civitate erat, neminem *Vexilliferum* delectum, qui non ex fa-
E milia nobili esset: cùm autem cives in artium collegia adoptarentur (hæ viginti & unius numerum explebant) qui ad honores & magistratus admittebantur, ex his VII. quas majores artes placuit appellari, quòd neque sordidæ, neque illiberales essent, in quibus ex nobilissimis familiis cives censebantur, civitati semper *Vexilliferum* dedisse: idque ad CCCCC. annum & XXXII. observatum, quo tempore civitas coacta armis jus imperii libertatemque amisit. At obscuro atque humili loco nati homines cum sordido quæstu victum tuerentur, eorum ratio in petitione magistratuum, ut diximus, nulla habebatur. Quod cum per multas
F ætates iniquo animo tulissent: semel vi atque armis (unde legibus atque institutis civitatis depellebantur) aditum sibi ad summos honores patefecerunt: eorum causam acerrimè tuente *Silvestro Medice* populari homine & factioso, qui deserta causa bonorum atque plebis patrocinio suscepto, ab ea ejus meriti ergò est equestri dignitate honestatus. Princeps is in familia *Medicum*, optimatium ac populi discordiam visus in summo magistratu moliri, exemplum posteris prodidisse fertur, per in-

hominum affectationem oppressa nobi- A licendo, largitionibus & muneribus deliniendo,



FLORENTIA PULCHERRIMA ETRURIÆ CIVITAS.




Pugna Gladiatorum.


Circus.


Tauromachia.



Adscensus ad Malum.

1. Porta.
2. Casa del Capitano.
3. Case' d'offitiali.
4. Chiesa.
5. Allogg: de soldati.
6. Allogg: de bombar:
7. Luogo d' artiglierie.
8. Armeria.
9. Granari.
10. Munitioni de legnami.
11. Giardino del Capitano.
12. Canoue.
13. Casa del Canouaio.
14. Dispensa.
15. Mulini.
16. Munitione di farina.
17. Munitioni di poluere.



1. S. Ambrogio M.
2. S. Anna M.
3. S. Andrea.
4. S. Antonio
5. Annalena M.
6. S. Agata M.
7. S. Appollonia M.
8. S. Appostolo.
9. Abbandonate.
10. Arauescouado.
11. S. Bernaba M.
12. Bonifazio M.
13. Bonifazio ped.
14. Bigallo.
15. S. Basilio
16. S. Bartolommeo.
17. S. Benedetto pre.
18. S. Benedetto Fra.
19. S. Bastiano de Bini.
20. Baluardo delle Mulina.
21. Baluardo della Serpe.
22. Baluardo a S. Gallo.
23. Baluardo a tre canti
24. Baluardo di Moggibello.
25. Baluardo a S. Giorgio
26. Badia
27. Belvedere
28. S. Brigida Fra.
29. S. Biagio
30. S. Croce.
31. S. Chiara M
32. Ceppo M.
33. Chiarito M.
34. S. Clemente M.
35. S. Caterina M
36. S. Caterina
37. Crocetta M.
38. Candeli M.
39. Castello Pri
40. Carmine Pri
41. Conuertite
42. S. Christofano
43. Canonica di Duomo
44. Capitolo M
45. S. Cecilia
46. Corridore del Gran D.
47. Cittadella.
48. Camaldoli
49. Casina del Gran D.
50. Concezione
51. Duomo
52. S. Donato
53. S. Domenico M
54. S. Egidio
55. S. Felicita M
56. S. Felice in piazza M.
57. S. Friano M
58. S. Firenze
59. Fuligna M
60. S. Francesco M.
61. Fortezz
62. S. Giorgio M
63. S. Giuliano M
64. S. Giouanni dicollato M
65. Gli Angioli Pri
66. S. Gregori. Per.
67. S. Giouannino
68. Gli Incurabili
69. S. Giouanni
70. S. Iosesse M.
71. S. Iosesse
72. S. Iacopo M
73. S. Iacopo tra fossi
74. S. Iacopo sopr Arno
75. S. Iacopo in capo corbolini
76. S. Iacopo de Preti
77. I Iesuati Pri
78. Innocenti
79. S. Lorenzo
80. S. Luca M.
81. S. Maria degli Angeli
82. S. Monaca M.
83. S. Maria sul prato M.
84. S. Martino M.
85. S. Marino.
86. S. Marianuoua M
87. Monticelli M.
88. S. Matteo M.
89. le Murate M
90. Monte Domini M
91. S. Maria degli Angioli M.
92. S. Maria degli Angioli M.
93. S. Michel Bisdomini pri
94. Magistrati
95. S. Maria nouella Pri
96. S. Mariamaggiore Pri
97. S. Marco Padri.
98. S. Maria Vghi
99. S. Michel Bertoldi
100. S. Maria sopr Arno
101. S. Maria di Verzaia.
102. S. Miniato fra le Torri
103. S. Margherita
104. S. Maria Nipotecosa.
105. S. Mariam Campidoglio
106. S. Michele
107. S. Michel delle Trombe
108. S. Maria in Campo
109. Madonna della pace
110. S. Maria della grazie
111. S. Miniato
112. S. Noferi. Spedale
113. La Nunziatina M.
117. Orbatello
118. S. Orsola M.
119. Ogni Santi
120. Orsamichele
121. S. Maria Nuoua
122. S. Pagolo M.
123. S. Pagolo parrocchia
124. S. Pagolo pedale
125. S. Pancrazio
126. Pouerine M
127. S. Pier maggiore M.
128. S. Piero Scheraggio.
129. S. Piero Buon Consiglio
131. S. Procolo.
132. S. Pulinari
133. Porta al Prato
134. Porticciuola
135. Porta a S. Gallo
136. Porta a Pinti
137. Porta alla Croce.
138. Porta a S. Friano
139. Porta S. Pier Gattolini
140. Porta S. Giorgio
141. Porta S. Miniato
142. Porta S. Niccolo.
143. Ponte alla Carraia
144. Ponte a S. Trinita
145. Ponte Vecchio
146. Ponte Rubaconte
147. S. Lorenzo
148. L'Agnol Raffaello
149. S. Lucia M.
150. S. Lucia sul prato
151. S. Lucia sopr Arno
152. S. Leo.
153. Loggia di Priori
154. Lispi
155. Palazzo del Gran D.
156. P. de Medici
157. P. de Pitti
158. P. de gli Antinori.
159. P. de Rucellai.
160. P. de Ricasoli.
161. P. degli Spini.
162. P. de Dei
163. P. de Bartolini
164. P. de Lenzi.
165. P. del Podesta.
166. P. de Castellani.
167. P. de Peruzzi.
168. P. dell Altopascio.
169. P. de Pazzi.
170. P. de Gondi.
171. P. de Pandolfini.
172. Fonte di Piazza.
173. Ripoli M.
174. S. Romolo.
175. S. Romeo.
176. S. Rocco.
177. S. Ruffello.
178. S. Spirito.
179. Spirito Santo M.
180. S. Saluestro M.
181. S. Stefano Pri.
182. S. Saluadore
183. S. Saluadore al Monte.
184. Stinche.
185. Stalle del G. Duca.
186. S. Simone.
187. S. Tommaso.
188. Tiratoio dell' vccello.
189. S. Trinita.
190. Tiratoio delle gratie.
191. Tiratoio della pagla.
192. Tiratoio degli Angeli.
193. S. Verdiana.
194. Monte Vliueto.
195. S. Zanobi
196. Zecca nuoua
197. Palazzo delli Striozzi.
198. Pal de Cornabuoni.
199. Pal de Bardi.
200. S. Pier Gattolini.
201. Sepolture de Giudei.
202. Fontana di S. Sepe
203. Lo Scalzo Ernita.
204. S. Tomaso di
205. Palazzo di Firenzuola
206. La Pieta Abbadonate.
207. Il Tempio
208. Palazzo del Gaddi.
209. Opera di Duomo.
210. La Nunziata pri.
211. P. de Gianfigliazi.
212. S. Niccolo M.
213. S. Niccolo Parr.
214. Caualeggieri
215. La M. de Ricci.
216. S. Niccolo Abban.
217. Orfanelli
218. P. degli Vguccioni.
219. Fontana.
220. Pal. de Cocchi.
221. P. de Ridolfi
222. P. de Guigiani
223. P. del Nero.
224. P. de Saluiati.
225. Ghetto.
226. Cauallo
227. Ponte Vecchio
228. Forteza Di beluedere.

F. de Wit excudit Amstelodami.


Ecclesia Cathedralis, vulgo S. Marie delli Fiori.


Palatium Pitti.


Hippodromia.


Spectaculum Anseris dilacerandi.


Pugna sub Ponte S. Trinitatis.

Respublica permittebatur, jus suffragii per popula- A Præfectus eas impositas partes habeba

infimorum hominum affectationem oppressa nobilitate, sibi viam ad Reipublicæ imperium & ad dominationem struendi. Vexillifer enim Reipublicæ cum de æquandis ordinibus ac plebeis hominibus ad honores admittendis referret, magnopere obsistentibus bonis, qui ejus rei semel mentione injecta, fore videbant, ut concitata plebs suum jus persequi vi atque armis conaretur: in comitium progressus quó delectorum consilium frequens coierat: ita populum fertur alloquutus esse: quando per collegarum intercessionem, magistratum gerenti, administrare Rempublicam minus ex sua & populi voluntate liceret: quæ sibi invidiæ magis quàm ornamento, nulli usui suis civibus futura intelligeret, magistratus insignia se positurum. Atque optare quidem ubi se eo honore abdicasset, domumque privatus rediisset: ei cui populus tantum honorem haberet, eandem mentem Deus immortalis daret, vires aliquantò majores, quibus civitas in libertatem vindicari oppressa paucorum conspiratione & scelere aliquando posset. Frustra verò deligi viros bonos & magnæ spectatæque virtutis, qui ad civitatis gubernacula sederent, si quidem cursum rerum dirigentibus ad eum finem qui optimus esset, quasi quidem reflantes venti & adversi ambitiosi cives cupiditate elati reluctarentur. Quæ cùm secunda hominum admurmuratione audita essent, è comitio egressum eo consilio, ut videbatur, ut se mox proriperet domum, illum quidam retinuerunt, enimverò minimè hoc jam esse ferendum, & vindicem atque assertorem omnium libertatis haud esse deserendum objectum nefariorum hominum audaciæ seditiosè tumultuoseque clamantes. Ita cùm ex populi sententia à magistratu, lata lex atque acta omnia administrataque essent: ferunt multitudinem armatam ac prælatis Reipublicæ atque artium vexillis, quæ de more statis quibusdam diebus anteà proferebantur, in curiam invectam, vi perfracto atque in forum effuso carcere, complures nobilium civium domos direptas atque incensas prædæ habuisse. Hinc cùm nulla religio furentis populi impetum retardaret: sacris ædibus facibus injectis, quò magnam auri vim pretiosamque supellectilem privatos comportasse fama erat, ac sanctiori Reipublicæ ærario vi illata: ægrè quò minus per tumultum publicam pecuniam ablatam diriperent, magistratum, qui eò subitò coacta armatorum manu accurrerat, obstitisse. Atqui quanquam tanta vi res acta erat, cùm non eandem constantiam plebs in comparando retinendóque honore præstitisset: per paucos dies ejus ordinis homines eo magistratu functi, atque eodem dejecti coactique in ordinem feruntur. Id accidit anno M. CCCLXXVIII. qui fuit *Vecelai* Cæsaris annus primus. Cùm diu igitur ob civiles discordias Respublica intestinis malis laborasset: ut ferè semper ea corpora quæ ex gravi ac diuturno morbo convaluerunt, vitandis iis rebus, quibus in morbum inciderunt, meliora fieri constitutione dicuntur: jam iis legibus vetustate antiquatis, quæ potentium cupiditatem superiorum temporum memoria notabant: ne quando planè civitas resedisse à domesticis bellis videretur, quibus sæpè debilitata convulsaque erat: una semper reliqua plebs, veterum injuriarum memor vindicem quærebat. Quisquis autem ille esset qui se illi daret, modò parem eum coërcendæ adversariorum potentiæ & cupiditati intelligerent, atque adeò libertatis jactura, quæ una res dissensionum omnium in Republica materiam & facultatem seditiosis hominibus præbebat: quamvis cupidum videbatur improbúmque adoptatura. Quo ex multitudinis concitatæ studio, captata ambitiosi homines occasione, liberaliter singulos appellando, polixè pol-

A licendo, largitionibus & muneribus deliniendo, eo rem adduxerunt, ut tandem victa causa bonorum, paucorum imperium, quorum odium magis in nobilitatem quàm causam quæ nulla erat, probaret, perferre populus æquo animo posset. Cùm is status civitatis esset, *Joannes Bitii* filius *Medices*, cum præter ingentes divitias, quibus ut nullus alius in libera civitate privatus, florentissimos liberos reliquit, magnitudine ingenii atque animi præsentia excelleret: per speciem liberalitatis qua una re popularem auram colligere & velle conspici inter multos videbatur, plebe sibi largitionibus conciliata, unus in magna civium dissensione ejus jura

B ra sibi & commoda tuenda ac per eam deprimendam nobilitatem suscepit. Fuit quidem *Joannes Medices*, si eos sequimur autores, qui populi *Florentini* res gestas *Hetrusca* lingua conscripserunt, vir & moderatione animi, & virtutibus aliis maximis clarus: in his ea magna cum illius laude traduntur: cùm partam optimis studiis potentiam, & meritis in Rempublicam maximis haberet, ea perpetuò usum concilianda cum populo nobilitate á qua capitali odio dissentiret, civitatisque statu constituendo, nunquam animos dominandi cupiditate extulisse. Divitias ejus maximas fuisse, sed quas longè animi magnitudo & constantia superaret. Ita

C liberalitate, beneficentia, omni genere officii apud populum, apud principes æquitate animi, facilitate, comitate certando, facile ut neutri invisæ opes essent, continentia præterea, pudore, religione assequutum esse. Nullos unquam honores petiisse, neminem ejus rei causa appellasse, nunquam prensasse: gessisse ita sibi delatos ut his administrandis, suam modò dignitatem & fidem, populi & dignitatem simul agi & commoda existimaret. In curiam nunquam nisi accitu magistratuum, aut ut clientibus adesset, accessisse: De Republica rogatum sententiam dixisse, sed ita ut cum nulla esset eloquentiæ ostentatio, facultatem

D summam suadendi quæ vellet dissuadendique afferret: ea autem cum ab omni artificio abesset, facile ut uni omnes assensi in ejus sententiam accederent, assequeretur. Diversa quidem de eo homine veteres tradunt, & qui ita cum eo vixerunt, ut iis consilia ejus omnia cognita explorataque essent. Eum una cupiditate elatum ad Reipublicæ imperium, per populi studia, quæ inimicorum conspirationi opponeret, haud sibi difficilem aditum magnitudine largitionum & munerum patefecisse. Quæ tanta cupiditas cum dissimulanda videretur: non æquè multitudine, etiamsi facile se peti largitione quasi illecebra pateretur, causam

E largitionis ubi esset detecta probare suis suffragiis parata, specie virtutum maximarum, aliquamdiu falsos homines in sui admirationem traxisse. Id quò minus ei esset difficile, proclive ingenium ad honesta studia effecisse, à quibus videbatur minimè abhorrere, si ducem naturam sequi magis quàm improborum hominum consilia voluisset. Eò accessisse, cum alia ejus merita & beneficia in multos, tùm unum illud insigne in egentes homines & qui rei familiaris angustiis laborarent. Cum enim legem magistratus ferret, qua lege jubebatur ex censu tributa exigi, quæ ante eam diem ex capitum recensione conficiebantur, ajunt unum in ci-

F vitate inventum, *Joannem Medicem* ex iis quorum maximè interesset, legem non ferri, qui eam, fremente atque adversante nobilitate, suaderet. Erat tamen minimè hæc hominis ratio adversariis obscura, qui dies noctesque Reipublicæ invigilando, attentissimè quæ ageret omnia, quid moliretur, quóve ejus tenderent consilia, observarent. Quorum unus *Nicolaus Uzanius* qui longè inter cæteros magnitudine animi & consilio præstabat, cum sæpè insidiis petitus, sua vigilantia incœpta ejus

omnia irrita conatusque reddidisset: ne locus ullus cujusquam cupiditati relinqueretur, curavit per aliquot annos, viros fortes & benè de Republica meritos in eorum numerum legendos, qui magistratum gerentes in magna effusione pecuniarum minimè Rempublicam quæstui haberent. Nam & alii permulti sæpè, & qui summæ Reipublicæ præerant, tentati magnis præmiis erant, atque adeò æris alieni dissolutione pactioneque nuptiarum quò lege lata *Uzanium* falsis criminibus circumventum, de civitate deturbarent: id quod crebrò per civium conventus magna ejus magistratus infamia jactabatur. Erat porrò hoc civitatis institutum, ut stato tempore magistratus eorum nomina in fiscos conjiceret, qui civium suffragiis adlecti Reipublicæ essent ad certum numerum annorum præfuturi. Horum cùm bimestre imperium esset: qui quibúsque collegiis magistratum inirent, ita sorte ductis nominibus præficiebantur, ut semel singuli eo honore functi, spatium illud temporis universi implerent. Ne qua autem facultas esset, ubi eorum nomina qui essent in magistratu futuri apud populum manarent, eos donis & pecunia tentandi: & lege & jurisjurandi religione vetitum erat, ne cui liceret qui eo munere fungendi jus haberet, quique aut scribendo aut magistratui assistendo ullo modo cùm nomina in fiscos conjicerentur, interfuisset, cuiquam efferre. At quanquam ita videbatur ambitiosorum hominum consiliis obviam itum esset: *Martinus* * *Lucæ* filius, unus ex scribarum ordine, cujus opera magistratus actis publicis scribendis utebatur, *Joanni Medici*, cui erat magnis beneficiis devinctus, quorum essent nomina in fiscos conjecta, quique minimè ex illius sententia Rempublicam administraturi viderentur ordine detexit. Fuit is annus M.CCCCXXII. insignis *Alphonsi Tarraconensium* Regis adoptione, qui postea *Neapolitanum* regnum à *Joanna* rescissa adoptione, armis invasit. Qua ille cognita re cùm suis rebus in præsentia diffisus, rejiciendum id, quod animo instituerat, in aliud tempus, ac quiescendum interea censeret: quatuor annos insequentes, traducendis in suas partes iis, quorum sibi operam fore opportunam, *Uzanio* pellendo è civitate existimaret, consumpsit. At jam anno vertente, quo anno novos magistratus creari atque instaurari fiscos de more oportebat, per *Cosmum* filium, *Putium* ex *Putiorum* familia callidum hominem, atque *Averardum Medicem* fratris filium, insignis juvenem audaciæ & res novas inexplebili cupiditate appetentem: magnitudine præmiorum persuasis iis penes quos ut summa Respublica esset, per suarum partium homines curârat, bello civitatem implicare omni vi ac ratione conabatur: nunquam nisi per armorum occasionem, fore facile arbitratus, ut civitatem, quò animum planè intenderat, sibi obsequentem efficeret. Erat verò ea summa illius consiliorum, cum gerendo bello, quod quidem ut quàm diutissimè traheretur, opera danda erat, pecunia propter ærarii tenuitatem ad exercitus alendos Respublica indigeret: sive illa per tributi confectionem sumptu civitatem levare, sive privatorum habere rationem, & pecuniam conficere locupletibus addicendis publicis vectigalibus mallet, utrumvis accideret, maximas in eo opportunitates futuras. Unus enim in civitate ditissimus, si quando Reipublicæ esset privatorum pecunia utendum, intelligebat fore, ut ad se confugeret, atque ita illam in suo ære haberet: qua ex re fiebat, ut pietatis & beneficentiæ laudem sibi conciliaret: præsto enim esse suis civibus, ac patere patriæ fortunæ, quamvis illa adversa contingeret, domesticis copiis videbatur: quæ una res maximè erat ad popularem auram captandam opportuna. Quos

A autem privatos pecunia juvisset, ubi essent tributa exigenda, eos genere beneficii sibi obstringebat: cujus quicquid inesset commodi in eum qui beneficium contulerat, in affectos beneficio damnum & dedecus redundabat. Ita cùm civitatis vectigalia quæ illius pecunia utebatur, atque alia ratione minus ei cavere poterat, redempta perpetuò exigeret: indies ditior & autoritate & potentia crescebat: si cui autem ex privatis pecuniam commodasset, facile eam sibi deberi patiendo, tanquam nexu & mancipio liberum hominem atque ingenuum devinctum, quocunque vellet trahebat. Cæteri quorum res familiaris angusta, & ubi tri-
B butum conferri oporteret, propterea minus essent solvendo (hi autem ferè erant, qui potentiæ *Medicum* infesti, eorum rationibus adversabantur) hi inter ærarios relati, jus ferendi suffragii civitatísque adeò capite diminuti amittebant. Hoc animadversionis genus olim in decoctores ac turpi judicio convictos constitutum, in eos *Florentini* exercebant, qui Reipublicæ debitam pecuniam ex magistratus præscripto ad diem non solvissent. Is autem cui ea multa erat irrogata, adigi ad speculum dicebatur: quòd in ea nota, tanquam in speculo, & censum, & fortunas civium licebat intueri. Itaque cùm semper belli suasor, pacem quam
C fessa civitas magnitudine malorum cupidissimè esset amplexa, ferre non posset, eodem autem tempore *Martinus*, quo erat interprete ad eum diem usus in magistratuum & adversariorum consiliis detegendis, publico munere privatus abstinere à curia jussus esset, *Cosmo* cujus maximè virtute confidebat ac *Laurentio* liberis relictis, mœrore confectus decessit. Patre mortuo, divisam civitatem atque in partes diversas distractam *Cosmus Medices* excepit: qui magnis animi præditus ac fortunæ bonis, se populo ducem adversus optimatium studia præberet. Atque in *Cosmo* inerant concessu etiam inimicorum cùm aliæ virtutes omnes quæ sunt
D viro Principi ornamento, ingenium, prudentia, facultas & copia dicendi, gravitas, constantia, elegantia morum, tum quæ videntur maximè populares, & multitudinis plausum & admirationem habent, liberalitas, magnificentia, vitæ splendor, celsus animus ac privati hominis fortuna major: quæ omnia ut conspicerentur divitiarum magnitudo, ut boni non invisa solùm, sed suspecta haberent, præter domesticas copias, ambitio quæ cùm summa esset, insimulatione officii & beneficentiæ latebat, ut libertati omnium officerent, & Reipublicæ tempora, & multitudinis studia efficiebant. Is porrò erat civitatis status,
E ut cupido imperii homini & in spem rerum novarum erecto, ubi ad ingenium vires & nervi accederent, quos divitiæ maximæ suppeditabant, vel minima videretur contentio in magna etiam bonorum consensione, futura. Magistratuum autem autoritas omnis & vis, unius hominis cum infima multitudine conjunctione aut fracta & debilitata, aut comtempta planè abjectaque erat. Itaque cùm præter patris memoriam gratiosi hominis, divitiarum copiam atque affluentiam, facultates ingenii maximas, in ea tempora incidisset: in eadem cum cæteris æquabilitate vivendo, cupiditatem dissimulando, multis privatim consulendo, ea po-
F steris domesticæ potentiæ fundamenta constituit: ut illi quidem amplioris cujusdam fortunæ accessione, majorum memoriam planè obscurare, ac Republica de pristino statu convulsa, pervenire etiam ad civitatis imperium, hujus gloriam famæque celebritatem, quamvis summis in imperiis positi, haud facilè æquare, nulla unquàm amplitudine honorum superare, nominisque majestate potuerint. Est quidem magnus in hoc hominum consensus, qui de rebus eorum temporum scripserunt,

runt, nulla unquàm in civitate, quæ amissa jura libertatis uni homini permisisset, quenquam vi & armis, atque hunc unum in ea quæ libera esset, & quidem quod difficillimum est, in ea causa quam omnes odissent, autoritate gratiaque præstitisse. Ac ne quis reprimere facilè unius cupiditatem posset, qui & detectam illam, & perspecta ejus consilia omnia haberet: gravitas quædam hominis & composita ad tempus moderatio obsistebat, quæ efferentem sese animum, ut pari atque æquo jure uti cum cæteris videretur, quorum libertati se esse formidabilem intelligebat, finibus certis officii atque honestatis, nisi quis penitus mentem illius introspexisset, continebat. Itaque (quod posteà à *Petro* filio neglectum est, magna penè familiæ clade) susceptas à liberis filias, privatis civibus, ex amplis quidem illis familiis & honestis collocavit: ita visus minimè eam potentiam appetere, quæ exterorum affinitatibus quæsita, suis civibus infesta, ac magnæ sibi apud omnes ordines offensioni esset. Apparebat in eodem studium pietatis & religionis; una maximè res accommodata ad capiendos animos imperitorum, qui specie modò eorum quæ fiunt non causis moventur. Nam præter sacras ædes quæ aut *Florentiæ* permultæ, aut extra urbem magnificentissimè extructæ ac regio more conspiciuntur: *Hierosolymis* quò nostri homines exciperentur, qui eò religionis causa accederent, hospitalem domum suis sumptibus ædificandam, certo assignato agro, ex cujus vectigalibus, quæ ad illos alendos necessaria essent, suppeditarentur, sive pietatis studio, sive gloriæ & nominis, curavit. Atque his omnibus quidem extruendis, quemadmodum ex tabulis animadversum est, quas diligentissimè confecit, ad quingenta nummorum aureorum millia expensa tulisse fertur. Qui tanti sumptus etiamsi magnam illi invidiam conflabant apud nobiles & potentes cives, qui malis rationibus, ut credebant, partas divitias & insignibus Reipublicæ calamitatibus execrarentur, & domi multitudinis benevolentiam, & foris nomen, famam, populorum acclamationes, quæ res illi magno usui erat ad domesticas opes & potentiam stabiliendam, comparabant. Accedebat ad hæc propensio in doctos homines quædam singularis, quorum magno consensu, uni vindicata studia literarum à superiorum temporum barbarie, quæ jam pridem liberales artes omnes inquinaverat, tribuebantur. Ita quæ domus armatis hominibus patebat, id quod esse agendum ei videbatur, cui & timendi & continendi in metu multi æquè essent, eadem virorum honestissimorum frequentia colebatur, qui cùm ex aliis *Italiæ* civitatibus, tum ex *Græcia* omni ad juventutem *Græcis* literis instituendam, evocati præmiis amplissimis, ac magna cum illius laude erant. Factum enim unius liberalitate videbatur, ut nostri homines se ad politiorum literarum studia referrent, quæ quidem per multas jam ætates, ob continentia bella quibus perpetuò *Italia* à barbaris nationibus vexata est, obsolevissent. Fuit sanè *Cosmus Medices*, ut multis aliis in rebus, ita in hac una planè fortunatus, cui contigit id, quod maximè eum optare æquum erat, qui ex hominum sermone famam nomenque colligeret, iis ut temporibus floreret, quibus reviviscere literæ, quarum jam erat omnis intermortua laus, & liberales disciplinæ cœperunt: in eo est in primis laudandus, atque adeò quæcunque illi causa extiterit, cur hoc sibi agendum putaret: quòd unus in *Italia*, studia literarum provehere, literatos homines fovere, augere præmiis omni genere honoris atque officii honestare instituerit: id quod vix magni Reges ausi & potentes essent. Ac fuit quidem prudentiæ tantæ rei occasionem, ubi illam tempora ostenderent, novisse: occasioni non deesse magni animi, susceptum ex ea institutum laudis retinere constantiæ, felicitatis suis relinquere æmulandum: cùm ea esset contentio futura, ut & vinci à suis optandum, & vincere eidem præclarum esset. Itaque cùm illud assequutus est, quod illi propositum fuit, ut domesticæ gloriæ & laudi consuleret, quæ una res illum magnopere apud posteros commendavit: tum nostris hominibus (etiamsi hoc ille minus spectavit) plurimum hac una ineunda ratione prospexit. Nemo certè nostra patrumque memoria, nemo illius ferè extitit, cujus illustre nomen & fama esset: quin hoc uni acceptum referendum, tantum ejus meritum magnis cumulatum laudibus posteritatis memoriæ mandandum putârit. Unus inventus est *Franciscus Philelfus*, qui cùm clarus, ut illis temporibus, dicendi artem *Florentiæ* profiteretur, adductus, ut videtur, odio atque æmulatione inimicorum quibus plurimum *Cosmus* tribuebat, in partes inimicorum transire sit ausus, & graves cum illo simultates exercere. Nam & sibi venenum paratum, & quo planè deformatus sit, vulnus in os inflictum, & necem intentatam, & cùm profectus *Senas* esset docendi causa, nomen etiam inter proscriptos relatum queritur, ex quibus ægrè posteà exemptus, magnóque vitæ periculo defunctus, quantum hominis odium in se esset, documento fuerit. Quibus affectus injuriis, acerbissimè in illum familiamque universam homo acerrimus & disertus invehitur, atque adeò ut plurimum apud *Italiæ* principes de illius nomine & dignitate detraxerit. Tantæ hominis virtutes quæ quanquàm magnopere hominum oculos perstringerent, non ita inimicis tamen officiebant, ut minus iis earum ostentatio suspecta esset, ingentia vitia obtegere ferebantur: animi elationem & superbiam, dominandi cupiditatem, insolentiam, fastidium, contemptionem, odium, crudelitatem. Hinc patre etiam vivente æmuli calumniabantur pecunia corruptos magistratus, in principes civitatis viros optimos & clarissimos comparatas insidias, immissos in *Uzanium* interfectores defensos atque in familiaritatem & clientelam acceptos: domi perpetuis discordiis, foris externis armis patriam afflictam: susceptum *Lucense* bellum minimè secundis auspiciis, & parum honestum civitati, & Reipublicæ æquè & privatis calamitosum: nobilissimas familias, magno luctu bonorum è civitate per vim atque injuriam ejectas, in qua diu florere autoritate easdem & gratia meminissent: acerbissimum servitutis jugum suis civibus impositum: innumerabiles clades hoc instituto posteris hæreditario relicto, Reipublicæ illatas, quæ illi tandem exitio fuerunt. Quæ omnia quò minus in multorum notitiam manarint: perpetuis laudibus celebratum viri nomen prædicatione que doctorum hominum, tum familiæ potentia, quæ quidem cursu secundo fortunæ elata, & ad alios summos honores, & ad regium usque fastigium pervenire potuerit, obstiterunt. Accedebat ad ea quæ is sua sponte adversus suorum libertatem concupisset, tanquam incitamentum quoddam, hinc *Averardus Medices* cujus, ut alibi diximus, maximè erat audacia petulantiaque infamis, hinc *Putius* tectus homo & callidus, atque ad deliniendos imperitorum animos maximè ab ingenio atque ab artificio paratus, ex quorum autoritate & consilio omnia agebat. Quod quidem cùm nemo ignoraret: & sua ipse invidia & suorum flagrabat: quorum cùm alia multa ab illis nefariè, ut videbatur, magis quàm falsè dicta, tum illa magno cum gemitu bonorum in primis jactabantur, cùm *Cosmus* & *Putius* inter decemviros lecti essent, quibus belli administratio mandabatur:

ut quæ mala sua natura haberentur, multò etiam tempore deteriora invidiam illi atque odium non ferendum conflarent. Populum perpetuò esse belli incommodis atque angustiis urgendum: præclarius enim illum cum iis agere à quibus direptus magis expilatusque esset. Videri eos imperitos qui quærerent quo adducti consilio *Medices* bellum duci mallent, quod confici brevi liceret (scire enim sese hoc nomine apud nonnullos malè audire) sed sarciri, si qua esset, dignitatis jacturam compendio, quod qui ignorarent quantum ex ea re existeret, in eo satis inesse causæ, cur mirarentur. Ad certorum hominum domandam superbiam, unicum esse remedium positum in armis: simul enim & morbum de capite illis, & illos de capite exire. Ad sanitatem autem facile omnes ubi dempta materia morbi esset, redituros. Nam ita privatis ob ærarii inopiam pecuniæ imperabantur, ut qui magistratui ad diem non solvissent, iis, ut jam antea docuimus, inter ærarios relatis, nec magistratum gerendi, nec suffragium ferendi in populi comitiis potestas esset. At *Cosmi* multò etiam his graviora: cùm non deessent qui quanquam oppressa civitate unius dominatione atque imperio, ingenio obsequi facilius quàm tempori servire possent: minimè autem esse ferendum dicerent, orbam Rempublicam tot familiis honestissimis, quæ essent civitati ornamento atque subsidio, tot clarissimis civibus post illius reditum in exilium pulsis, perditorum hominum scelere atque audacia concussam, labefactatamque concidere, satius sibi videri utcunque affectam Rempublicam sed aliquam tamen, quàm nullam superesse. Nam quod ad jacturam civium attineret, nihil esse cur laborarent: septenis enim aut octonis purpuræ ulnis, quotidie cives permultos fieri posse. Utebantur tum *Florentini* purpurea togula, cujusmodi ferè atram hoc tempore eos habere in usu videmus. Amico autem consulenti quibus usus rationibus & institutis sibi à populo delatam præfecturam ex sua & Reipublicæ dignitate administraret, perbreve esse, inquit, quod eum admonitum vellet, purpuram indueret, pauca loqueretur. Nam illud crebrò usurpare consueverat, quod à veteribus *Augusto* adscriptum est, cùm amici negarent quorundam audaciam ferendam esse, à quibus multa impunè adversus illius dignitatem dicerentur. Enimvero æquo animo ab iis ferri debere hominum libertatem in dicendo, quibus factis in illos sæviendi facultas esset. Neque vero æquam factorum contentionem & dictorum esse. Quæ superbè ac minimè obscurè dicta in suorum civium contumeliam, tanquam præ se neminem hominem duceret ac Reipublicæ calamitati illuderet, magno illi odio erant: eadem amici atque assentatores ad ingenii elegantiam atque acumen detorquebant. Sed hæc quidem dicta, & quæ aliquantò levius homines ferrent, nisi multò his facta, ut censebant, graviora bonorum animos ab illius causa alienassent. In his maximè bellum civitati *Lucensium* indictum, quæ cùm primis *Hetruriæ* ornatissima, quamdiu libera fuisset, omnibus officiis & studiis conjuncta *Florentinæ* Reipublicæ extiterat, dissentientibus non modò aliis, quorum princeps autoritate *Nicolaus Uzanius* habebatur, sed etiam *Rinaldo Albitio* nobili homine, & virtutis opinione maximè populo probato, quem *Machiavellius* falsò affirmat, ejus sententiæ, quæ bellum decernebat, autorem suasoremque magistratui fuisse. Nobis quidem constat ex quæstionibus, quæ sunt habitæ de iis, qui conspirasse adversus Rempublicam dicebantur: quæ quidem per ea tempora, ut videtur, descripta ex publicis actis, & in privatorum commentarios relata, pervetusta illa certè, ad nos pervenerunt: neminem eo uno magis à belli consiliis atque ab armis abhorruisse. Illud sanè ex his apparet, *Albitium* domi à certis hominibus conventum: quorum unus *Anastasius Guidutius*, quòd summo magistratu in octovirûm collegio fungebatur, omnia ad *Medicum* præscriptionem decernebat, ab iis ubi accuratius ea de re omni cum eo actum esset, neque perfici posset uti recusantem in sententiam adducerent: ita illum respondisse. Enimvero minimè videri sibi è Republica esse, arma eo tempore *Lucensibus* inferri: quorum quidem cùm nulla populo *Florentino* illata injuria, honestum Reipublicæ fore bellum sponderet: ut minus salutare etiam videretur, certa vis ac ratio temporum probaret. Atque etiamsi alii id maximè suscipiendum censerent, quorum sententiæ eventum pro sua in patriam benevolentia lætum ac secundum Reipublicæ precaretur: nihil tamen agi temerè atque inconsultè placere. Ac quando affirmarent, magistratui, cujus ut summa potestas autoritàsque haberetur, leges juberent, penitus stare, frequenti civium conventu ea de re agere: tum se rogatum eam sententiam dicturum, quam è sua fide esse & è Republica duceret: id quod viri fortis & patriæ amantis munus esse videretur. Ita illos re infecta discessisse. Illud autem *Medices* movisse affirmant, ut allegandos homines ad *Albitium* statuerent. Cùm enim per Vexilliferi autoritatem cujus, ut sæpè diximus, summa inter cæteros collegas potestas erat, bellum nequicquam suadere conarentur: quòd is maximè & quid pauci in præsentia de bello sentirent, & quod in posterum esset multorum de se judicium futurum spectari æquum contenderet: ex iis qui ei in magistratu assidebant, *Guidutium*, ut diximus, delegerant: quem autoritate publica innixum, ubi pertinacius id pergeret recusare, perducturum hominem in sententiam haud desperarent: id quod magnopere ad rem conficiendam pertinere arbitrabantur. Ubi autem sibi *Albitium* conciliassent, cujus autoritatem *Uzanio* opponerent à belli consiliis civitatem deterrenti: eo facilè de sententia dejecto, cætera ut maximè vellent, transacturi videbantur. Cùm enim sæpè hominem de medio tollere statuissent, cujus autoritate fieri credebant, ut quæ animo constituerant, minus exequi commodè possent: conabantur per *Albitii* conjunctionem aut eum penitus opprimere, aut adducere apud populum in contemptionem, quod sibi fore facillimum putabant. Ergo cùm certa præmia & perampla pacti, nonnullorum animos victos in sententiam adduxissent: opportunè rei gerendæ oblata occasio est. Fortè enim *Nicolaus Fortebratius*, insignis homo audaciæ & rei militaris gloria clarus, per eos dies excursione facta in *Lucensium* agrum, pleraque eorum castella deimproviso occupaverat. Ea res tandem ut de bello per magistratum ageretur, atque de eo homine conducendo qui copiis Reipublicæ præesset impetravit. Hinc post longam disceptationem, cùm per tria populi concilia eodem coacta agi de bello placuisset (horum alterum ex numero delectorum, concilium trecentorum, Communis alterum quòd ex cunctis civitatis ordinibus constaret, Populi concilium tertium certo ac magis proprio nomine appellabatur) bellum decretum est: cujus æquè & temerè suscepti, & infeliciter gesti culpam omnem in *Rinaldum Albitium* à *Cosmo Medice Machiavellius* avertit: cùm is unus tantis opibus innixus, frustra *Albitio* adversam sententiam suadente, illud indicendum magna omnium ordinum frequentia curavisset. Nam illud video ab aliis affirmari, cùm magna spes esset civitati injecta, brevi & ex sententia bellum confectum iri, ita à *Rinaldo Albitio* qui legatus exercitui præerat; Republica administrata, ut durissimo

simo anni tempore omnia ferè *Lucensium* oppida in potestatem redegisset: ne sua spe celerius bellum finiretur, quod ductum iri longius credebant, per *Medicum* factionem successorem ei designatum *Euphrosinum Verazanium*, qui statim ad exercitum profectus, properanti ad belli exitum impedimento esset. Ea autem erat *Cosmi* potentia, ut *Averardus Medices* cùm in eo perseveraret, ut Decemvirum magistratus *Albitium* à belli administratione revocaret, *Martino* * qui quamvis in omnibus *Medicum* studiosus esset, minus accedere in aliorum sententiam videretur, ubi cætera minus procederent, ausus sit nisi collegis assensus rem probaret, superbè atque insolenter malum minitari. Jam & *Laurentii Medicis* legatio (quod eodem pertinere credebatur) erat civitati suspecta atque infamis, quòd is per ea tempora ad *Philippum Insubrum* ducem missus, qui cum erant fœdere *Florentini* conjuncti, tanquam hæc illi una legationis causa extitisset, omnia ut ageret quæ secunda hostibus, suis adversa evenirent, inertiæ à multis, qui leniore verbo invidiam rei elevarent, à nonnullis sceleris & perfidiæ accusabatur. Augebat suspicionem hominum, quòd cum eodem tempore alia esset ad *Venetos* legatio decreta, non uni erat munus legationis delatum: ad *Philippum* à quo certiora subsidia & paratiora hostes expectabant, unus qui haud multum ingenio, minus aliquantò usu rerum valeret, legatus per magistratum erat: cùm in summa ejus negotii & muneris verti totius Reipublicæ salutem constaret. Delectum autem ob id solum criminabantur, quo tectiora ejus consilia minus ad multos facile perferri possent. Quo fiebat ut magis illi fidem quàm ingenium fungenda legatione, quod gravius est, suspicarentur. Hinc enim *Philippum* legationibus *Lucensium* solicitatum, quem dolo aggressum, consilio, pollicitationibus, omnique ratione avertere ab eorum amicitia consulentem Reipublicæ oportebat: mittere hostibus clarissimos belli duces variis nominibus auxilio, palàm pacisci, transigere de re tanta libero ac soluto animo, *Laurentio Medice* Rempublicam munere legationis procurante, potuisse. Sed illa etiam majore cum hominum offensione audiebantur: quibus non jam criminis suspicionem inesse, sed manifestò hominem teneri probaretur: quamdiu *Mediolani* egit, nocte intempesta, ad illum ventitare solitos certos homines ex interioribus *Philippi* amicis, & quorum ministerio reconditioribus literis scribendis utebatur: ac gravissimis de rebus, de quibus ille per notas suos faceret certiores, remotis arbitris, agere consuevisse. Neque hoc solum, sed quod jam nemo ignorabat, sæpè *Philippum* per noctem ab eodem conventum, *Joannes Volaterranus* affirmabat: quem cúm illi comitem legationis ad publicas literas scribendas magistratus dedisset, minimè de iis quæ ageret, celari oportebat. Certè nunquam *Laurentius* dissimulavit, quin arctissima sibi cum *Philippo* familiaritas intercederet: cum illud etiam adderet, sive ostentationis causa, sive quòd res ita erat, nihil difficile adeò atque arduum videri, quin is statueret sibi sua causa esse agendum. Quæ si ita essent, verisimile est, separata illum consilia à Republica habuisse, ac connivente eo, *Philippum Lucensibus* auxiliatum esse, atque adeo ut nemini id in mitiorem partem, ut maximè illi æquus esse vellet, interpretari liceret. Ita porrò est bellum perpetuò gestum, ut si standum sit iis, quæ *Nicolaus Tinutius* cùm causam de majestate diceret, in quæstionibus expressit, mirandum magnopere sit, undenam *Machiavellio* in mentem venerit, ea scribere, quæ tum de *Albitio*, tum de *Astorgio Janno*, qui in belli principio Reipublicæ legati exercitui præfuerunt, ita accuratè & diligenter, asseveranterque adeò tradit. Nam præter *Tinutium*, qui quo tempore bellum fieri est cœptum decemvirûm magistratui scriba adfuit, *Nerius Gini* filius *Caponius*, unus ex decemviris qui dignitate maximè autoritateque præstaret, quique legatus posteà ad exercitum res gessit, eadem quæ *Tinutius*, tradidit, nulla fermè in re ei cum *Machiavellio* convenit. Ac quod ad belli administrationem attinet: neuter ab illo videtur dissentire ejus initiis tradendis. Divisis partibus, inquiunt *Astorgium* in *Ligures Apuanos*, eo consilio, ut ea oppida tentaret quæ per eum tractum omnem ditioni *Lucensium* parebant, *Rinaldum* ad lævam ad ea loca recipienda, quæ per *Nevolensium* vallem, quam appellant, *Lucensem* agrum attingunt, copias adduxisse. Hinc *Jannum* longius progressum ac *Massa* oppido potitum, ad *Laventiam*, situm ad *Macræ* fluminis ostium castellum, positis castris consedisse. Id cùm propediem in potestatem redacturus videretur, uno maximè *Averardo Medice* contendente, qui si ita per viros fortes & rei militaris peritos bellum administraretur, brevi id, quod minimè volebat, confectum iri non ignoraret, in urbem decemvirûm decreto revocatum successoremque ei *Alamanum Salviatum Medicum* perstudiosum hominem delectum atque ad exercitum primo quoque tempore ire jussum. In principio cùm minus magistratus decreto, quod vi extortum & per factionem *Medicum* diceret, parere *Jannus* videretur, multis ad illum nuntiis terra marique dimissis, tum judicii gravi denuntiatione adjecta, ni dicto audiens statim ad urbem rediret, celerem atque expeditam victoriam, re infecta discedere inimicorum imperio ab exercitu coactum, è manibus dimisisse. Ita majore parte hyemis consumpta, cùm in omnibus ferè *Lucensium* oppidis tentatis per colloquia oppidanorum animis, propediem deditionem facturos sperarent: hostibus spatium sui colligendi atque interea auxilia undique cogendi, per eam interjectam moram, dederunt: quæ res ut maximè fuisse *Lucensibus* saluti fertur: ita una penè Rempublicam universam evertit. Magna quidem querela bonorum majore decemvirûm invidia, id contigisse ajunt: qui dignitatis suæ existimationisque obliti, addictique paucorum cupiditati atque imperio, impigro homine & scientia rei militaris præstanti, è medio cursu rerum gerendarum avocato, in magnum rerum discrimen civitatem adduxissent. Nam brevi postea *Lucenses Francisci Sfortiæ* adventu, cum is accepto à *Philippo* commeatu, per speciem *Neapolitani* regni invadendi, in *Hetruriam* descendisset, exacto *Paulo Guinisio* urbis tyranno, libertatem recuperaverant: & acriore posthac cura bello gerendo intenti, *Nicolao Picino* duce copiarum misso iis à *Philippo* ex *Insubribus* auxilio, *Florentinos* magna accepta clade profligatos, ac majore parte copiarum impedimentorumque amissa, retrò, urbis obsidione soluta, redire coëgerant. Itaque factum esse improborum hominum cupiditate atque avaritia querebantur: ut foris Respublica infelici rerum eventu, domi immani ac non ferendo imperio à magistratibus oppressa, in paucorum servitutem adduci potuerit. At de *Astorgio* eadem *Caponius* & *Tinutius*, diversa planè ab illis *Machiavellius* tradit. Nam de illa *Sarravezensium* clade, quam vir non indisertus, obsequutus ingenio, consultò videtur auxisse: cum minimè res digna esset, quæ ab his ita dissimulanter præteriretur (siquidem eam unam causam ait magistratui fuisse, *Astorgium* ab exercitu amovendi) ne verbo quidem meminerunt. Quid verò ea re fœdius immaniusve poterat confingi? Cùm legatus vix exercitum ad fines admovisset, ac *Sarravezenses*, homines locupletes, & cùm primis domi suæ honesti obviam advenienti progressi, se il-

li suaque omnia dedidissent: id quod à barbaro hoste vix bello victis expectandum fuisset: in sacras ædes confugere coactos, ac ne suis opem ferre possent custodiis septos, omni ab illo genere injuriæ & contumeliæ affectos, milite, cuncta prædæ habere, ferro atque incendio vastare, non ætati, non sexui parcere, qui resisterent interficere omnes crudelissimè jusso. Nec me tamen fugit, non viribus majoribus bellum quàm animorum contentione gestum, ac multa avarè atque insolenter in *Lucenses* excogitata, quæ vix hac ætate ac tàm corruptis moribus, digna fide videri possint: cùm ipse percunctando de majoribus natu qui id dicerent se adolescentes à patribus accepisse, aliquamdiu in ea urbe moratus, audierim: ingenuas mulieres vestibus ad fœminina præcisis, quò ad cæteras clades, jactura pudoris vehementius augeretur, milites remittere ad suos libidine expleta, consuesse. Sed hæc acta per omnem *Lucensem* agrum & ubi deditionis spe adempta, infesta omnia hostiliaque ostenderentur, in deditītios tantum sceleris, duces admisisse, nemo, quod sciam, scriptum præter unum *Machiavellium* reliquit. Eodem spectant, quæ de *Rinaldo Albitio* ab illo traduntur, cujus apud utrumque mentio perhonorifica habetur, cum expugnatis aliis *Lucensium* oppidis, ad *Pontem Tectum*, quem vocant. penè in suburbiis castra haberet, omissis belli consiliis, avaritiæ ac prædæ studere, magnaque nominis jactura, exercitus Reipublicæ legatum, forum, quo venalia jumenta ac pecora, quæ aut à suis abacta, aut empta à militibus divenderet, habere pessimo exemplo instituisse. Ita multis non in suos minus quàm in hostes avaritiæ & crudelitatis editis exemplis, cùm se eorum infamia *Florentiæ* laborare, ac maledictis & conviciis lacerari à multitudine audiret, sua sponte ipsum nullo exspectato magistratus imperio, ab exercitu discessisse. Id unum modo *Tinutius*, quod *Astorgius* certa ratione & consilio bellum gerendo, civitati quæ belli exitum & finem spectaret, celerem de hostibus victoriam sponderet: *Medices* qui ea suæ potentiæ fundamenta jecissent, ut eam firmari belli diuturnitate, pace atque otio tolli, his rationibus quæ sunt superius à nobis demonstratæ, non dubitarent, diligendum *Alamanum Salviatum* qui statim ei succederet per decemviros ex quibus semper erant quos sibi largitionibus emancipassent, curavisse. Additum autem ei eundem *Nerium Caponium* collegam, qui illum longè usu rerum ac bellicarum rerum scientia antecelleret, adversariis quibus *Alamani* fides esset suspecta, negantibus summam Rempublicam difficillimo illius tempore uni esse committendam, cùm ei *Medicum* studiosi belli administrationem mandarent, qui præsertim bellicæ virtutis nullum antea documentum suis civibus dedisset. Hinc cùm ad exercitum profecti, conjunctis copiis ad *Capanulas* qui vicus circiter passuum tria millia *Luca* abest, constitissent: *Nerium* quanquam collegæ consiliis ac rationibus exploratis, sua autoritate, quoad poterat, ne quid novi consilii iniret, in officio contineret: cognito *Sfortiæ* adventu, qui venire per *Ligures Apuanos Lucensibus* auxilio dicebatur, castra inde movenda, atque itineribus insessis, ei ultrò obviam eundum, censuisse, ne consilium maximè Reipublicæ salutare atque opportunum expediret, à collega, qui ex ejusce rei eventu hominis autoritatem & gratiam, nimium apud populum auctum iri intelligebat, id enixè *Cosmo Medice* agente, prohibitum esse. Ac de *Nerio* illud etiam addit: eum quidem cum nimium sui juris esset, ac facilius omnium quàm dignitatis suæ & existimationis oblivisci posset: ab adversariis tametsi gratia & autoritate perfecerant, ut is in-

A telligeret, nequicquam se cupido atque ambitioso collegæ oppositum esse, quod adversus *Astorgium* egerant, legatione ferè se abdicare coactum: cùm is animum inducere non posset, ut magistratui obtemperaret, cui quidem pecunia empto avaritiam & sordes exprobraret, contumeliosis literis & minacibus ab exercitu abstractum: eas literas ab *Averardo* scriptas, quarum literarum exemplar in actis publicis extaret, & à se quidem & à multis sæpè visas lectasque esse. Hinc jam pulso à *Lucensibus* Tyranno, cùm malo consilio *Florentini* arbitrarentur *Lucenses* per *Auseris* fluminis effusionem quod propè urbis mœnia alluit, posse ad deditionem impelli, B *Medicibus* id suadentibus per eundem *Martinum* unum ex decemviris, quem participem consiliorum autoremque omnium quæ eo bello agebantur habebant, quicquid *Nerius* contra adniteretur, cæterique qui rei militaris peritiores habebantur, aggerem quà amnis cursu secundo ferebatur, in altitudinem ingentem extruendum, fossamque perducendam pari ferè altitudine, in quam derivatum amnem ad urbem averterent, curasse. Quorum consilio cognito, *Lucenses* adverso huic aggere extructo, ac per noctem eruptione facta, nihil hujusmodi *Florentinis* expectantibus, aggerem interscidisse. Ita amnem quà agger C interruptus aditum aperiebat, cùm veheret vim aquarum ingentem, in subjectos campos quà *Florentini* castra habebant, effusum retrò eos magna illata clade, cum perterritis *Lucenses* equitatu instarent, castra ponere coëgisse. Jam altera ex parte *Albitium*, cum præsidio dejecto, pontem expugnasset, atque impunè excurrere ad portas ausus, magna oppidanorum trepidatione tormentis mœnia verberaret: ne vir acerrimus ex occasione victoriæ sublatis animis, eorum conatus majoribus viribus innixus retardaret: surrogato illi, ut diximus, *Verazanio*, frustra querentem atque indignantem, minimè dubiam sibi victoriam de *Lucensibus* D non ab hostibus victis, sed à suis civibus multò illis Reipublicæ infestioribus ereptam, tradere exercitum jussum esse. Idem jam *Cosmo Medice* partium principe ac *Putio* inter decemviros creatis: quæ inimici adversus *Joannis Guiciardini* existimationem confinxerant, cùm eum publicam pecuniam in privatos usus avertisse, quo tempore legatione ad exercitum fungebatur, arguissent: omnium *Medices* autores impulsoresque facit: nulla alia de causa quàm quod hominis ingenium & autoritatem, de cujus in se animo minus sibi exploratum esset, vererentur: ut id planè existimari velit, unam semper eorum curam, & studium E fuisse, per varias criminationes principibus civitatis de dignitatis gradu dejectis, quorum potentia, studentibus rebus novis esset impedimento, per infimorum hominum suffragia, atque eorum quos sibi muneribus obstrinxissent, rerum in civitate potiundi. Eodem consilio ab iis excogitatum novum in Rempublicam magistratum affirmat: cujus munus esset quærere de iis qui majestatis convicti, cùm pœna afficiendi viderentur, in eos per magistratuum ambitionem ad quos ea cognitio spectaret, moribus ac legibus civitatis minus esset severè animadversum. Atque ut sibi constantiæ laudem ejus magistratus jura tuendo compararent, cujus autores extitissent, F *Petrum Delclarium*, honesto loco natum hominem (per cujus rei causam non tradit: verisimile quidem est quod in decemviris *Guiciardini* collega communia cum illo consilia habuisse argueretur) in quæstionem arreptum atque iniquo judicio circumventum, persequi eosdem per suæ factionis homines conatos esse: qua ex re ille in fortunarum & vitæ discrimen, magna offensione bonorum adductus sit. Ad hæc omnia adjicit *Averardi Medicis* peculatus,

ææra-

A ærarii expilationem, in acta falsum numerum militum relatum, eorum stipendia interversa, creditam *Medicum* mensariis pecuniam publicam depositi nomine atque eandem datam fœnori ac quæstui habitam, multa præterea sordidè & flagitiosè facta: quorum invidiam cùm minus diu *Cosmus* sustinere posse videretur, ubi pax tandem bellum consequuta esset: in judicium vocatus atque in carcerem conjectus, damnatusque postremò & in exilium est actus: uno *Bernardo Guadagnio* cùm *Vexillifer* urbis præfecturam administraret, ausò suscipere publicam causam, & cunctantibus collegis, adversus *Medicum* opes de summa Republica B referre. Cùm autem aliis criminibus, tum maximè invidia *Lucensis* belli cujus in primis fuerat suasor, in odium atque offensionem vocabatur. Nam ita gestum administratumque fuerat, ut ex quo uno insignes calamitates & clades Reipublicæ *Florentinæ* essent invectæ, magnam sibi gloriam *Lucenses* & nomen apud populos *Italiæ* omnes compararint. Pressos enim gravi ac diuturna obsidione, cùm raro fortitudinis exemplo perpessis rerum omnium inopiam, lignandi copia nulla esset: ferunt sortè ductis civium nominibus, quorum ædes in urbe haberentur, eas demolitas, ex tignis ac cætera materia æquo animo ferentibus quorum intererat, rei fa- C miliaris jacturam, quotidiano usui quantum sat esset, suffecisse. Ergo cùm variatis sententiis in eam quæ mitior videretur *Guadagnius* inclinasset: in præsentia quidem certam Reipublicæ salutem per unius hominis calamitatem attulisse videbatur, brevi quidem apparuit, eam animadversionis lenitatem & Reipublicæ exitio, & uni cui minimè consultum volebant, saluti atque adjumento adeò ad ea quæ animo concupierat assequenda (id quod integris fortunis atque existimatione vix esset ausus sperare) per ruinam adversariorum, fuisse. Tanquam enim exilii calamitate si qua in re videretur malè de Republica meritus cumulate ab eo D expiatum esset: desiderari sensim ab iis absens, quorum odium illius adeò adversa fortuna exhausisset, à multitudine in primis quæ capta dulcedine largitionis se illi penitus dedisset, posci flagitarique est cœptus: reversus ab exilio, cùm tanti incommodi sarciendi studio majora etiam sua spe illi multitudo deferret, & se brevi colligere, & vires majores sumere, ac postremò animum etiam erigere & pellere inimicos, serò illos magistratus lenitatem & indulgentiam in præpotentem adversarium & tantis nitentem viribus detestantes, è civitate potuit. Nam liberæ jam voces multorum exaudiebantur, & eorum maximè qui severius vin- E dicandum in hominem contenderent, quem legibus pœnam capitis sequi oportuisse censerent. Triste exilium ad tempus subire coactum, quò scilicet reditus lætior, in exilii autores, minimè jam dubiam pœnam & ruinam compararet. Non eandem rationem, in principe cive & extremæ sortis homine, ubi de horum capite agatur, judicem sequi oportere. In magno homine, ubi levius vindicatæ publicæ injuriæ sint, id quidem securitatem illis quamdiu magistratum gerentes publica autoritas tueatur, solicitudinem iisdem privatis & metum afferre: ut jam satius videatur esse impunè eum per magistratum ferre, quæ adversus Rem- F publicam moliatur, quàm quò leges jubeant eos non progredi judicando quorum ea de re cognitio sit. In cæteris judiciis quæ de privatorum rebus sint constituta, tutò remitti aliquid de summo jure posse: in judiciis de majestate, in quibus quicquid remissum sit, id omne in Reipublicæ perniciem vertatur, cum qui modum ullum rationemve sibi habendam putet, longè falli. Itaque non videri eos damnari qui cùm capite plectendi sint, exilio mulctentur, sed provocari verius, cùm in iis injuriæ memoria animi vim atque iracundiam, &, quod caput est, domesticæ copiæ vires ad injuriam persequendam, consilium magnitudo ingenii suppeditare videatur. Neminem porrò quamvis ille reus nocensque sit, beneficii loco accipere, quod illi de severitate judicii detractum condonetur: habere potius loco injuriæ, quicquid illi cùm remitti potuerit, pœnæ & mulctæ nomine irrogatum sit. Metiri autem homines beneficium non certa officii ratione, ut æquum esset, sed facultate largientis, cùm quidem eripi etiam sibi, quod ab invito minus extorquere possint, conquerantur. Cùm autem hoc sit ferè naturæ institutum, ut magis memoria vigeat ad injuriæ quàm ad beneficii recordationem, cui magnopere mirandum videri, ubi *Cosmus Medices*, neque in eos sit gratus qui beneficium in supplicii remissione habeant constitutum, in eos sit acerbus & immitis, quorum injuriam (si modò habenda injuria est, pœnæ in sontes irrogatio) non aliorum judicio sibi sed suo putet æstimandam. Enimvero meritò illum in eorum capita insultaturum, qui quousque progrederentur sæviendo, qua in re una proposita salus omnibus & securitas sit, non quousque progressuri essent indulgendo sibi esse considerandum statuissent. Atque ea post *Cosmi* reditum in civitate evenerunt: ut si quis velit eorum numerum inire, qui aut proscripti, aut damnati capite, aut mulctati exilio illi pœnas luerunt, ita eum fateri necesse sit, rarò ullam unquam civitatem, tantam simul malorum faciem atque hanc unam eo tempore vidisse. Ut enim præteriam nobiles familias alias, quæ ea urbe ejectæ in qua majores honestissimum locum optimis studiis & magnis in Rempublicam meritis retinuissent, extorres in varia *Italiæ* oppida profugerunt: in proxima *Gallia* atque *Allobrogibus* in primis adhuc claræ complures & locupletes habentur, quæ eandem passæ calamitatem, per ea tempora in ea loca immigrarunt. Itaque cum adversariis variis nominibus à Republica ablegatis, cæteri quorum optimi sensus & rectissimi essent, eorum calamitate deterriti, tantam sævitiam temporis tacitè ac dissimulanter ferrent: jam nihil obstare videbatur quo minus unus *Cosmus Medices* sibi omnia sumeret, ac Princeps civitatis Reipublicæ imperium suo arbitratu administraret. Ac quò levius populus unius dominationem ferret: præter omnium rerum ferè impunitatem, servienti magna erant in liberalitate dominantis præmia constituta: contra quæ amissæ libertatis judicia essent nulla extraordinarii honoris insignia & quæ in offensionem cujusquam incurrerent conspiciebantur, non milites præsidii causa, non lictores, non accensi, non apparitores, nullæ domum deductiones, nulla frequentia civium, quæ domum honestaret. Idem privati modo quà videbatur, incedens, nulla septus clientium turba: ut quod urbis solitudo & vastitas præstabat, quæ per tot civium discessum summa erat, proficisci à charitate suorum & benevolentia videretur. Alia erat ratio eorum quibus erepta non empta libertas, audaciam quæ vellent conquerendi, non item judicium quod liberum esset, ademisset. Indignum enim esse ducebant, in ea civitate, cujus imperio magna ex parte nobilissima *Italiæ* provincia pareret, ad unius libidinem omnia administrari, in unius potestate, leges, judicia, magistratus, populi jura, comitia posita, unum Reipublicæ moderatorem, qui de pace & de bello statueret haberi, bonis deterritis pœnæ metu, improbis conciliatis præmio, ne cujus libera vox, in libero populo exaudiretur, veterem Reipublicæ statum, & amissam libertatem requirentis. Nam quòd tantæ potentiæ dissimulandæ causa, imperitis speciosa virtutum adumbratio pudo-

ris, officii, moderationis, errorem mentis objecta & tenebras afferret, id iniquiore etiam animo ferebant. Petitos enim aperta vi, qui minus fallaciis & dolis capi possent: quos pares ad vim propulsandam haberentur, eos ab hominibus, eruditis fraudis & simulationis artificiis, in errorem abductos, ac subire servitutis jugum quod ægrè unquam à suorum cervicibus depellant, indignissimè coactos. Sed hæc quidem domi: foris unum *Cosmi Medicis* nomen, in omnium ore & sermone, consentienti populorum fama & prædicatione celebrabatur. Sive autem tantam calamitatem accidisse existimarent immerenti, misericordiam ei quam magna voluntatum commutatio, inclinatioque animorum consequebatur, tribuebant: sive crimen in eodem hæsisse, & meritò damnatum, ac pulsum è civitate censerent: jam tanquam gravi pœna defunctus quicquid odii subesset & offensionis, explevisset, in benevolentiam & popularem favorem vertebat: reditus quidem eos qui minus causam cognitam haberent, cùm iis celebres jam per omnem *Italiam* hominis virtutes, admirationi essent, in eam opinionem adduxerat, ut innocenti existimarent inimicos odio atque æmulatione adductos negotium facessisse. Ac cùm præter hominis ingenium excellens summamque autoritatem, & ratio temporum & fortuna quædam perpetua atque æquabilis illum ab ejus reditu complexa subsequuta esset: tanta jam erat apud omnes, de illius virtute opinio, ut magno consensu, cunctis suæ ætatis summis præstantissimisque hominibus, aut æquandus, aut præferendus, de pace & de bello consuleretur, unum liberæ civitates ac principes Regesque maximi, quibus amicitia esset & fœdere junctus, autorem arbitrumque rerum omnium haberent. Nam omnibus posteà bellis, quæ multa sunt illis temporibus & magna in *Italia* gesta, illud semper animadversum est, prudentia & consilio illum perfecisse, ut quam partem sibi fovendam statuisset, tanquam unus fortunæ moderaretur, quò minus ex illius præscripto res geri viderentur, superior eadem eventu esset: ut hinc inimicis suspicio augeretur, *Lucense* bellum quod trahendo proferendoque ut penè patriæ exitio esset, effecisset: quòd vinci suos voluerit, noluerit certè vincere, parem exitum auspiciis, infelicem & tristem habuisse. Hujus rei documentum in *Francisco Sfortia* præclarum constituit: quem adversis populorum studiis, de *Insubrum* Regno decertantem, cujus rei causa *Veneti* erant in armis, & à *Mediolanensibus* jam ultima perpessis, exposcebantur: auxiliis quidem Reipublicæ sua autoritate & consilio, tanto Principatu auxit: magnum in eo præsidium adversus omnem fortunæ vim liberis positum iri arbitratus (quæ illum spes non usquequaque fallere est visa) si uni *Cosmo Medici* acceptum illum non civitati cui id debebatur, referret. Relictas à patre divitias ita amplificavit, ut cùm nulla alia ratio videretur potuisse iniri, multi existimarint à *Joanne* XXIII. cui est pontificatus *Constantiæ* abrogatus, relictam illum hæreditatem crevisse, qua quidem ex re factum sit, ut *Medicum* divitiæ, cùm nemo eas non esse maximas censeret, omnium etiam opinionem superarent. Nobis quidem (id quod jam anteà commemoravimus) multò esse verisimilius videtur, atque adeò si iis assentiendum est, qui æquales eorum temporum de illius rebus scripserunt, redimendis illum civitatis vectigalibus qua ex re magnos atque uberes usus consequebatur, rem familiarem tantam facere potuisse. Et si autem non deerant qui si ex æquo liceret, decertare auctionibus parati essent, in quibus ille dominabatur: facilè tamen omnes unius autoritate deterriti, ne aut ad tabu-

A lam accedere, aut liceri contra auderent, adducebantur. Ita hominem imperii appetentem, & cujus cupiditatem cum ea immanes sumptus & profusos posceret, non facile divitiæ etiam si tantæ essent, explerent, quò exhausta civitas propter ærarii angustias, ad privati civis auxilium confugere cogeretur, quæ una res illi quæstuosissima erat, autorem belli semper secutum parentis institutum suis civibus, dissuasorem pacis extitisse. Ad hunc modum illi obstrictam civitatem, cùm nulla alia ratione æris alieni magnitudinem dissolvere liceret, non levi quidem jactura, & publica vectigalia & portoria omnia quavis etiam conditione cum
B eam & Reipublicæ tempora & privati cupiditas facerent deteriorem, addicta perpetuò habuisse. Atque ut appareat, *Medicum* opes exteris etiam nationibus admirationi fuisse, *Philippus Comineus Gallicæ* historiæ gravis autor, satis constanter affirmat, *Edoardum* IV. *Anglorum* Regem, *Cosmi* procuratoribus, cùm regno ejectus pecuniam ab illis quæ magno gerendo bello sufficeret, mutuò sumpsisset, unis ferè regnum acceptum, parta victoria de hoste, retulisse. Ubi quidem decessit, cùm procuratores tabulas proferrent, neminem ferè ajunt in civitate inventum, cujuscunque ordinis & fortunæ in civium modò numerò haberetur, quin in
C illius nominibus esset, multi grandem pecuniam cùm non essent solvendo, facile hoc patienti, permultos jam annos deberent. Itaque multi crediderunt, quò posteris firmiores opes & potentiam relinqueret: magnis illum præmiis, per speciem pecuniæ mutuò dandæ, quominus largitio videretur invidiosa, sibi conciliandos homines censuisse. Atque illum tamen quanquam præter cætera animi bona, magnis fortunæ ornamentis cumulatum, quæ etiam in non optimo ingenio magnam vim & momentum ad gloriam habuissent, constat minimè expertem malorum vitam traduxisse. In his non exilium magis quàm exilii causa infamia
D affectatæ tyrannidis, *Lucensis* belli invidia, offensio bonorum atque odium ex clarissimorum civium proscriptione, commemorantur: quæ omnia & si sunt efficientia earum rerum, quas magno animo atque elato homines sibi in vita ducunt expetendas, gloriæ, nominis, famæ, existimationis: at habent eadem & morsum & aculeum, & ut minus solida constantique voluptate in rebus secundis fruamur, mœrore animi & ægritudine efficiunt. Namque ex liberis, cùm ex tribus quos susceperat duo superfuissent, alter cujus virtuti plurimum tribuebat *Joannes* nomine decessit: *Petrus Laurentii* & *Juliani* pater, neque ille ad
E Reipublicæ munera satis ob virium imbecillitatem idoneus, neque ad procurationem rei familiaris, cùm tanta esset, satis aptus habebatur: liberis quidem susceptis, qui magnæ indolis ac spei essent: sed quibus tum maximè per patris tempora accedendum ad Rempublicam videretur, accedere eodem minimè per ætatem liceret. Quæ illum omnia cùm gravissimè torquerent, quicquid aut fortunæ indulgentia, aut studiis suorum, aut propria virtute, gloriæ partum & nominis habebat, ægrum & solicitum animum, quàm diuturnum id posteritati foret, vehementissimè angebat. Jam cùm per tot annos esset Rempublicam moderatus, neque
F longius productis Imperii finibus quàm à majoribus accepisset, neque ulla re alia insigni gesta pro hominum existimatione & fama, hærere modò in suis civibus ingentium malorum memoriam intelligebat, quæ uno se autore, essent in Rempublicam invecta, nihil eosdem habere quo tanta accepta incommoda detrimentaque unius causa lenirent, quod quidem etiamsi minus sibi in præsentia fraudi esset, propter domesticas opes atque exterorum amicitias & clientelas, invidiæ atque of-

offenſioni fore poſteris non ignorabat. Atque illi jam cum *Franciſco Sfortia* convenerat, ſive id *Lucenſium* odio, cujus tamen cauſa nulla extat, ſive ſtudio ignominiæ delendæ, quæ ſuperiore bello videbatur inuſta Reipublicæ eſſe: ſimulatque *Florentinorum* opibus adjutus rerum in *Inſubribus* potitus eſſet, bello communi conſilio *Lucenſibus* illato, potentem civitatem & Imperii æmulam illius ditioni adjungeret, quod minus bello ſuperiore licuiſſet. Eadem enim ſpe elatus *Venetis* atque *Alphonſo* Rege incumbentibus in *Mediolanenſe* bellum, ne parto regno hoſtibus cedere multò iis viribus inferior cogeretur: *Renatum Andegavenſem*, hinc oblata ſpe *Neapolitani* regni recùperandi, hinc decreto ſtipendio quod illi populus *Florentinus* perſolveret intra certam diem, ſua maximè adductum autoritate in *Italiam* evocavit: tanto merito devinctum ſibi *Sfortiam*, non diffidens compoſitis domi rebus primo quoque tempore *Lucenſem* expeditionem ſuſcepturum. Verùm brevi ille tanta concepta ſpe excidit, non animò illius, ſed aut tempore, aut fide & conſtantia *Sfortiæ* majore. Sæpè quidem quæri auditus eſt, beneficium ſe maximum in ingrato homine collocaſſe, & quod minimè continere cupidi animi anguſtiæ poſſent. His curis confectus, cùm gravi correptus morbo ſupremum adeſſe diem ſenſiſſet: advocatis amicis quorum illi magis erat fides & benevolentia perſpecta, ita ad illos locutus fertur. Si mihi erat ita vitæ munere fungendum, ut ejus mihi fructus modò deberetur: & cepiſſe equidem me uberrimum putarem, cui nihil ferè unquam in vivendo contigiſſet, cur me anteactæ vitæ pœniteret meæ: & quando jam per hanc naturæ diſſolutionem, mihi aditum parari ad multò meliorem vitam intelligo, alacri planè ac læto animo hinc avolarem. Nam etſi mihi in omni vita facile iis rebus omnibus licuit frui, quæ magis eſſe uſui hominibus atque ornamento poſſunt: optima ſpe tamen eorum, quæ me in vita illa beata manent, alendo animum, ita facilè ſemper cætera contempſi, ut nunc quidem cum ea ſit mihi obeunda mors, quam immortalis eſt vita conſequutura, etiamſi illa veſtra ſpe mihi immaturior contingat, præclariſſimè tamen mecum agi exiſtimem. Sed nunquam ego ita in vita agenda mihi potui indulgere: ut ab ejus functionis munere quod natura ſanctiſſimum mihi in patriam meoſque impoſuit, facile paſſus ſim, ullius voluptatis me & commodi cauſa abduci. Itaque excedentem me ex hac vita, & meorum cura me, & verò quæ mihi eſt vita charior mea, cura me patriæ gravius aliquantò vehementiuſque angit. Liberos enim ſuſcepi quorum alterum, cùm quidem in eo, ni me amor patrius fallit, magnitudinem animi & virtutem ſingularem corporis vires pares conſequerentur, importuna ſuſtulit mors: alterum ita ſuperſtitem vitæ meæ relinquo, ut in quo homine neque in patriam pietas, neque ſtudium & voluntas in ſuos, neque prudentia atque animi robur ad omnem fortunam ſubeundam deſit: parum eſſe præſidii poſitum ob virium imbecellitatem animadvertam. Sed hujus quidem ac liberorum orbitati, quamdiu vos eritis incolumes (ita me juvat de vobis ſperare, quando ſæpius etiam quàm vel cauſa veſtra vel mea vellem, & egregiam veſtram in me fidem, & voluntatem mirificam licuit experiri) facilè ut domeſticum hoc vulnus minus ſibi impoſitum à fortuna ſentiant, occurretis. Reipublicæ me cura unius, ita, quod ſemper optavi, liceat mihi Deo immortali propitio, excedere è vita in primis angit. Ita autem interitum ei imminere atque exitium video, ut ſi qua tamen ſit ſpes reliqua futura, facilius eam improbos homines tollere, quò quidem ſemper erumpere ſcelerata eorum conſpiratio atque impia viſa eſt, quàm bonos ac patriæ ſuæ amantes cives poſſe tueri intelligam.

A Una hæc mihi viventi cura fuit, ut quamdiu mihi per adverſarios liceret, atque quoad vires meæ paterentur, benè de meis civibus privatim ac de Republica mererer. Ita poſt reditum meum in urbem, & domi per ordinum concordiam, & foris per exterorum Principum amicitiam, id quod civem præſtare patriæ æquum eſt, aut conſilio, aut ſtudio, autoritate quidem tanta, quantam nunquam mihi ſumpſi, ſed vos mihi eſſe in patriam voluiſtis, Rempublicam conſtitui, labantem illam ne penitus improborum conſenſio convellat (quod unum illi diu moliuntur) ita veſtro conſilio quaſi fulciendam, fide, autoritate, vigilantia relinquo, ſi modò patriæ
B veſtræ ſalutem, cujus in vos beneficia tanta ac merita ſunt, ducere vobis antiquiorem veſtris privatis commodis poteſtis. Obſtat meæ huic ſpei, quæ eadem peſtis bonorum omnium eſt, una maximè ambitio: à qua tamen nihil erit Reipublicæ pertimeſcendum, ubi illa charitate patria victa, vires quæ ſæpè exitio hominibus in magnis imperiis fuerunt, nequicquam experta cedat. Præſtate vos ab hac parte tutos, facilis erit vobis reliqua atque expedita in Republica defendenda ratio. Nam ejus quidem vis omnis ita debilitari à vobis facile ac frangi poteſt: ſi hinc vobis præſidium à ratione petendum, hinc minimè falſi inani ſpecie honoris
C atque imperii, famam hominum & gloriam à commendatione pietatis, juſtitiæ, pudoris vobis eſſe ducendam arbitrabimini, exitum eorum quibus potior patriæ ſalute, cupiditas atque ambitio fuit, deteſtati atque execrati animo. Foris eſt quies ab externis armis: domi otium, concordia civium (peſte hac immani ac dira compreſſa) tueatur: cætera tuta facillimè erunt. Unum vos inprimis monitos velim, *Franciſci Sfortiæ* amicitiam, quocunque ille animo eſſe viſus in nos ſit, tantum adeptus per nos imperium, ſummo ſtudio colatis: euſque autem illius fidei committendam Reipublicæ ſalutem & exiſtimationem arbitremini, ut in veſtris ſecundis
D rebus magis quàm in adverſis, quod jam ſemel egit, ingrati in vos animi documentum conſtituat. Amicum planè illum vobis eſſe malim: ſed quando tantæ jam eſſe illius opes videntur, & verò ſunt etiam: modò vobis inimicus ne ſit id beneficii loco accipiendum exiſtimo. Quantum Reipublicæ debeat, vobis minus ſit curæ: comparate ita vos in poſterum, ut ab eodem majora vobis ne debeantur, idque ubi eritis aſſequuti, eſſe vobis diſſolutum exiſtimate. Beneficii veſtri memoria minus poſthac confidatis cenſeo. Ita autem fert hominum natura, præpoſtero quidem & converſo ordine: ut qui beneficii meminiſſe debeat,
E ejus immemor ſit, & qui oblivifci, beneficii memoria in eo maneàt diuturna: quod tamen certa ratione uſu venit: cùm uterque magis quid ſibi expediat, quàm quid ſe deceat ſequatur. Nam qui afficitur beneficio, ejus uſus commoditate (quod reliquum eſt) abjicit memoriam, quæ eſt ſe moleſta ſemper & gravis videtur, niſi illa in animo grato hæreat. Contrà qui afficit, beneficii memoriam, quandoquidem illam ſpes mutuæ commoditatis alit, quæ jucunda ſemper & tenax eadem propterea eſt, perpetuò animo infixam habet: & cùm venalis ejus beneficentia ſit, ut hoc illi meritò accidere videatur, fruſtra ab im-
F memore gratiæ relationem requirit. Nullum veſtra cauſa eſt ſuſcepturus bellum, qui domeſticum ſibi otium tuendum putet, jam per omnem ætatem magnis rebus gerendis feſſus, ne hoſtibus veſtris acceſſio ad bellum ſit, etiam in otio agens & pacem colens, eſt vobis magnopere providendum. Quieſcentis autoritas, ubi amicum vobis retineatis, arma vobis gerentibus præſidio erit. Hic cùm ſe collegiſſet, ad filium converſus. Te autem, inquit, *Petre* fili, cujus nunc maximè

fidem Respublica implorat, quando impedit morbi vis, quò minus multis, ut constitueram pietatis hoc munere extremo fungar, obsecro atque obtestor, ut quod tibi magno jam natu, cumulatè jam sive usus rerum, sive domestica disciplina, sive majorum exempla multa suppeditarunt, pietatem, quod ipse potes, in patriam retineas, quod nunquam facile homini licuit, ut prudentissimus etiam esset, præstare, consilium ab iis in Republica administranda petas, quorum ut tutior sententia sit, & prudentia summa, & huic adjuncta egregia voluntas fidesque efficiat. Nam si est gloria & fama quærenda, eximia illa & præclara est, quæ à patria nunquam illa immemore suorum, pietati debetur: si opes, si potentia, Reipublicæ causa & suorum civium quæratur. Dominandi cupiditas absit in iis inter quos excellere nisi rectè factis atque honestis vitæ rationibus, impium execrabileque est. In privata vita, moderatio atque æquabilitas conspiciatur. In honestos homines & pudentes liberalitas, quæ ab ostentatione potentiæ & largitionis suspicione, beneficentiæ commendationem habeat. Magistratum gerens lenitatem præstes, quamdiu spes est eam usui fore: severitatem item ubi res postulat, ut fides sit parci hominibus, malefactis hominum obviam iri: quorum alterum humanitatis, fidei alterum officiique est. Exterorum amicitiæ petantur, quæ ita sint honestæ privato, ut quicquid habent compendii & utilitatis Reipublicæ nunquam illi formidabiles importent. Contrà inimicitiæ nullæ, nisi Reipublicæ causa, & cum hominibus improbis suscipiantur: foris bellum aut tuendi patriæ jus, aut propulsandi injuriam, sed ita ut defendi videatur illatum, non inferri, atque adeò cùm expertus prius omnia fueris. Ampliandi fines imperii cùm ejus rei sit infinita cupiditas, moderatio sit summa: atque id quod maximum est, & ferè negligunt omnes, optimis atque honestis rationibus. Hæc autem omnia tibi facillima erunt, si crebrò & qui ipse sis, & quæ tibi à patria sint impositæ partes memoria repetieris: summam in eo esse statuens, ubi in agendo & meliores semper & prudentiores consulueris, ut opem atque auxilium à Deo immortali, qui id unus potest, quod nulla assequitur humana vis, tibi ipse planè diffidens preceris. Hac oratione confirmatis suorum animis, paucos post dies decessit, vir planè admirabilis, si parem animum extremæ orationi præstitisset, quamdiu illi vita licuit frui: dignus certè multis visus est, quem ob præclaras atque excellentes animi dotes, maximis ac potentissimis ejus ætatis Regibus, dignitate autoritateque æquarent. Incidit illius mors in LXIIII. ejus seculi annum, memorabilem illum quidem *Pii Secundi* Pontificatu futurum, nisi grave bellum adversus *Mahometem Turcarum* regem molientem, importunum ac funestum *Christianæ* Reipublicæ fatum sustulisset. Nam per id tempus magna populorum expectatione, coacto *Mantuæ* principum conventu, gravi eos & luculenta oratione, quam monumentis literarum consignatam posteritati commendavit, eos ad arma *Barbaro* inferenda cohortatus erat: qui formidabilis jam *Italiæ Germaniæ*que imperio imminebat. Hinc *Ancona* profectus, unde euntibus ad bellum commodissima esse transmissio dicebatur in *Epirum* & *Acarnaniam*, ubi fieri belli initium placebat, gravi

A morbo sublatus interiit. Frustratus quidem sua spe, cùm ex iis qui professi erant se in eam expeditionem ituros, nemo præter *Venetos* ad diem affuisset, vir exactæ jam ætatis & quem tanta spe dejectum mœror animi curæque exederent, diu morbi vim ingravescentis non potuit ferre, ac parum lætis auspiciis, magnum fama & nomine inchoatum bellum sua morte sustulit. *Mahometes* porrò cùm summum ab armis otium in *Italia* esset, ut id majore nostro dedecore accidisse videatur, *Thracia* omni armis occupata, cùm *Byzantii* ac *Trapezuntii* imperii urbes ac provincias omnes, tum *Scodram* in *Dalmatis*, *Chalcidem Euboeæ* ur-
B bem nobilem & claram olim *Romano* bello, præter omnem humanum morem, omnibus in victos crudelitatis & barbariæ exemplis constitutis, sibi armis parere coactas suo imperio adjunxerat. Eodem anno *Ludovicus Undecimus Gallorum* Rex, gravi bello premebatur, cùm regni principes clarissimos belli duces, quorum virtute & consilio *Carolus* pater magna gloria regnum intestinis discordiis amissum, *Anglis* è *Gallia* pulsis recuperaverat, repentè exautoratos, gravi ignominiæ nota affecisset. Nam *Carolus* frater minor natu vetitus *Normannorum* regnum hæreditate adire, quod illi erat testamento à patre legatum, cùm *Carolo*
C *Burgundiæ*, *Francisco Britanniæ* duce fœdere percusso, brevi quidem, cùm grave per se bellum subita populorum defectio sequuta esset, illum in rerum omnium discrimen, cùm à militibus tum à cæteris rebus imparatum adduxerat. Ita autem inter omnes conveniebat, nisi pacis conditionibus probatis, quas illi obtulisset victor hostis, cum fratre simul ac cæteris principibus redire in gratiam, atque iis quæ per vim occupaverat, restituere animum induxisset, regnum illi fortunasque omnes eodem cursu victoriæ ademptum iri. Ea in re dicitur *Ludovicus*, tametsi omnium ejus ætatis Regem callidissimus habeba-
D tur, usus consilio *Francisci Sfortiæ Mediolanensium* ducis: cùm de fœdere ab illo consultus, in præsentia sibi videri tempori cedendum, ac præferendas quamvis graves & duras pacis conditiones, intestino atque exitioso bello censuisset. Tanta enim procella discussa, quando jam æquiore animo jactura dignitatis quàm regni posset ferri, cujus rei præclarum illi documentum pater reliquisset, fœderis inani specie elusos, ubi vellet, disiectis hoc consilio ac dissipatis eorum viribus, nullo negotio oppressurum. Bellum magna conspiratione principum adversus *Ludovicum* susceptum, quod quidem maximè specioso titulo, & ad captandam
E popularem auram excogitato, *Bonum Publicum* placuit appellari à *Philippo Comineo* majore prudentiæ & fidei quàm eloquentiæ laude literis proditum est. Idem annus insignis *Mahometi* victoria, ac miserabili clade *Stephani* superioris *Mysiæ* Regis habetur: quem *Barbarus* Rex dolo circumventum, ac summa cute detracta, miserandum in modum excarnificatum, immani ac detestando in omni barbariæ supplicio affecit. Per eadem tempora *Georgius Castriota Epiri* Princeps, magna virtute & felicitate principatu paterno recuperato, magnas res adversus *Turcas* gerebat: unus quidem dignus visus *Pii* Pontificis ac Regum
F omnium judicio, qui, si arma *Barbaro* inferrentur, summam imperii bello gerendo rerumque omnium administraret.

JOAN-

JOANNIS MICHAELIS BRUTI HISTORIÆ FLORENTINÆ,

LIBER SECUNDUS.

MAGNUM *Medices* præsidium ad domesticam potentiam constituendam, videbantur *Cosmi* unius morte amisisse. Itaque adversarii sublatis animis, qui minimè sibi tantam oblatam occasionem amittendam existimarent, Rempublicam oppressam per tot annos unius dominatione, aut vi atque armis, aut consilio liberare, & in veterem splendorem & dignitatem vindicare constituunt. In iis qui principes animos in spem tantam erexerunt, duo *Neronii*, *Joannes Florentinorum* Pontifex & *Dietesalvius* frater, peracris ingenii vir, & magnæ in Republica autoritatis, habebatur. Atque hujus fidei, quam sæpè in omni sua fortuna singularem esset expertus, moriens *Cosmus*, familiæ fortunas & dignitatem, *Petri* filii non ingenio magis, quo valere videbatur, quàm viribus diffisus, commendaverat. Enimvero erat *Neronii* magnopere suis civibus probata virtus, cùm aliis magistratibus domi gerendis, tum nobili illa obeunda legatione, qua *Florentini* cum *Venetis* atque *Alphonso* Rege, quibus cum tuendi *Sfortiæ* causa, grave ac diuturnum gesserant bellum, fœdus icerunt. Fuit is annus ejus seculi quinquagesimus quintus: cùm hinc fessi principes diuturnitate bellorum, hinc territi *Byzantiorum* clade, quorum imperio *Mahometes* jam biennio ante armis potitus, exitium atque interitum *Christianæ* Reipublicæ moliebatur: diu nequicquam deposcentibus *Italiæ* populis ut ponerent arma, fœdus tandem pacemque iniissent: magni certè hominem ingenii & probatæ fidei fuisse, maximè *Cosmus* judicasse visus est: cùm minimè sit credendum, nisi ita de eo statutum habuisset, ab illo unum fuisse ex amicis delectum, cujus fidei rectè committi filii liberorumque ejus salutem putaret: cujus omnium postea oppugnator acerrimus habitus infestissimusque est. Quæcunque autem illum causa impulerit, ut mutato consilio, *Medicum* partes, à quibus semper anteà pertinacia summa stetisset, repente impugnaret, illud quidem verisimile videtur, quòd ab hominis ingenio minimè ajunt alienum fuisse: quamdiu *Cosmus* vixerit, tempori obsequutum, tecta consilia habuisse: eo mortuo, jam solutiore animo & vacuo metu, cùm invisam liberæ civitati potentiam hærere in privata domo, atque hæreditate adiri, non grave magis atque acerbum Reipublicæ quàm turpe flagitiosumque privatis censeret, rem sibi esse suscipiendam, ac liberandam patriam unius familiæ oppressione statuisse. Simultas porrò neque ei ulla cum *Cosmo* unquam, qui cùm vixerat conjunctissimè, intercessisse, neque ulla satis firma in præsentia ostentari videbatur, cùm minimè illius opes tantæ haberentur, ubi *Petrum Medicem* de statu dejecisset, facile Reipublicæ imperium occupandi. Admittere porrò tantum dedecus, atque amicitiæ, fidei, officii jura violare, cùm sceleris nulla proposita præmia & flagitii sint: neque ii facile consueverunt, qui venalem fidem, & quæstuosam improbitatem atque audaciam habent. *Machiavellius* quidem affirmat, sive dolori parere atque iracundiæ, quàm constantiæ maluit, ob privatas simultates, id quod video nonnullis placere, in *Neroniorum* familiam animo alieniore: sive autorem certum sequutus, minimè se in eo à sua fide & religione discedere existimavit, alio animo hominem rem aggressum esse, quàm ille voluerit videri. Provectum illum ait imperii cupiditate, cùm vir popularis studiis multitudinis innixus, facilem sibi per *Medicum* ruinam patefactum iri aditum ad civitatis principatum speraret, simulatione officii *Petrum Medicem* deceptum, qui semel omnia sibi esse agenda ex illius sententia atque autoritare duxisset: in magnum fortunarum ac vitæ discrimen conjecisse. Eum secundum patris mortem, cùm id unum rebus omnibus prævertendum dignitati atque existimationi consulenti videretur, uni se homini dedisse, quem ut optimo in se animo esse confideret, multa in illum parentis merita & officia suaderent, ut alienato & averso, nihil aut simultatis aut offensionis subesset. Ita non illum modò sua sed parentis spe falsum, cujus gravissimum judicium de *Neronii* virtute extitisset: tanquam cum homine conjunctissimo, & in primis suarum partium studioso, tum de constituendis publicis rebus, quibus novandis de medio patre sublato, animos adversarii adjecissent, tum de reparandis stabiliendisque suis, quæ labare jam viderentur, agere instituisse. Existimare præclarè secum actum, & minimè quidem præter suam expectationem, cùm gravi accepto vulnere, & quo uno cum *Cosmo* patre, universa ferè *Medicum* domus concidisset: in eo homine suæ dignitatis præsidium & salutis haberet constitutum: qui maximis sibi vinculis officii & amicitiæ conjunctus, ac facile in Republica autoritate Princeps, communi animo domesticas simul & publicas res, ut jam levius sibi patris desiderium ferendum videretur, administrare rectè & ex familiæ suæ majorumque dignitate posset. Jampridem profusa quadam patris liberalitate, qua in re ille nullum sibi unquam modum statuerit, sibi re familiari contracta, fidem indies fieri angustiorem creditorum importunitate & diffidentia, quorum in nominibus grandem pecuniam habeat implicatam: ut nisi malo impendenti occurratur sedulitate & consilio, fore planè animadvertat, ut de capite dimicare & de fortunis eodem tempore cogatur. Itaque orare eum ut diligentius tabulis inspectis, pro sua fide omnia animadvertenda, notanda, corrigenda statueret: uni se nomen, existimationem, salutem suorum semel permisisse. Ita *Neronium* suscepta re, cùm egregiam illi operam in principio navasset: ita se gessisse in dando expediendoque consilio, ut hominis fidem multi desiderarint: qui illi æquiores essent, calliditatem & ingenium, suspectum habuerint: qua quidem ex re arrepta à multis ansa sermonis reprehensionisque sit. Cùm enim animadvertisset tantum æris alieni conflatum esse, ut latas pecunias expensas exæquaret: eos autem homines in illius

ære esse, quorum exigi nomina sine magna eorum offensione ac *Petri* non levi invidia possent (*Cosmus* enim, quò sibi plures in civitate obstringeret, ingentem multis pecuniæ vim mutuam dederat) autorem illi fuisse creditas à patre pecunias exigendi, magno illi metu injecto, nisi ad suum pervenire primo quoque tempore curaret, quod etiam ipse vidisset, necessariò illi, fide brevi amissa, grave rerum omnium discrimen esse subeundum. Nam creditores, nisi in præsentia solutione explicata, diutius illum in suo ære esse non passuros. Quòd autem nimium ejusce rei invidiam vereretur, id verò nihil planè esse. Quem enim meritò posse queri, secum iniquè agi, si qua pecunia alios in eorum rebus malis juvisset, eadem suis non bonis, tueri suam dignitatem & existimationem vellet? Atque eò tamen rem deductam videri, ut tametsi omnia sua spe deteriora contingerent, præstaret, minus etiam secunda eorum voluntate, qui sibi iniqui adeò futuri essent, fidem atque existimationem in civitate, ac per eam principem in Republica locum retinere, quàm dum pergeret nimis indulgenter cum suis & remissè agere, & fidem unà & suorum studia quæ sine ea nulla futura sint, in Republica amittere. Si ea conditione beneficia fiant, ut cum iis est gratia referenda quibus accepta referuntur, vertantur in injuriam: in eorum amicorum jactura qui sint adeò barbaro ac duro ingenio, lucrum etiam & compendium inesse. Nullam quidem esse beneficii rationem ex qua minus uberes fructus homines legerent: quàm quæ majora multis viderentur, & pecunia mutua danda constarent. Nam ut ferè semper in commodanda parum gratiæ inesse, cùm molestè homines ferant, se quicquam debere, quod aliquando dissolvendum esse intelligant: ita in repetenda plurimum invidiæ, in negligenda jacturæ, ut nihil minus esse agendum videatur, quàm ea quæ cùm fiunt, parva spe gratiæ, minore certè multò nostra spe fiunt, cùm debita exiguntur, & amittunt gratiam, & odium quærunt. Id autem cùm aliis ferè semper, qui non interdum naturæ bonitate vincantur, tum iis maximè usu venire qui in ære alieno diutius tanquam in suo hæserunt. Assuescere enim homines sensim ea amare, in quorum diu possessione constiterint, quorum quidem amissione, tanquam eorum illis jactura fiat, cùm debita repetuntur, sibi fieri injuriam arbitrentur. Sed neminem tamen ita parum sui juris memorem esse, ut quoniam cum sensu aliquo doloris, ab ingratis quam debent pecunia extorqueatur: velit eam diutius, tanquam fœnoris loco, odii accessione, cùm benevolentia potius quæ sit beneficii præmium, videatur esse expectanda, iis occupare. Sive autem minus cupidi sint, iis licere etiam ubi ad suum quis pervenerit æquis utatur, sive discedat ab officio, dignos eosdem debere videri qui quo maximè afficiuntur, angore & cruciatu animi plectantur. Hoc hominis consilium, ut *Petro* salutare in præsentia videretur, aut grave imminens rebus suis periculum, metu impendentis mali urgente, quò minus detegeret quæ in eo insidiæ laterent, aut semel conceptam de eo homine fidem cui animum induxerat penitus esse credendum, perfecisse. At ut maximè verum sit, *Neronium* ejus consilii *Petro* autorem extitisse (video enim esse qui tradiderint, sua sponte illum, ac nullo impulsore exigenda nomina curasse) non continuò tamen cuivis facilè persuaderi possit, rationem in eo initam *Petri* evertendi, atque occupandi principatus fuisse. Conjuratione enim patefacta, quam principes *Neronii* autoritatem sequuti, de pellendo *Petro* & liberis fecerunt: omnia illius consilia etiamsi essent profecta ab optimo animo, quò verisimilius erat ab inimicis trahebantur,

A & qui insectandis adversariis gratiam ab eo qui vicisset, se inire sperarent. Erat sanè ei dura proposita conditio, qui consultus de tam gravi re, intelligeret sibi in explicanda sui consilii ratione, suam fidem præstandam consulenti esse. Sive enim mallet hominum studia tueri, eidem erat res familiaris negligenda, & quæ una maximè ea consistit, existimatio & fides, sive hujus habere rationem, in eorum offensionem incurrendum, quorum benevolentia pecuniarum effusione comparata, ubi reposcitur officii vicissitudo, in odium vertitur, cùm eidem horum alterum agere omnino necesse esset. Enimvero ubi *Petri Medicis* nomi-

B ne, pecunias procuratores exigere, atque adeò præter multorum expectationem cœperunt, quas *Cosmus* pater per tot annos æquissimo animo sibi deberi passus esset: sic cœptus continuò & ipse est convitiis & maledictis vexari. In his magna ea cum illius invidia jactabantur, quæ quò vehementius illius rationibus obessent, multò etiam magis adversarii augebant: qui quidem dicerent cecidisse præclarè addictis turpissimè unius hominis cupiditati, ut quam pecuniam proditæ atque emancipatæ libertatis à superbissimis dominis accepissent, ea ita avarè ab iis atque importunè extorqueretur. Quàm longe filius abesset à parentis

C institutis, viri optimi & civis clarissimi, si cui unquam dubium fuisset, facile ex utriusque vitæ rationibus apparere. Quos enim ille comprehendisset beneficio, hunc maleficio alienare: liberalitate illum & magnificentia in omnes, cupiditate hunc atque avaritia certare. Miserorum hominum æs dissolvisse alterum, & quorum tenuis res & angusta esset: alterum quoniam illi ipsi solvendo non sint: sanguinem ab iis vitamque repetere, quam vix ullam reliquam habeant, multis sæpe periculis & casibus pro tuenda *Medioum* causa objectam. At aliam quidem rationem ineundam videri principatum in libera civitate expetenti. A

D quibus libertas petatur, si modò illa omnium quæ expetatur in hac vita, plurimi hominibus facienda sit: iis etiam patere eorum liberalitatem debere qui tàm avidè illam & cupidè petant. Patrem hoc nomine vocatum esse in invidiam: qui si modò sit suorum civium libertati insidiatus, haud velle visus sit eos ingratis servire: filium id spectare ut inter miseros & egentes, beato liceat atque opulento regnare. Nam quod nimis homines in ducenda sui officii ratione indulgentes, nemini se dicant facere injuriam, ubi repetere suum pergant: tàm crudele & barbarum institutum, nulla unquam jura quæ homines colant permisisse: ut

E alienum æs, cùm nihil aliud supersit quo dissolvatur, carcere, vinculis, cruciatu corporis sit repræsentandum. At si crudeles homines & immanes, sanctissimæ religionis institutis, quam profitentur, sibi minus esse standum censeant: quin etiam humanitatem omnem unà exuant, nihil superesse causæ videri. Barbarorum hominum morem hunc & ferarum ritu viventium, si quæ unquam civitas coluerit: ei semper ferè exitio fuisse. Hinc odia, simultates atque intestina bella exoriri, quæ nunquam nisi ruina populorum & pernicie finiantur. At jactare *Petrum Medicem* magna beneficia atque illustria, quibus illius ma-

F jores sibi civitatem devinxerint: quæ si modo ulla extarent, multò esse æquius videretur, his illum moneri, quàm diversa & præpostera ratione niteretur, qui ita sibi statuisset à majorum institutis discedendum, ut in quos homines illi beneficia maxima contulissent, in iis ipsis maleficia tanta constitueret. Sed ut amplissima etiam majorum merita, & non ingentia maleficia potius in Rempublicam commemorari queant: quæ ulla hominum merita tanta posse patriæ exprobrari,

ut

A ut non multò ab iis majora illi & ampliora debeantur. At quoties pro his tamen relatam gratiam esse? Bella maxima & gravissima eorum causa suscepta: ejectos è civitate nobiles homines atque optimos cives, indicta causa damnatos, proscriptos, ventum sæpé eorum causa esse ad arma: intestinas discordias & dissidia illis alentibus, patriam adductam in rerum omnium discrimen. Pro quibus meritis tantis & studiis in suos, quam gratum animum sibi esse præstandum putet: ut nemo jam hoc ignorare ulterius possit, præclarum suæ voluntatis documentum *Petrum Medicem* dare. Quod autem ille beneficium patriæ offerre insigne magis videatur, quàm cum suis civibus summo jure experiri: quasi illi vita & libertas pro vade sistenda sit, in illam crudelissimè sævire? quousque expletus suorum sanguine, gravem atque infestam civitati potentiam, in Rempublicam victor superbissimè jactet. Ergo hæc esse illius principatus auspicia quem tanquam à patre sibi relictum, hæreditate adiri æquum putet: sed iis ipsis neminem magis, quàm eum ipsum qui illum malis rationibus quærat, sibi malè & fœdè precari. Probra enim maledicta, execrationes illos quidem obstrictos habere, qui ut execrandi ipsi sint, quasi in eo compendium faciant, ultrò ipsi operam dare videantur: ab iis ipsis certè qui vindex scelerum & ultor est, pœnas aliquando Deum immortalem expetiturum. Hæc cùm licentius indies atque impunius in foro medio ac frequenti civium conventu jactarentur: ita ea pro suo quisque sensu accipiebat, ut magna tamen hinc in *Medices* conflata invidia, illis propediem esse dimicandum de capite & de fortunis censeret. Qua re *Dietesalvius* animadversa, quò iis exitium maturaret, animum ad nova consilia adjecit, dum hominem tanta invidia flagraret, nullo negotio illum de principatu depelli ac tolli posse de medio arbitratus. Ita autem id ordine narrare instituam, ut cùm alios minus licuerit, quorum apud me pluris autoritas, & fides potior esset futura, *Machiavellium* quidem sequar autorem: ubi hominis fidem, id quod crebrius accidit, aut diligentiam desiderem, minimè id sim dissimulaturus: tantisper eorum offensionem deprecatus, qui minus meam hanc rationem probarint, dum ex iis quæ à me deinceps scribentur, non cum homine mihi, cujus ego genere scribendi delector, ingenio faveo plurimum, sed cum iis quæ scripta reliquit, institutam contentionem esse intelligant. Equidem vel ejus etiam causa, mallem, in scribenda historia, per eorum temporum rationem quibus scripsit, ingenio illi obsequi quàm certorum hominum cupiditati licuisset, nihil ejus scriptis luculentius, absolutiusve potuisset inveniri. Erat adhuc *Cosmo* vivente. *Lucas Pitius*, vir cùm maximè gratiosus apud omnes ordines, tum ea in Republica autoritate, ut unus omnium consensu in civitate haberetur, quem *Medicum* potentiæ æmulum, si quando esset de principatu dimicandum, adversarii *Cosmo* minimè opponere dubitarent. Is quamdiu vixit, cùm se nunquam illi parem gratia futurum existimaret, quam magnis suorum studiis & contentionibus consequutus, omni ratione & consilio tuebatur: facilè hanc tantam sive laudis contentionem, sive ambitionem & cupiditatem compressam sedatamque habuit: eo mortuo, tanquam spes omnes familiæ & posteritatis cum eo uno occidissent: facilè per patris admirationem fortuna filii contempta, sese adversus illum erigere & nova inire cum adversariis consilia, quæcunque illum spes aut patriam liberandi, aut principem locum in civitate occupandi moverit, de *Petro Medice* opprimendo cœpit. Verisimile porrò illi videbatur, ubi studiis nobilitatis subnixus, quæ veterum simultatum memor, nunquam planè esset remissior in suo jure repetendo futura, de loco *Petrum* movisset, jam nemine obsistente cujus potentiæ magnitudo suæ dignitati officeret, ad se unum Reipublicæ administrationem atque imperium delatum iri. Cùm autem is summum magistratum adeptus, legem ferret de magistratibus per suffragia creandis, nobilitate in primis à populo diffidente, quæ magistratuum creationem, cùm novo instituto civibus sortitò mandarentur, ad veterem suffragiorum morem revocaret: recusantem populum ac ferociter contumaciterque legi obsistentem (cùm nemo non videret sortis beneficio sublato, novis B hominibus ad magistratus & honores capessendos aditum præcludi) iis, qui capita seditionis essent, aut honorum abrogatione aut exilio mulctatis, venire in concionem atque accipere legem coëgit. Ita compressa seditione, quam perniciosam maximè futuram Reipublicæ appareret: adnitentibus principibus, quorum causam magno salutis atque existimationis periculo susceperat defendendam, & verbis amplissimis collaudatus & decretis honorificentissimis auctus, populi etiam in se studia convertit. Visus enim erat, per interjectam moram animorum ardore atque ira defervescente, libertatis tuendæ ac communis concordiæ causa è sua C maximè & Reipublicæ dignitate magistratum gessisse. Hæc domi tanta laus *Pitio* & gloria parta jam sermone ac fama hominum municipia circumjectasque civitates omnes pervaserat: quæ cùm popularem admirationem haberet, indies illi hominum studia & benevolentiam majorem conciliaverat: communis salutis & libertatis autorem & vindicem suspicientium: quem paulò antè acerbè ac pessimè odissent. Ac cum nullo non genere honoris inter se illo ornando honestandoque certarent: ut sunt homines ferè suo ingenio effusi, sive odio in aliquem, sive studio efferuntur, cùm munera illi amplissima mittebant, quibus maximè rem D familiarem dicitur auxisse, tum ædificandis ædibus quas regio more laxissimas in urbe pariter atque in agro instituerat, materiam atque operas suppeditabant. Quæ omnia cùm invidiæ semper exposita, magnam habeant offensionem, huic uni tamen in præsentia præsidio & ornamento erant: postremò cùm non æquè secundam fortunam ferre & partam tueri potuisset, exitio etiam fuerunt. Ajunt enim illum, minimè pro suorum civium expectatione, perditos atque egentes homines, tum rei capitalis & majestatis damnatos, cùm in illius ædes quotidie multi tanquam in *Asylum* confugerent, modò iis extruendis fore usui E viderentur, fovere, tegere, si quid adversus leges & mores civitatis admisissent, tueri atque ut impunè ferrent laborare instituisse: graviter id magis ferentibus bonis, quàm palàm audentibus queri: qui rectis studiis collectam gratiam, etiamsi in omnium perniciem verteretur, ægrè posse labefactari intelligerent: tempore per se eandem effluere sperarent, ita natura hominum ferente, ut quæ opinio semel de magno homine insederit, ea difficillimè evellatur: eadem evulsa, tanto gravius odium & acerbius succedat, quantò in illos justius est, qui per speciem probitatis & beneficentiæ, quàm qui apertè & minimè dissimulanter læserunt. F Id autem cùm diu impunitas aluisset, quam facti pulcherrimi memoria tueretur (existimante eo id gratiæ dari quod metu extorquebatur) ubi metu discusso, nunquam futuro satis diuturno, si quando affectis injuria spes vindicandi ostentatur, in apertum erupit, vix illius ruina potuit atque exitio restingui. Qui *Pitii* causam tuentur, his tot criminationibus liberatum, una in re minus se præclarè pro hominum existimatione gessisse contendunt: cùm illi neque prudentia, neque consilium

lium in re suscipienda defuisset, visi ejus in munere exequendo, animi vim & constantiam desiderare. Cætera tanquam ea à *Machiavellio* excogitata emanaverint, iidem facillimè refutant. Quod is magistratum gerens *Hieronymum Machiavellium* turbulentum hominem & seditiosum pro jure summæ potestatis urbe excedere, atque ire in exilium jussisset: memorem veterum injuriarum, inde captata occasione, suo dolori atque iracundiæ indulsisse. Qui verò convenire, ut qui pro causa nobilitatis, unus in civitate adversus populi commoda pugnare ausus, gravem in primis actionem & periculosam suscepisset, is speraret multitudinem sibi tyrannidem in civitatem appetenti affuturam? Neque autem illud verius esse, hominis ædes, cùm id minimè sine magna totius civitatis querela accidere potuerit, sicariis & facinorosis hominibus patuisse: quòd eorum opera ad ædium extructionem uteretur. Nam ut maximè *Cosmus Medices* quiesceret, ac facile pateretur eum sua sponte tantæ invidiæ flamma conflagrare, cujus ille ex ruina crescere videretur: non ita malè cum Republica agebatur, ut magistratui vires ad privati civis audaciam vindicandam deessent. Ridiculum autem videri, cum eò perfugium & receptum improbi homines haberent, positis gladiis, serras, dolabra, ascias, vectes in manus sumere, tigna, cæmenta contrectare, lapides humeris ferre, cùm ea de causa videantur velle improbi esse, ut scelere & improbitate partum otium, perpetua etiam vitæ infamia & turpitudine tueantur. Hunc hominem *Neronius* cum ita esse animatum in *Medices* censeret: ut facile se illum perducturum in sententiam speraret: se ad illius rationes adjungere ac sua in illum studia conferre amicorumque constituit: per hanc animorum conjunctionem fore arbitratus, ut brevi *Petro Medice* oppresso, sua dignitas Reipublicæ atque autoritas magistratibus restitueretur. Ita cum hominem adiisset, qui suorum civium judicia amplissima consequutus, conservatæ patriæ sibi laudem vindicaret: ad eum in hanc sententiam locutus fertur. Perditam atque eversam Rempublicam nisi quid illa præsidii in suis civibus inveniat, *Medicum* corroborata jam atque inveterata potentia, ab eo opem atque auxilium implorare, cujus hæc domestica laus sit, patriam ab improborum civium conspiratione defendendi. Has partes esse omnibus à natura impositas, duras illas quidem atque arduas: sed iis potissimum qui cùm hoc esse suum munus agnoscunt, tum illud etiam præstare suis civibus possunt, & verò etiam consueverunt. Eo se animo esse, præclarum jam antea civitati documentum dedisse, cùm in summo magistratu, magno proposito vitæ periculo, adversus principum autoritatem plebe pertinacissimè magistratuum sortitionem defendente, quæ improbis civibus per sortis temeritatem honores & dignitates amplissimas mandaret, autoritate sua & consilio compressisset: gravi animadversione constituta in eos qui tantum malum in civitate concitassent. Ad eum suos cives confugere, cujus fidem olim suscipienda bonorum causa, constantiam parem & robur experti semel eadem tuenda essent. Atque esse in eo tamen cur sibi gratias Deo immortali agendas maximas putent. Eò enim *Medicum* potentiam adductam esse, ut quod vix antea verisimile visum fuerit, ubique iis contracta re atque angusta fide, delabi eam brevi sua sponte & corruere necesse sit. Occasionem vindicandæ patriæ ex diuturna non solùm servitute & gravi, sed indigna etiam & flagitiosa liberis hominibus, cùm ea captanda omni studio fuerit, minimè amitti oblatam oportere: serò eandem ubi in præsentia omittatur quæsitum iri. Esse *Petrum Medicem*, in quo uno existimatio familiæ

A & nominis nitatur, hominem inertem, nullius animi, consilii, ingenii, plurimum certè illum degenerantem à parentis virtute, summi hominis, & populi studiis, quæ filius amiserit, principem locum in Republica tuentis. Ad tarditatem ingenii virium imbecillitatem accedere quæ eò major debeat videri, quò laboranti adversa valetudine, minus in liberis præsidii constitutum sit, admodum adolescentibus, & qui nullum adhuc attigerint publicum munus in quo specimen sui aliquod dare civitati potuerint. Adjuvari hoc consilium importuna atque acerba nominum exactione, qua *Petrus* alienatis multorum animis, gravissimè apud omnes ordines offenderit: ut quam potentiam non optimis rationibus quæsitam pater multis largè & munificè dando auxerit, sordidè filius & avarè exigendo, vix videatur diutius in civitate retinere posse. Meminisse etiam libentius homines quid dederint, quàm quid acceperint: dedisse extraordinarios honores atque imperia, principatum in Republica regnum, quorum quota quæque pars æquari tantula mercede possit, quæ miseris amissæ libertatis solatio, sit persoluta? cùm hæc omnia eodem concurrere, tum illud in primis, quod quanti referat ad summam ejus consilii conficiendam neminem præterire. Affuturos ei principes Reipublicæ magnæ virtutis & dignitatis homines, qui uni servire in libera civitate, in qua nihil præter virtutem & probitatem excellere æquum sit, indignum ducant: ex his *Nicolaum Soderinum* & *Angelum Acciaiolum*: quorum altero brevi magistratum gerente, facilior exitus rem aggredientibus sponderetur: alter justis de causis inimicus *Medicibus* esset, ac præterea magni vir consilii & prudentiæ haberetur; cujus præclara documenta & multa domi & foris maximis honoribus functus dedisset. Quæ cùm ita se haberent, modò in præsentia, omni cunctatione omissa, sibi esse rem agendam statuerent, omnia illis brevi quod à viris fortibus spectari æquum sit, expedita atque absoluta fore. His facile *Lucas* persuasus, cùm id quod valde pertinere ad ejus animum confirmandum videbatur, summam totius gerendæ rei, ad se unum deferri intelligeret, qua ex re sibi animo spondebat futurum, ut patriæ semel conservatæ laudem adepto, parta jam pridem gloria constaret: se ad omnia animo paratum nulla in re illi defuturum confirmat. Ita in præsentia re administrata, cùm *Soderino* & *Acciaiolo* ille collocutus facilè utrumque sua sponte jam à *Medicum* causa aversum in sententiam traduxit. Erat *Nicolaus Soderinus* suo ingenio popularis, ac studio libertatis, cujus vindicandæ partes minimè sibi dissimulanter sumebat, in primis gratiosus & multitudini charus. Quanquam enim privatæ simultatis causa adolescens in *Medicum* partes transierat: quòd cum *Nicolao Uzanio* vim intentasset, ab his defensus protectusque esset: magna tamen commutatione rerum facta, animum quò Reipublicæ salus ac dignitas avocabat, convertit: nullam satis justam causam & gravem necessitudinis cum iis esse arbitratus, quorum mens à patriæ salute aversa omnium ab se animos alienasset. Sed idem tamen cum ejus rectissimi sensus & cum bonorum causa congruentes essent: animi impetu interdum magis ferebatur, quàm constantem hominem & gravem deceret: ut cùm raro in capiendo consilio rationem certam sequeretur, etiam si optima vellet, minimè eadem tamen exequi facile pro animi sententia atque instituto posset. Atqui *Angelus Acciaiolus* veteres inimicitias quas cum *Cosmo Medice* susceptas, diu propter hominis autoritatem dissimulaverat, filii salute & dignitate oppugnanda videbatur hac occasione oblata, persecuturus. Causæ autem hæ inimicitiarum à *Machiavellio* feruntur.

tur. Jampridem hujus *Raphaël* filius uxorem duxerat ex *Bardorum* familia, *Alexandram* nomine. Ea sive id suo vitio, sive suorum accideret, cùm minus liberaliter se & à socero pariter & à viro tractari questa esset: usa consilio atque ope *Laurentii Hilarionis* affinis, è soceri domo magna illius ac viri offensione aufugit ad suos. Quanquam minimè *Angelus* videbatur, diu tantam familiæ illatam injuriam neglecturus, magnæ homo dignitatis ac prorsus infamiæ insolens, in præsentia tamen quod suæ moderationis esse & gravitatis ducebat, mitius agere leniusque constituit. Ita per communes amicos rem ad *Cosmum Medicem* detulit: qui, cùm utrimque pœnæ & compromissa interposita essent, cognita causa, de re tota quicquid esse è sua fide atque causæ æquitate censeret, quando placuisset eo uti arbitro & disceptatore, judicaret. Cùm diu acta res jactataque esset, *Cosmus* secundum fœminam decrevit: cùm illud addidisset adolescentem restituere dotem uxori in præsentia placere, sive autem illa ad virum redire, sive ab eo soluta agere vitam cum suis mallet, quò minus integrum ei utrumque esset, non prohibere. Judicii exitus is fuit: ut neque satis solidam gratiam ab iis inierit, secundum quos judicavit, cùm illi animum induxissent, non potuisse ab eo aliter salva religione decerni: & ab *Acciaiolis* patre & filio, cùm nihil datum gratiæ ac veteri conjunctioni quererentur odium ingens non sibi magis qui satis adversus vim omnem tectus & munitus esset, quàm filio grave futurum quasi præmii loco retulerit: illustri certè in posterum futurus exemplo, ab iis esse judiciis declinandum, quibus abstinenti & consulenti suæ fidei, vitæ periculum sæpè, & cupido improboque infamiæ gravis nota subeunda sit. Alia causa disjunctionis atque inimicitiarum à *Jacobo* Cardinali *Ticinensi* affertur, autore gravi & quo arbitro *Florentini* aliquot postea annis usi dicuntur, disceptanda de finibus controversia, cum *Senensium* civitate: quæ res facit ut credam, homini non obscura fuisse quæ in ea Republica gererentur. Hujus autem extat commentarius, quem de *Neronii* & *Pitii* conjuratione in *Petrum Medicem* confecit. In quo quidem ita est eam rem omnem persecutus, ut in quibusdam à *Machiavellio* dissentiat, nonnulla tradat quæ sunt ab eodem, aut consultò, aut quòd ea ignorarit, prætermissa. Causam autem hanc tradit alienationis fuisse: quòd *Acciaiolus Cosmi* patris semper habitus studiosus, quereretur filio à *Petro* prælatum adolescentem in filiæ nuptiis, neque nobilitate familiæ, neque studio in suos ullo modo illi æquandum. De iis quæ *Machiavellius* habet, mentionem nullam facit: intercessit autem *Ticinensi* cum *Laurentio* filio amicitia, quod scriptæ ad illum aliquot epistolæ testantur: multò verò arctior cum *Gentili Urbinati*, quo *Laurentius* adolescentiæ moderatore, & in administranda Republica participe consiliorum semper postea est usus: ut verisimile sit scribenti historiam, adjumenta ad ea exploranda cognoscendaque, quæ gererentur multa, ubi vellet suæ religioni consulere, suppeditata esse. Hæc hominum studia cùm adeò diversa ac varia essent: omnes tamen pariter hoc se unum velle præ se ferebant, civitatem, legum ac magistratuum majestate restituta, quam nullam jam esse querebantur, à paucorum dominatu vindicare. Pulcherrimo illos titulo & speciosissimo usos adversarii arguebant, cùm ad animi studium atque ambitionem tegendam, tum ad multitudinem fallendam in primis quam minimè defuturam suis liberatoribus sperabant. Esse enim ferè hunc imperitorum morem atque institutum, ut semper spem commodi præsentis, impendentibus malis, nullo etiam suasore præfe-

A rant, cùm malorum sensu, quando adsunt modò afficiantur, imminentium metu non moveantur: quæ quidem ne diuturnior cura & molestior sit, iis se obrui imprudentes, quàm si ultrò occurrant consilio, peti frustra malunt. Ad horum confirmanda consilia, duo illa maximè opportuna in civitate acciderunt: quorum alterum tantò magis populum à *Petro* alienavit, quantò crebrius, ut jam diximus, jactatum, in voces malevolorum & sermonem incurrebat: locupletes homines & qui maximè *Cosmi* patris studiosi fuissent, quòd dissolvere æs alienum minus possent, amissa fide domi se continere non sine magna nominis atque existimationis jactura coactos: B alterum apud principes, magnum in illum odium, quòd eo se contemptos arbitrarentur, conflavit: cùm per eos dies *Laurentio* filio *Clarice* ex *Ursina* familia *Romæ* æquè clara & potenti nupsisset: visum aut odisse suos aut aspernari, quos parum dignos sua necessitudine & affinitate censuisset: quod tamen qui altius rem perspiciebant, non suorum magis contemtione ab eo factum contendebant (mitius enim hoc malum futurum & levius ferendum) quàm infinita illa dominandi cupiditate, cujus rei firmamentum & robur constituendum in potentium hominum & factiosorum conjunctione atque C affinitate judicasset. Ita ex ea re captata occasione, palàm in illum pervulgata illa atque ex eodem loco desumpta, quòd his moveri multitudinem imperitam apparebat, jactabant. Tanquam jam *Petrus Medices* civitate major patriam aliam quæ illius magnitudinem impleret, sibi esse quærendam statuisset, ita præteritis suis, *Romæ* ex familia nobilitate, potentia, opibus, clientelis florentissima, cujus conjunctione gravi semper libertatis periculo opes stabilirentur suæ, affinitatem atque amicitiam quæsisse. Quid verò esset ab ea familia metuendum, *Senensium* civitatem nobilem in primis *Hetruriæ* & potentem, non ita pridem D fuisse documento: qui quanquam *Venetis* fœdere juncti, eorum magnis auxiliis niterentur, conjecti in magnum rerum omnium discrimen ab uno *Ildibrandino Ursino Pitilianensium* Comite, ac pacem facere iniquissimis etiam conditionibus coacti sint. Scilicet cum *Petro Medici* sordeant sui, ex illustri loco fuisse filio uxorem quærendam, ex qua liberos tolleret, aversandamque eorum nobilitatem, per quorum ruinam & calamitatem *Medicum* familia sibi in altissimum civitatis locum aditum patefecisset. At quo jam animo eorum fastidium atque arrogantiam posse perferri, qui cum iis recusent connubii jura affinitatemque jungere, à E quibus procreatos se, in lucem editos, altos, educatos meminerint? Sanè quò hominum consilia spectent, nemini qui planè tardo atque hebeti ingenio non sit, obscurum esse posse. Cui autem dubitandum esse, eos à quorum conjunctione nobiles ac potentes cives avertantur (quod liberis hominibus ultimum malorum sit) servorum loco haberi? Iisdem, ubi sibi libertatem eripi patiantur, cui jam minimè obscurè per nuptiarum fœdera, violentis opibus & non ferendis constitutis, importuni homines & crudeles immineant, omnia mala esse perferenda, quæ servitutem consequantur, cædes, exilia, proscriptiones, gravissimas F atque accerbissimas vitæ calamitates, sive subire æquo animo dominorum superbissimorum jugum, sive excutere, quod viris fortibus dignum est, idem audacter velint. At non ita se *Cosmum* patrem gessisse, de quo homine quicquid adversarii senserint, constare tamen eum magis populi benevolentia, quàm externis opibus clarum fuisse. Magis illum integra & constituta re, fama, nomine, studiis civitatis subnixum singularibus, quæ ille se cum omnibus æquari patiendo, ac benefi-

cia maxima in multos conferendo sibi conciliasset, rationem hanc, cùm illi æquè explorata esset, domesticas opes & potentiam augendi tanto cum suorum odio, contempsisse. Esse has quidem optimi civis partes & patriæ suæ amantis, ut cùm nihil habeat sua fide religioneque antiquius, immanem hanc dominandi cupiditatem, quam *Petrus Medices* suis civibus semper infestam futuram conjunctione potentium foveat, quasi belluam cavea inclusam, compressam animi moderatione æquitateque habeat. Ac quemadmodum qui ea pietate in patriam extiterunt, debitum suæ virtuti præmium retulerint, ita hunc in præsentia suæ cupiditati debitum referre. Nam illis quidem civium suorum charitatem, benevolentiam, commendationem nobilitatis: huic, id quod à servis expectandum sit, partum odium invidiamque esse. Cùm ita civitas seditionibus laboraret, magnam in spem hominibus erectis, penitus tandem vindicandæ libertatis, cujus populare ac plausibile nomen, consultò ad multitudinem in *Petrum* concitandum inimici inculcabant: jam principes videbantur facile illum oppressuri, cùm ab amicis imparatum qui se totos ab illius rationibus, ob nomina acerbè atque avarè exacta avertissent, tum sensim obliterata memoria veterum beneficiorum, invisum multitudini, cujus libertati ob nimiam potentiam, insidiari etiam vulgò credebatur. Quæ quanquam ad hunc modum gerebantur: haud tamen deerant viri boni, qui cum causam tanti motus probarent, ejus quidem exitum perhorrescerent, in quo non magis certa salutis spes, quàm legum ac judiciorum interitus ostendebatur, hinc impendentes Reipublicæ calamitates avertere, omni studio improborum civium conatibus obviam eundo, parati essent. Ac cùm appareret civiles discordias, ut ex potentium odio & fastidio nasci, sic facilitate, & comitate tolli: deliniendam multitudinem, atque ab expectatione rerum novarum, alias curas afferendo, quibus animi tenerentur, cùm nunquam vacuis materia ad seditionem videretur defutura, omnino avertendam censuerunt: ludis equestribus magno apparatu indictis spectaculisque varii generis, cujus rei excultam à majoribus disciplinam ac magno studio semper quasi per manus traditam, gens nobilissima retinuit. Inerat in eo consilio præter cæteras opportunitates illud etiam commodi: quòd in magna hominum frequentia & ludorum celebritate, cùm ex vicinis populis plurimos rei novitas excitura videretur, si quo præsidio Respublica indigeret ad seditiosos homines in officio continendos, & manus armatorum tutò cogi, & ne ob eam causam populus tumultuaretur, occultari etiam facilè posset. Increbuerat enim apud multos sermo, armari homines à privatis, cœtus nocturnos fieri, multitudinem convocari ex agris, tela ac tormenta in privatorum domos conferri, atque omnia ita agi, ut res ad arma & ad vim spectare videretur. Jam opportunè anno à *Cosmi Medicis* morte vertente, *Petro* filio liberisque ejus qui totum illud tempus in luctu egerant: de more erat ad vestitum redeundum: qua ex re magna erat occasio oblata, civitati affectæ intestinis discordiis, aliquam à tantis malis levationem quibus vexabatur, & quasi aberrationem quærendi. Ita magna hominum expectatione ludis commissis, cùm ex omnibus ferè *Italiæ* civitatibus clari ac nobiles adolescentes aut spectandi studio aut certandi concurrissent: *Laurentius Medices* magnæ indolis & spei adolescens, omnium quibus cùm concurrerat victor, haud satis læto plausu approbationeque hominum, quorum languidiora studia planè jam deferbuisse viderentur (sive gratiæ id datum sive veræ virtuti est) primas retulisse fertur. Haud satis scio sint

A ne hi equestres ludi quibus insignem inter alios, *Juliani* fratris *Laurentii* virtutem *Angelus Politianus*, elegantiore quidem carmine quàm vendibili illis temporibus prosequutus est. Parvi quidem momenti rem, ne minus esse nobis prætereundam censeremus, magna de eo adolescente opinio hominum atque expectatio perfecit: quem unum ni mors immatura sustulisset, *Laurentio* fratri, homini elati animi & majora concupiscenti quàm libera civitas ferret, in Reipublicæ procuratione objectum, tantorum malorum vindicem, quibus ferè illa oppressa est, moderatorem certè futurum, quò minus planè libertas interiret, vulgò
B homines ominabantur. *Hetrusci* scriptores alii atque in his duo *Nicolai*, *Valorius* qui *Laurentii* vitam conscripsit, & *Machiavellius* equestris certaminis gloriam *Laurentio* tribuunt. Secundum ludorum celebrationem alia spectacula varii generis placuit præberi. In iis trium Regum ad Christum natum adventus, ut longè magnificentissimo apparatu, ita pari multitudinis concursu, nobilibus adolescentibus Regum personas agentibus concelebratum est. Atque cùm hæc omnia ita essent acta, ut viri boni non desperarent, per ea civitatis studia *Medicibus* conciliari, quam unam rem ad pacem atque ad otium in civitate constituen-
C dum esse expeditissimam censebant: semel jam ab illis alienatis odio animis, atque aditu ad hominum benevolentiam præcluso, cùm se hisce rebus existimarent quasi illecebra peti, quæ res magis etiam digna odio videbatur, gratia aut nulla, aut perexigua quidem inita est. Itaque ut ferè semper res ex eventu non ex certa ratione æstimantur: jam erant qui eorum consilium improbarent, quibus autoribus *Petrus* ea spectacula edenda ac faciendos ludos curasset. Nam ita videri natura comparatum esse, quod rerum usus ac certa ratio doceret: ut quemadmodum ea quæ in benè affectos animos fiunt, etiamsi speciem inju-
D riæ habeant, beneficii loco accipiantur, ita quæ in alienatos & infensos, ut maximè proficiscantur ab optimo animo, semper ingrata accidant & molesta. Itaque illud jam verè dici posse & rectè collocato beneficio, hominum benevolentiam, & malè posito, odium quæri: illud etiam minimè pro eorum temporum ratione fuisse excogitatum: ut qui eo nomine apud populum offendissent, quòd extraordinarias potestates ac nimias opes & violentas affectare dicerentur, ab iis per domesticarum copiarum ostentationem, quæ magna his agendis rebus conspiceretur, majore etiam animorum disjunctione atque odio homines abalienarentur. Si
E porrò unquam aliàs, at tum hoc maximè à *Petri* rationibus videri alienum fuisse. Nam ea jam à plerisque & quidem magna cum illius infamia, disseminari: cùm pecunias à privatis repeteret ad tegendam inhumanitatem atque animi sordes, quæ ægrè elui ulla ratione possent, rei familiaris angustias obduxisse: eundem quasi exitium suorum & ruinam justum triumphum & speciosum sibi duceret futurum, festis diebus magna frequentia populorum, detracta spolia à civibus victis, quæ monumenta eadem, & suæ crudelitatis & eorum calamitatis essent, pretiosa vasa & perfecta antiquo opere atque artificio, præclara toreumata,
F quicquid domi argenti habuerit, stragulam vestem, signa, tabulas pictas, proferre atque ostentare minimè veritum hominem existimationem ausum esse. Cùm hæc omnia quæ mala sua natura essent, dies faceret deteriora: intestinum malum aut *Petri* indulgentia, aut adversariorum vis atque audacia magnopere etiam augebat. Nam ille sive statuisset minus sibi esse timenda, quæ inimici adversus suam dignitatem machinabantur, sive quod probabile est, eadem ignoraret, quieturus vi-

videbatur: hi perpetuò quaſi faces quaſdam ad hominum ſenſum admovendo, multa in *Medices* atque in præſentem rerum ſtatum concionantium more, coacta multitudine frequentioribus urbis locis jactabant, quibus ſerpens indies latius incendium aleretur: tolleretur planè omnis ſpes, illud, niſi magna multorum ruina, reſtinguendi. Quæ cùm per ſe gravia viderentur, alia præterea ut ferè deſperandum de Republica eſſet perfecerunt. Deceſſerat per ea tempora *Franciſcus Sfortia Inſubrum* Dux grandis jam natu: vir magnus ille quidem & qui cum omnia ſua ſpe majora eſſet aſſequutus, dubium fecerit, utrum fortuna virtutem, an virtute fortunam anteierit: utraque certè innixus ita dubiis etiam ſuis rebus & adverſis alteram ſemper altera fovit: ut in neutra quidem ad res magnas gerendas, quamvis magnis & claris hominibus, deſtitutis alterius ſubſidio ſatis momenti futurum probarit. Moritur minimè opportuno tempore ſuorum, *Pauli Secundi* Pontificatus anno altero, qui fuit ejus ſeculi LXV. cùm quadrageſimum & nonum annum natus regnum adeptus, XV. rerum *Mediolani* potitus eſſet. Ita *Galeatius Maria* filius, qui jam anno ſuperiore, *Ludovico* Regi *Gallorum* auxilio miſſus, tum in *Allobrogibus* hybernabat, matris literis excitus ad principatum capeſſendum, magno vitæ periculo, cùm ob infeſta itinera, ſæpè veſtem mutare, ac per devia & prærupta loca iter facere, petitus hoſtium inſidiis cogeretur, *Mediolanum* rediit, ubi magno populorum conſenſu Dux ſalutatur, ac Principatus inſignia accipit. Hinc cùm optimo conſilio paternas amicitias ſibi eſſe confirmandas ſtabiliendaſque exiſtimaret, quibus *Sfortiæ* familiæ partum in *Italia* tantum imperium eſſet: cùm ad alios principes omnes, tum ad *Florentinos* maximè, quorum merita illuſtriora, in patrem extitiſſent, legatos honeſtos homines miſit: iis adjectis mandatis, ut fœdera, quæ civitas olim cum patre inierat, cùm filio pariter per ſummum magiſtratum firmanda, & quæ pecunia eidem ſtipendii nomine eſſet conſtituta, ſibi illius ſucceſſori, & æquè propenſum in illam Rempublicam animum gerenti, decernendam curarent. Ab his adito magiſtratu atque expoſitis mandatis, cùm is multorum vocibus & ſermonibus territus, non ſatis quid decerneret conſtitutum haberet: *Petrus Medices*, ex cujus autoritate omnia agere juſſi erant: etiam atque etiam contenderet, fidem eſſe civitati tuendam retinendamque cum novo principe amicitiam florentiſſimis opibus & fortunis atque adeò animo cum Republica conjunctiſſimo: adverſarii occaſionem tantam agendi nacti, plena invidiæ & criminum oratione adverſam huic ſententiam defendendum ſuſceperunt, cujus hæc ferè ſumma fuiſſe fertur. Cùm multæ hominibus viæ paterent ad multitudinem fallendam, tum illam quidem longè expeditiſſimam, quæ officii ſimulatione religioniſque falleret. Etſi autem, homini callido præſertim & non indiſerto facile eſſe eam viam inire: in his tamen rebus quæ in conſultationem venirent, & pertinerent maximè ad publicam cauſam, in primis patere. Nam ubi diſceptatur de re aliqua graviore, cum in dicenda ſententia, mala conſilia probabili ratione lateant, ut Reipublicæ obeſſe plurimum ſi probentur: ita quoniam qui dixit, rationem probabilem ſequutus, videtur ita cenſuiſſe, honori id illi ſemper, nunquam fraudi, quanquam ille improbus civis habeatur, quòd non idem cum cæteris ſenſerit, eſſe conſueviſſe. Tueri in civitate publicam fidem, amicitias & veteres confirmare, & inire novas, honeſtum ſemper Reipublicæ & ſalutare maximè fuiſſe. Sed utrum eſſet fidem publicam tueri, ea ſuadere de quibus in

A præſentia ageretur: aut utrum expediret per ſpeciem conciliandi principum amicitias ac civitati nova præſidia comparandi, Reipublicæ ærarium exinanire, ac privatorum hominum potentiam augere, cùm per ſe ipſam nimium civitati gravem & inviſam, tum verò periculoſam æquè communi omnium libertati, id verò dubium magnopere videri. Itaque cùm eſſet in præſentia agendum de tàm gravi re atque adeò ad omnium ſalutem pertinenti: illud antè omnia ſpectari oportere, quod non ita obſcurum prudenti homini eſſet, atque ad certam rationem momenta rerum & vim perpendenti: utrum qui rem in ſpeciem ho-

B neſtam ſuaderet in dando conſilio publicum bonum reſpiceret, an privatum ſequeretur ſuum. Fœdera cum *Franciſco Sfortia* eſſe percuſſa *Galeatii* patre, quæ tamdiu ſancta civitas habuerit, quamdiu ille vixiſſet, qui cum ea icta eſſent: nunc eo ſublato, non magis iis civitatem teneri, ſi ea conſtans in tuendo ſuo jure eſſet, quàm ſi bello populo *Florentino* illato, ab eo qui *Franciſco* ſucceſſiſſet, iiſdem illi fœderibus ſtandum civitas arbitraretur. Cùm *Sfortia* patre initum fœdus eſſe, non cum *Sfortiæ* hærede. Cùm eo ut fieret, virtutem illius ſingularem, atque ut quidam videri vellent, egregium in Rempublicam animum ſuaſiſſe: cum

C juvene filio an æquè novum fœdus eſſet ſanciendum, quanquam mirifica illius jactaretur in Rempublicam benevolentia, & ſtudium, nondum ullo ſuo merito officioque declaraſſe. Atque, quod ad novam amicitiam ineundam attineret: modò inde non potentibus hominibus, ſed civitati opes quærerentur, neminem cui Reipublicæ ſalus & dignitas curæ eſſet, cuiquam qui ſe ejus ſententiæ autorem profiteretur, quicquam impedimenti afferre ac moræ debere. Sed cui id ſanè jam exploratum non eſſe, non ſtudio libertatis & ſalutis Reipublicæ tuendæ, ſed privatorum potentiæ augendæ cauſa, & domi clientelas, & foris po-

D tentium hominum affinitates, & amicitias principum quæri? Nam decernere cuiquam in ſtipendium pecuniam certam antequam de illius fide eſſet periculum factum, qui poſtularet uti ea ſibi decerneretur, non inutile modò Reipublicæ in præſentia, ſed pernicioſum eſſe in poſterum aliquando etiam poſſe. In *Franciſco* patre & ſummæ illo virtutis homine, & Imperatore clariſſimo (utinam ille adeptus imperium, fidem in eos quorum copiis atque auxiliis id partum haberet, virtute priſtina & conſtantia dignam ſibi eſſe præſtandam cenſuiſſet) ſi in libera civitate tutum modò eſſet mittere liberam vocem, parum ſem-

E per præſidii Reipublicæ conſtitutum in ſuis temporibus fuiſſe. Neque enim ſe commemorare quæ *Lucenſi* bello geſſerit, capta oppida incenſa, ſolo æquata, magnam imminentem Reipublicæ calamitatem ingenti ab eo pecunia redemptam: mittere quæ de hominis fide dici hoc loco poſſent: quam ita firmam diuturnamque præſtiterit, ut jam tum minimè eſſe obſcurum potuerit, quid de eo populo *Florentino* liceret ſperare. Has enim eſſe *Lucenſium* partes, qui pretio ab eodem & à *Guiniſii* tyrannide liberati, & hoſtibus proditi, propè etiam in eorum traditi poteſtatem, magno emere perbrevem libertatis uſuram planè viſi eſ-

F ſent. Quàm grato animo fuiſſet in *Florentinos*, quibus unis opulentiſſimum in *Italia* principatum referre acceptum debuerit, neminem magis quàm eos ipſos meminiſſe: quorum hujuſmodi tempora poſteà extiterint, ut non ſemel quidem illuſtria in illos ſuæ voluntatis & benevolentiæ documenta, ſi ita animatus in Rempublicam eſſet, dare potuerit. De hoc juvene quidnam ſibi homines deberent ſpondere, eſſe potius in ſuſpicione relinquendum, quàm ponendum in oratione. Quæ

de languore hominis deſidia, luxu, odio in bonos omnes, faſtidio, animi impotentia dicerentur, ut minimè vera etiam eſſent, dubia cavenda magnopere & declinanda tamen videri: cùm haud temerè unquam ſermones hujuſmodi de magnis hominibus diſſiparentur. Atque non tàm eſſe imperitos rerum exiſtimandos, qui hæc perſuadere ſuis civibus conarentur, quoniam ſeſe ea dicerent ignorare, quod minimè tamen facerent, quàm impios atque ingratos in ſuos, quod cùm haud eadem eſſe è Republica intelligerent, callidi homines & aſtuti qui ſpecioſis nominibus tum fidei publicæ tuendæ, tum augendi imperii, ſuam cupiditatem atque ambitionem diſſimularent, eadem probare magna cùm Reipublicæ pernicie ſuis civibus laborarent. Eſſe porrò hanc unam capitalem peſtem, & deteſtabilem maximè in liberis civitatibus: quæ cùm nimia privatorum potentia aleretur, provideri ſemper magnopere caverique deberet, ubi elati potentes homines cupiditate imperii, privatas ſuas opes Republica haberent ac ſuorùm libertate potiores. At cùm in principio rerum, homines quos natura pares dignitate finxiſſet, integra adhuc fruerentur libertate, atque in ſumma peccandi impunitate & licentia, ita imbecilliores potentium injuriis expoſiti eſſent, ut iis coërcendis pares vires non afferent: tum ſenſim civitates condi, & urgente indies metu vehementius mali omnibus impendentis, leges ſcribi & judicia magiſtratuſque conſtitui cœpiſſe, quibus inviti etiam homines, cùm minus ſua ſponte ad pacem atque ad otium inclinarent, parere cogerentur. Nunc converſo quodam ordine rerum, unde urbium condendarum cauſa extitiſſet, inde evertendarum diſſolvendarumque initium exortum videri. Ubi enim majeſtate legum ſoluta, pro hominum libidine judicia fierent, dicerentur de Republica ſententiæ, fœdera inirentur, conciliarentur amicitiæ, decernendis certis nominibus pecuniis, exhauriretur Reipublicæ ærarium, in unius poteſtate & moderatione omnia verterentur, tanquam continuò eſſet actum de communi ſalute, abjiciendum civitatis nomen, & concedendum in ſolitudines & deſerta loca eſſe. Privatis ſtudiis quondam *Athenienſium* nobiliſſimam civitatem, cum magna gloria parto *Græciæ* principatu, florentiſſima diu ac potentiſſima viguiſſet, tum verò in qua una Imperii orbis terrarum domicilium & gloria per tot ſecula fuerit, *Romanam* Rempublicam concidiſſe. Nimium civibus indulgendo, tradendo extraordinaria imperia, ſtudia fovendo, paucorum voluntatem & gratiam reſpiciendo, amitti in civitatibus libertatem: retineri eandem diverſis ſtudiis, æquabilitate juris, legum obſervantia, judiciorum ſeveritate, concordia ordinum tuenda, ſumma denique vi imperii majeſtate à civium ambitione vindicanda. Quibus rebus omnibus cùm in præſentia certorum hominum cupiditas atque audacia obſiſteret, niſi illi de medio tollerentur, quò minus qui hæc perferre poſſent æquo animo, ſervitutis jugum ſubirent longè acerbiſſimum, haud ſanè recuſare poſſe. Quod tamen exortum tantum in Republica malum, ut procul à ſe averterent, ſi ſe viros eſſe ac natos in ea civitate meminiſſent, quæ gloria aliquando opibus, potentia in *Italia* florentiſſima habita eſſet: tandem ſeſe colligerent, atque ultrò hominum cupiditati, quamdiu illa intra eos fines conſiſteret, ut non vincere magis quàm vinci poſſet, obviam irent. Ita enim & privatas ſingulorum res, & Rempublicam univerſam tutam ab imminenti exitio & ruina fore. In hanc ſententiam cùm hæc atque hujuſmodi alia multa dicerentur, quanquam hæc jam opinio animis hominum inſederat, ea ſtudio partium adverſus *Medices* jactari, quæ res elevare

A magnopere adverſariorum autoritatem videbatur: *Petrus* tandem experrectus, veritusque ne ſi ea pergeret diſſimulare, res id quod nullo modo erat permittendum, in apertam ſeditionem crumperet, quæ ægrè poſteà ſedari poſſet: occurrendum primo quoque tempore inimicorum audaciæ hac oratione exiſtimavit. Video adverſarios, eo artificio in dicendo uſos, ut difficilem planè mihi ad reſpondendum rationem reliquerint. Nam cùm eorum eſſe ſententia viſa ſit, ut civitatem à novo faciendo fœdere, ac ſtipendio decernendo averterent: re illi vera multitudinem ſeditioſis concionibus ſolicitatam, in me unum ejus ſententiæ autorem concitare, deſertamque Rempublicam patrocinio bonorum,
B à quorum ego ſenſu, nunquam ſanè patiar me abduci, in voluntariam ſervitutem abſtrahere per ſummam injuriam, ſceluſque conantur. Atque quò ego minus oſtenderem, ea è Republica eſſe quæ probare meis civibus laboro, ſatis callidè illi quidem, publica cauſa cum mea privata implicanda, ne ſcilicet ego in hanc recentem invidiæ flammam conjectus, de communi ſalute magis procuranda, quàm de meo periculo depellendo ſolicitus eſſem, ſperaverunt moram mihi impedimentumque afferre. Fuit autem hoc eorum conſilium, ſive id vitio orationis acciderit, cui illi cupiditate
C atque amentia elati, minus moderari in dicendo potuerint, ſive hominum contemptione, quos non jam ſibi inſidiis petendos ſed vi aperta cenſent, minimè obſcurum. Cùm enim illi animadverterent, ex nova hac Reipublicæ conjunctione firmiorem illam à fraude inteſtina fore: omnino ſperaverunt, non ſolùm quia mihi eſſet de mea ſalute cogitandum, me ab illa tuenda deterrere: ſed etiamſi majorum inſtitutum & conſuetudinem ſequutus, ulla in re de illa pergerem benè mereri omnia in deteriorem partem interpretando odium mihi atque invidiam, qua ex re æquius eſſet benevolentiam me & charitatem meorum civium
D referre, crudeliſſimè iniquiſſimeque comparare. Nam illam partem orationis quæ tota fingendis criminibus conſtat, tum diluere refutareque aggrediar, cùm oſtendero quibus rationibus adductus, confirmandam cum *Sfortia* filio veterem amicitiam, ac decernendum eidem ſtipendium cenſuerim: quæ res illis criminandi anſam dediſſe (id quod facilè fuit, ſemel jam ſua ſponte animis malè affectis) maximè viſa eſt. Quod tamen antequam facio illud vos etiam atque etiam oratos obſecratoſque velim, ut quò me minus attentè audiatis de Republica differentem, haud plus apud vos criminationes & maledicta
E adverſariorum, quàm veritas ipſa & cauſæ ratio poſſit: ita autem ſtatuatis, niſi certo mihi conſtituto loco, ea omnia à me diluantur, nihil jam amplius cauſæ ſubeſſe, quin me eſſe eum putetis, quem videri maximè adverſarii velint. Eſt autem hoc imperitorum hominum inſtitutum, à quo quidem vos ſemper pro ſingulari veſtra prudentia, abeſſe exiſtimavi: ut quemadmodum de eo ſentiant, qui verba facit, ita ea de quibus agat, ſibi probari patiantur. Prudentes quidem homines, non ſolum quàm ille bonus prudenſque habeatur, ſed quàm vera etiam conducibiliave afferat, ſpectandum ſibi judicandumque putant.
F Nam & ſæpe ab optimo animo, cùm aut prudentia aut rerum uſus deſideratur, parum ſana conſilia proficiſcuntur, & vir improbus & nefarius, qui idem callidus tamen prudenſque ſit, poſita ad tempus vetere perſona, ſalutare conſilium petenti dedit. Quæ quidem ſi iſti vidiſſent, à ratione ſibi potius eſſe ducendum principium, quàm à contumelia & maledicto ſtatuiſſent. Nam quòd initio poſuerunt, eſſe viam certiſſimam fallendi homines, quæ ſimulatione officii tanquam latebra,

bra, malam sententiam tegerent, patere autem illam maximè cùm de Republica disceptaretur, qua quidem in re malè etiam sentiens civis ratione probabili quicquid sentiret tueri posset: non possum equidem satis mirari, callidos, ut sibi videntur, homines (ego esse illos magis improbos intelligo) ab hoc principio orationem instituere voluisse. Etenim cùm de re agitur, qua de re probabiliter dici multa possunt: non dicentis artificio, sed ratione pugnandum ac vi argumentorum est. Valet hic mos in concionibus & in judiciis, cùm quidem concitanda invidia, benevolentia concilianda, laudando, vituperando, permovendo, aut multitudo imperita, aut judex fallitur: quod haud magnopere difficile est, cum ille non de sua sed de aliena re, non de publica sed de privata, atque adeò ubi parum religiosus sit, multum gratiæ, parum causæ tribuens, est sententiam laturus. Alia est in summo civitatis consilio dicendæ sententiæ ratio: cùm sapientes homines, Reipublicæ principes, dubiis præsertim illius temporibus, de bello & de pace consultant: qua in re de communi salute, & de privatis publicisque simul rebus agitur. Tum quidem parum adjumenti est in dicentis eloquentia: omnia à certa ratione sumenda, nullus orationis fucus, nullum artificium, apertè & dilucidè modo quicquid esse è suscepta causa visum sit explicandum. Cùm autem alia omnia parcè attingi: tum ornamenta maximè ac lumina orationis, quibus diserti hominis eloquentia elucet, negligi penitus vel contemni potius debent. Inter quos enim ambigitur de publicis rebus, eousque bono civi licet ab aliis dissentire, ut cùm sit communis omnium consensus in communi salute procuranda, improbo homini & cujus sensus minus recti in Rempublicam sint, locus nullus relinquatur, dolo aut artificio orationis, quemquam in suam sententiam traducendi. Est hominum cæca cupiditas & ambitio, qua ubi præceps animus fertur, tum sese magis prodit, cùm latere eam magis ac fugere hominum conspectum velis: nulla quidem ratione & modo ubi semel ea victus animus est, contineri amplius coërcerive potest. Quid porrò isti voluerunt? quid hic tantus orationis apparatus? quid hæc in principio statim in nos concitata invidia? Nam si hoc nomine sunt homines plectendi, quòd tutò quos velint, fallere atque abducere à rectis consiliis possint, ratione probabili malam sententiam tegendo: qui me illi magis quàm rursus ego illos accusem? imò quid illos inquam? qui me illi magis quam ego principes civitatis cives optimos & clarissimos atque optimè de Republica sentientes? Doleo equidem eum me in locum adductum adversariorum injuria, ut aut mihi eorum criminatio sit agnoscenda, si tacitus ferre & dissimulanter eorum maledicta & calumnias pergam: aut mihi de me ipso, magna cum pudoris & modestiæ meæ offensione sit dicendum. Itane verò? vos scilicet eloquentes homines, sperastis hujus vestri consilii rationem viris prudentissimis dicendi artificio probare, ego ut cætera omittam, aut majorum meorum in Rempublicam meritis, aut parentis mei recenti memoria, aut (si quid modò est de me dicendum) mea anteacta vita, minus meum erga meos cives probare animum sperabo? At ita equidem me à prima mea ætate comparavi, ut cùm ad naturale bonum, patris disciplina accederet, viri optimi & sapientissimi: magis vobis laborandum sit, si quid in me comminisci statuistis, quod nunc improbè magis quàm astutè facitis: quàm mihi si vestra in me maledicta & criminationes refutare instituam. Verum esto, optimo hæc à vobis animo dicuntur, atque homines sapientes, quod Reipublicæ semper tutissimum

A est, appositis in civitate custodibus, non quid debeant modò aut velint, potentes cives, etiam si eorum recta studia sint, sed quid possint etiam animadvertendum putatis. audio. Ac tametsi minimè ignoro, quò vestra hæc sedulitas tanta ac vigilantia spectat, facilè patior tamen, ubi etiam minus Respublica postulat, diligentes vos & callidos homines importuna hac assiduitate & molesta, non malè de illa aliquando mereri. Video enim multò mitius malum esse, morosum & importunum custodem adesse ad fores qui æquè semper iracundus & tristis advenienti hospiti occurrat, etiamsi ille amicus ac probus vir sit, quàm qui furem B hiliaris pariter excipiat, & moderatum hominem ac pudentem. Esto igitur. Fingite me quem paulo ante re magis quàm nomine designastis, vestri simillimum hominem dominandi cupiditate provectum, libertati meorum civium insidiari, extraordinarios honores, potestates, imperia, parum honestis rationibus quærere: qua in re ego quamdiu in hac sententia sum, aut meis civibus damno, aut mihi majoribusque meis dedecori esse possum? Longius progredior minimè veritus ne jactandi potius quàm defendendi mei causa, dici hæc à me videantur. Non is meus sit in Rempublicam animus, quem meis civibus aveo probare: C nullos habeat Respublica nostræ fidei voluntatisque obsides, non à majoribus relictam nobilitatem, non famam hominum, nomen, existimationem, quid adversarii nostri habent, quod maledicti loco nobis in hac re objiciant? Cujus enim sententiæ autor sum? ut ad arma eatur? ut Reipublicæ nostræ sociis illatæ injuriæ propulsentur? ut grave ac diuturnum bellum eorum causa suscipiatur? Næ ego (ita me juvat præclarè de meis civibus sentire) magis sperem, si modò honestum Reipublicæ bellum pro sociorum salute atque incolumitate defendenda futurum sit, hoc ipso suadendo bello, in magna etiam ærarii D difficultate, pietatis laudem me, quàm infamiæ notam ullam referre. Verùm cujus ego rei suasor hoc tempore in invidiam vocor? an non id quidem quod Reipublicæ nostræ salutare maximè? quod honestissimum? quod speciosissimum ad hominum famam? quod & in præsentia hostibus nostris & in posterum perpetuò formidabile sit, esse agendum, tanta nunc oblata occasione, censeo? Ergo autor sum ut cùm *Galeatio Maria Sfortia* Principe Reipublicæ nostræ conjunctissimo, cujus maxima autoritas, gratia, potentia in *Italia* habetur, oblata ultrò nobis amicitia instituatur, vetera fœdera, quæ cùm *Sfortia* patre inita erant, E confirmentur, stipendium decernatur, unde validissimus equitatus peditatusque firmissimus, qui nobis si quando id Respublica postulat auxilio sit omni nostro tempore, alatur. An verò hæc nobis amicitia est modo speciosa futura, parum eadem necessaria videri potest? Quid si doceo ita nobis necessariam esse, ut sine ea ægrè sperandum sit, diutius in hoc statu Rempublicam posse consistere? Quid enim futurum est si ita ille contemptus à nobis, aliò continuo se atque adeò quò minus ipsi velimus convertat? cùm Reipublicæ nostræ hostibus fœdus ineat? arma conjungat? communi animo nobis inferat bellum? Imminet *Insubrum* F Regno gravis per se nobis semper *Venetus* futurus hostis, & quidem ita imminet, ut tanto principatu viribus auctis, universæ *Italiæ*, cujus nobilissimam partem maximeque opulentam obtinet, imperium planè sibi spondere videatur. Sive autem nostra societate destitutum *Galeatium* apertus hostis aggrediatur: sive amicitiæ simulatione deceptum circumveniat, cui jam dubium esse potest, juvenem atque adhuc in regni possessione hærentem parum rerum usu confirmatum, parum callidum

ad detegenda hostium consilia, brevi illis prædæ futurum? Quæ si accidant, quod minimè libet tamen in præsentia ominari, facite vobis in mentem veniat, rerùm omnium in *Italia Venetum* arbitrum constitutum, quemadmodum videatur, belli & pacis jura describere, ex civitatibus alias suis legibus uti, stipendium pendere alias jubere, omnia denique pro summa potestate Imperii, definire, præscribere, moderari. Ecquis vestrum est, qui tantum Reipublicæ futurum hostem, tantis opibus nitentem, jam pridem spe & cupiditate devorantem *Italiæ* imperium, non avertendum omni ratione ab ejus societate censeat, qui nobis amicus certam salutem, hostis parem perniciem, maximarum virium accessione atque incremento, universæ *Italiæ* hostibus nostris afferat principatum? Sunt hæc quidem in conjectura posita, fateor hoc quidem. Sed ut minus ea multitudini imperitæ explorata & perspecta esse videntur: ita vobis quibus pro vestra singulari virtute atque sapientia amplissimum Reipublicæ magistratum civitas mandavit, sunt multò antè, quàm eveniant providenda. Quid autem, vos obsecro, est, quòd cunctemur? Postulat à nobis Princeps potentissimus magnæ autoritatis & nominis apud omnes *Italiæ* populos, ut initam olim cum patre societatem, novo fœdere firmemus. An verò cuiquam obscurum est, quid nobis cùm de re tanta agatur statuere conveniat? Res agitur in summo Reipublicæ consilio, magna populi expectatione qui vestræ fidei se potestatique permisit. An non inquam quemadmodum qui se navigationi dant, antequàm è portu solvant impendentem tempestatem ex præsenti cœli statu sibi explorandam putant: cùm alii omnes, tum vos in primis quibus regendæ civitatis gubernacula tradita sunt, quæ Reipublicæ tempestas immineat ex eo quod vobis agendum duxeritis, antequam quid de re tanta decernatur, providendo, tum esse vobis dicendam sententiam, tum de tota re deliberandum, quicquid esse potissimum è Republica visum fuerit, statuetis? Quis autem hoc quæso, ignorare potest, rejectis à nobis *Sfortiæ* postulatis, atque amicitia contempta, iniquissimo hoc ipsum animo laturum, exarsurum iracundia, primo quoque tempore de hac tanta vindicanda injuria cogitaturum? Nam ut maximè dissolutus ille & perditus sit atque hanc tantam sibi factam injuriam ferre æquo animo possit: magis hinc etiam nobis verendum esse affirmo. Qui enim ita molli ac languido animo est, ab æqualibus eludi & contemni, à præstantioribus perdi etiam impunè potest: & qui est palàm injuriis ferendis aptus, is ab occultis insidiis est parum tutus. Sive igitur minus idem est tantam injuriam neglecturus, vir fortis videtur & magno animo, nobis amicus retinendus, sive idem est laturus æquo animo, magnopere nobis providendum est, ne timidum nimis, & quod isti confirmant, desidem & inertem, parum certè constantem in suo jure tuendo hominem, prædæ esse hostibus sinamus. At vos cavere oportet, ne amicitiæ novæ quærantur, unde privatorum potentia & gravis nimis & formidolosa Reipublicæ alatur. Imò caveas tu quidem, observes, appositos custodes habeas, Reipublicæ amantes cives, ex ingenii tui improbitate fingas, certis excogitatis calumniis, crimineris, dum id civitati ne obsit, maledictis, probris, contumeliis impunè in quosvis insultes: privatæ simultates in curia ponantur, ne quando impedimento sint quò rectè minus Respublica administretur, ubi velis potius quàm in summo civitatis consilio, atque adeò cùm de re tanta agitur exerceantur. Quid non autem in nos isti egerunt? (Jam enim locus videtur postulare, ut huic parti eorum orationis respon-

A deam) quid non excogitarunt? quàm illa invidiosè apud multitudinem jactata? quàm populariter ab his, quàm seditiosè? tolli juris æquabilitatem in civitate, potentibus aditum quæri ad summos honores, humilioribus præcludi, contemni patrios mores, affinitates & conjunctiones cum externis iniri, principum amicitias comparari, divina omnia atque humana jura permisceri. Ac me minimè fugit, cùm suppresso nomine, hæc ab illis in certos homines dicantur, esse hoc eorum consilium: ut sive illa tacitus feram, graviore apud populum invidia sim: sive refutare eadem aggrediar, tum verò id quod necesse est, me ipse

B prodam, ac mea sponte me reum faciam: quippe qui neque ab istis appellatus sim nominatim, & defendendo ea quæ palàm mihi non objiciuntur, hanc in me esse comparatam accusationem ostendam: ut jam novo more & ante hunc diem inusitato, cùm neque dies mihi dicta sit, de capite causam dicere, & in quem nullus est certus accusator constitutus, defendere tamen me ipse iniquissimo Reipublicæ tempore, & verò meo etiam cogar. Namque haud sum equidem ita meæ constantiæ oblitus, ut quid illi dicant potius, quàm qui ego sim, ubi causa mihi sit apud æquos judices dicenda, spectari à me putem oportere. Sed

C quoniam innocentia quibusdam quasi finibus, animi conscientia inclusa latet: calumniæ & maledicti vis, ubi est semel emissum, serpit indies latius, ac sæpè quò minus etiam velis, pervagatur: paucis quidem, atque ut habita à me dignitatis meæ ratio videatur non temporis solùm, rem hanc totam agam. Ac quoniam queruntur, sublatam esse in civitate juris æquabilitatem, & quod est minimè ferendum, adversus leges & judicia, paucorum hominum, hoc est, ut ipsi existimari volunt, *Medicum* opes & potentiam pugnare: ut nunc silentio prætercam, quoniam id omnibus satis exploratum est, parentem meum

D ita vixisse, ut cùm prudentia, consilio, rerum usu inter paucos, omnium judicio excelleret, autoritate tamen inter multos judicio non præstaret suo: me quidem ita in illius institutis mansisse, grandem jam natu, ut cum omnium in me oculi propter illius excellentem virtutem essent conjecti, neque in privata vita moderati hominis, neque in Reipublicæ administratione, boni civis sit à me unquam officium desideratum: quid magis argumento esse potest, vigere in Republica libertatem, ac leges & judicia dominari, quàm licere cuivis, non suum modò jus persequi, sed etiam quoscunque velit, atque hos ipsos adeò potentes

E cives accusare, lacerare probris, maledictis insectari, de Republica quam velit sententiam tueri, quam velit oppugnare? Est hoc quidem magnum ejus rei argumentum: sed si quid potest tamen rursus indicio esse, legum vi & majestate soluta, paucis multitudinem servire pretio emptam, quis vobis hoc præclarius ostendet? An verò si vos esse judicia ulla in civitate arbitraremini: hanc tantam præ vobis licentiam adversus omnium dignitatem atque existimationem quæ in mentem venirent dicendi, ferretis? Quid enim? ubi malè de Republica sentientem civem deprehenditis: an non illi diem continuò dicere, judicio perse-

F qui, proprio periculo capitis & fortunarum suscipere inimicitias cum potentibus civibus, Rempublicam intestinis malis liberare vestra vos virtute, consilio, assiduitate oportet? At quò majorem etiam in nos invidiam concitetis, metu vos prohiberi dicitis, quò liberè minus has partes Reipublicæ præstetis. Siquidem pudentes homines & timidi, accedere in judicium adversus tantas opes veremini. Quid autem verisimilius est, quàm qui adeò petulanter, nullis non modò lacessiti inju-

juriis, ſed multis provocati beneficiis, hæc in nos dicunt, eos in judicium nos vocare non audere. At videte, quo ego vos mea oratione adducam. Aut ea vera ſunt, quæ mihi à vobis objiciuntur, aut quod ego contendo & res ipſa loquitur, domo eadem attuliſtis adverſus meam ſalutem & dignitatem excogitata. Utro autem modo vobis eſſe reſpondendum ſtatuatis, cujuſmodi de vobis ſit hominum judicium futurum, minimè vos arbitror ignorare. Niſi enim hæc ipſi confinxiſtis, quid illa pergitis diſſimulare? quin nominis delationem poſtulatis? quin denuntiatis judicium? cauſæ dictionem? quid eum hominem in quem uſi eſtis linguæ intemperantia accuſare apud populum cunctamini? Reliquum eſt, ut ficta hæc & commentitia ſint à vobis adverſus meam ſalutem quæſita: & quoniam in ſcelere admittendo, nemo ingratis improbus eſſe vult, ſint à vobis adverſus meam ſalutem aliqua de cauſa quæſita, neceſſe eſt. Quæ quidem cauſa qualis debeat videri, minus oſtendere laboro: quando eſt jam ſatis proviſum, ut maximè turpis flagitioſaque vos ad hoc agendum impulerit, ne quid à vobis Reipublicæ poſſit noceri. At etiam, ſi diis placet, mihi vitio vertunt, quòd ex nobilitate externa liberis nuptias quæſierim: perinde ac ſi hoc conſtiterit, continuò mihi ſit de majeſtate cauſa dicenda. Cujuſmodi porrò eſt hoc crimen? tuorum, inquit, nobilitatem contemnis. Quaſi verò hoc conſtet: cùm delectu in civitate habito, una mihi modò ſit deligenda quæ filio nubat: aliis quidem, quoniam æquè ex claris familiis exiſtant, à me præteritis fieri injuriam. Imò neglecta à me nulla, una delecta, quam magis tamen meis rationibus conducere exiſtimarim: ut ſi mihi nullius cum injuria proſpiciam, locus querelæ nemini jam ullus ſuperſit. At privatis rationibus ſalutem Reipublicæ oportet haberi antiquiorem, neque ſolùm quid cuique expediat, ſed quàm id tutum ſit atque honeſtum Reipublicæ futurum, ſpectari æquum eſt. Quaſi verò, id quod ego fore honeſtum noſtræ familiæ exiſtimavi, ut ex *Romana* nobilitate uxorem filio deſponderem, perniciosum iſti civitati aliquando futurum oſtendant. Quo quid abſurdius ab ullo dici, aut excogitari poteſt? An verò eſt quicquam, quod aut ſtabiliendis civitatis opibus, aut propagandis imperii finibus, aut hoſtibus in metu continendis, aptum magis accommodatumve ſit? Quis enim non videt, per privatorum affinitates, inter nobiliſſimos populos, quæ magno præſidio iis poſteà fuerint, ſocietatis atque amicitiæ jura iniri? commercium inſtitui? maximas vitæ commoditates communicari? *Siphax* potentiſſimus olim Rex *Carthaginienſi* civi affinitate junctus, non ſolùm à *Romanorum* civitate deſcivit, ſed pro *Carthaginienſium* victoria ad exitium uſque victus & profligatus pugnavit. Nam & *Campani* (ut appareat privatorum neceſſitudines nemini eſſe impedimento, quo minus debitum patriæ munus pietatis perſolvat) quanquam è ſuis multas *Romæ* in matrimonium collocaſſent, & æquè iidem multas *Roma* duxiſſent: cùm ſpes illis oſtentata eſſet, *Italiæ* imperio potiundi, à *Romanis* arctiſſimæ illis affinitatis ſocietatiſque fœdere & publicè & privatim junctis, ad eorum infeſtiſſimos hoſtes barbaros homines & immanes, magna quidem perfidiæ infamia defecerunt. Non quid fiat modò, ſed quo quid animo fiat ſpectandum eſt. Nam & improbus civis qui ex infima plebe, cùm nobilis ipſe ſit, uxorem ducat, malis artibus auram popularem captando, & ſtruere inſidias in ſuos, & moliri exitium patriæ poteſt: & is cui ex illuſtri loco clara ac nobilis fœmina nupſit, cùm de ejus animo dubitandum non eſt, ejus poteſt conjunctio & honeſta civitati & utilis aliquando eſſe. Verum quando à me nimis jam multa in eam ſententiam

A ſunt dicta, & major pars meæ defenſionis, in cauſa magis quàm vobis jam probatam eſſe in primis ſpero, quàm in ulla vi orationis eſt poſita: redeo jam ad id quò me Reipublicæ cura fideſque mea vocat. Ego & amicitiam cum *Sfortia* ineundam, quæ honori civitati præſertim & commodo ſit, & quotannis pecuniam certam, ut patri conſuevimus, eidem decernendam, quò ſit nobis præſidio, ſi quando id Reipublicæ tempora poſtulabunt, magnopere cenſeo. Vos quæ agitis ea uti è Republica atque omnium privata re ſit, Deum immortalem, cujus ſemper præſidio hæc Reſpublica ſtetit, etiam atque etiam rogo. Hæc oratio, ut facilè viris B bonis qui otii & concordiæ gratia, aliquid eſſe dandum tempori cenſebant, *Petri* cauſam probavit: ita præoccupatis criminationibus adverſariorum animis, multitudinem concitatam neque ſedare in præſentia potuit, neque in poſterum reprimere aut coërcere. Recens enim offenſionum memoria inveteratas jam illas refricabat, & quæ tanquam cicatricem obduxerant, quas ut viderentur magis homines velle quàm poſſe obliviſci, Reipublicæ ſtatus ac temporum ratio effecerat. Illa igitur paſſim ferebantur, malo quodam Reipublicæ fato, unam in civitate familiam extitiſſe, quæ & ſecundis ſuis rebus perniciem ſuis civibus, id quod C nimis quàm civitati expediret, fuerit diuturnum, & adverſis, quo bono brevi frui licuerit, ſalutem portenderet. Itaque tanquam fœdi cujuſdam ominis atque inauſpicati debere homines *Medicum* nomen odiſſe, in quo quidem uno cum omnia ad eorum felicitatem vigeant, eadem & in præſentia exitio Reipublicæ ſint, & exitio videantur in poſterum futura. Foris externis bellis, domi inteſtinis diſcordiis, ærarii anguſtiis ac rei frumentariæ locupletatos, unius exilio (ut neque his fortuna obeſſe adverſa potuerit) multitudinis odio defunctos, reditu, gratia opibuſque auctos: unam Rempublicam convulſam & gradu dejectam, præcipitem agi etiam per eorum adverſa ſtudia potuiſſe. D Et beneficio pariter, ſi obducenda modò largitio ſpecioſo nomine ſit, & maleficio ſemper ſuos læſiſſe. Nam hoc quidem nobiliſſima ſui parte per inſignem calamitatem ſuorum Rempublicam ſpoliatam, illo in turpiſſimam ſervitutem cives abductos: quod beneficium minimè tamen tueri diu potuerint: tanquam libertas pro fœnore, pro ſorte pecunia ſolvenda eſſet, quod pretium addictæ libertatis unius imperio fuiſſet, eo avariſſimè acerbiſſimeque exacto. Connitendum in hoc unum atque incumbendum omnibus viribus, ut nunquam fauſtum civitati, infeſtum ſemper atque in- E felix nomen è civitate tollatur. Neque *Medices* ſalva Republica neque hanc ipſam illis incolumibus, diu ſalvam ac liberam eſſe poſſe. Erat *Petrus Medices* cùm hæc à multis audiret, in magno metu & dignitatem ſimul & ſalutem amittendi. Nam quod illum magis etiam ſolicitum habebat, cùm quid ſibi eſſet timendum non ignoraret, à quibus id ſibi eſſet timendum, tum quæ vires inimicorum, quæ manus, quæ foris auxilia iis præſto eſſent, ut haud ſatis ſibi in eo poſſet cavere, minus videbat. Ne tamen imparatus opprimeretur, cùm de eo minimè dubitaret, non vim atque arma adverſus ſe comparari, per ſui homines ſtudioſos, cùm ad pietatis frequentes quotidie deli- F berandi cauſa coirent, omni ratione illis & conſilio occurrebat. Quæ omnia cùm ab eo ita adminiſtrarentur, ut quò iis ſpectaret, nemini jam obſcurum eſſet: adverſarii, qui ſatis intelligerent, ubi diutius pergerent tecta ſua conſilia habere, futurum, ut aut minus civitati poſſe ſuam cauſam probare, in qua minimè eſſet multorum conſcientia pertimeſcenda: aut nimis inimicorum vim atque audaciam, quæ res eorum animos augeret, vere-

reri viderentur: rem agere palàm ac vindices atque oppreſſores omnium ſe profiteri, qui conſilia adverſus Rempublicam iniiſſent, tum in certa urbis loca luce, inſpectantibus omnibus, convenire frequentes cœperunt. Nam illud etiam remiſſius rem agentibus eſſe verendum videbatur, ne ſuperior *Petrus Medices*, quem nulla jam ſpes erat incautum peti atque opprimi poſſe, jam facta commutatione voluntatum, quod in *Coſmo* patre meminiſſent, inter volentes jam, certè quid ſentirent, diſſimulantes regnaret. Eam enim eſſe ferè hominum conſuetudinem, ut in omnibus contentionibus, civilibus in primis, magis eventu, quàm certa ratione, id quod æquius eſſet diſſidentium cauſam probarent. Ita conjurati magna ſuorum caterva in foro ac frequentibus urbis locis in *Medices* concionando, tum adhortando, obteſtandoque homines, ut ſe tandem colligerent, ac civitatis fortunam ſimul & ſuam reſpicerent, ab iis alienare ac traducere in ſuas partes conabantur. Jam ne qua ſpes alia ſupereſſet ulla conditione tolerabili res ad concordiam perducendi, non ſolùm fidem & juſiurandum, ſed ſyngrapham etiam ab iis exigebant, qui adverſus *Medices* conſpirarent: ita fore exiſtimantes, ut cum initi conſilii index ſyngrapha extaret, ſi cui pluris ſua ſalus quàm religio eſſet, per hanc rationem ſpe omni adempta, majore animo rem & conſtantia cum cæteris aggrederentur. Ergo cùm magnus eſſet omnium conſenſus, *Medicum* opes in civitate tollendi: de ratione autem rei agendæ minus conſtaret, aliis arma, mitiora aliis conſilia exquirentibus, qui multorum cædem, populationes & incendia, quæ ſequi apertam vim neceſſariò oporteret, execrarentur: dies dicitur, quo die principes eodem convenirent, ac de re tota quid agi placeret, de omnium ſententia, maturius certiuſque conſtituerent. Ante omnia præcidendam moram omnem res gerentibus exiſtimant: qua interpoſita, confirmari animi inimicorum poſſent ac vires ſumere ad obſiſtendum. Ita cùm ad diem frequentes affuiſſent, ac variæ ferè omnium ſententiæ diſtrahere animos in contrarias partes viderentur: quid ſinguli in deliberando ſequerentur, ſive agendum vi, ſive conſilio cenſerent, placuit diligentius exquiri. Cùm ordine hi ſententias rogarentur, animadverſum eſt, duas omnino eſſe: ſed ita quidem ut in eam, quæ ad arma ſpectaret, frequentiores pedibus irent. Nam hi quorum erat lenior ſententia ita cenſebant. Ubi qui in præſentia ſummam poteſtatem gererent, magiſtratu abiiſſent, omni ratione obſiſtendum, ne novus alius magiſtratus in eorum locum ſurrogaretur. Ad hunc modum ſublata in Republica ſummi imperii infinita illa poteſtate, cui unus *Petrus Medices*, hoc illi à patre tanquam hæreditario munere relicto, moderaretur, ac populo libertate reſtituta: fore ut illius potentia, quæ ſua etiam ſponte labaret, brevi (quod accidere neceſſe erat) fracta debilitataque concideret. Neminem autem poſſe dubitare, cùm illius exiſtimatio & fides, publica autoritate niteretur, dempta illi Reipublicæ procuratione, non fidem illum ſtatim atque adeò inſigni familiæ ruina apud omnes *Europæ* populos amiſſurum. Ita cùm civitatis ſtudiis eo deſtituto, nihil quod ab illo timeret Reſpublica haberet: civili more atque inſtituto, id quod viris bonis ſemper deberet curæ eſſe, ſecuritati ac libertati civium per ſummum otium conſultum iri. Nam qui ſuadeant, ut res armis geratur, cùm longè illos falli in præſentia: tum multò etiam magis in poſterum, quàm non rectè ſentiant intellecturos. Nihil eſſe multitudine, ubi illa dominatur, levius aut inconſtantius: ut ſæpè quem ex altiſſimo gradu dignitatis detraxerit, paulopòſt eundem (ex commutatione fortunæ ejus caſum miſerata) ſublevandum ac jam ira in benevolentiam & ſtudium converſa, erigendum etiam ſuſcipiat. Unam enim eſſe, quæ & in perdendo homines & in conſervando, fortunæ temeritatem conſulat: virtutis, probitatis, pudoris commendationem, quam non novit, rarò ſequatur. Itaque, ut in ſecundis rebus invidiæ atque odii cauſam, ita in adverſis favòris & ſtudii nactam, nullo diſcrimine ſive ſecunda fortuna indigno, ſive adverſa non merenti accidat, & miſereri abjecti eandem & erectum odiſſe. Quid porrò ſi ubi deferbuerit iracundia, ſubeat animos haud penitus obliterata largitionum memoria, quibus *Coſmus* magna ſæpe annonæ caritate, cùm in alios, tum in egentes atque audaces homines quorum ſuperſit haud contemnendus numerus, effuſus, multitudinem ſibi tamen in primis devinxerit? Quid ſi quaſi tum novis exorientibus ventis, retroacti fluctus, eos ipſos, quos nunc autores ſuæ libertatis populus agnoſcit, tanquam in ſaxa & ſcopulos in multitudinis magnam offenſionem atque odium impellant? Eſſe porrò hoc imperitorum inſtitutum, id quod longo uſu obſervatorum ſit, ut ægrè libertatem, ſi illa immoderatè utantur, poſſint perferre: ſervituti, quæ propoſita venalis ſpem quæſtus afferat, ſint multò iidem accommodatiores. Itaque ſemper multitudinem malle à domino ali, quàm regnare egentem: ubi vindicata in libertatem ſervitutis præmio fruſtretur, redire ad ingenium ac libertati inutili ſervitutem quæſtuoſam anteferre. Hujus rei magnum documentum, populum *Romanum* dediſſe, ſæpè illum largitionibus ſolicitatum, ac ſeditioſis civibus, muneribus devinctum, illis prædæ fuiſſe. Sic duos *Spurium Caſſium* & *Melium*, illum primum *Romæ* autorem agrariæ legis ferendæ, hunc malis artibus Regiam poteſtatem quærentem, tum *Manlium*, liberatæ patriæ titulo clarum hominem, duos *Gracchos* fratres ſublatos è medio, quanquam affectatæ tyrannidis, majeſtatiſque convictos, deſideraſſe: eundem poſtremò potitum orbis terrarum imperio, cùm à *Cæſare* paſſus eſſet ſibi ſervitutis jugum imponi, in illius interfectores de ſe optimè meritos homines, ſi voluntas magis in agendo & ſtudium quàm rerum exitus ſpectandum eſt, crudeliſſime ſæviſſe. Nam & illud iis, quibus placeat rem armis agi, providendum eſſe: cùm omnis gerendæ rei occaſio in eo poſita videretur, ſi imparatum *Petrum* ab armis adorirentur: ne detectis conſiliis, quæ quidem res, ubi vis aperta paratur, accidat neceſſe eſt, ſuæ partis homines armandos, atque externos milites in urbem inducendos, per otium curet. Atque illum ſanè tantò minore cum invidia tum id facturum, quantò eſſe putantur arma juſtiora, quæ propulſandæ injuriæ quàm quæ inferendæ cauſa, in civili præſertim diſſenſione comparantur. Itaque eam quæ in præſentia mitior ſententia videatur, cùm citius illi exitium maturare, tum extorquere invito arma de manibus: cùm ille quidem nòn laceſſitus magis, adverſariis quieſcentibus, quàm paratus ad vim inferendam videri poſſit. Ergo quod optimum conſilium, ac tutiſſimum idem ſit, opprimi incautum, atque omnem occaſionem, quæ multitudinis etiam ſuffragiis neceſſaria illi afferat arma, tolli placere: ut cum præſidio armorum ſine populi magna offenſione tectus minimè eſſe poſſit, aliud quod ſequatur conſilium, nullum reliquum habeat. Erat aliorum ſententia longe diverſa: quippè quibus omnis ſpes *Medices* opprimendi, in celeritate quidem, id quod nemo non videret, ſed multò tamen magis in aperta vi poſita erat. Deflagrare populi iras: deliniri animos, ac facile quo vis muneribus & largitionibus abduci. Audiri jam per certos homines harum rerum ſequeſtres, & popularis auræ tractandæ artifices longè optimos

Pe-

Petrum de amicorum sententia, tentare multitudinem largitione statuisse: quàm quidem iis statim esse armandam, qui liberare Rempublicam per præsentem rerum occasionem velint: ne dum producta longius die, hominum studia languescant, ac populus de pristino studio aliquid ac voluntate remittat, omnes simul fiant ad cætera quæ videntur agenda, segniores. Tum enim futurum, ut proposita ab adversariis spe veniæ, atque impunitatis, & resipiscant primum & sese colligant, mox autem victi muneribus, quando ea via adversarii insistant, se à suscepta sententia abduci, & postremò transfugæ ex hostibus facti, ad capienda adversus illos arma à quorum causa steterit, averti etiam animo æquiore patiantur. Sic brevi futurum, ut ad unius voluntatem Republica constituta, qui populares modò & studiosi libertatis visi sint: iidem objecti populo irato, & apud inimicum victorem locum gratiæ quærenti: per summam indignitatem eversi patriis bonis, aut in exilium ejiciantur, aut id quod viris fortibus detestandum animo abominandumque sit, fœdissima ac teterrima morte mulctentur. Nam de eo quidem nemini ambigendum esse: si parum modò spatii adversariis detur ad se colligendos, atque ad redimendos muneribus multitudinis animos, quod qui sunt alterius sententiæ autores non inficientur, fore, ut ex his qui sint novum magistratum inituri, pariter adversarii nolentes & inviti, & qui eorum sint studiosi, ruina etiam voluntaria (adeò quosdam pertinaces sui defensores illos habere) eos in Reipublicæ dominatione confirment: quod si accidat, futurum, ut bonorum conatus omnes & studia, qui in facti pulcherrimi expectationem erecti sibi omnia de Republica meliora spondeant, irrita atque infecta cadant. Quæ cum ita se habeant, videri beneficio temporis utendum esse, & consilium, non quod in præsentia honestissimum, sed quod in posterum tutissimum expeditissimumque esse animadvertant, præferendum. Placere igitur, quamdiu is ardor animorum sit, antequàm aut languescat tempore, aut restinguatur beneficio, rem agi, & suspensa civitate novi magistratus expectatione, sive ille adversariorum, sive suarum partium sit futurus, ab armis præsidium quæri, multitudinem ex agris evocari, in urbe æquè & foris, manus externorum militum cogi, tum *Borsium Ferrariensium* Ducem, qui *Herculem* fratrem copiarum Reipublicæ imperatorem propius ad urbem cum exercitu mittat, solicitari: his præsidiis, ut suo jure magistratus in privatos cives utatur, ac de consilii sententia cujus summa potestas in civitate sit, Rempublicam administret, magno illam beneficio suis liberatoribus devinctam, operam dari. Cùm multa ultrò citroque dicta variè animos moverent: vicit tamen eorum sententia, qui neutra in præsentia probata, rem ad novum usque magistratum rejicerent: interea tamen censerent arma, milites auxilia comparanda, quæ si res posceret (differri enim id ad extremum placebat) tuendæ Reipublicæ ac adversariis pellendis præsidio essent. Hinc certam diem præfiniunt, quam ad diem præstò omnes adessent, singulis ordine certis partibus distributis, quas stato tempore & loco intelligerent sibi esse obeundas. His rebus ita administratis, idoneos homines ad *Ferrariensem* cum mandatis mittunt, tum ad militem conducendum alios, quorum fidem habebant & diligentiam perspectam: munera alia cæteri impigrè exequuntur, magnam simul omnes spem concipiunt, quam ingens animorum alacritas confirmabat, rem ex sententia ubi incœptis fortuna adsit successuram. *Petrus* interea, cùm magis quid adversarii molirentur, quàm qua id ratione agere

A constituissent, compertum haberet: haud satis in multorum conscientia diuturna ac tuta fide, de omnibus quæ ab his acta constitutaque erant cognoscit. Erat in numero conjuratorum *Nicolaus Fedinus* ex scribarum ordine: cui negotium datum erat, ea quæ à principibus conjurationis agebantur, perscribendi. Is sive sua sponte, id quod magis verisimile, ingenii levitas ostendit atque inconstantia, ad uberioris quæstus spem animum adjecisset: sive à *Petri* amicis solicitatus magnitudine præmii esset: accepta fide, fraudi nunquam futurum, quòd cùm *Medicum* adversariis societatem coisset: omnia illi conjuratorum consilia aperuit:
B editis singillatim eorum nominibus, qui adversus illum syngrapha etiam fide obstricta, conjurassent. Ad hunc modum re patefacta: commotus *Petrus* periculi magnitudine, cùm sua opinione & conjuratorum majorem numerum, & eos ipsos majoris aliquantò existimationis atque autoritatis esse in civitate intelligeret: non ignarus ubi diutius cunctaretur, fore ut adversarii alacritate & studio usi imparatum opprimerent, rem primo quoque tempore referre ad amicos per eundem indicem, atque accuratius deliberare de re tota studiosiusque constituit. Ex eorum sententia, cùm & ipse non ignoraret in iis qui participes conjurationis es-
C sent, dubiam esse nonnullorum fidem: inconstantia & levitate multos, cupiditate ferè omnes & ambitione laborare, quæ nunquam in pari contentione dignitatis, sine gravi æmulatione esse potest: permultos quidem pecunia tentavit, ac facile è superiore sententia abductos, quanquam eosdem fidem suam obstrinxisse adversariis non dubitabat, conjuratorum in eo diligentiam imitatus, & chirographi cautione & religione jurisiurandi, quæ res aut mutati animi, aut simulati indicium haberet, sibi caveri curavit: id ipsum suarum partium hominibus, quò facilius in officio continerentur, facere coactis. Illud autem in primis
D visum est dignum admiratione, & quod *Petri* animum, qui satis per se ipse solicitus, diligentissimè suorum consilia omnia, ne quid illis integri ad inconstantiam consiliique commutationem relinqueret, perpetuò exploraret, aliquantò angeret vehementius: inter eos quos *Fedinus* index nominasset, quosdam inventos; qui cùm in *Medicum* partibus, magnis suis beneficiis conciliati, haberentur, à conjuratis fide jurejurando constricta, adversus semel probatam susceptamque causam starent. Itaque hinc confirmandis dubiis, hinc qui defecissent castigandis atque à novis consiliis avertendis, tum armatis in primis evocandis, quorum
E præsidio, ubi adversariis vim experiri placeret, haud illis inferior esset, quousque res ad novum magistratum perducta quid consilii capiendum videretur, doceret, tempus omne (utrimque quasi consultò quiescentibus) consumpsit. *Ticinensis* præter cæteram *Petri* diligentiam illud etiam addit, missum ab eo ad *Galeatium Sfortiam Nicodemum Tranchedinum* qui ejus legatus *Florentiæ* agebat, virum magna opinione virtutis, ac maximarum rerum usu *Petro* probatum, eo consilio ut cum eo ageret de auxiliis *Florentiam* mittendis. Quod hominis consilium cùm conjurati cognovissent, tum ab iis primum *Luca Pitio* autore, de
F *Ferrariensi* conducendo esse actum: cùm is affirmaret, *Borsium* Principem in primis à *Medicum* causa alienum, minimè implorantibus illius auxilium esse defuturum. Ita fore, ut si quid ab *Insubribus* moveretur, quod eorum incœpta retardaret, haud deesset certa ratio, tantò incommodo in tempore occurrendi.

HISTORIÆ FLORENTINÆ,

LIBER TERTIUS.

NICOLAUS *Soderinus* unus ex principibus conjurationis, cujus magna autoritas atque existimatio habebatur, cùm ei forte summus magistratus obvenisset, *Petri Medicis* gravi metu, qui non ignoraret, quantum suis rebus discriminis ab illius magistratu immineret, totius civitatis ingenti plausu atque approbatione Reipublicæ præficitur. Quamquam, ut alibi diximus, erat is suo ingenio popularis & magnam apud omnes ordines gratiam, justitiæ atque æquitatis opinione consecutus: eundem tamen inimici non magis libertatis studio, id quod præ se ferre videbatur, quàm ferocia atque impetu animi elatum, quoniam suo ingenio partibus *Medicum* esset, infestus, suscepisse populi causam adversus illos tuendam, quò inter emptos beneficio pessimo exemplo privatus regnaret, calumniabantur. Longè erat de eo diversum multorum judicium, verè popularem hominem, & communis libertatis defensorem propugnatoremque acerrimum, in summo imperio positum secundis bonorum studiis agnoscentium, qui Rempublicam tot malis circumventam sua gravitate constantiaque liberaret. Itaque cum frequenti multitudine amicorum & clientium circumfusa, domum reduceretur: tanquam futuro pacis & concordiæ autori, illi corona oleagina imposita, lætis ominibus atque acclamationibus, cùm conjugibus & liberis, quacunque incederet, domo effusi, quod Reipublicæ felix faustumque esset, cum honorem non illi magis quàm civitati universæ gratulabantur. In hac tanta hominum expectatione, cùm magistratum *Nicolaus* iniisset: *Thomas* frater, vir æquè moderatus & gravis, cùm quidem conjuratorum virtuti & constantiæ, ut videtur, diffisus, spem publicæ salutis in dubio atque incerto eventu rerum minus collocandam putaret, ac propterea non obscurè *Medicum* causæ faveret, ferox fratris ingenium (ut facilè semper violentia atque iracundia, cùm rarò consilium admittat, dolo atque arte reprimi & compesci potest) tempore ac mora eludere frustrarique instituit. Ita illum fallacia ac dolo aggressus, diu monendo adhortandoque pervicit, ut quoniam omnes jam pridem sibi persuasissent, hanc unam in illius animo curam insidere, adversus privatorum potentiam, populi libertatem defendendi, cujus rei causa & antea suorum civium suffragiis, & nunc, quæ civitatis prærogativam comprobasset, sortis beneficio, summum esset magistratum Reipublicæ adeptus: nova comitia aliorum magistratuum creandorum indiceret, quibus operam daret, ut eorum maximè ratio haberetur, qui in causa bonorum constantiores futuri, ac magis cæteris idonei tuendæ libertati viderentur: quæ & viros fortes postularet & quod caput est, non domesticarum injuriarum memores, sed communis salutis defensores ac propugnatores, cujusmodi se esse nonnulli verbo magis quàm re profiterentur. Ita fore, ut cùm eos magistratus Respublica haberet, qui vacuo animo odio & cupiditate, autoritate publica, non ad privatas injurias persequendas, sed ad tollenda civium dissidia judiciaque constituenda uterentur, nullo negotio, & quod magnopere illi curæ esse deberet summam potestatem in civitate obtinenti, per summam omnium concordiam Rempublicam à gravissimis malis, quæ undique illi impenderent, sua virtute & consilio, magnaque adeò laude & gloria parta, vindicaret. Atque in hoc consilio illud commodi inesse, ut sive eventu frustretur, nulla id cum ejus invidia accidat, quod maximè illius rationibus conducere

A videatur (audacibus enim incœptis tristem rerum exitum obesse: cùm ignoratur quæ nos causa moverit in agendo, dubia semper ferè hominibus interpretantibus in eam partem quæ deterior est) sive cum eo vincat bonorum consensus, magnam illius pietatem in patriam atque insigne studium, voluntatemque mirificam visum iri: qui fructus debeat haberi eorum quæ agimus uberrimus, si fama nobis modò nomen, existimatio, omnium maximè in vita expetenda sit. Hæc ob eam causam *Nicolao* à fratre suggerebantur, homine prudentissimo: ut cùm tantis rebus agendis, longam interponi moram non ignoraret, rem ducendo

B trahendoque ad novos magistratus perduceret, quo tempore *Nicolao* cùm privatus esset futurus, omnis spes præcidebatur, quicquam pro partium studio ac suorum expectatione quæ magna erat, adversus *Petri* salutem agendi. Quæ quanquam conjurati quo consilio agerentur non ignorabant, nihil eorum quæ frater secum egisset *Soderino*, ut erat apertus, dissimulante, satis autem iidem intelligebant, ad id quod agere instituissent, impedimenti plurimum & moræ, hominis cunctationem hæsitationemque afferre: facile tamen ferebant (si modò verisimile est id quod *Machiavellius* affirmat) cùm haud majore illi cum

C inimicis odio quàm inter se ambitione certarent, quò ei tantæ gerendæ rei occasio è manibus erepta, per alios conficeretur, illum ab adversariis eludi. Non possum autem in eo non hominis fidem desiderare. Tanquam enim, cùm eadem omnium causa atque communi omnium consilio ageretur, gerentem magistratum gloria major, quàm privatum maneret, nec virtus & magnitudo animi in conficienda re, sed honoris nomen atque insignia spectari oporteret, ita affirmat, homines qui consilii & prudentiæ opinione cùm primis præstarent (quod ille etiam iis tribuit) passos esse pulcherrimam sibi occasionem manibus elabi, & quam frustra postea quærerent, quòd unius hominis gloriæ

D laudique inviderent. In functione enim publici muneris erat benè gerendæ rei occasio: liberatæ patriæ in virtute, consensione, constantia conjuratorum, erat omnis futura laus: quam æque & in privato & in magistratu fungente conspici oportebat. Tantum porrò abest ut hoc credam, ut contendam ultrò etiam illis optandum fuisse, quod ita languido ac remisso animo adeoque levi de causa, ab his prætermissum esse existimat. Summa enim imperii ad illum delata, futurum erat, ut quicquid in eventu offendisset, in illius invidiam atque odium verteretur: ubi ejus consilio atque autoritate rectè res successisset, socios laudis multos esset habitu-

E rus, quos periculi in agenda re perficiendaque habuissent. Ergo cùm quicquid causæ subesset, non desperarent, rem ad novos magistratus rejectam transigi ubi vellent, facilè etiam per alium posse: spatium adversariis dederunt, id quod sibi antea maximè esse præcavendum optimam sequuti rationem statuissent, & sese colligendi, & suos armandi, & inimicos denique opprimendi: quibus nisi occasioni defuissent, licebat temporis beneficio illos obruere imparatos. Ita autem statuendum esse videtur, rarò quidem rem ex sententia successuram, ubi non multi solùm, cùm numerum non

F fides semper & constantia par consequatur, sed inter quos etiam vigeat dignitatis & potentiæ æmulatio, adversus inveteratam unius potentiam coëant. Nam si quando id, quod non sæpe accidit, fidem in multorum conscientia constitisse proditum est: aut ingenii ejus immanitas in quem conjurarunt, quod in *Hieronymo Syracusano*, & non ita multis præ-

præterea eſt animadverſum, homines à temeritate & inconſtantia deterruit: cùm quidem ſpe præmii dubia gravior certiorque ſupplicii metus indici futuro propoſitus eſſet, aut quod in *Cæſaris* interfectoribus uſu venit, celeritas in maturanda re, levitati multorum, ne ſpatium ad pœnitendum relinqueretur, præcurrit. Jam cùm hæc agerentur, alter menſis in exitu erat, quod tempus legibus præfinitum eſt, ſummi imperii poteſtatem gerenti. Ita autem *Soderinus* ſe geſſerat omni magiſtratu adminiſtrando, ut cùm minimè ſe duci à fratre callido homine fruſtrarique intelligeret, magis inchoarit parum prudenter multa, quàm quicquam pro vetere fama atque hominum exiſtimatione conſtituerit. At *Petrus Medices*, qui per omne illud tempus diligentiſſimè exploratis inimicorum conſiliis, in unam rem modò incubuiſſet: cùm ſuos maximorum præmiorum ſpe confirmare, tum ex adverſariis, beneficiis quoſcunque poſſet ampliſſimis ad ſe allicere conciliareque non deſiſtebat: iis qui ſe medios videri vellent, & neutram partem fovere, nullo non genere largitionis tentatis, quò traductis in ſententiam, aut inimicis viribus par, aut etiam ſuperior, facilius illos dejicere de civitate exturbareque poſſet. Quæ cùm inimici cognoviſſent, tanquam altiſſimo experrecti ſomno ſeſe colligentes, ne mora inimicorum vires firmiores, ſua conſilia deteriora fierent, *Nicolai* tarditatem & cunctationem ſtudio & celeritate compenſare conſtituunt: fruſtra conquerentes, in id tempus ſe rem diſtuliſſe, quo non de Republica magis quàm de ſingulorum ſalute dimicari oporteret. Ita cùm cætera improbarent, de eorum ſententia qui ad vim & cædem inclinabant, *Herculem Ferrarienſium* Ducem, quod antea demonſtratum eſt, vocare ut propius ad urbem copias admoveret, & *Petrum* per certos homines adoriri, qui in *Caregiano* paterna villa, penè artuum doloribus confectus valetudinem curare dicebatur, ac poſtremò illo de medio ſublato, atque urbe externis armis & præſidiis munita, novorum magiſtratuum comitia, ita ut ex ſuorum maximè ſententia haberentur indicere, tum cætera pro ſtatu præſenti rerum agere, omni alia re omiſſa, decreverunt. Ad hunc modum rebus adminiſtratis, magnam ſpem concipiunt, fore ut quibus ſummum Reipublicæ imperium mandarent, ſive amici eſſent futuri, voluntate rem gerentibus adeſſent, ſive ſentirent cum adverſariis, metu infamiæ mutarent ſententiam cum ſuorum ſuffragiis magiſtratum adepti, victos beneficio ſe, obſtrictos certè præclarè de ſe meritis diſſimulare vix poſſent: quod quidem agi ab his etiam oportebat, ne ſi pertinacius in *Medicum* partibus hærerent, magis partium ſtudio moveri in Republica adminiſtranda, quàm conſtituendæ libertatis & concordiæ in civitate viderentur. In primis autem placebat, *Neronium*, cujus autoritas magni eſſe apud *Petrum* credebatur, quò aliorum eſſent tectiora conſilia, illum animi offenſione diſſimulata, frequentem officii cauſa inviſere, atque longè illius animum à ſuſpicione rerum novarum avertentem, cùm de civium concordia atque otio tuendo, tum de omni ratione conſtituendæ Reipublicæ agere. Quas quidem partes, homo callidus & per multos annos in civium diſſenſionibus verſatus, egregiè præſtaturus videbatur. Ac quò ſe in eo magis pro temporis ratione atque ingenii jactaret, *Petri* aut cunctatio efficiebat quò natura ferebatur, aut diſſimulatio: qua ex re fiebat, ut *Neronius* ſibi haberi fidem in omnibus cenſeret, id minimè eſſe alienum ab hominis ſtupore & tarditate exiſtimans. Nam cùm aditus facilis illius amicis pateret ad ea exploranda quæ quotidie conjurati agerent: ita omnia illi indicabantur, ut tamen quò imparatiores inimicos aggrederetur, prudentiſſimè ea ſibi diſſimulanda ac ſui contemptione illos à ſubitis & repentinis conſiliis abducendos avertendoſque ſtatueret. Ad hæc quidam ex amicis ex nobili in primis civitatis familia, cum eo per eoſdem dies collocutus, demonſtraverat ſe à *Franciſco Neronii* fratre appellatum, multiſque precibus fatigatum, ut pro majorum inſtituto optimorum civium, à quo illum diſcedere minimè æquum eſſet, communi animo cum cæteris rem ſuſcipere, ac vindicantibus ſuis civibus Rempublicam in libertatem adeſſe ſua autoritate & conſilio vellet. Probari ſibi quidem titulum libertatis, ac pulcherrimum ſibi fore ad poſteritatem & ſpecioſiſſimum arbitrari, ſi in eorum numero haberetur, qui ſe ejus defenſores profiterentur: cùm minus exploratum eſſet, quo animo ad hujuſmodi conſilium deſcenderent (multa enim in animis hominum latere tecta quaſi quibuſdam ſimulationis involucris, quæ ubi erumperent pernicioſa Reipublicæ eſſent) autorem ſe illi eſſe, ut ultrò inimicorum conſiliis occurrendo per certos homines, quorum fidem haberet probatam, quod dignum optimo cive eſſet, ac principem in Republica locum magis judicio ſuorum quam vi atque armis quærente, pateretur de concordia ac compoſitione agi: ſin perſeveraret armis rem agere, ac tamen lentè id ac remiſſè exequi pergeret, ne nudatus armorum præſidio ſubitò opprimeretur operam daret: qua ex re futurum eſſet, ut improbi quorum magna manus & firma minimè quietura in occaſione armorum & diſſidii videretur, in bona civium & fortunas magna clade Reipublicæ ac pernicie invaderent: non poſſe illum amplius ſine ingenti ſuo periculo & ſuorum cunctari, aut (quod illi ad eum diem per inimicorum inertiam licuiſſet) diſſimulare: qui ne tempore excluderentur, cujus jacturæ ſarciendæ ſtudio incitati ſe jam ipſi excitarent, minimè eſſent ulterius dilaturi, quod cunctando difficilius ſibi operoſiuſque reddidiſſent. Ita ille conſilio ac precibus amicorum excitatus, cùm planè eſſe occurrendum inimicorum audaciæ, etiamſi eos, quòd illis in contemptionem veniſſet, multum remiſiſſe de priſtina alacritate & ſtudio videbat, conſiliùmque ex tempore capiendum putaret, facile (ut ſperabat) incautos opprimere, quando ſe illi occaſio daret, uſus fortunæ beneficio conſtituit. Quo probato conſilio, à ſuis conſultò rumorem diſſipandum curavit, cujus quidem rei initium opportunè, ut videtur, à conjuratis ortum manaverat: *Herculem* fratrem à *Ferrarienſi* miſſum ſignis infeſtis, ad urbem contendere, ac jam ad *Album* fluvium caſtra poſuiſſe: cùm ſermonibus hominum ipſe affinxiſſet, qui varii ea de re ac multi in civitate tanto diſſidio civium diſtracta ferebantur, habere ſe literas à *Joanne Bentivolio Bononienſium* tyranno, quibus de hoſtium adventu certiora docebatur: ut id minus eſſe confictum homines exiſtimarent, fidem faciente neceſſitudine atque amicitia, quæ vetus jam pridem cum familia *Medicum Bentivoliis* intercedebat. Erat is *Hercules Ateſtinus*, qui poſtea gravi bello & diuturno à *Venetis* oppreſſus, cum omnibus *Italiæ* Principibus adverſus illos concitatis, eos in magnum diſcrimen adduxiſſet: magis virtute & conſilio in bello gerendo quàm felicitate in eodem conficiendo clarus habitus eſt. Per hujus rei ſimulationem multitudine armatorum ſtipatus *Petrus Medices Florentiam* venit: ſi quam vim adverſarii intentarent, eo præſidio ſuam dignitatem ab eorum conſpiratione atque armis, quando in magiſtratus autoritate, cujus majeſtatem & jus ab his violatum eſſe querebatur, nihil auxilii relinqueretur, ſuam ſimul & familiæ dignitatem vindicaturus. Sunt autores non ignobiles atque in his quidem *Nicolaus Valorius*,

qui *Laurentii Medicis* vitam eorum ferè temporum æqualis conscripsit, quique aliquot postea annis conjurationis in *Medices* convictus magnum capitis discrimen adiit, cùm inter urbem & *Petri* villam collocatæ omnibus in locis custodiæ inimicorum, ne quà locus ad effugium pateret, ubique iter infestum *Florentiam* venienti facerent: *Laurentium* filium, nuntio per exploratores, quos præmiserat, de ea re accepto, per devios atque ignotos calles præire servis jussis, qui patrem lectica deferebant: ipsum capto ab animi præsentia consilio, temerario illo quidem nisi pietatis laus in adolescente filio conspiceretur cùm præsertim in angustiis temporis, & animi hæsitatione res explicationem consilii extorqueret, via infesta inimicorum armis, iis ire obviam perrexisse: cùm in milites fortè incidisset, qui patris adventum observabant, rogatum quo illum in loco reliquisset, propè esse quidem ac brevi affuturum respondisse. Ita cùm eum ipsum abire jussum incolumen, (ætate, ut videtur, adolescentem à periculo servante à qua cùm nihil timendum conjurati censerent, ne suspicio crudelitatis obesset, abstinere suos voluerant) tum patrem, qui unus petebatur, solerti filii consilio servatum, inimicorum insidiis elusis, in urbem contendisse. Inermem autem *Petrum*, si vera sunt quæ à *Valorio* traduntur, fuisse apparet, à *Machiavellio* dissentiente, quo tempore ad urbem venit. Neque enim verisimile est, conjuratos, ubi accepissent manu armatorum septum iter facere, vires diducendo extenuare voluisse, quod agere necesse erat censentibus itinera insidenda: præsertim cùm haud dubitarent incerto victoriæ eventu foris, multò majore vincendi spe, cum adversariis se in urbe congressuros in qua cum illi multitudinem infestam haberent, ejus secundis studiis se uti maximè credebant. Quo res cunque modo accidit, cùm ad *Petri* adventum in urbem rumor repente ortus esset, munitum illum militum præsidio esse ingressum: quasi dato utrimque signo, & qui pro adversariis stabant arma sumpserunt, & qui freti autoritate, se studiosos *Petri Medicis* profitebantur: longè tamen dispari eventu, si quando inter armatos manus esset conferenda, quippè cùm eorum alteri imparati & subitò vocati ad arma, multò prius alteri denuntiata re, sua sponte ad inferendam vim, ubi res posceret, non ad arcendam modò præparatis animis, atque stata adeò hora & certum in locum, tanquam ad signa & ad suos singuli ordinem convenirent. In tanto tumultu ac trepidatione civitatis, cùm omnes perterriti, pro suo sensu communem rerum exitum ubi res adversæ succederent, sive *Medicum* causæ sive conjuratorum faverent, formidarent, servitutem, cædem, proscriptionem bonorum, & si quæ alia mala graviora sequi civiles dissensiones solent, cùm in apertam vim eruperunt, execrarentur: *Neronius* qui & magnitudinem periculi magis suorum inconstantia quàm *Petri* viribus æstimabat, & propterea quòd proximè *Petri* ædes habitabat, si quid durius suis accideret, se esse periculo propiorem etiam intelligebat: hinc summum magistratum, ut *Petrum Medicem* pro imperii potestate arma ponere, atque æquo jure de privatis controversiis, si quas haberet, disceptare, moribus & legibus civitatis juberet: hinc *Lucam Pitium*, *Nicolaum Soderinum* aliosque principes conjurationis domo evocatos homo acerrimus, & qui optimam se causam defendere, jura libertatis, autoritatem publicam, salutem communem omnium, tanto suo periculo, præ se ferret, ad arma excitare conabatur: prodi Rempublicam eorum cunctatione clamitans, quæ destituta omnibus præsidiis, spem nullam salutis positam haberet in iis, quos honoribus amplissimis, præmiisque maximis affectos ingratissimos, adeò suo dubio tempore ex-

A periretur. Prædæ eam inimicis relinqui, quorum sæpè cupiditate & scelere afflicta eversaque esset, sed multò majore cum eorum infamia, qui cùm nefariorum hominum vim atque audaciam sua autoritate possent coërcere, eorum augeri vires sua inertia ac languore paterentur. Scilicet eam esse pietatem quam patriæ deberent, ut non antea inimicorum armis quàm metu victi, implorantem illam suorum auxilium aspernarentur, immemores lucem hanc qua fruerentur se in ea primum, spiritum, vitam, hausisse, altos, educatos, ad dignitates atque honores amplissimos evectos esse: nimirum ut non illi solùm fractam animi vim vana specie erro-

B ris objecta, debilitatamque ostenderent, sed voluntatis etiam alienationem à causa bonorum: cùm rarò unquam egregia voluntas atque animi studium, etiamsi minus suppeterent vires & audacia ab ingenio, sine conatu atque impulsu ad fortitudinem esset. Qui enim non videri magis quàm esse fortes vellent, iis turpem servitutem deprecandam honesta morte, libertatem cum ejus vindicandæ spes ostentaretur, vitæ periculo, quæ misera in servitute futura esset, redimendam. Omnes quidem censebant, cùm hæc à *Neronio* dicerentur, magni animi hominem Reipublicæ adeò opportuno tempore, populo se ducem ad libertatem recuperan-

C dam præbentem, minimè deseri oportere. Sed ut appareret, multò homines facilius, magnas res concipere animo, quàm ubi perficiendæ sint, vires pares & constantiam præstare: omnium autem ferè ingenia esse hujusmodi, ut non æquè & in suscipiendo consilio & in expediendo prudentiam afferant: & languebant, & trepidabant metu, & privatam magis suam fortunam quàm publicam respiciebant: cùm inter utramque terror periculi imminentis, qui modò ob oculos obversaretur, speciem omnem illam decoris & honesti disjecisset. Ita patriæ liberatæ gloriam, aut *Petri Medicis* fortuna illis, aut suorum ignavia, quod verius est,

D quæ eadem & mentem pariter & consilium ademisset, extorquebat. Unus tamen præter *Neronium*, serò fratris consilio improbato, *Nicolaus Soderinus*, malè gesti magistratus memoriam, conservatæ Reipublicæ laude esse privato obliterandam arbitratus, ut maximè alii trepidatione ac metu torperent, se cum *Neronio* conjunxit, ac suorum manu comparata, ut se ducem sequerentur, quicunque Rempublicam salvam vellent, adhortando, atque sæpius eadem quæ ille commemorando, totam ferè eam civitatis partem quà habitabat, ad arma concitaverat: ut minimè jam dubium esset, si æquè strenuè atque impigrè omnes se gessissent, ac rem

E pari animi magnitudine & virtute aggressi exequi maturassent, superiorem illum viribus, cùm adversariis fuisse dimicaturum. Atque ita armatus, ut nulla in re defuisse susceptæ causæ & communi saluti videretur, *Lucam Pitium*, adire ipse & cunctantem restitantemque excitare, atque adeò ubi cætera minus procederent, metu mortis injecto, spem illi concordiæ omnem, si quid separati ab aliis consilii iniisset, adimere (qua de re jam per certos homines agi à *Petro Medice* adornatos, non obscurè ferebatur) atque quoad posset, impellere ad arma constituit. Ubi autem, omni spe compositionis præcisa sua oratione confirmatum illum sibi socium

F adjunxisset: facilè arbitrabatur futurum, ut cæteri, quorum adhuc animi fluctuarent, illius sequuti autoritatem, fiducia majore & viribus, ad adversarios pellendos sumerent arma. Eum igitur domi conventum cùm docuisset, magnam omnibus oblatam opportunitatem in præsentia recuperandæ libertatis, quam quidem neglectam, nequicquam essent postea desiderati, simul ostendit, quanto in discrimine vertatur Reipublicæ salus: si illa à suis mollitia animi ac turpi metu ab officio aversis,

de-

deseratur. Si se colligere velit ac magno & forti animo, proque anteactæ vitæ dignitate, rem capessere atque in vetere instituto manere (id quod dignum illius virtute & constantia sit) publicæ dignitatis ab improborum conspiratione defendendæ: tum facilè intelligat quàm gravi ignaviæ turpitudinisque nota, fuerit tam opportunum tempus tamque idoneum ad agendum omissurus. Nam si perterritus audacia ac minis inimicorum, quibus magis quàm certis viribus ac firmis nitantur, obstinato animo in sententia manere pergat: aut exilii & mortis metu, aut servitutis, quæ multò quidem viro forti omni morte atque exilio deterior sit, quasi ancipiti telo illius animum à tam fœdo consilio avulsum, expugnari debere. Poscere ab illo opem, afflictam patriam, ut rarò unquam majorum memoria, nefariò scelere ac parricidio suorum, cujus quidem salus ita sit, cum illius salute conjuncta: ut quemadmodum qui navi aliqua vehatur, ea fracta, intelligat, sibi esse de salute desperandum, non possit jam spe ulla satis firma niti, se illa perdita, incolumen vitam & dignitatem diu in civitate retinere. Sin autem ea ratio illius consilii sit, ut metu in præsentia cedendum atque ab armis abstinendum, quæ aditum ad victoris gratiam, difficiliorem reddant, diffisus rerum eventu censeat: minimè turpi ac flagitioso incœpto, disparem exitum etiam fore. Non enim ita molliter ac remissè statuenti, fortunam defuturam, quam immeritò homines accusant, cùm sibi eam faciunt sua inertia, nulla ejus culpa deteriorem. Eam quidem abjecti animi hominem ac suæ magis quàm communi saluti consulentem, cùm tantum dedecus & flagitium ipse admittat, neque in eo culpam agnoscere, quam præstare non possit, aut ad animi debilitatem quò æquius sit, sed ad fortunæ temeritatem referre velit: præcipitem sua sponte ac prolabentem levi impulsu de statu præsenti deturbaturam. Mox enim superbum affuturum inimicum ac suorum civium victoria insolentem, qui non illum quidem deceptum amplius lenitatis & clementiæ simulatione, sed (quod ingenii sit & per armorum impunitatem in apertum eruperit) contumacia oris & fastidio deterritum, durissimas leges accipere cogat receptum in fidem ac mancipium inimicorum effectum: quæ res, quo supplicio, quo cruciatu corporis, qua morte non fœdior ac perniciosior debeat videri? Quàm intersit tum ad communem salutem tum ad privatam suam, utrum inimico occurrat armatus victoriæ præsertim occasionem ex adversariorum timiditate & cessatione captanti: an inermis armatum excipiat, quem posse ignorare, cui modò hominis mores cogniti & ingenium perspectum sit? In altero leges ab adversario, quas sibi esse commodissimas ducat & honestas, accipiendi necessitatem: in altero dandi illi quas nolit, quæ eædem salutares Reipublicæ & honorificæ privatis sint certam spem esse. Nam si abhorreat à cæde, quæ magna cum multorum clade futura, debeat cujusvis animum ab incœpto temerario retardare, qui Reipublicæ consultum velit, cujusque ad pacem atque ad otium consilia spectent: non se improbare id quidem: sed æquum esse tamen censere, ut provideat idem, ne cùm rectissimi illius sensus sint, & cum bonis congruentes, imprudentia committat & temeritate, ut prodidisse Rempublicam inertia atque animi languore & remissione videatur. Nam & firmiorem semper ferè pacem & honestiorem ac viris fortibus magis dignam ab animi vi ac robore peti, quod in armato conspiciatur, quàm ab ignavia & desidia, quæ prodat victori inermem. Sæpè quos nulla vis orationis, nulla hominum consilia, nulla æqua conditio, non maximorum Regum, non civitatum nobilissimarum autoritas, ad pacem & concordiam stabilem flexit, infesta signa, paratas utrimque ad prælium acies, mortis & servitutis propositum periculum par, belli dubiam atque incertam fortunam, inter spem & metum æquè animos jactantem, invitos ad pacem & ad compositionem pertraxisse. Ex otio bellum, pacem rursus ex armis, hanc tantam rerum vicissitudinem facile patiente conspici in humanis rebus, aut fortunæ temeritate, aut, quod verius est, hominum inconstantia, quæ magna esse in omni vita agenda animadvertatur, perpetuò sequi. Sed quicunque eventus rerum futurus sit, longè præstare, etiam ut res minus ex sententia succedant, victum illum armis inimicorum, non metu aut cupiditate, boni & constantis civis magna laude parta, patria cedere, quàm eandem adversariorum beneficio, transitionis infamia & proditionis notatum, quod nomen, etiam quibus usui est, invisum nullo modo effugere possit, in hominum iracundia & odio atque dicendi impunitate, retinere. Nam si horum alterum subeundum sit, satius esse, cùm rectè fecerit, exilium & mortem perferre, quàm cum est mutatio consilii inutilis futura, turpiter & flagitiosè facti memoria, cujus incommodi evitandi nulla jam ratio iniri queat, perpetuò in durissima servitute ac vitæ indignitate inhonoratum, contemptum, abjectum angi atque affligi. Hæc pro ingenio hominis ut verè & prudenter, ita acriter ac vehementer dicta, brevis *Lucæ* oratio excepit, maximéque ad præsentem rerum statum accommodata, sive materia deesset ac ratio respondendi conscio culpæ magis quàm culpam fatenti, sive judicio non esse pugnandum cùm potente adversario censeret, & qui spatium nactus, jam multos spe maximorum præmiorum illectos in sententiam traduxisset. Se quidem cum ratione optima & consilio facere, ut in magna rerum omnium perturbatione ac populi tumultu, ab armis atque aperta vi abstineret, quæ intelligeret perniciosa civitati, sibi neque salutaria esse, neque honesta futura: tum quoniam has partes sibi esse in suos cives præstandas non ignoret, quorum quidem salutem tanto studio semper & privatus & in summo magistratu procuraverit: ultrò illum orare ac si pateretur modò, hortari monereque velle, ut idem facere animum & ipse induceret, integramque rem magistratibus permitterret: quando quidvis potius agendum esse videretur, quàm armis decertandum cum adversariis, non modò illis quod ipse cognitum habeat, virtute & numero militum, sed multitudinis studio, quæ jam tota illorum sit, superioribus futuris. Quod dignum illius fide & constantia esset, hunc honorem magistratui haberet, ac mallet illum publica autoritate, quàm privatos armis civitatis imperium administrare ac privatorum controversias & dissidia componere: cognitionem certè & judicium magistratibus publicarum privatarumque rerum, quo die civitatis liberis suffragiis eam essent potestatem adepti, delatam esse. Itaque si qua illi in re inimicorum potentiam habeant suspectam, (utinam non invisam potius habeant, cùm suspicioni locum non semper æquè res, ac simultas & inductio quædam animi atque proclivitas ad odium faciat) non anteà suo præjudicio eos damnent, quàm per interpositam magistratus autoritatem, more atque instituto civitatis cognita causa, esse damnandos intelligant. In civitate legibus, armis foris Rempublicam administrari, & vim in hostes, judicia in cives quæ libera sint, exerceri oportere: ut jam pessimo exemplo, cùm opus sit legibus & judiciis, ferro inter cives in curia & foro decernatur, ac magistratibus, quorum summam potestatem ac sacrosanctam Respublica esse velit, vis sceleratè ac nefariè afferatur. Quando illius civibus satis sit perspecta illius fides atque animus, neque ejus rei documentum aliud quæratur, cur hoc minus illi curent, quærere ipse ne

ne laboret. Sive enim se populus liberari nolit cum quæstu & compendio servientem, non esse beneficium offerendum invito, quod illi ingratum accidat: sive servitutem oderit, ineundam viam esse, qua nulla privatorum invidia, qui dicantur libertatis oppressores plectantur, libertatem populus è servitute vindicatus magistratui referat acceptam: ut ad quem ubi malè res succedant, omnis offensio pertineat, quod æquum sit, laus rectè Reipublicæ administratæ perveniat, quæ ratio esse eadem tutissima videatur futura. Neque verò illos invidere hanc gloriam iis debere, qui præclarè suo etiam testimonio de Republica mereantur, cùm se fide, officio, pietateque, quam debent patriæ, adductos, accessisse ad illam liberandam videri velint: quam mentem debeant omnibus precari, iis præsertim in quibus sæpius Respublica voluntatem & studium desiderat, quàm vires atque agendi facultatem. Videri igitur sibi in præsentia ea arma ponenda, quibus civitas de suo jure decedere, magna suæ libertatis jactura cogatur, & adversariorum causa, quæ eadem per se mala sit, cùm ita percrebruerit, lacessitos illos adversariorum injuria arma sumpsisse, magis indies corroborata, iis quibus minus debet probetur: quod eos maximè quibus eorum est suspecta potentia cavere oporteat. Hæc quæ à quovis alio dicta prudentis hominis animum & rectè sentientis cuivis probare potuissent: parum *Soderinum* moverunt, magis illum, quòd se desertum ac proditum à suis videret, temporis augustiis, quæ id postularent, quàm *Pitii* oratione fallacis hominis & privati commodi spe à suscepta bonorum causa aversi, coactum arma ponere: quæ nullius adductus autoritate sed studio libertatis recuperandæ incensus, adversus *Medices* cepisset. Cùm enim nemo dubitaret, non illum redemptum spe præmii ingentis esse: jam illud etiam ferebatur, per certorum hominum interpositam autoritatem mentione affinitatis injecta, atque ita ejus animo delinito, cùm *Petro* in gratiam rediisse. Ut autem ferè semper sunt homines acuti dubiis rebus in eam partem, quò animi inclinant, trahendis, suaque spe semper ulterius feruntur, quàm quò res ipsa illos, si certam rationem ducem sequantur, perducere videatur: ita per hujus conjunctionis occasionem, quasi perinde facilè factu esset, animos conciliatione amicitiæ, atque affinitatem jure connubii jungere, non diffidebat cum *Petrum* invaletudo, quæ indies ingravescebat, liberos ætas à muneribus publicis avocaret: illo etiam patiente, se unum Rempublicam suo arbitratu administraturum. Qui enim æmuli ejus gloriæ fore viderentur, magnæ homines dignitatis, eos destitutos in hac tanta contentione suo auxilio, ac *Petro Medici* tantis viribus munito minimè pares, sive in civitate manerent victoris beneficio autoritatem omnem, sive ejicerentur, id quod erat magis credibile, cùm ea ipsa facultatem etiam quicquam adversus suam dignitatem moliendi amissuros. Confirmabat hominis spem, concepta ferè omnium opinio de illius virtute, quam quidem eorum æstimatione majorem (qua in re quidem cuncti fallimur, cùm natura plus æquo prolixi simus nostris rebus judicandis) magnum momentum sibi ad rem tantam consequendam allaturam arbitrabatur. Quæ cùm ita essent, ac minimè *Soderinum* fallerent, sic tamen ab illo discedens dixisse fertur; si benè merendi ratio & vis, non magis in perficiendo, cujus rei facultas non semper adest, sed in animi quadam propensione & recto studio posita videtur: quando nihil mihi in mora fuit, qui antiquiorem semper patriæ salutem gravioremque quàm meam habuerim, quò minus per me hodie sit antiqua libertas & dignitas civitati restituta: satis quidem cumulatè receptum à me munus patriæ ejus conservandæ persolvi: sin

A verò parum est voluisse, ubi fatis obsistentibus, quæ jamdiu adversa meorum libertate, flecti nulla ratione & consilio possunt, animi studium & voluntatem factum probat nullum, de me verò nihil patria habet quod queratur, de aliis, ita prodita & deserta ab illis, plus sanè quàm aut ego velim illius causa, aut iis ipsis honestum sit: qui mihi, quò minus hanc meis civibus operam navarem, fuerunt impedimento. Atque quando in præsentia libertatis bono meis civibus frui per homines ingratissimos non licuit, qui præsentis commodi spem dubiam atque incertam, solidæ laudi & liberatæ patriæ gloriæ prætulerunt: quæ illam maneant in B posterum mala, ut nunquam obscurum per me sit, quibus illa accepta referat, facile præsagiente animo quæ ratio suadet, & hæc rerum facies quæ impendent, jam libet divinare. Vestra hæc, *Piti*, consilia, quæ unde manent, jam præterit neminem (utinam vos callidioribus, quæ fortia sunt præferre maluissetis) hunc tandem exitum sunt habitura, ut quorum potior cura fuerit, privatis suis quàm publicis rebus consulendi, ii præter proditæ patriæ infamiam, quæ perpetuò eorum nomini inusta hærebit, neque suis rebus se, neque Reipublicæ prospexisse intelligentes, servitutem subeant longè acerbissimam: libertatem quidem patria amit- C tat, cujus charitas nos in improbos cives & sceleratos armavit, diu jam ab illis nefariis consiliis quasi machina concussam, nos, qui illi maximè voluimus consultum, per vos ejus desertores, minimè quidem ea calamitate digni, quam à vobis illatam hominibus inertissimis atque ignavissimis meritò querimur, & fortunas & libertatem & patriam amittamus. In tot malis tamen unum reliquum solatium sumus habituri hæc aliena culpa nos, vestro vos flagitio & scelere, & dignitatem & vitæ ornamenta reliqua amisisse. Cùm hic tantus in civitate tumultus subitò exortus, magnam omnibus trepidationem injecisset: magistratus, ne qua D vis subita inferretur, curiam claudi, ac dispositis præsidiis aditus omnes custodiri, cæteraque administrari pro temporis ratione & periculi magnitudine diligentia summa & studio jusserunt: optimo illi quidem consilio, civitate divisa studio partium, ne summi imperii potestate novo ac pernicioso exemplo ad privatas suas contentiones seditiosi cives abuterentur, neutros sibi autoritate publica esse fovendos sublevandosque arbitrati. Etsi autem non erat difficile judicare, utri meliorem causam sibi defendendam suscepissent: videbatur tamen mitius malum futurum, magistratu quiescente, cujus autoritatem armati non officio sed libidine & gladiorum E impunitate æstimarent, videri victam privatorum conspirationem, quàm publicam causam: quam quidem non erat committendum, etiamsi id obliquè agerent, ut palàm privati oppugnarent, quo scilicet, tanto magistratus periculo illi fierent sceleratiores. Neque enim est satis tutum consilium eorum, qui ob eam causam plagam accipiunt, ut sicario & parricidæ cruento suo sanguine & cæde, odium atque invidiam apud multitudinem suo exitio paret: cum ejus rei præsertim nullus sit usus futurus. Quid porrò in ea contentione magistratus spectaret ita ad arma eundo? cùm multitudo dulcedine largitionis delinita tota *Medicum* videre- F tur, deterriti conjurati hinc audacia inimicorum, hinc principum destitutione, & gladios simul & spem omnem vincendi abjecissent, nulla interim subsidia, quæ rem gerentibus præstò essent, neque domestica, neque externa apparerent. Nimirum illud videbatur necessariò futurum, ut quæ jam re nulla reliqua esset, fracta victaque publica autoritas, privatorum scelere conspiceretur: quæ ubi in eorum contemptionem veniret à quibus victa esset, nemo jam poterat dubitare non magno

to-

totius Reipublicæ incommodo, quæ una magistratuum autoritate staret, facultatem improbis hominibus ad omnia maleficia & scelera admittenda datum iri. Civitas interea atque ea maximè pars quæ *Pitii* autoritatem sequebatur, quæque ejus fortunam in omni eventu sibi esse spectandam censuisset: cùm hinc *Petri* inimici, eo se domi continente, in cujus autoritate magnum momentum ad victoriam posuissent, sua sponte ab armis discederent: hinc adversarii pertinacissimè ea retinere perseverarent, in eam tandem partem inclinavit, quæ superior armis, & præmii pariter & supplicii constituendi sibi arbitrium videretur vindicatura. *Medices* enim armatos, & vim obsistentibus & necem ostentantes, inimicis magno consensu omnes præferebant: quorum disjecta consilia & repressam vim ac debilitatam viderent. Est enim ea multorum consuetudo ut non causas atque initia rerum, sed quod maximè periculosum est, exitum spectent, quem lætum semper, etiamsi à malo sit principio profectum, amplectuntur. Cùm magno injecto bonis metu, ac nemine existente qui pro conjuratis caput objicere in extremum rerum discrimen auderet, multitudinem, damnata causa quæ deserta à suis esset, cùm iis ipsis futurum appareret, quorum salutem acerrimè antea oppugnasset: conjurati capto ex tempore consilio, de compositione agere constituerunt. In eo enim jam rem verti intelligebant, ut non illi magis de inimicorum ruina quam in sua capita avertissent, sed de sua soliciti essent, quæ temporis angustiis exclusis, nisi maturè consilio occurrerent, gravissima immineret. Ita in curiam frequentes conveniunt, editis postulatis, ut quoniam de summa Republica essent acturi, cujus salus in magno discrimine versaretur, sibi magistratus daretur: quod quidem si fieret, non desperarent, cùm eorum consilia semper salutem communem respexissent, quàm minimo negotio rem ad concordiam & per æquissimas pacis conditiones, perduci posse. Ea re cognita atque iis facta ingrediendi potestate, cùm diu egissent, secunda hominum voluntate, de concordia in civitate concilianda & de tollendis civilibus discordiis, quæ magna cum eorum infamia qui superioribus annis Reipublicæ præfuerant, majore tamen cum omnium pernicie crevissent: propterea quòd *Petrus Medices*, tum artuum doloribus laborare, & minus per valetudinem in curiam venire posse dicebatur: de communi sententia omnes, ad illum ire domum, in magna rerum perturbatione animis penitus metu fractis, constituunt. Ex his unus *Nicolaus Soderinus* qui constantia & magnitudine animi facti pulcherrimi conscientiam tuebatur: cùm ad cætera omnia quæ malè à conjuratis constituta administrataque essent, tantum præjudicium communi causæ factum ab iisdem animadverteret: perfidiam eorum & scelus execratus, quorum flagitio atque improbitate tantum vulnus impositum Reipublicæ ac prodita salus & libertas omnium ignavissimè esset: *Thomæ* fratri in cujus benevolentia & fide, tametsi ab illius causa dissentientis, suam spem omnem collocatam habebat, liberorum salutem, si quid in se gravius adversarii statuerent, commendavit: simul ipse in villam paternam concessit: ibi qualem exitum habitura res esset, quanquam neque sibi eum magnopere lætum, & perniciosum maximè fore Reipublicæ non dubitabat, procul ab omni contentione, quam nequicquam se suscepturum adversus victorem inimicum & potentem intelligebat, expectaturus. Interea à conjuratis *Petro Medice*, ut constituerant domi convento: is cui dicendi partes impositæ erant, graviter conquestus de iis quæ adversus populi libertatem, per vim acta per eos dies essent: cùm in eos qui nulla quidem lacessiti injuria, quiescentibus omnibus, nullo certo seditionis ac tumultus autore à quibus quicquam esset mali timendum arma cepissent, culpam omnem rejecisset: *Petrum* postremò (ad illum conversa oratione) rogare instituit, cùm tumultus & turbæ initium ductum ab illius armis constaret, ecquæ nam illi causa esset ad arma & vim confugiendi? quid sibi ille vellet tanto militum apparatu? quid illi periculi propositum? quæ intentata vis? qui novus injectus metus esset? quæ suspicio? quid nova illa rerum facies, quid insolita civium frequentia, quam domi suæ tanquam in arce tectus præsidii causa dispositam haberet? quid cætera sibi vellent, quibus metu concussa & jactata Respublica opem sibi à summo magistratu & auxilium petendum, quod vix ullum ei sperandum esset in immoderata atque infinita armorum licentia, quibus esset obsessa, censuisset? Cùm sine certa ratione & consilio, hæc fieri nullo modo possent, nolle se, quod res postulet, in cupiditate animi positam causam interpretari, extraordinarias potestates atque imperia appetentis: liberare se illum libenter ea suspicione, quam re minus tamen velle ipse deprecari, oratione elevare modò id quod pergat facere, videatur. Nam si habeat quæ à Republica petat, quæ qua debet pietate suos amplexa foveat semper, nunquam destituat à se fidem eosdem & præsidium implorantes: minimè illi dubitandum esse, quin ubi cognita illius postulatorum æquitas sit, transigi facillimè res, publica autoritate possit: quam more atque instituto bonorum à quorum consuetudine minimè illum discedere oporteat, si is ejus animus in Rempublicam sit, quem quidem videatur præ se ferre, debeat omnium antiquissimam habere, quæ magis sint in vita expetenda. Debere eum abjectis omnibus consiliis, quæ viol nta sint, & non ita illius rationibus conducere, quàm invisa esse civitati intelligantur: non armis, si qua de re cùm privatis controversiam habeat, sed jure disceptare: injurias autem omnes atque offensiones, etiamsi illi sint gravissimæ illatæ, Reipublicæ causa condonare privatis, in quos non prius possit sævire, quàm à se violata patriæ jura fateatur: quæ sanctissimè sint hominibus colenda. Id si agat atque si ita statuat (id quod decet principem civem) non ex patriæ calamitate sed ex civium conservatione, quos minimè illa à se divelli sine gravi sensu doloris patiatur, esse famam sibi & gloriam quærendam: tum nulla arma, nulla militum præsidia, nullam externam vim, nitenti charitate suorum civium necessariam esse existimet. Ea enim abjecta solidam gloriam parere, nomen, existimationem, studia populorum: quæsita eadem, potentiam quidem uni comparare timendam multis, sed cui æquè multi timendi sint, solicitam certè vitam semper, nisi nobis dignitates atque honores fingere nostra opinione, quàm aliorum judicio malimus, habitura. Ad ea *Petrus*, cum arma fiduciam atque animos, iracundiam præter inimicorum odium, morbi vis malè affecto suppeditaret: minimè ignarus quo inimicorum oratio spectaret, in hanc sententiam respondisse fertur. Haud mihi ii videntur esse accusandi, qui, quod vos objecistis, principes arma sumpserunt: sed qui perfecerunt sua audacia & insolentia, ut qui pacis semper atque otii studiosi extitissent, iis necessaria ea defensio esset, quæ ab armis magis quàm à jure & legibus peteretur: quod cum ego me fecisse re ipsa ostendam, nihil necesse habeo oratione inficiari, magna præsertim spe fretus hujus mei consilii rationem, tacente etiam me, quemvis modò, cujus judicium liberum atque integrum ab odio & cupiditate sit, probaturum. Arma enim, quemadmodum sumpta ad vim faciendam, & cùm nulla injuria intercessit, jure impia esse existimantur, ita ubi ad repellendam ac propulsandam injuriam capiuntur, & necessaria eadem & justa ob eam ipsam causam videri debent. Equidem

dem (id quod facilè omnes intelligunt) ita mihi statui esse præsidium ab armis petendum, ut propulsandæ injuriæ insidiisque repellendis, quæ crudelissimè in me liberosque meos ab inimicis comparantur, nemini gravia ac perniciosa, qui non in illa sua sponte incurreret, quæsita viderentur. Ac ne inimicos meos solicitudine inani, quando sibi eam ipsi struunt, sed molesta liberem, quod eorum in me odium potius quàm mea lenitas atque ingenii facilitas videtur postulare, non sum ego illa anteà positurus, quàm ut nunc armatorum præsidio, ita publica autoritate me esse tectum satis ab eorum injuria munitumque intelligam. Nam quòd quæritis quid mihi ita armatus velim, ac stipatus clientium atque amicorum frequentia virorum eorundem optimorum, tanquam in arce inclusus domi lateam, hac quidem de re vos interrogari æquius est: qui perditorum hominum atque egentium conjuratione facta (erumpet enim aliquando ex me libero homine digna vox) sæpè nocte intempesta, sæpe interdiu provecti scelere atque audacia, adversus meam salutem & dignitatem ingratissimi homines, multis meis privatim patrisque affecti beneficiis magnis & illustribus conspirastis: nefariam atque impiam societatem adversus Rempublicam coiïstis, sæpè die, inquam, luce, palàm, omnibus inspectantibus, tanquam esset impudentia atque contemptio legum sceleri addenda, in certa urbis loca, stata hora & tempore, ut furor vobis atque amentia suadebat, convenistis: religionem, jusiurandum, ac parvum esse hoc vinculum fidei hominum astringendæ arbitrati (si fides modò ulla esse in improbitate potest) syngrapham perniciosissimæ conspirationis vobis futurum pignus, à sicariis parricidis, expletis civium sanguine, atque alea & egestate perditis hominibus, veluti sit ullum gravius scelus quàm hominum fidem in scelere obstringere, exegistis: multitudinem concitastis, monendo, adhortando, multa spondendo, interdum deterrendo, & minitando à nobis alienastis, omnibus denique urbis locis, forisque insidiis positis, certos homines persuasos præmiorum magnitudine collocatos ad nos interficiendos habuistis. Ne tamen videar vobiscum agere superbè (mihi quidem videar potius ineptus si dignos vos responsione ulla putem) aliis quidem quibus hæc minus comperta sint, tanquam in perdita & jugulata causa, haud satis esse paratus ad respondendum: difficilem vos mihi planè responsionem facitis: per quos unos factum esse videtur, ut minus id, quod viri boni optant, res ad concordiam perducatur: quorum ego tanto consensui nunquam sum defuturus, quicquid vos secus statuatis, orationi minimè congruentem voluntatem & sensum afferentes. Qui verò possum ego ante arma abjicere, quàm mihi à vobis fides facta sit, odium vos simul inimicitias, æmulationem, cupiditatem, malevolentia tanta hunc vestrum in me suffusum animum posuisse? qui autem à vobis mihi fides fiat id vos fecisse ex animo, à quibus in civitate publicam autoritatem contemptam, legum & magistratus jura violata, religionis, pudoris, officii repagula fracta atque convulsa esse intelligam. Nihil ego vestram hanc fidem moror: quod cùm ob alias causas mihi agendum est, tum ne si quando mihi vestram fidem obstrinxeritis, per me vobis liceat, ea violata, sceleratis esse. Quamdiu erit hic vobis animus, hæc mens, per meum latus, ubi vobis ea facultas data sit, Rempublicam quod omen dii obruant, petendi: quamdiu inquam hæc vobis sententia stabit, & bonorum præsidio Respublica & salutaribus armis tutus ipse à vestra fraude atque insidiis ero. Simultates omnes deponantur, quas summa cum Reipublicæ pernicie dum exercere pergitis, simulata oratione à vobis avertere conamini: comprimatur audacia, tollatur ambitio, meliores

A de Republica cogitationes suscipiantur: leges, judicia, magistratus, cujus majestas atque autoritas sanctissima esse omnibus debet, respiciatur: tum ego armatos homines, qui mihi præsidio sunt, nemini obsunt, ne minus videar otio civitatis velle consulere, non quidem vestro exemplo (id enim vobis vis atque arma extorserunt) sed meo more missos faciam. Verum cùm satis ego quo vos in me animo estis animadvertam, cùm arrogantiam, spiritus, odium, fastidium, in causa & aliorum jam pridem, & verò vestro præjudicio damnata, videam: nunquam sanè committam, ut quod mihi aliquando fraudi esse possit, inimicorum consiliis obtemperanti, cujusquam arbitrio magis quàm certa ratione
B & consilio videar egisse. Nam hoc mihi unum semper curæ fuisse, ut sublatis in civitate discordiis, communi otio & concordiæ civium consuleretur, illud quidem argumento est, vos homines id quod minimè inficiari potestis, mihi inimicos, inermes inter armatos, quibus mea salus mihi committenda fuit, quo ego septus adversus vestras insidias essem, impunè versari. Quanquam si declarari unquam meum in Rempublicam animum oportuit, quòd equidem parum semper mihi esse necessarium fretus charitate meorum civium & benevolentia existimavi: qui id potuit fieri à me clarius, quàm ipso comi-
C tiorum tempore, cùm nulli in Republica magistratus essent, quorum autoritas cupiditatem hominum & libidinem retardaret: cùm tanquam justitio indicto, leges in civitate & jura silerent, cùm nulla vis, nulla arma ab imparatis essent timenda? Enimvero (id quod nulli vestrum potest obscurum esse, qui omnes meas rationes explorando, meorum etiam mihi fidem suspectam facere nitebamini) tum ego palàm improbatis eorum consiliis, qui cædem & vim respicientes, dimicandum mihi cum adversariis, certa etiam spe victoriæ ostentata, censebant: comitiorum tamen eventum tacitus domi expectare ac per magistratum, qui legitimis civitatis,
D & liberis suffragiis creatus, de controversiis privatorum cognosceret, dignitatem familiæ tueri, quam meis obsequendo quicquam adversis populi studiis quod Reipublicæ aliquando fore perniciosum intelligerem novare per vim experirive malui. Satis me scilicet fore honestum semper inter meos cives speravi, si quam ego pietatem patriæ deberem, eam illi ubicunque id res postularet, præstitissem: honores ita concupivi, ut multò præclarius mecum agi putarem, si his dignus viderer, etiamsi nullos unquam essem assequutus, quàm si malis rationibus partos obtinerem, iis gerendis parum viderer dignus. Tum enim sunt dignitates atque honores ex-
E petendi, cùm testimonium justitiæ & probitatis potius quàm potentiæ & cupiditatis habent. Principem locum in Republica mereri magni hominis & spectatæ virtutis est: quærere atque ambire ejus semper esse duxi, qui cum aliis imperandi studio teneretur, cupiditati ipse, quæ ratio quidem fœda & præpostera est, atque ambitioni serviret: ipse equidem magis semper mihi honestum statui fore, si discerem mihi imperare, quàm si non optimis artibus quæsitum ac legitimum imperium in alios exercerem. Nihil autem minus esse ferendum videtur, quàm eosdem homines & summam in alios gerere potestatem, & tanquam furenti domino libidini huic do-
F minandi inexplebili atque aviditati qua plerique inflammati rapiuntur, obtemperare: quippe quorum violentum imperium, servitus, quod est fœdissimum, voluntaria est. Mihi sanè hoc maximè semper curæ fuit, semperque adeò erit, ut dignitatem & domesticum otium, ita quidem si hoc ipsum nunquam sit Reipublicæ dignitati atque otio obfuturum, publica autoritate retineam, quamdiu hoc mihi per vos meos inimicos seditiosos homines & turbulentos, integrum sit. Ac cùm me minimè

mè fugiat, in præsentia agi, & quidem vobis autoribus, de summi imperii potestate in Republica tollenda, quæ sine provocatione est, utrum id principes civitatis esse è Republica ducant, quibus est illius procuratio mandata, an obesse populi libertati, cùm eorum quidem hæc cognitio & judicium sit: integrum illis (ut æquum est) atque adeò ut sim præsto futurus ad eorum autoritatem adversus privatorum conspirationem defendendam, relinquo: quicquid autem illi consilii sententia decreverint, id ratum æquè sanctumque me habiturum confirmo. Ita verò mihi semper à mea prima ætate, ratio vitæ omnis provisa & explorata est, ut sive nunc censeat magistratus infinitam potestatem, quam meritò quidam invisam habent (periculosam esse fateor omnium libertati nisi illam ratio moderetur) nova lata lege finiendam, sive more vetere & instituto adhuc retinendam in civitate, cùm parum id semper mea interesse duxerim, nisi quà Rempublicam attingit, haud magnopere laboro. Quanquam si hoc modò silentio prætereundum non est (pertinere enim ad rem plurimum videtur) superioribus annis, non per *Medices* quidem aliosve ab his redemptos largitione homines, sed per eos ipsos autores, qui nunc adeò populariter & seditiosè ea de re conqueruntur, ea potestas in Republica instaurata ac constituta est. Quod quanquam ita sit, quicquid tamen magistratus usui magis esse Reipublicæ censeat (utinam in decernendo de tanta re cùm adsit prudentia & consilium, voluntas & studium ne desit) vel potius quicquid ipsi esse expeditissimum vobis judicatis, cum nihil subesse causæ videatur, cur vestris commodis invideam, modò salva Reipublicæ & magistratus autoritate, haud sum inquam in mora cuiquam futurus. De eo equidem non possum non magnopere & graviter queri: cum adversarii, ut me invisum magis meis civibus facerent, eos sermones jactandos curarint, ut contenderent, *Petro Medice* libertatem & vitam in civitate retinente, diu Rempublicam esse salvam atque incolumem non posse: inventos esse, qui improborum hominum criminationibus, non solùm fidem adhiberent, quod minimè iis faciendum erat, sed illis etiam se adjungerent socios ad eorum nefarios conatus adjuvandos, atque operam adeò in molienda patriæ ruina & pernicie pollicerentur. Quis enim unquam in civitate me uno pacis atque otii amantior? sit hoc ingenii. Quam ego unquam significationem paulò animi cupidioris meis civibus dedi? Verum si rationibus & argumentis certandum mihi magis cum improbitate & audacia viderem, quàm testimonio multorum dé mea anteacta vita nitendum: ita ego jam de loco superiore inimicorum maledictis responderem, ut quicquid nunc agerem, magis supervacaneum perditæ ac profligatæ causæ refutandæ, quàm necessarium gravissimo dolori significando videri posset. Hæc cùm elatus iracundia dixisset, ad *Neronios* fratres conversus, quos ingentibus sibi beneficiis obstrictos, magis in se ingratos extitisse cæteris querebatur: ita in eos gravi vehementique oratione dicitur esse invectus, cùm quæ in illos studia contulisset, tum *Cosmus* pater olim, tum ipse commemorasset, ut ex iis qui aderant armatis, nonnulli sibi ægrè temperare potuerint, qui parum opportuna sedulitate gratiam apud iratum quærerent, atque adeò quanquam *Petrus*, qui id nimium sibi fore invidiosum animadvertebat, eos sua autoritate prohiberet, quin illis & manus afferrent, & malè mulctatos præcipites inde exturbarent. Vehemens oratio aliis & quanquam irati & victoris, nimis acris etiam in eos inimicos visa, quos nulli ante gesti honores, nullaque vitæ dignitas à maledicto & convitio vindicaret. Itaque non ea magis hominum suspicionem elevavit, cùm eam tolli opinione clementiæ & le-

A nitatis, in secunda præsertim fortuna, quæ raro in mitioribus etiam ingeniis moderata est, omnino oporteret, quàm metum auxit. Nisi enim abhorreret à pacis consiliis, cùm de tollendis discordiis ac conciliandis animis ageretur, minimè eum in adversarios usurum ea oratione existimabant: qui se illius fidei omni armorum præsidio nudatos permisissent: quæ quidem ex fiducia domesticarum virium non ex causæ bonitate, quæ nulla esset, proficisceretur. Ita veluti cum oratione pugnantia, quæ de sua voluntate & studio in Rempublicam disseruisset, & minus ea libenter audita sunt, & animos non inimicorum modò, sed aliorum etiam
B qui aderant, quique ab omni illa contentione abfuissent, plurimum ab illius rationibus alienatos mali imminentis terrore compleverunt. Erat autem facilis ratio proposita Reipublicæ saluti consulenti suam fidem & voluntatem populo probandi: ubi ipse invicem armatos dimittere animum induxisset, quorum præsidium minimè necessarium faceret, inimicorum victa & fracta vi: cùm præsertim sua sponte adversarii ab armis discessissent. Quid enim arma retinere perseveraret, qui esset in potestate magistratus & legum futurus, quibus neque Respublica indigeret, & si indigeret maximè, à nullo quidem eo tempore, ab illo uno minimè omnium po-
C stularet. Nam quòd negaret se fore impedimento, quo minus civitas suo jure uteretur, sive tollere veteres magistratus sive retinere mallet: nemo non videbat, eam potestatem de cujus antiquatione agebatur, quanquam illam dictatorio imperio præditam sæpè calamitosam civium libertati Respublica experta esset, quibus jus ad populum ab ea provocandi ademptum injuria videbatur, multò inferiorem futuram cùm legibus modò constituta esset, privati potentia, quæ armis niteretur. Itaque & certa ratione *Cosmum* patrem fecisse apparebat, & filium facere, qui illius vestigiis sibi insistendum in omnibus duxisset, uti eum magistratum à quo ni-
D hil haberet quod vereretur, domesticis viribus innixus: multum alii qui nulla parata subsidia, adversus infinitum atque intolerandum imperium ubi ad inimicos pervenisset, domo afferrent, populi suffragiis institui, tolli, instaurari, aboleri antiquarique, si quando id videretur, alio tempore, pateretur. Nam illud etiam vidisse, cùm nullo suo periculo tanta imperii vis in multitudinem exerceretur, cujus ipse moderator esset, futurum ut inimicos hac ratione (nihil etiam se interpellante quin civitatis imperium suo arbitratu administrare magistratus videretur) perpetuo in metu contineret: qui ad unius libidinem per a-
E lienam tamen invidiam, omnia agi in Republica viderent. Summa tamen orationis fuit, quicquid tum ille de Republica senserit, quod ad libertatem populi constituendam, augendam publicam dignitatem, reconciliandam inter cives concordiam opportunissimum judicarent, id memores illius diei quo die eum honorem populus iis habuisset, pro sua dignitate & fide, nullo habito ad cujusquam privati gratiam respectu, decernerent: se quidem quicquid ab illis decretum constitutumque esset, quod virum bonum deceret, & pacis studiosum, comprobaturum. His rebus ad hunc modum administratis, cùm id unum
F omnes sentirent, tollendas dissensiones omnes & discordias è civitate, quæ diutius in eo statu esse non posset, ac negotio dato de ea re magistratui, convulsam jactatamque Rempublicam seditionum fluctibus & tempestatibus recreandam: minus tamen quid quaque ratione agi oporteret, constabat. Ita infecta in præsentia res in aliud tempus rejicitur: cum erecta ex tot malis Respublica quid sui juris esset considerare diligentius & per otium posset. Erat cùm hæc agerentur, summa Reipublicæ po-

Brutus. E te-

testas penes *Bernardum Lottium Petri* rebus parum faventem hominem, sed cujus tempestatis tamen quasi imminens procella non ita magna temporis jactura ab illo vitari posset. Quanquam verò facile erat cùm esset stipatus militum manu, illum metu armorum à novis consiliis deterrere: quoniam tamen id accidere non poterat sine magna hominum offensione, qui ex ea re præjudicium fieri communi causæ existimarent: minimè placebat contra atque suos cives de se sperare voluisset, illum à magistratu violando rem auspicari. Itaque re sibi integra reservata, quoad *Lottius* magistratu exiret, per eum qui illi esset successurus, quem jam aliorum nominibus sorte ductis, qui per illud tempus magistratum gesturi essent, haud alienum fore à suis rationibus conjiciebat: quod destinaverat, vacuo ab omni cura & solicitudine animo, tentare experirique de amicorum sententia constituit. Nihil autem non atrox, sævum, immane cogitabat, cædes, exilia, amandationes, inter summum beneficium & summam injuriam nihil medium statuens, & quando beneficentia parum profecisset, ferro, gladiis, incendiis inimicorum, dignitati familiæ & liberorum securitati prospiciendum esse existimans: atque hoc quidem cùm ex instituto aliorum, tum verò patris exemplo, cujus exilium medium inter capitis animadversionem, & criminis impunitatem, breve fuisset: animi vis & robur ingens in offensione vindicanda: quo quidem elatus & privatorum ruina & Reipublicæ magna clade reliquam vitam à solicitudine & metu liberam tutamque præstaret. Remissi autem animi videtur & inertia languentis, etiamsi id speciem lenitatis habeat, ad unius plagæ ictum cedere inimicis, in contentione præsertim dignitatis: ita mala consuetudine depravatis hominum ingeniis, ut nisi illi simultates atque odia aut suo, aut inimicorum exitio finiant, vitam se reliquam infamem acturos putent. In magnis animis, in quibus & injuriæ & beneficii memoria, nunquam ubi semel constiterit, obliteratur, cùm minus aut à fortuna aut à corporis viribus facultas suppetit, viget ingenium tamen & consilium ad spem ulciscendi: quæ nunquam homines deserit, nisi morte sublata. Nulla autem est offensio levis in magnitudine atque elatione animi: cùm rarò quæratur quousque sævitum sit in facienda injuria, semper faciendæ injuriæ quæ causa extiterit, spectetur. Est enim viro forti unum animi insanabile vulnus: cujus æquè etiam est semper in omni offensione acerrimus sensus: cætera, quacunque illa in parte hæreant, & sive corporis deformitatem, debilitatemque virium, sive fortunarum jacturam importent, ubi tamen causa non lædat, levius feruntur. Jam fortuna *Petri Medicis* conatibus favente, *Rubertus Leonius* sortitus de more magistratum, ejus perstudiosus potestatem inierat. Is cùm de summa Republica retulisset, collegis in sententiam traductis, decemviros adlegit, qui præditi Regia potestate qua de antiquanda magnis contentionibus per eos dies actum erat, Reipublicæ constituendæ præessent, omnes ex *Petri* sententia. Qua re administrata, & armis antea adversariis & consilio victis: per eos novorum magistratuum comitia haberi, atque suarum partium homines quos aut muneribus aut voluntate conciliatos, esset in potestate habiturus, designari renuntiarique curavit. Ita inimici suis rebus diffisi ac penitus desperata salute, aliò sibi effugium quærendum arbitrati, *Angelus Acciaiolus Neapolim*, *Neronius* & *Soderinus Venetias* confugiunt: si qua id modò via assequi possent, Senatum, ubi certior libertatis spes affulsisset, nunquam, ut credebant, defuturum exulum causæ, ad bellum excitaturi. Adjuvabat eorum consilium præter veterem Senatus consuetudinem liberas civitates ac miserorum fortunas defendendi, conceptum civitatis inexpiabile in *Medices* odium: quòd *Cosmi* unius autoritate & consilio factum existimabant, ut *Mediolanensium* Principatus, sibi propinqua in spe ejus potiundi ereptus, ac *Francisco Sfortiæ* per summam injuriam adjudicatus esset. Eodem consilio usis *Acciaiolum* ire ad *Ferdinandum* Regem placuerat: quem minimè fore alienum à novis consiliis sperabant: quòd *Eugenii* pontificatu *Renatum Andegavensem* vocatum in *Italiam* per speciem adjuvandi *Sfortiæ*, ad arma patri inferenda, *Florentinis* sumptum pollicentibus ad bellum: quòd eundem *Sfortiam* ad *Insubrum* regnum occupandum, quò pater legibus & hæreditario jure fretus per *Philippi* testamentum aspiraret, eorum copiis sublevatum: quod denique fœdere cum hostibus icto, eundem exclusum ab illis & insigni affectum contumelia meminisset. At *Pitius* qui nulla re alia magis quàm *Petri* nova conjunctione niteretur: exilii indignitatem, atque incommoda execratus animo: cùm longa fortunæ indulgentia magis urbanis deliciis & domestico luxui assuetus esset, quàm ut iis subito æquo animo careret: quanquam & invisus suis pariter, & iis ipsis contemptus, quorum causam magna suorum querela & tanta sua cum infamia juvisset: inerti otio ac turpi magno homini, deteriore certè conditione in patria futurus, quàm qui illa pulsi per vim essent, manere constituit. Hæc quidem de *Luca Pitio Machiavellius*, alii, si eos libet sequi autores, aliquanto diversa tradunt, excepta ut apparet ex commentariis urbanis, quorum nonnulli, multis Reipublicæ casibus erepti adhuc supersunt. Cùm in eorum collegio, quibus summi imperii procuratio in Quintilem & Sextilem menses obvenerat (fuit is annus ejus seculi sexagesimus sextus) quinque *Medicum* essent, cæteri non obscurè conjuratorum causæ faverent: pridie Cal. Septemb. de more sorte adlectis, qui ita distractis partium studiis in duos menses insequentes succederent, quod tempus, ut alibi diximus, summi magistratus legitimum erat: antequam qui veteris collegii erant magistratu abirent, de consilii sententia, in magna civium dissensione, multitudine in spem rerum novarum erecta, per certos homines, quorum virtus probata conjuratis, minimè fides suspecta esset, agi de compositione placuisse: *Thoma Soderino* id maximè suadente, *Antonio Laurentii* filio *Rodulphio*, *Carolo Pandulphinio*, & *Manno Temperanio*, qui privati quidem erant, sed magnam prudentiæ & virtutis opinionem habebant. Iis quòd se ultrò ad pacem conciliandam, autores futuros obtulissent, negotium datum, ut *Pitio*, *Neronio*, *Acciaiolo*, & *Soderino* conventis, qui militum manum & voluntariorum conductam domi haberent, quoad autoritate perficere & consilio possent, curarent, ut per æquas conditiones ab armis discederent, quod quidem si essent assequuti, maximam laudis partem intelligerent ad se perventuram. Ita & publica autoritate, cùm illi magistratus imperio, se rem suscepisse profiterentur, & verò etiam privata, victum *Pitii* animum, cùm eorum consilium primum non improbare, postremò mentem ad pacis conditiones, quæ illi æquissimæ ferrentur, flectere videretur, ut agi etiam de reditione in gratiam pateretur, induxisse. Ejus autem rei ita *Lucam* illis potestatem fecisse, ut per eos suæ dignitatis rationem habitam appareret: veritum ne in eo plus gratiæ aliquantò qua *Petrus Medices* præstabat, quàm causæ tribueretur: qua ex re fieret, ut de suo jure decedere coactus, mox in capitis discrimen adduceretur. Ita *Petrum* in præsentia qui non magis *Pitium* sibi adjungendo, quàm distrahendo ab aliorum societate, eorum infirmare vires & labefactare conaretur: dignitatis esse obliviscendum, ubi de salute agi oporteret, arbitratum, cùm ejus præsertim vindicandæ, ubi conspirationem adversario-

riorum disiecisset, haud esset illi occasio defutura: probatis conditionibus quæ proponebantur, cùm illo rediisse in gratiam. Cujus rei confirmandæ causa, cùm officiis inter eos certari cœptum esset: *Petrum* qui principem locum in facilitatis & comitatis laude quæreret, *Laurentium* filium ad illum domum misisse: à quo cùm exceptus, ac nulla omissa benevolentiæ atque amoris significatione dimissus esset: ita illum affectum reliquisse, ut antea liberis præire jussis, ipse *Petrum* continuò ire invisum, paucis admodum comitatus, quod esset conciliati animi argumentum & planè illi restituti, & se armato permittere animum induxerit. Hinc ab iis qui aderant, viris bonis & honestis, rursus de ea re mentione injecta, magna concordia animorum, non de pace solum, sed de affinitate etiam transactum esse. *Neronium*, *Acciaiolum*, & *Soderinum*, cùm quidem (id quod credibile est) conveniri ab illis consultò noluissent: ne si rogati in colloquium venirent, pertinaciæ opinio illis ubi in sententia perstarent: ubi fractis animis, arma abjicere mallent, atque integram causam cognoscendam magistratui permittere de quo nihil haberent quod statuere possent, mollitiæ infamia atque inertiæ apud suos fraudi esset, quos inimicis prodidisse viderentur, ab eo consilio abfuisse. Ita *Pitium* nequicquam, ut docuimus, à *Neronio* & *Soderino* solicitatum, ut nollet, prodita causa suorum, separata à cæteris consilia habere, & suis ad exitium & *Petro* ad victoriam aditum aperuisse Quæ autem causa illi extiterit commutandæ sententiæ ignoratur: verisimile est (si modò studio libertatis adductus, cùm inveteratam multorum odio *Medicum* potentiam majoribus viribus tollendam esse arbitraretur, societatem cum *Neronio* coivit) quòd de eventu desperarit, ab ea contentione illum non malo consilio abstinendum, quæ perniciosa sibi, nulli adjumento aut præsidio Reipublicæ esset futura, censuisse: cùm quidem constantia retenta in perditis rebus nisi cum alia ratio nulla reliqua supersit dignitatis tuendæ, pertinaciæ affinis & amittat laudem, & in vituperationem vertatur. Nam si id minus spectavit, & homo sui impotens ac præceps cupiditate dominandi, cùm non esset pares in victoriæ præmio laturus, quos opinione virtutis anteiret, eum rerum exitum execrabatur, qui lætus parum usus atque emolumenti, adversus nominis jacturam & fortunarum afferret: ut non optimam rationem ita aliquam tamen sequutus, cùm usque eo esset progressus ut nihil victori integrum nisi sui contemptione atque indignitate ad ignoscendum relinqueret, videtur pacis consilia probasse. Non est hic prætereundum id, quod de hac re tota *Ticinensis* tradit multum ille quidem à *Machiavellio* dissentiens: cùm externis auxiliis comparandis hinc *Petrus Medices*, hinc conjurati intenti, in magnam expectationem rerum novarum civitatem erexissent, quarum exitum boni omnes perhorrescerent: solicitum magistratum de summa Republica cùm nisi privatorum audaciæ occurreret, rem eò progressuram animadverterent, unde revocandi spes nulla esset: per interpositam publicam autoritatem eos post multam disceptationem, ita ad concordiam adduxisse: ut privati positis armis, in potestate magistratus se futuros, ac disceptandis minuendisque controversiis eo quòd decrevissent mansuros pollicerentur. Ita autem decernente magistratu, inter eos convenisse: posthac in privatorum ædibus nulli civium cœtus, nulla concilia, coitiones haberentur: quicquid esset qua de re inter privatos disceptaretur, id ad eum magistratum, cujus de ea re cognoscendi jus esset, referrent: ejus decreto atque imperio starent: offensionum memoria obliterata, pacem, æquabilitatem, concordiam, æquo jure cum cæteris utentes in posterum colerent: iis contrà à ma-

A gistratu caveretur, ut quòd privati societatem coissent, conjurationem fecissent, coacta armatorum manu multitudinem ad arma excitassent, id illis fraudi ne esset, nec exilio, mulcta ulla, gravioreve animadversione notarentur. Ea omnia se rata, firma, sancta habere, tabulis publicis jurejurando obstricti testarentur: id, ut documentum certius violatæ fidei extaret, ubi à conditionibus discessissent. Per quos factum constaret, ut fides violaretur, ii se Pontifici *Romano* sisterent, ejus judicio convicti plecterentur. Ita *Petrum Medicem* cum adversarii futuri in magistratus potestate, ac conventa rata habituri viderentur, nihil autem causæ esset, cur
B ea arma retineret, quæ ne illi essent necessaria, magistratus fide publica cavisset, relicta urbe, ac soluto omni cura animo, rus concessisse. Hinc ne quid tumultus ad novas seditiones adventu militum *Sfortianorum* ad urbem oriretur: ad duces scripsisse, quando jam domi dissidia omnia inter privatos sublata essent, se illis quò minus ubi vellent militem dimitterent in mora non esse: eorum se auxiliis in præsentia, quæ sibi invidiæ, Reipublicæ non essent usui futura, non indigere. Cùm grave exortum malum in civitate, ac subitò oppressum magna bonorum lætitia videretur: ut brevis usura ejus lætitiæ esset, conjuratos sive id illi consultò, sive, ut
C fit in iis quæ ægrè probamus, tarditate & procrastinatione exequi neglexissent, commisisse. *Borsium* enim quem ab illis quidem de iis quæ acta *Florentiæ* erant, certiorem fieri oportebat, jam adductis copiis ad Reipublicæ fines, quò frater illis citius auxilio esset, ut profectionem etiam omnium opinione celerius maturaret, curavisse. Ejus rei fama in urbem eodem tempore atque ad *Petrum Medicem* in *Caregianum* perlata, cùm literis à *Bentivolio* opportunè acceptis, de *Ferrariensis* adventu cognovisset: commotum, ut par erat, magnitudine periculi subitò coacta agrestium & voluntariorum manu, ac nuntiis & literis in omnes partes,
D *Mediolanum* in primis dimissis, quibus ut auxilia sibi mitterentur postulabat, in urbem armatum inclinato in vesperam die ingressum, domum præsidiis ante fores armatorum dispositis, sepsisse. Ejus adventu perculsos conjuratos cùm quidem tàm repentinus atque inexpectatus fuisset: quando nihil à se admissum intelligerent, quare sibi *Petrus* confugiendum ad vim existimaret: vererentur autem ne causa metus quæsita esset, quò opprimendis adversariis, qui essent futuri imparati, necessaria illi arma suppeditarentur: & ipsos ut per temporis angustias licuit, domibus collectitia clientium atque amicorum manu munitis quiescere quidem atque se
E continere sed armatos tamen atque ita rei eventum expectare statuisse. Postridie mane quàm hæc essent acta, magistratum jam à *Petro* literis ad eum missis, quas ad se *Bononia* allatas de adventu *Herculis* diceret, eum simul & *Lucam Pitium* advocandum in curiam, qui maximè inter conjuratos conspiciebatur, curasse. Cùm alter affuisset atque ejus rei invidiam omni asseveratione deprecatus, in adversarium avertere conatus esset, *Petrus* valetudine impeditus, liberos misisset: & errore facilè & causa erroris detecta, non de seditione tollenda solùm, sed de reconciliandis etiam per eam occasionem animis agi cœptum esse. Ita data utrimque atque ac-
F cepta fide, *Lucam Pitium* in gratiam cum *Petro Medice* rediisse, ac liberos complexum deosculatumque esse. His rebus ita administratis, *Loisio Lucæ* fratri à magistratu datum negotium esse, ut celeriter ad *Herculem* profectus, militem statim è finibus Reipublicæ abducendum, ne si ulterius progrederetur, major tumultus per armorum occasionem in civitate excitaretur, omni studio curaret. Rursus augescente multitudine rumorem, cùm temerè percrebuisset nihilominus *Herculem* ad urbem

infestis signis properare: *Petrum* qui quòd suspenso animo & incerto fluctuaret, nondum armatos dimiserat, *Nicolaum Soderinum Germanis* ex proximis textrinis ad arma vocatis, qui ex *Belgis* acciti (*Germanorum* uno nomine à nostris hoc tempore *Belgæ* appellantur) aulæa in urbe faciebant, coacto metu sibi *Pitio* adesse, nocte adoriri statuisse. Cùm *Lucas* advenientem domum amicè excepisset, quanquam armatum atque iracundia ferociaque elatum, & precibus & autoritate contendendo, ut eam noctem quiescere, & *Germanis* in præsentia abire jussis, apud se manere vellet, induxisse. Ad hunc modum magno periculo *Petrum* ereptum *Pitii* sedulitate & studio esse. Ita autem tum inter omnes convenisse: cùm excitata plebs desiderio libertatis (quam neque modicè amissam cupit, nec fert eandem adeptam moderaté) minimè occasioni defutura videretur: nihil illi reliquum spei futurum, ubi *Soderinus* impigrè rem exequi magno animo cœptam pergeret, ad salutem fuisse. Hæc ita à *Ticinensi* traduntur, ut post *Pitii* reconciliationem, communi simul omnia consilio ab illo & *Petro Medice* gesta adversus cæteros conjuratos administrataque affirmet: non prius autem *Petrum* destitisse, & amicos communes allegando & promissis eundem & spe honorum excitando, quàm illum alienatum à cæteris ad communicandas vires etiam consiliaque induxerit. Cætera ferè cum iis congruentia habet quæ excepta diximus ex urbanis commentariis: ad Decemvirum creationem, per quam potestatem, jam factus superior adversariis *Lucæ* conjunctione, nullo negotio illos ejicere ac de medio tollere potuerit. Quicquid verò is de *Pitio* scriptum reliquit: fama tamen obtinuit, *Petrum* alterum quidem effecisse, uti commutata sententia quiesceret: minimè alterum assecutum, ut pro illius causa sumeret etiam arma. Desertoris enim illud videtur fuisse, quod per speciem improbatæ causæ, poterat ignaviæ obduci: hoc proditoris & quod minimè sceleris infamiam & dedecoris effugeret. Multos autem reperias qui possint facile officio deesse: admittere scelus non item facile possint. Ut autem hoc credam, facit omnium ferè in eo consensio (quod *Machiavellius* etiam affirmat) cùm pulsis inimicis, *Petrus* rerum potitus esset: sua spe atque expectatione *Pitium* frustratum, vitam reliquam obscuram, præmiorum certè expertem, quæ ascitum in societatem periculi manerent, traduxisse. Accidit hoc autem ferè eis semper, qui in partium contentione, quiescere ac neutram fovere quàm certare armis malunt: ut à victis odium referant, quòd se proditos ab iis putent, à quibus expectari opem non licuerit: & parum solidam gratiam ineant à victore: qui cessationem quiescentium pro causæ præjudicio, quam quidem vinci voluerint, interpretentur. At qui ex urbe aufugerant (fuerunt autem permulti) ii ad unum omnes, publicatis bonis, damnati ac notati ignominia, tanquam vim patriæ intulissent, hostes judicantur: ac quoniam exilii causa solum vertissent, non antea magistratui sui facta potestate, ea de re interposito decreto, illud iis ut jussum ratumque esset, pronuntiatum. Cùm magno hominum metu in omnes magistratus sæviret, qui fuisse participes conjurationis in *Petrum Medicem* dicerentur: qua in re non manifestò modò deprehensum crimen, sed quod gravissimum est, suspicio criminis ad exitium valebat: qui conjuratos propinquitate & cognatione attingebant, quando se parum tutos futuros in ea urbe rebantur, in qua iracundia homines atque odio efferati, aliorumque magis elati victoria quàm sui, nullo discrimine pariter & qui exulum & qui culpæ affines essent ad supplicium raperent: patriis fortunis crudelitati atque avaritiæ inimicorum prædæ relictis, sua sponte in exilium abierunt. Sequitur autem ferè semper hoc

A malum dissensiones & civilia bella, ut qui periculi socii & armorum fuerunt, quæ præmia sperare à Duce victore non possunt, à victoria petant: quæ sua natura insolens atque effusa, facilè in eorum fortunas sævit, quorum sanguinem & vitam hausit. Ita fit, ut qui obsequutus ingenio, sit mitis in victos futurus, ei per suorum insolentiam, raró liceat ingenio uti. Est porrò hoc longo usu animadversum, ut ferè semper de hostibus victoria parta, de iis quos vicit belli Dux, de victore, quod est fœdissimum, triumphum sui agant. Ex iis qui urbe excesserunt, *Neronii* ferè omnes, qui quoniam principes conjurationis ferebantur, propiores periculo videbantur futuri, extorres omni spe veniæ

B aut desperata aut abjecta, profugerunt. *Joannes* quidem qui pontificatum *Florentiæ* gerebat *Dietisalvii* frater, *Romam*, quæ illi esset sedes exilii tutissima futura, unde injuriarum vindicem sibi esse quærendum statuerat, ad *Paulum Secundum* Pontificem concessit. Affirmat *Nicolaus Valorius*, cùm *Petrus* ob virium imbecillitatem impar rebus gerendis esset, atque in *Laurentium* filium magna spe jam de illius virtute concepta, curam omnem administrandæ Reipublicæ contulisset: ut mitius cum adversariis ageretur, illum maximè, suo studio autoritateque perfecisse. Ac cùm ad illum esset ad-

C ductus *Antonius Tebaldutius*, unus ex his qui cum *Neronio* in patrem conjuraverant, ut venia impetrata, cùm illo, ubi vellet, in gratiam rediret: illi *Laurentius* gratias egerit, quo erat usus interprete *Tebaldutius* ad veniam impetrandam: cùm illud etiam addidisset, magnam quidem gloriam propositam viro forti in vincendo inimico, multò majorem tamen in eodem conservando, illum sequi. Nam ut inimicum vincere & felicitatis pariter & virtutis videri: sic conservare victum atque eò non progredi quò odium impellat atque ulciscendi libido, unius modo virtutis munus ac difficillimum semper illud quidem esse: repugnante fortuna, quæ

D raró secunda & non immoderata eadem est. Ac quemadmodum qui esset aliquid nactus, cujus rei jacturam fecisset, id illi æquè esset charum atque ea quæ stabili ac diuturna possessione quæsita haberet: ita verè & ex animo reconciliatum inimicum, sæpè veteri & constanti amico æquandum: præferendum aliquando, cùm esset melior factus beneficii accessione. Cùm magistratus planè *Petro* addictus edicto præfatus esset, Rempublicam nobilissima sui parte amissa, afflictam & jactatam, quasi tamen sentina exhausta, recreatam ex adversa tempestate, esse hominibus lætandum: supplicationes decernit, quibus quòd civitas ad concor-

E diam rediisset, ac gravi metu armorum liberata esset, gratiæ Deo immortali agerentur. Quibus cùm multitudo occupata à sensu aliarum rerum averteretur, de nonnullis, qui indicati à consciis dicerentur, quæstione habita (nondum planè reliquiis conjurationis deletis) supplicium sumptum est: id quod magnum posteà odium in *Petrum* concitavit, cùm majorem esse partium contentionem quàm studium constituendæ libertatis appareret. Ita multi, cùm nullus finis aut modus esset in eos quærendi, quorum nomina deferrentur, quàmvis levi suspicione, in causa capitis, quod iniquissimum est, insontibus ac nullo patrocinio legitimo sublevatis,

F officiente, in exilium ejiciuntur: ac præter publicationem bonorum, quæ una erat causa sæviendi, tristi ac gravi infamiæ nota hostes judicantur. Cùm tot mala repente essent civitati objecta, quorum quidem magnitudo misericordiam magis in affectos, quàm causa quæ nulla agnoscebatur, odium moveret: unus tamen *Lucas Pitius*, etiamsi eorum culpa omnis in illum rejiciebatur, quæ res efficiebat ut magis dignus odio quàm misericordia haberetur: quantò in illustri homine insigniores fortunæ

næ injuriæ ſunt, quàm in poſito humili & obſcuro loco, in primis commutatione fortunæ homines movebat: honeſtum exilium ubi præſtaretur culpa, patriæ commodis, quæ tanta dignitatis jactura quærerentur, præferentes. Itaque omnes ferè in rerum eventu, qua re nihil eſt facilius, viri fortes & magnitudine animi elati, etiam cum integrum eſt, & optio datur utrum velint agendi, malunt in contentione dignitatis occidere armati, quàm arbitrio inimici victoris patriam & vitam retinere. Erat domi perpetua ſolitudo, nulla hominum frequentia, qui ubi exiret, domo deducerent: amici clientes nulli, aſſiduitate patrocinium principum, cùm modò eſt uſui mereri aſſueti: ſolus, contemptus, inviſus: nemo qui illi obvius de via decedere, nemo qui ſalutare advenientem appellare, aſpicere auderet. Nam tantus erat injectus omnibus metus, ut abjectiſſimi homines & ex infima urbis fæce, cùm ille ampliſſimas ædes, quæ ad hunc diem etiam in tanto hominum luxu, cùm admiratione viſuntur, inchoatas haberet: illi ſuam operam mercede locare, atque adeò ii ſine quorum miniſterio gravis & difficilis eſt hominum vita, in familiarium illius numero haberi deterriti metu, recuſarent. Ità cùm multi illum odio, plures contemptione, nulli miſericordia dignum putarent: eouſque impudentiæ ventum erat, ut quæ munera illi privati ſecundis illius rebus detuliſſent, tanquam illa corrogata, patientia & diſſimulatione eorum ad quos pertinerent, in domeſticum uſum avertiſſet: ſua eſſe & à ſe injuria alienata impudentiſſimè dicentes, repoſcere, atque ubi eo minus facili uterentur, ſummo jure etiam experiri conarentur. In tot malis quibus undique circumvento nullum reliquum ſolatium erat (quod illi amici prædixerant aliquando futurum) ferunt fluctuantem animo, ac non magis ab aliis rebus quàm à mente & conſilio inopem, ſerò ſed æquè fruſtra quidem ſua ſpe deceptum, ſuſcepti conſilii pœnituiſſe. Ita cùm ille dignitate libertateque amiſſa, quam ab inimicis per proditionem ſuorum petere quàm ab armis atque magnitudine animi maluerat, in civitate foro & curia, cæteri ita patria exularent, ut vigeret in iis memoria & ſtudium ſuos liberandi (quæ una illis ſpes reliqua erat) variis rationibus Principum animis ſolicitandis, nova conſilia inire, neceſſaria quidem quibus patriæ repetendæ omnis alia ratio deeſſet, variè cœperunt. Quæ tamen quanquam ab illis ſummo ſtudio adminiſtrantur: *Acciaiolus* hoc ſibi conſilium ad extremum ſibi reſervandum arbitratus, ſive *Petri* lenitate confideret, ſive cauſæ æquitate, cum videri vellet, nihil minus quàm illius opprimendi cauſa, cùm inimicis conſpiraſſe: tentare illius animum literis conſtituit. Quod quidem hominis conſilium etiamſi in deſperatis rebus & ubi magis ſalutis quàm dignitatis ratio habetur, non eſt reprehendendum: nulla tamen nobis ratione niti videtur. Nam præterquàm quòd ſuſceptas habebat cum *Petro Medice* ſimultates Reipublicæ cauſa, id quod in primis exiſtimari volebat: aliæ etiam inimicitiarum cauſæ privatæ intercedebant, graves in primis & minimè oblivioni mandandæ, ut ſuperius demonſtratum eſt. Quod cum haud *Petrus* ignoraret, nulla erat ratione facturus, ut inimicus vetus nova injuria laceſſitus, ſuo periculo revocatus ab exilio, in ſui perniciem quaſi in ſinum exceptus conſurgeret, ſolicitum certè illius animum perpetuò haberet, cùm redimere gravem curam inimici calamitate poſſet. Neque autem ſemper verum eſt, quod proverbio fertur, citius injuriam qui facit quàm cui illata eſt obliviſci. Eſt enim hoc eorum qui aut ignorant inimici vires aut contemnunt: quorum his temeritas & nimia confidentia ſui, illis imprudentia & ſocordia, quæ ferè ſemper animi ſecuritatem cùm ab ea cauſa ma-
A nat, conſequitur, exitium affert. Prudentis quidem hominis eſt, cùm de voluntate dubitare non poſſit, ita de inimico ſtatuere, eum quidem cùm ſit injuria affectus, malo doctum facere etiam injuriam atque vindicare adeò, quod eſt faciliùs factu contempto & abjecto, didiciſſe. Id autem ut *Petrus* magis intelligeret ſibi eſſe cavendum, *Acciaiolus* ipſe effecerat: qui etiam ſi aliam cauſam jactaret, quæ popularis eſſet, & probitatis oſtentationem haberet, ſatis ſciret futurum, ut aliò eam inimicus referret, & cui ille obliteratam etiam memoriam veteris offenſionis, tanta quidem acceſſione injuriæ renovaſſet. Literas autem ab eo ſcriptas maximè
B in hanc ſententiam *Michiavellius* tradit. Equidem cùm tacitus conſidero (facio id autem ſæpiſſimè) quàm temerè hominum vitam fortuna jactet: non poſſum facere quin meis etiam in rebus adverſis vehementer interdum rideam & effuſè. Tanquam enim illi magnopere curæ ſit quàm rectè in vita cum hominibus agatur: quæ facilè patiatur nulla certa cauſa hominum amicitias & conjunctiones diſſociari: eandem rurſus eos inter quos graves inimicitiæ & ſuſceptæ maximis de cauſis interceſſerunt, non reconciliare modò, ſed revocare etiam in amicitiæ conjunctionem, & temerè æquè & crebrò animadvertimus: quod quidem maximum eſt,
C iis ipſis etiam ignorantibus cauſam, quorum maximè id intereſſe videatur. Cùm pater tuus vir optimus idem & fortiſſimus (quod minimè accipi tanquam à me dictum exprobrandi cauſa velim: neque enim hoc fortuna poſtulat mea) cùm, inquam, is pulſus ab inimicis in exilium eſſet, illius ego culpæ reus, quæ cùm eſſet nulla, odio inimicorum & crudelitate, inviſam maximè illius cauſam civitati faciebat: quòd ſemper meis privatis rationibus illius ſalutem antepoſuiſſem, patriam ſimul cum eo amiſi: ægrè cum in me undique inſidiæ pararentur, fuga ſalute quæſita. Rediit ille brevi poſteà & quidem cum eo omnes qui illius partium
D ſtudioſi habiti & calamitatis ſocii ac participes fuerant, redierunt: quorum nemini ego unquam, amore atque obſervantia in illum, magnitudine beneficiorum, cùm neque hoc illius fortuna, nec mea ferret, non ita multis & ſiquidem voluntatem in benemerendo ſpectari oportet, neque iis ipſis planè unquam ceſſi. Quod quidem meum in illum ſtudium, cùm mors illius ſequuta eſſet, atque ego id à te illius filio tanquam hæreditate adiri æquum cenſerem: nulla unquam animi offenſione interruptum, in te quamdiu id mihi per quandam rationem meorum temporum licuit, conſtantiſſimè retinui. In ſuſcepta contentione de Republica quòd
E egò à te diſſentire, ac patriæ ſalutem, privati commodis præferre maluerim: fortaſſe cùm in mala fuerim ſententia temporibus deceptus, accuſare tu quidem me potes: æquiſſimo animo ferre idem debes quòd ego, id quod tu ſemper etiam præ te tuliſti patriæ conſultum voluerim, quam ſemper meâ quoque ſalute habui chariorem. Cùm te adverſa valetudo, liberos in quibus etiamſi magno ingenio eſſent, id minimè ætas atque uſus rerum conſequeretur, civitatis ratio à Reipublicæ procuratione avocaret: me quidem, ut par erat, magnopere ſalus meorum civium movit, ut pro meo in illos ſtudio, id quod ego nunquam inficiabor, ita Reipu-
F blicæ proſpiciendum putarem, ut magis in legum & magiſtratuum autoritate, quam eſſe immortalem par eſt, ubi viget ſtudium libertatis, quàm in mortali homine illius ſalutem collocarem: ut ſi quid ſit à me actum quod minus tibi probari potuerit, tantò id minus moleſtè debeas ferre, quantò magis intelligis, non adverſus tuam ſalutem, ſed pro patriæ libertate hanc à nobis ſuſceptam contentionem eſſe. Qua in re tamen ſi quid eſt à me peccatum: non animi ſtudium, quod quidem cùm à pietate

proficiſceretur qua ſum patriæ obſtrictus, non potuit non rectiſſimum eſſe: ſed ratio agendæ rei, quæ tamen magis ex mentis conſilio quàm ex eventu debet æſtimari, fortè improbari poteſt. Utcunque enim minus ego tuæ ſaluti ac dignitati conſulere viſus ſum, quando humani erroris hoc crimen eſt non voluntatis: haud indignus debeo videri, cujus aut ſtudio & pietati in patriam, aut vetuſtis in tuam familiam meritis & officiis (ſi modò decet magnos homines memores beneficiorum potius quàm injuriarum eſſe) condonari id æquum putes. Hæc pluribus viſum eſt ad te ſcribere, quò latius tibi quæ mea in te voluntas eſſet, declararem. Quam quidem cùm jam ſatis tibi eſſe exploratam & perſpectam confidam: tuum erit, cujus quidem hominis ſtudium & fides nunquam temporibus tuis adverſis deſiderata ſit, vetus familiaritas & conſuetudo, interpoſita magis temporum iniquitate, quàm obliterata memoria, is ut te facilem & miſericordem in ſua adverſa fortuna inveniat, præſtare. His literis lectis, ita *Petrus* illi reſpondiſſe fertur, ut ægrè poſſit dijudicari utrum in illum odio majore an contemptione fuerit. Fuiſſe autem literas ſcriptas hoc argumento accipio. Ego verò *Angele*, facilè patior, & iſtic quemadmodum ſcribis, poſſe afflictis tuis & perditis rebus ridere. Eſt enim id ſatis cauſæ cur ego minus hic lugeam ſecundis meis: cùm facilè intelligam, ubi tibi in patria, id quod eras vehementius facturus atque effuſius, ridere licuiſſet: mihi foris planè fuiſſe lugendum, qui non æquè ad fortunam adverſam ferendam obduruerim, ut tu videris, multis philoſophorum præceptionibus & graviſſimis adverſus omnem illius vim atque impetum munitus. Facit autem hoc ipſum, ut minus mihi intelligam ejus hominis cauſa laborandum, quem animadvertam in ſtomacho etiam & indignatione riſum captare. Nam quòd ais te patris mei ſtudioſum fuiſſe, non vereor ne quis me exiſtimet laborare crimine ingrati animi, cùm minimè tu quidem gratis unquam amaveris, & benevolentiæ, quæ, ut nunc apparet, ſimulata erat, præmia retuleris ampliſſima: ſi ubi idem mereri malè de noſtris rebus cœpiſti, juſtitiæ partes æquè præſtans, ut exul maleficii & ſceleris pœnas luas dandam mihi operam putem. Quanquam neque ego magno unquam ſanè eorum benevolentiam redimam: qui cum beneficia maxima accipiant, tanquam in pari laude debeat poni qui præclarè factis & qui verbis meretur, id quod nunc ipſe facis, ſtudium in bene merentes & verborum honorem, petulantiſſimè jactent. Ac cùm non ignores minimè hoc me fugere poſſe, peraſtutè, ne quando tibi officii exprobrationem objiciam, in principio occurris. Quod verò tantum admiſſum non in me magis quàm in patriam ſcelus (quandoquidem plurimum hoc nomine debere tibi Rempublicam reris) ſtudio pietatis tegere audes, quod magnum atque inſigne in tuos cives oſtentas: tantò id debet gravius ferri, quantò magis impiè facis, qui pietatis nomine ſanctiſſimo, facto improbiſſimo tuendo abutare. Nam ſi hæc tanta laus à majorum commendatione eſt ducenda, utrum mei majores honeſtandæ augendæque patriæ, an tui plura præſtiterint, ne aut ipſe mihi aut meis faciam injuriam diſputare in præſentia omitto. Quod reliquum eſt, quando in patria relictum tibi à majoribus locum retinere honeſtè non potuiſti: perge quidem in aliena, ut dignum tuo ſcelere eſt, per turpe & inhoneſtum otium, atque in ea fortuna, quam tute ipſe finxiſti, grandis jam natu quod eſt tibi vitæ ſpatium reliquum agere. Ita ille ſpe omni reditus præciſa, ne tamen penitus abjeciſſe animum videretur *Neapoli* diſcedit, quam ille urbem, cum parum eum Regem faventem exulum cauſæ eſſet nactus, minimè opportunam rebus novandis eſſe

A ſtatuerat, ac *Romam* contendit, eo conſilio ut cæteris exulibus, ſi quid illi per occaſionem molirentur, præſto eſſet. Jam illi cùm cætera minus proceſſiſſent, hoc inter ſe conſilium inierant, non ſine magna quidem ſpe eventus ubi fortuna rem agentibus adeſſet: ut cùm in urbe *Medices* ampla quidem negotia ſed haud ſatis explicata haberent, data opera ut eodem tempore nomina à creditoribus exigerentur, atque ita illis imminuta & labefactata fide, in certam perniciem *Petrum* ac liberos adducerent: callidè illi fore arbitrati, ubi celeberrimo *Italiæ* conventu fidem amiſiſſent, ægrè ut in patria autoritatem illi atque exiſtimationem B retinerent. Ergo cùm ita deliberata & conſtituta re, facilè in magna inimicorum invidia, qua non illi modò apud ſuos ſed etiam apud exteros flagrabant, ſua autoritate perfeciſſent, ut ingens pecuniæ vis cujus magnam partem in nominibus, perexiguam numeratam haberent, à *Petri* procuratoribus exigeretur, neque eam ſubitò expedire poſſent: ita illos improviſa atque inexpectata re perculerunt, ut *Petrus* quanquam uſus ſummo amicorum ſtudio (tanto ſuis fortunis periculo imminente) ægrè tueri in civitate & apud exteros fidem potuerit: qui ejus rei fama deterriti, venire ad ſuum primo quoque tempore curarent. Quæ quidem dum ad hunc C modum in urbe geruntur, *Neronii* & *Soderinus* qui *Venetiis* exulabant, bellum atque apertam vim animo agitantes, liberam civitatem ac præpotentem, ad arma ſolicitare non deſiſtebant: ut cùm populari & ad præſentem fortunam accommodata oratione frequenti Senatu de ea re egiſſent, & Principem & patres æquè permoviſſe dicerentur. Ita autem unus ex iis communi omnium nomine locutus fertur. Cùm in hac civitate in primis totius *Europæ* nobiliſſima & potentiſſima, divino conſilio libertatis domicilium ſanctiſſimum collocatum conſtitutumque ſit: violata illa nefariorum hominum armis, ab iis opem atque auxilium implorat, D quorum cùm hoc eſſe patrocinium maximè credatur, pares quoque vires ad illam tuendam adverſus hominum ſcelus Deus immortalis eſſe voluerit. Ita verò, ejecti per ſummam injuriam patriis ſedibus, ſupplices huc manus tendimus, ut ſi poſtulata noſtra æquiſſima juſtiſſimæque preces à vobis rejiciantur, in quibus ſpem omnem recuperandæ patriæ collocavimus: apud quos alios aut ſalutis perfugium quæramus, aut exilii ſolatium, nulli amplius ſuperſint. Nullum quidem *Patres Conſcripti*, noſtrum præclarum meritum in hanc Rempublicam extat, de qua benè mereri, is unus modò poteſt, cujus ſumma providentia divinoque conſilio E condita urbs conſtitutaque eſt: ſtudium egregium ſemper (quod nobis licuit præſtare) mirifica voluntas ſingulariſque extitit. Cujus quidem quòd minus vobis ullam ſignificationem dederimus, nonnunquam Reipublicæ noſtræ temporibus quæ privatorum ſtudia interpellarent id ab invitis exigentibus: veſtræ idem felicitatis, & calamitatis æquè noſtræ magnum indicium eſt. Ita autem eſt hæc civitas florens autoritate, potentia, magnitudine imperii, ut cùm tantis illius opibus ſumma pietas, religio, juſtitiæ ac ſapientiæ opinio adjuncta, admirabilem illam cunctis populis conſpiciendamque reddat: ſi quis ope illius atque auxilio ad eam F confugiens ſublevetur, ei facultas omnis referendæ gratiæ, cum majus hoc quiddam ſpe hominis ſit, ſimul eſſe erepta videatur. Quò minus nobis eſſe elaborandum intelligimus, ut vobis, *Patres Conſcripti*, æquiſſimam noſtram cauſam probemus: quorum in hoc graviſſimo ſapientiſſimoque conſilio, plus ſemper æquitatem quàm gratiam, preces miſerorum quàm potentium opes, ſtudium veræ laudis quàm cupiditatem, leges & judicia, quàm vim atque arma denique potuiſſe animadvertimus. Nam quæ

quæ in præsentia patimur mala cujusque rei causa A
quæque in posterum videamur passuri, nisi quid
nobis præsidii in vestra fide constitutum sit, ita vobis comperta esse arbitramur, ut supervacanea jam
omnis nostra commemoratio videri possit. Quod
quanquam ita sit, haud tamen dubitamus, si eam
malorum faciem spectari æquè facilè liceret, quæ
cives nostri in patria ferunt, quin multò illa magis
visa miseranda, non solùm humanissimos homines,
& qui ex secundis suis rebus miserari supplicum fortunam consueverint, quibus alii insolescunt, sed
quemvis etiam in quo ulla modò humanitatis vestigia sint reliqua, ad eos homines profligandos per-
dendosque impellant, quorum ea scelere & nequi- B
tia in civitate nostra evenerunt. In libera civitate,
atque in primis nobili & clara (liceat patria ejectis
de suis rebus magnificè loqui) privati homines cùm
malis artibus aliis, tum ubi his minus per bonorum
consensionem locus esset, vi atque armis principatu occupato, civium alios memores veteres libertatis, cùm ea ipsa, patria erepta, cujus nunc nequicquam interitum lugent, per summam injuriam
ejecerunt: alios cum eorum fracti animi essent, cædes illis, exilia, proscriptiones intentando, parere
superbissimò imperio ac servitutis jugum accipere
longè acerbissimum, coëgerunt: affecerunt alios
genere mortis teterrimo & crudelissimo, in quibus C
par constantia & animi robur, eorum sceleri atque
audaciæ esset: leges, jura populi, autoritatem magistratuum, divina atque humana omnia sustulerunt, immani ac nefando imperio superbia, cupiditate, libidine exæquarunt. Quibus tot malis,
tanquam nondum satis in nostros cives esset sævitum
tot capite damnatis, in exilium pulsis, in ultimas
terras amandatis, quò facilius religionis & pietatis
specie homines capti, opprimerentur: solennibus
supplicationibus pro civitatis concordia ad omnia
urbis templa indictis, incautos homines & imprudentes, qui tanta se religione tectos ab inimicorum
crudelitate & scelere censerent, pro communi (in-
quam) salute vota suscipientes, captos, compre- D
hensos, tormentis excruciatos, fidem hominum,
Dei immortalis opem atque auxilium implorantes,
ex cujus sanctissimis delubris ad supplicium indignissimè rapiebantur, securi feriendos, fractis cervicibus fœdissimè necandos, inspectante populo,
cùm vocem nemo aut gemitum edere indicem libertatis, nemo quiritantibus metu adesse auderet,
efferatis odio animis, curaverunt. Ac si minus tot
malorum commemoratione, *Patres Conscripti* movemini (tametsi ut sunt vestra mitissima ingenia &
ad misericordiam propensa, vestra admurmuratione,
qui his audiendis sensus in vobis sit, minimè pote- E
stis dissimulare) iidem cum *Sfortia Insubrum* Regulo, vestræ Reipublicæ nunquam fido amico, infestissimo semper futuro hoste, armis sociatis, per
speciem tuendi principatus, quem scelere partum
habent, tantarum virium accessione inflati alienæ
ditionis civitatibus imminent, semper *Italiæ* quietem atque otium, nisi obviam eorum amentiæ &
audaciæ eatur, perturbaturi: id ne accidat in primis magna vestra invidia, vobis est, pro vestra sapientia, providendum. Ea enim est hominum opinio, ut aut per vos unos, aut per alium neminem,
tantam inpendentem *Italiæ* tempestatem ab horum
conjunctione sperent aversum sublatumque iri. Nam F
Sfortiam potentiorem per se esse quàm vobis videatur expedire, quorum fines imperii attingit, minimè, *Patres Conscripti*, ignoratis: ut si eidem
adjungi *Florentinorum* arma, veluti corollarii loco,
patiamini nemini jam dubium sit, parem illi potentia atque opibus in *Italia* facilè futurum neminem. Nunquam non arma timenda sunt, ubi illa
etiam ab imbecillo sumpta adversus valentiorem,
vires sensim sumere patientia homines ac dissimulatione permittant: corroborata eadem & confirmata tempore, rarò certa ratione & consilio, nunquam subita vi comprimi & coërceri possunt. Permagni enim interest, utrum quis meditatus & consilio ante suscepta re, an imparatus & oppressus
tempore, ad arma accedat. Itaque cùm æquissimam causam atque optimam apud sapientissimum
Principem amplissimique ordinis homines agamus,
cum ab iis opem imploremus, quorum semper institutum fuit, nunquam miserorum ac supplicum
preces aspernari, cùm ubi est mirifica voluntas atque inclinatio animorum, autoritas sit & potentia
par, cùm denique, ut hanc causam suscipiatis, non
illius æquitas solùm sed cura etiam vobis rerum vestrarum suadeat: ita nos & privatam nostram & multò adeò magis patriæ salutem, hujus nostri animi
testem Deum immortalem advocantes, cujus vim
irati licet nemini effugere, vestræ fidei commendamus: ut cum tantum in nos meritum, nulla sit
unquam oblivio ex hominum memoria obliteratura, facilè tamen intelligatis cùm in eo ipso consulturos vos otio vestro & dignitati, tum veteres injurias hac tanta vobis in præsentia occasione ostentata, vindicaturos. Quæ res minimè negligi à vobis debet, si modò esse memores potestis *Insubrum*
Regnum tantum, adeò vestris rebus opportunum,
vobis ademptum, partum idem acerrimo vestræ
Reipublicæ hosti, non quidem per *Florentinos* magis, impotenti unius dominatu oppressos, quàm
per *Medices* eorum libertatis oppressores magna totius *Italiæ* perturbatione, trepidationeque esse. Hac
ab exulibus oratione habita, cùm rei indignitate
ac misericordia motis Patrum animis, supplicum
preces minimè viderentur neglecturi: prolixè illos
atque omni honore verborum prosecuti, & bono
animo esse, & meliores de sua salute spes cogitationesque suscipere jusserunt: quod dignum majorum gloria & fama esset, pro eorum instituto &
consuetudine, religionis, fidei, & humanitatis partes, ut à se nunquam desiderentur, & in præsentia
polliciti, & in posterum sibi curæ fore. Jam exules
antequam ea, ita *Venetiis* administrarent: ne quid,
novum bellum molientibus in mora esset, quod quidem futurum verebantur, ubi gerentes res pecunia
defecisset: *Joannem Franciscum Strotiam Pallantis*
filium, qui multos jam annos paternæ calamitatis
atque exilii socius *Ferrariæ* exulabat, conveniunt,
ut cùm, esse ditissimum hominem, ac magna cum
familiæ existimatione versari illius rem in multis
provinciis, multosque beneficio comprehensos habere, non ignorarent: eum spe ostentata in patriam
redeundi, cohortarentur: ut *Venetis* paratis exules
reducere qui *Florentinorum* & *Medicum* odio nunquam essent à novis consiliis aversi futuri, communem sibi causam patriæ esse ducens, minimè deesse
vellet. Eo loco illum natum, inque eam spem altum, educatumque esse, ut patriæ imploranti illius
opem, ubi esse auxilio cunctetur, non jam inertiæ
aut ignaviæ reprehensionem, quòd negligat illi eas
partes præstare, sed sceleris atque impietatis quòd
nolit, vir cum adeò affluens fortunæ bonis, tum
ingenio magnitudineque animi excellens subiturus meritò esse videatur. Ita ille re demonstrata,
cum memoria teneret patrem civem clarissimum
factione *Medicum* oppressum, quòd bonorum partes tueretur, exilium subiisse, facilè passus sibi persuaderi, quò ipse sua sponte inclinabat, tantam opportunitatem oblatam agendæ rei non esse omittendam, & cupidissimè se recepit facturum quæ vellent, & ubi res atque usus postulavit constantissimè
summaque animi alacritate præstitit.

JOAN-

JOANNIS MICHAELIS BRUTI
HISTORIÆ FLORENTINÆ
LIBER QUARTUS.

Dum ita intenti exules principum animis ſolicitandis, ex iis, multis pollicitationibus & præmiis, qui belli initium faciant, incitare conantur: *Venetiis*, aliquamdiu re per ſummam contentionem jactata, cùm Patrum alios exulum cauſa humanarumque rerum caſus magnopere moveret, averteret alios à belli conſiliis, pacis atque otii ſtudium, multò plures tamen reipublicæ cura ſolicitos haberet: vicit eorum ſententia, qui exules recipiendos in fidem, & bellum *Florentinis* inferendum cenſebant. Verebantur autem ne ſi diutius rem diſſimulando, *Sfortiæ* vires augeri per ſuam cunctationem paterentur, non *Florentinis* ſolùm ſed *Ferdinando* etiam *Neapolitanorum* Rege fœdere illi juncto, potentiorem vicinum quàm Reipublicæ conduceret, experirentur. Adjuvabat exulum cauſam, quòd permulti adhuc in Senatu ſupererant, qui, quo tempore cum *Sfortia* patre dimicatum erat de *Mediolanenſi* Regno, Reipublicæ præfuerant. Hi præcipuè *Medicibus* infenſi, in quos potiſſimum culpam omnem tantæ amiſſæ occaſionis augendi imperii, à civitate avertebant: facile cæteris ſua autoritate traductis in ſententiam, quorum conſilia ab armis abhorrebant: Senatus Conſultum ut maximè ad voluntatem exulum fieret, curaverunt. Hinc dato negotio *Bartholomæo Coleonio* copiarum Reipublicæ ductori, ut exercitum per *Flaminiam* in *Hetruriam* induceret, *Florentinis* primo quoque tempore arma inferre jubent. Bellum per honeſtam cauſam ſuſceptum, non modò videbatur nihil invidiæ in *Venetos* habiturum, ſed iis potius honori apud exteros atque exiſtimationi fore. Ad cauſam enim quæ ipſa per ſe niti æquitate ſumma videbatur, exulum fortuna accedebat, quæ in rebus adverſis tum ferè ſemper magis favens, ubi acrius ſævit, facilè efficiebat, ut patriæ libertatis vindices, minimè digni tanta calamitate homines, principum animos ad ſui miſericordiam moverent. Variari inter eorum temporum ſcriptores non belli initiis modò ſed progreſſionibus etiam explicandis plurimum videtur: quorum *Machiavellius* ita rem geſtam ferè affirmat, quemadmodum ſuperius à nobis demonſtratum eſt. Nonnulli *Coleonium* tradunt ab exulibus aditum, cùm nullius ſtipendiis addictus, liberam militiam paulò antea à *Venetis* exautoratus profiteretur, facilè animo ad bellum adjecto, quod perampla militibus victoriæ præmia, Duci nomen gloriamque ingentem oſtentaret, expeditionem ſuſcepiſſe. *Ticinenſis*, *Neronio* ait ubi primum *Florentia* exceſſit, datum negotium eſſe, *Coleonii* conveniendi, cui erat multorum officiorum conjunctione devinctus, cùm ille adhuc *Venetorum* ſtipendia mereret. Eum re demonſtrata, cùm hominis autoritate, tum multò magis ſpe benè gerendæ rei adductum, illi autorem fuiſſe, ut *Venetias* profectus, parum ſemper per ſe æquum Senatum Reipublicæ *Florentinæ* ad bellum civitati inferendum incitare omni ratione & ſtudio conaretur. Si minus aſſequi poſſet, ut eum ad bellum apertè gerendum induceret (veriſimile enim eſſe, cùm *Italiæ* populi per concordiam principum pace jam aliquot annis parta fruerentur, ne in pacatiſſima parte provinciæ principes diſturbare otium viderentur, à novis conſiliis, declinandæ invidiæ cauſa abfuturos) perficeret, ut per honeſtam cauſam tanquam A militia functus ſtipendia confeciſſet, ſe miſſum faceret: cætera prolixè pollicitum ubi id rectè ſucceſſiſſet, quæ bello gerendo neceſſaria eſſent, impigrè paraturum ſe atque exequuturum. Ita *Coleonium* facilè à volentibus & ſua ſponte inclinatis miſſione impetrata, cùm nihilò minus ei ſtipendia procederent (quod Senatus diſſimulari ob eam ipſam cauſam volebat) bellum reducendorum exulum cauſa *Florentinis* intuliſſe. Nam illud etiam addit, clàm miſſum ad *Coleonium* legatum à Senatu, qui illius animum ſpe auxiliorum, ubi inter res gerendas eum cætera deficerent, in primis confirmarent. Porrò ut credam, *Ticinenſem* rem quemadmodum B geſta erat tradidiſſe, præter cæteram hominis autoritatem quæ me movet plurimùm, teſtimonio *Sabellici* adducor cum eo ſentientis: qui & *Venetam* hiſtoriam conſcripſit, & diligens atque accuratus in primis habitus in ſcribendo eſt. Ubi igitur *Coleonius* de Senatus ſententia certior factus, non eſſe eum à bello averſum accepit: conquiſitoribus in vicinas urbes *Ciſalpinæ Galliæ* dimiſſis, qui delectum militum haberent: cætera ipſe per ſe celeritate atque audacia adhibita, quò imparatiores hoſtes opprimerentur, obire adminiſtrareque inſtituit. Brevi firmiſſimis militum cohortibus ac validiſſimis conſcriptis, cùm ad avertendos à ſuſpicione animos pa- C làm in concilio dixiſſet, bellum ſe *Ferdinando* ac *Sfortiæ* illaturum, multis cauſis, quæ ſpeciem honeſtæ expeditionis & neceſſariæ haberent, & occulta illius conſilia obtegerent, in medium prolatis: aliis hoc quidem facile perſuaſit, magnam iis ſuſpicionem injecit, quorum id magis intererat, ne per ſpeciem ſui invadendi *Florentini* peterentur. Nam veriſimile videbatur *Ferdinandum*, qui cùm ipſe natura erat vaferrimus, tum longo uſu rerum ingenia *Italorum* hominum atque artes callebat, quæ *Acciaiolus* cum eo egiſſet, cùm præſentibus conferendo (cùm ille confirmandi illius animi cauſa at- D que exulibus conciliandi, arma, exercitus, claſſes atque principum auxilia oſtentaret) magis quo *Coleonii* tanti apparatus & conſilia ſpectarent, quàm quò ille ſpectare videri vellet aſſequutum, *Florentinis* ne *Venetis* prædæ relicti magna acceſſione eorum vires augerent, opem ferre ſtatuiſſe. Itaque re cum *Sfortia* communicata, oſtendit (id quod cuivis licebat ſuſpicari) belli cauſam non tam in exulum reductione, quàm in conjunctione præpotentis populi poſitam eſſe. *Venetos* enim ſperare, ubi illos curarent reducendos, per eorum factionem *Medicibus* ejectis, ac ſibi civitate conciliata, jam nemine obſiſtente unos ſe in *Italia* rerum omnium arbitros futuros. Quod eorum conſilium cùm mi- E nimè obſcurum eſſet, cavendum magnopere videri ne ſtudioſis *Medicum* oppreſſis, ipſi qui propiores periculo haberentur, quaſi continenti excitato incendio conflagrarent. Eſſe *Veneti* Senatus terra marique magnam potentiam: in primis eum claſſe valere. Qua ex re futurum ſit, ut & à ſupero mari, cujus ipſi imperio potiantur, & ab infero æquè à *Florentinis* opportuniſſimis portubus recepti, maritimam Regni *Neapolitani* oram infeſtam ſuis claſſibus reddant: cùm eodem tempore *Florentinis* ſociis adjunctis, ſint terreſtribus copiis *Inſubrum* fines invaſuri. Hæc cum *Ferdinandus Sfortiæ* ſignificanda curaſſet de ejus ſententia, legatos ad *Paulum* Pontificem mittit: qui ita de *Coleonii* injuria

ria querantur, ut causam armorum omnem ab illo in *Venetos* derivatam avertant, qui per belli tempestatem, *Italiæ* tranquillitatem atque otium, vasta atque infinita quadam cupiditate imperii, interrumpere perturbareque conentur. Hi *Romam* profecti, cùm Pontificem adiissent, docent *Venetos* injustè facere qui aliena invidia arma *Italiæ* populis circumferendo, *Florentinos* quibus cùm sint fœdere conjuncti, nulla ab illis provocati injuria bello lacessant. Pertinere ad *Romanum* Pontificem, cujus tanta autoritas, cùm apud alios omnes, tum apud *Italiæ* Principes esse debeat, ut gravi denunciatione insolentia hominum atque armorum impunitate repressa, eorum vis atque arma ne quando *Christianæ* Reipublicæ perniciosa sint, sua autoritate atque imperio coërceantur. Neque verò has partes modò *Pauli* Pontificis videri, quòd eam dignitatem obtineat, quam maximi potentissimique Reges in terris supplices revereantur, sed quòd in eadem civitate claro quidem atque illustri loco sit natus, cujus de injuriis & maleficiis querantur. Ac cùm tamdiu illum patriæ esse memorem debere, quamdiu monitis illius sui cives parentes, videantur in officio futuri, tum omnium citius oblitum quàm ejus muneris quod inter homines gerat, eundem cogitare æquum esse, *Venetum* se civem tum esse desiisse, quo tempore tantò hominum consensu Pontifex declaratus summum in *Christiana* Republica imperium sit adeptus. Quæ cùm ita sint, recusantes pertinaci consilio discedere ab armis, quando civis autoritas apud suos nulla sit, ut *Romani* Pontificis quanta esse debeat habeatur, bello statuat sibi eos, atque armis coërcendos. In eo autem illum non solùm Pontificiæ dignitati, quod tamen permagni debeat fieri, sed quod illi sit minimè negligendum, eorum saluti qui *Romanorum* Pontificum imperio pareant, atque adeò quieti totius *Italiæ* ac paci provinciarum, *Hetruriæ* in primis, cui tanta impendens belli procella subeunda sit, consulturum. Nam quicquid *Veneti*, fallaci quidem consilio, sed minimè tamen eodem obscuro, effugere tanti flagitii offensionem conentur, nemini esse dubium quin nomen *Coleonii* modò ac *Neapolitanum* & *Mediolanense* bellum jactetur, vires *Veneti* Senatus atque arma, unis meritò *Florentinis* timenda objiciantur. Non autem id egisse graves homines ac magna virtutis & sapientiæ opinione, quòd sperent suscepti à se belli invidiam, in exautorati ducis & neque domesticis copiis, neque cujusquam in *Italia* auxiliis præterea nitentis, ambitionem atque audaciam rejectum iri: sed quod res ipsa loquitur & minimè jam sit ferendum, quòd immanem cupiditatem dominandi, inani quidem nomine sed quod in dubia tamen & controversa re si jure potius quàm armis sit disceptandum, defensionis ansam aliquam præbeat, atque adeò id non magis confidentia sui quàm contemptione & despicientia eorum quibus tàm apertè illudant, velare tegereque voluerint. Nisi autem hominum de se judicia atque existimationem contemnerent, aliquantò prius quàm belli initium fieret, vt non ex occasione gerendæ rei & temporis ratione, sed ex certo judicio viderentur hominis exautorandi consilium cœpisse, rem fuisse acturos. Quam verò aliam causam ab his afferri quæ probabilis sit, tanti ducis dimittendi? imò quam non afferri contra suscepti belli, quæ non verissima esse & certissima videatur? Neque sanè ejus voluntate factum qui dimissus sit, ut cùm is per honestam in primis militiæ functionem ditissima stipendia faceret: ea, nulla interposita offensione, renuntiaret: neque eorum consilio qui dimiserint, ut belli ducem amitterent, cujus magna virtus in re militari, & perspecta fides atque explorata in eam Rempublicam esset. Ad ea quæ

A legati exposuerunt, brevis Pontificis responsio fuit: agnoscere se quidem Pontificis partes, quas sibi divino atque humano jure impositas, æque item libenti & alacri animo susceptas à se sit præstaturus: monendo enim atque adhortando errantes corrigere, castigare verbis, & si quidem res postulet, vi sacrosancti imperii cogere ad officium redire, Pontificem debere. Quin autem hoc in præsentia agat, si modò cujus rei insimulentur, constet *Venetos* discessisse ab eo fœdere, quod superioribus annis inter Principes ictum sit, non se recusare. Patriæ enim necessitudinem, non ad sceleris societatem sed ad officii & pietatis perfunctionem cùm id illius
B tempora requirant, commendationem habere. Itaque ut adversus cives suos pro Rege & *Sfortia* arma sumat, indemnatos illos, & nullius culpæ palàm convictos, ne quod multò sit turpius, videatur à scelere in patriam justitiæ apud exteros opinionem quæsisse, id verò nulla se ratione commissurum. Ea spe Rex & *Sfortia* dejecti, novum ipsi ineunt fœdus: in quo quidem disertè cavebatur, ut eosdem amicos atque hostes haberent, ac certo equitum & peditum numero utervis eorum bello peteretur, alter alteri auxilio iret. Ad hæc adjectum ne causa magis inferendi belli quàm propulsandi, fœdus fecisse viderentur: ut intra certam
C diem *Venetis* & Pontifici in societatem fœderis veniendi potestas esset. Eo fœdere percusso, cùm *Florentini*, quorum erat causa ictum, omnibus qui obsistere *Medicum* potentiæ videbantur, aut affectis supplicio aut exilio mulctatis, societatem cum *Sfortia* ex *Petri* sententia, & quibus maximè visum erat conditionibus iniissent: soliciti de belli eventu quod conflatum ab exulibus adversus Rempublicam non ignorabant: delectum militum habere, oppida munire, pecuniam imperare, equitatum atque auxilia cogere, omniaque quæ opportuna magno gerendo bello viderentur summa cura & vigilantia adhibita comparare administrareque instituunt.
D Quoniam verò *Coleonium* per *Flaminiam* atque *Anemonis* fluvii vallem, quà brevissimus erat per *Apennini* juga in *Hetruriam* transitus, iter facturum credebant, placuit *Federicum Feltrium Metaurensium* Regulum clarum per ea tempora militiæ gloria, qui universis copiis præerat, advenienti ad ejus vallis fauces occurrere, ac locis superioribus præsidiis occupatis, transitu eum prohibere. Jam à *Ferdinando* pars copiarum præmissa, duce *Alphonso* filio adolescente, qui magnum sibi postea nomen bellicis rebus comparavit, *Ariminum* pervenerat: quibus copiis auctus *Federicus*, & si aliquantò magis sua opinione exiguæ erant, *Faventiam* unde opportunus in primis in *Anemonis*
E vallem descensus habebatur, contendit. Cùm pro belli ratione, re in principio optimo consilio administrata, hosti omnis facultas erepta videretur eà exercitum traducendi: qua ex re fiebat, ut illi difficiliora intinera atque angustiora, multò certè longioris circuitus necessariò tentanda essent: unius hominis primum suspecta fides, postremò vis atque arma, ut aliud *Federico* esset ex tempore consilium capiendum perfecit. *Astorgius Manfredus*, tum *Faventiæ* rerum potiebatur, vir nobilitate magis quàm rei militaris scientia clarus, qui *Florentinis* merebat. Is sive spe facta honestioris mili-
F tiæ, sive sua sponte à *Florentinis* alienatus, cùm dies stipendiorum exiisset: atque ab iis qui non satis exploratum hominis animum haberent, aliquanto uberiora stipendia, ubi pergeret in Reipublicæ exercitu militare, decernerentur: comprehensum legatum qui conditiones simul & pecuniam illi in stipendium afferebat, ac mox pecunia ablata verborum gravi contumelia affectum, ut in violando jure gentium, fastidium atque insolentia sceleri adjungeretur, dimisit. Debitam enim sibi

pecuniam ex superiorum annorum stipendiis, ab iis quos esset mox hostes habiturus, quoniam ea sibi multo antea ad certam diem persolvi debuerit, data sibi occasione ad suum perveniendi, optimo jure ac Diis hominibusque approbantibus interceptam, videri volebat avertisse. Cùm ita *Astorgius* quid sentiret, quódque suum studium esset, declarasset: ne quam dubitationem reliquam res habere videretur, *Federico* simul denuntiat, ex agro *Faventino* exercitum educat: id ni faciat, se illum pro hoste habiturum. Perculsus subita re (ut par erat) *Federicus*, non gravius hominis defectionem esse ferendam arbitrabatur: cujus etiam amici studium exercitum commeatu juvando in primis desiderarat, quàm tantam amissam loci opportunitatem dolebat: quem ubi hostis præsidiis teneret, à nemine prohiberi posset, quin libero transitu exercitum per otium in *Hetruriam* induceret. Itaque ad populationem se agrorum convertit, atque omnia ferro atque incendiis vastare prædámque omnis generis agere instituit. Facta enim conjectura ex ingenii levitate, tanto illi illato detrimento ad sanitatem rediturum atque abductum à novis consiliis animum non desperabat. Quod *Federico* ad revocandum *Astorgium* à nova societate, *Coleonio* ad confirmandum æquè magnum fuerat incitamentum, verito ne vastatio populatioque agrorum, locum ad mutationem consilii, in tanta mobilitate ingenii atque inconstantia inveniret. Ita magno peditum numero atque equitum comparato, nuntios ad *Astorgium* præmittit, qui illum de suo adventu doceant, ac spe celeris auxilii confirment: ipse magnis itineribus ire eodem contendit *Federicus*, ne hostis celeritate usus, antequàm sociorum auxilia convenirent, quæ propediem affutura dicebantur, cogeret tantò numero militum inferiorem de summa rerum decertare, loco natura munito castra ponit, ac vallo & fossa communit. Hinc ne *Coleonius* ex cunctatione & mora suorum, occasionem nactus, locum illi infestum faceret, exercitum commeatibus intercludendo: qua ex re verendum erat, ne insigni accepto detrimento, retrò signa referre cogeretur: id quod magnopere etiam ad totius belli summam obfuturum non ignorabat, motis castris, ad *Forum Cornelii*, quod erat oppidum in ditione *Thaddæi Manfredi*, non procul à *Bononiensium* finibus idoneo atque opportuno loco consedit, atque ibi cùm æquitate loci tum multo magis *Bononiensium* studio & *Manfredi* confisus, quos pro *Florentinis* sentire non dubitabat, expectare adventum suorum constituit. Quæ dum ille magna cura & studio parat administrare, audit *Coleonium* jam *Padum* navibus copias traduxisse, ac dies noctesque continuato itinere eodem instructo ad dimicandum exercitu, properare. Qua re intellecta, suspicatus fore ut oppressus *Manfredus* subito hostium adventu, deliberandi statuendique de suis rebus minus integram esset potestatem habiturus, medius autem ipse inter suspectam fidem atque apertam vim in discrimen adduceretur, commutato consilio, ad *Pontem Legium*, quod castellum ad quatuor millia passuum *Bononia* abest, loco idoneo castris positis consedit. Nam (ut diximus) neque de *Bononiensium* voluntate dubitabat, cùm quicquid illi sentirent, non eos facilè debilitari metu externarum virium atque alienari à suscepta causa speraret, neque *Galeatium Sfortiam* dilaturum ulterius suum adventum, quem jam movisse ex *Insubribus* audierat, aut *Florentinos Regiósve* moraturos diutius arbitrabatur. Ut autem de fide & constantia *Manfredi* nonnihil dubitaret, fama minimè illa quidem dubia efficiebat: spem ab eo *Coleonio* factam, quòd ita speraret se belli molem non ægrè à suis aversurum, ubi propius ad urbem copias admovisset, ad illum desciscendi. Latè hic morbus tum in nostros homines

A patebat (tanquam fama & existimatio nominis, non ex aliorum judicio, sed ex nostro sensu & quidem depravato spe, metu, cupiditate æstimanda esset) ut nulla transfugia parum honesta, nullas defectiones turpes à suis, nullas proditiones sociorum, quibus modò redimeretur vitæ securitas & fortunarum, censerent. Quod cùm ita esset: tametsi idem quamdiu sub fœderatorum imperio mereret, non sine gravi infamia proditæ causæ se illos deserturum intelligebat: satis se tamen tectum & munitum arbitratus à tanta ignominia futurum, si objectum nominis & famæ, vitæ discrimen ostentaret: jam de prodendis suis atque hostibus recipiendis consi-
B lia agitabat. Sed hæsitantem illum & magis in deliberando quæ utilia quàm quæ honesta essent respicientem, multi subitò allati nuntii de *Galeatii* & *Regiorum* adventu, ne quid statueret, quod minus esset à sua inconstantia alienum, oppresserunt. Itaque cum haud satis eum *Coleonius* prolixè respondere atque remittere indies magis de pristino studio atque alacritate animadverteret: opportunè ab exploratoribus cognoscit, hinc *Sfortiam* cum Insubrum exercitu, ac magno belli apparatu, hinc *Regios* adventare, duce copiarum *Alphonso Davalo* impigro homine: quem magna virtutis & fortitudinis laude maximis in bellis ac gravissimis parta,
C *Neapoli* aliquot postea annis servus, natione *Maurus*, de proditione noctu in colloquium accitum, veruto transfixum interfecit. Id quod erat, *Coleonius* suspicatus, celerem adventum hostium consilii mutationem à dubia & venali fide extorsisse: non dolo & fallacia hominis magis, & si maximas se opportunitates, ita ab eo elusum se amisisse intelligebat, quàm causa offensus, agrum hostiliter depopulari, atque aliquot castellis, aut per vim captis, aut in deditionem acceptis, urbem oppugnare magno adhibito tormentorum apparatu, universis viribus, instituit. Interea tamen tentare *Thaddæi* animum non desistebat: quem uxoris blanditiis &
D lenociniis victum viri imperii impotentis, cùm in maximis etiam rebus cum obsequentem haberet, adhibito ejus fratre callido homine & perspectæ fidei expugnari posse non diffidebat. Cujus consilio cognito *Federicus*, qui in viro uxoris imperium, viri ingenium in fœmina suspectum haberet: more militari conclamatis vasis ad *Petri* fanum millia passuum circiter septem ab hoste posuit castra. Hinc delectorum militum DCC. ex prætoria cohorte, cum iis equites ad C. attribuisset, ingredi in oppidum atque esse præsidio Regulo jubet: simul iis negotio dato, ut exploratis diligentissimè illius rationibus, nihil ei integrum ad
E nova capienda consilia relinquerent. Illi etsi in oppidum militum corona cinctum, difficile se posse perrumpere, nisi magna suorum cæde intelligebant: hinc suam audaciam, hinc hostium trepidationem (id quod ferè iis accidit quibus præter expectationem aliquid evenit) in occasionem vertentes benè gerendæ rei: disjectis iis, qui se advenientibus objecissent etiamsi non ægrè posse reprimi paucorum impetus si viri essent, videretur, in urbem ad unum omnes incolumes magna cunctorum admiratione invehuntur. Cùm urbe satis valido præsidio firmata, aliam rationem administrandi belli *Coleonius* sibi esse ineundam intelligeret: quò ma-
F turius quàm constituerat solveret obsidionem, *Sfortiæ* ac *Regiorum* adventus effecit: qui bidui itinere, omnino præter illius opinionem abesse ferebantur. Erat autem minimè dubium quin si illos conjungi cum *Federico* pateretur, cùm multò esset equitatu inferior qui nondum omnis ad illum convenerat: aut turpiter suos intra vallum continere, quod si accideret magnum se existimationis & famæ periculum subiturum intelligebat, aut congredi impar viribus cum hoste cogeretur: id quod

ne

ne fieret omni consilio erat & ratione providendum. Itaque cum silentio copias castris eduxisset, celeriter ad eum locum contendit, quem in locum se recepisse *Federicum*, post *Astorgii* defectionem paulò anteà commemoravimus. Quæ ejus profectio (& si propterea quòd citissima fuerat, jam ille è castrorum conspectu abierat) cum *Federico* nuntiata esset, ex eo loco movit, atque illum cùm nondum castra opere muniisset, assequutus, signis infestis atque acie ad dimicandum instructa, copias contrà illius munitiones constituit. Cùm ille suos vallo inclusos continere ac prohibere à prælio perseveraret, ne facta sæpius ab hoste dimicandi potestate (quod vix tamen ne accideret effici poterat, in magna castrorum propinquitate) illius cunctatio infamis esset, quæ res ad conficiendi belli celeritatem, quod erat magna hominum expectatione aggressus, plurimum impedimenti & moræ allatura videbatur: silentio castris egreditur atque exercitum ad *Castrocarrum* adducit, oppidum *Florentinæ* Reipublicæ in *Apennini* radicibus situm: ac loco castris idoneo delecto, oppugnare illud circumsidereque instituit. Erat autem illius consilium, ut quoniam medium inter *Ravennam* & *Faventiam* ac *Forum Liviæ* intererat, quæ urbes omnes fœderatis infestæ, magno illis impedimento futuræ ad bellum gerendum videbantur: hoc illis adempto, cogeret rei frumentariæ angustiis pressos iis locis excedere, ac liberam sibi facultatem relinquere, exercitum quà vellet traducendi. Ubi autem id esset assequutus, eodem quo constituerat itinere *Apenninum* transgressus, nullo jam prohibente, in *Hetruriam* bellum transferre, atque celeritate sui adventus (quod maximè exules futurum spondebant) qui eorum studiosi *Florentiæ* habebantur, ad spem rerum novarum excitare, hostesque opprimere imparatos omnino sperabat. At *Federicus* qui de illius consilio conjectura judicaret, quæ minimè erat obscura: cùm *Bubanum*, ne quà hosti receptus pateret, deimproviso occupasset, *Faventiam* copias adduxit: atque latè agros populatus, urbem oppugnare vehementissimè agressus est. Sperabat verò, ut, sive *Coleonius* venire *Faventinis* subsidio properaret, per eam occasionem dimicandi sibi facultas aliqua daretur: sive iis cunctaretur opem ferre, urbis oppugnatio sibi facilior, atque ubi minus ea procederet, obsessio arctior, quam haud diu laturos *Faventinos* credebat, efficeretur. Qua re ille animadversa, cùm vereretur, ne quæ causa *Astorgio* fuerat deficiendi à suis, novæ ad hostes defectionis causa esset: assueto facilius ferre famæ & nominis quam copiarum domesticarum jacturam literas ac nuntios ad Senatum mittit, ac quibus in angustiis quantoque in discrimine salus omnium vertatur, docet. Hostium copias indies augeri, ita ut sine magna clade vix sperari oporteat cùm iis manum conseri posse: destitutas civitates spe propinqui auxilii ac vastatione populationeque agrorum alienatas, urgente metu impendentium malorum, quæ præsentibus multo expectent graviora, nova consilia inire: tum omnia adversa suis, secunda hostibus eventura in posterum, nisi maturè atque in tempore occurrant, ordine demonstrat. His literis Senatus & nuntiis acceptis, cùm nihilominus dissimulando sua consilia atque efferendo sibi ejus belli invidiam sustinendam intelligeret, *Herculem Atestinum* atque *Alexandrum Sfortiam*, qui copiis Reipublicæ præerant, deducto milite ex præsidiis, ne delectu habendo diutius quàm belli usus & ratio postularet, auxilium differrent, magnis itineribus ire in *Flaminiam* ac *Coleonio* opem ferre, simul è suis delectum legatum qui summæ rerum præsit, cujusque consilio bellum geratur, proficisci cum imperio primo quoque tempore ad exercitum jubent. Quæ cùm celeriter administrata atque ad *Coleonium* in

A castra perlata essent: spe certa auxilii confirmatus, crebris & ipse nuntiis ad *Faventinos* mittendis, eos ne quid mollius de suis rebus statuant, néve animos demittant, *Astorgium* in primis, cujus illi autoritatem sequuturi videbantur, ut in officio maneat, omniáque ex Senatus liberalitate & suis officiis expectare velit, monere cohortarique non desistit, brevique se affuturum cum omnibus copiis confirmat. Neque diutius eorum spem frustratus ac literas & nuntios subsequutus, ad illos contendit: atque æquo loco, ne invitus dimicare cogeretur, cùm à fronte vallum hosti objectum, castra ex altera parte conjuncta urbis mœnibus haberet, con-

B sedit: neu quis injussu in hostem pugnaret, dispositis in vallo custodibus qui prohiberent, præcepit. Quanquam *Coleonius* non ignorabat, per hanc suam cunctationem fore, ut hostium indies audacia cresceret: vultu tamen atque oratione eam præ se alacritatem ferebat, ut milites qui consilio non metu, sibi adimi pugnandi potestatem animadverterent: hostium voces quibus magna cum sui contemptione succedentes ad vallum, contumeliosè tanquam detrectantibus pugnam timiditatem atque animi mollitiem objiciebant, haud laturi diutius, sed ultrò atque injussu inituri prælium vallo atque aggere discisso, viderentur. Quod quidem eò sibi facilius

C esse ferendum ducebat, quò magis sperabat, ubi res gerenda esset, sarciendæ ignominiæ causa, ardentius illos cùm hoste maledico pugnaturos & magis ferocia verborum quàm animi robore, ac vera virtute insolenti. Cùm res eo in statu essent: jam *Alexander Sfortia* magno equitum & peditum numero in castra à *Coleonio* exceptus, vires hostium planè æquasse, ac si esset dimicandum, neque virtute, neque numero militum inferior dubium in primis pugnæ eventum facturus videbatur. Quicquid autem roboris per ea tempora ferè *Italia* habebat, id aut in Fœderatorum, aut in *Venetorum* castris conspici licebat. Numero militum *Coleonius*, vir-

D tute hostes præstabant: ille peditum millia sex, ex his permultos veteranos proximis bellis, eo imperatore, complures jam annos stipendia meritos, qui tum numerus permagnus habebatur: tria millia hi quorum magna pars ex vetere *Sfortianorum* disciplina, magnam sibi virtutis opinionem comparaverant: nonaginta equitum turmas utrique in armis habebant. His copiis utrimque præerant belli duces, qui gloria rerum gestarum ac fama nominis clari, pares quoque virtute ferebantur, quorum *Alexander Sfortia* cùm à *Ferdinando* alienatus, pro *Venetorum* victoria pugnaret: multis gravissimísque bellis quibus *Franciscus* frater tantum in *Italia* erat

E adeptus imperium, plurima virtutis documenta & maxima dederat: atque aliquot ante annis *Jacobum Picinum* ad *Trojam Apuliæ* urbem memorabili prælio profligarat, cùm is *Andegavensium* Dux adversus *Ferdinandum* gereret bellum: *Bartholomæus* magnum usum in re militari, magnam fortitudinis & prudentiæ famam obtinebat: cùm eò accederet tanti belli opinio, cujus quidem suscepti pariter & gesti gloria, (quicquid *Veneti* viderentur alienis auspiciis cœptum sibi proprium fecisse) ubi exitus belli lætus esset, unum ingens manebat. In adversariorum castris cùm Regia dignitate *Alphonsus*, magnitudine imperii *Galeatius* emineret, potior

F tamen iis virtus, totius belli administrationem, etsi nemini aut majorum gloria, aut vetustate familiæ cedebat, *Federico* adjudicabat: digno homini, qui quo tempore floruit, adolescens, ad graviora Reipublicæ tempora quæ patres nostri magna *Italiæ* clade pertulere, vegetum atque integrum animi robur & vires reservaret. Quanquam verò & de fortitudine militum, & de eorum virtute & præstantia, qui exercitus ducebant, magna tum esset hominum existimatio: satis tamen inter

omnes video constare, nulla unquam tempora post hominum memoriam in *Italia* extitisse, quibus quidem aut cupidius atque ardentius Principes susciperent bella, aut flagitiosius suscepta gererent, aut turpius sive iis gerendis secunda sive adversa evenirent, administrarent. Cùm autem aliæ omnes artes præclaræ & dignæ viro principe, aut temporum inclinatione, aut exterarum gentium injuria quibus majores nostri diuturno malo victi per multa secula prædæ fuerunt, quasi decus virginale ac pristinæ dignitatis speciem amisissent: militiæ gloriam, qua olim *Italia* adepta orbis terræ imperium, adversus gentium omnium consensum steterat invicta, iisdem quibus libertatem ac majestatem imperii, coacta armis concesserat. Atque erat res digna admiratione, cùm quotidie per varias occasiones prælia leviora committerentur, quibus periculum virium fiebat, atque inter utriusque exercitus castra, parvum admodum relictum spatium interesset: tanquam à sedentibus & vallo inclusis, spes esset bellum confectum iri, ita turpi otio & desidia languentes cæteris omissis consiliis, non vincendi opportunitatem, sed stipendiorum diem, nec veræ laudis & gloriæ fructum, sed delicias & vitæ commoditates, nobiles homines & claros militia, captare. Quid autem erat fœdius, quàm cùm par utrimque mollitia atque ignavia pugnaret, qua sopiti non milites magis quàm duces jacebant: neminem se excitare, atque pro occasione ad hostes ignavissimos atque inertissimos perdendos, torpentium atque oscitantium tanta desidia uti? Nihil illi pro imperii potestate severè, aut pro majorum instituto ac vetere disciplina, dissolutè ac flagitiosè omnia, avaritia & cupiditate imperator, licentia corruptus miles, & quantò alter ad imperandum languidiore animo tantò alter ferociore ad detrectandum imperium, uterque ad rem gerendam æquè mollis atque imbellis. Genus erat armorum, quibus tecti adversus telorum penè & tormentorum ictum, implicati iisdem atque impediti ad ferendam vim, impetum atque impulsum in hostem amitterent: ut cùm hæc esse causa securitatis videretur, causa eadem cunctationis, cùm ægrè loco moliri pedes manúsve possent, non arma verius gestantes, quàm armis alligati, moram inter res gerendas atque impedimentum afferret. Jam illud nulla ratione ac planè adversus veterum autoritatem, quorum virtus omnium gentium imperium constantissimè eandem militiæ disciplinam servando posteris quæsivit: cùm exiguus esset peditum numerus, omne exercitus robur positum in equitatu: atque eo quidem instructo eodem genere armorum, ut nihil victi ad effugium: nihil victores ad peditem persequendum, qui paulò expeditior esset, reliquum haberent: armorum gravitate, quibus onerati magis quàm tecti prælium inibant, cùm eodem vestigio consistere cogerentur, quo manus conseruerant: à viro forti constantiam, pugnandi necessitatem ab inerti & timido extorquente. Jam tanta exercitus ignavia cùm latè è castris rumor ad urbem manasset, *Florentiæ* infamis magna militum ac ducis invidia notabatur: cùm quidem ubi in hyemem extraheretur bellum, nemini dubium esset, quin magno detrimento atque incommodo Reipublicæ, eam essent diutius quàm ejus tempora postularent, quæstui habituri. Nam & magni in bellum sumptus faciendi erant, quos quidem diutius civitatem ferre non posse in magnis ærarii angustiis intelligebant: & perexigua spes erat reliqua, ut maximè tolerando sumptui par, militum atque imperatoris avaritiam expleret: ita foris Republica administrata eum belli eventum, quem sperarent sequuturum: quin potius minimè esse verendum censebant, ne quid durius, ubi pergerent ducere bellum, civitati, quæ foris armis, intus seditione

A laboraret, eveniret. Itaque cùm frequenti civium concilio de ea re diligentius magistratus egisset, placuit uti is ad legatos exercitus scriberet, quibus questus segnius, quàm aut honestum imperatori esset, aut Reipublicæ expediret, quæ superioribus bellis exhausta, immani quidem & non necessario sumptu premeretur, bellum administrari: iis imperaret, ut percontando, quæ causa differendi belli, quæ conficiendi spes, quis autor tàm fœdæ ac turpis cunctationis haberetur, ad finiendum bellum magno impetu cœptum, gestum gravi exercitus & Ducis ignominia *Federicum* cohortarentur: qui si non uberiorem fructum partæ gloriæ ex magnitudine animi, quàm conservatæ ex constantiæ
B laude sibi esse sperandum intelligeret, non dubitarent, quin ut viro forti dignum esset, cùm ejus retinendæ studio quam partam haberet, tum multò magis cupiditate illius assequendæ, quæ illum maneret, jam quasi sui factus æmulator, magnam ab se excitatam virtutis, ingenii, animi magnitudinis expectationem quam egregiè ad eum diem tueri visus esset, longè quoque superaret. Legati his literis acceptis, cùm imperatore colloquuti de illius sententia (id quod erat,) magistratui rescribunt: atque quòd civitas queratur de belli administratione minimè se mirari affirmant: qui ipsi tantam infamiam jam nullo modo amplius possint per-
C ferre: sed ejus rei culpam omnem docent in uno *Galeatio* hærere: qui cùm neque parem summæ potestati, quam sibi sumeret, aut animi vim & constantiam, aut prudentiam & rerum usum afferret, quod autem multò esset gravius, minimè animum inducere posset, ut de consilio summi Imperatoris rem gereret, perinde atque hæreditate parentis virtutem & felicitatem bellis gerendis, ac Regnum *Mediolanense* adiisset, confideret sibi omnia rectè, atque ex sententia, sedenti etiam & nihil agenti successura. Itaque nisi curaret per honestam causam ambitiosum juvenem & elatum domestica po-
D tentia, ab exercitu amovendum, quæ ni illi statim occurratur planè destituta consilio, civitati perniciosa futura sit, quando ejus periculo morbo animi utatur, nullum unquam eorum incommodorum finem futurum demonstrant. Ergo cùm re intellecta, minimè dubitandum censerent, quin ea quæ legati attulissent, ita ut conjiciebant, eventura, nisi quamdiu integrum esset, consilio obviam irent, insigne aliquod detrimentum Reipublicæ importarent: rem omnino agere primo quoque tempore constituunt. Atque cùm reliqua probarent, in illo hærere videbantur, qua ratione *Galeatius*, quem Reipublicæ amicum & socium reti-
E neri omnino placebat, nulla animi offensione, atque adeò sua sponte ab exercitu discedens liberam facultatem belli administrandi melioribus relinqueret. Id ut fieret illi in hanc sententiam maximè scribi magistratus jussit. Cùm ille quidem quod dignum optimo Principe ac viro forti esset, Reipublicæ maximè adversis rebus, ut illius fides & majorum dignitas postulabat, opem atque auxilium imploranti, ita in tempore atque opportunè affuisset, se illi sanè quando quas æquum esset non possent, quas possent agere gratias & habere. Tantum enim momenti positum in illius autoritate atque armis fuisse, ut hostium vi repressa ejus adventu & retardata, cui
F obsistere posse nullæ vires viderentur: non illi posthac magis de opprimendis invadendísque alienis, quàm de conservandis retinendísque suis, inire consilia sint coacti. Pro quo illius tanto studio ac merito adeò in Rempublicam cùm illi grati animi significationem dare nullam aliam queant: procuranda se illius salute, cujus ille curam omnem socios defendendi causa adductos suorum civium scelere in rerum omnium discrimen, abjecisset: quando illa quidem in eo vertatur, ut si diutius pergat

à ſuis abeſſe, magnum ac grave periculum iis im-
pendere videatur: quod illi præſtare poſſint, con-
ſilio ſe eum atque autoritate, ſi ullam modò bene-
volentiam ac ſtudium animi conciliat, juvare voluiſ-
ſe. Redeundi moram ad ſuos periculoſam illis, qui
jam ferre amplius abſentis deſiderium non poſſint,
minimè honeſtam eidem tutàmve eſſe. Objeciſſe
fortunam illi inimicum potentiſſimum, qui ita in-
nixus maximis viribus, validiſſimis copiis inſtructus
ſive terra ſive mari gerenda res ſit, ad opulentiſſi-
mum *Italiæ* principatum aſpirare videatur: ut mi-
nimè jam ei debeat obſcurum eſſe, cùm illum ex
dubia populorum fide in novum principem, tum ex
illius abſentia quæſita occaſione, novas res, per
ſeditioſos homines & ex commutatione rerum me-
liorem fortunam quærentes, qui nunquam rem ge-
rentibus ſint defuturi quotidie moliri. Quæ res
cum ita ſe habeat, è ſua fide eſſe & conſtantia du-
xiſſe, illum etiam atque etiam hortari, ut ſatis jam
ſociis probata fide, ſtatuat ſuis rebus tandem ſibi
proſpiciendum eſſe, ac redeundum quàmprimum
Mediolanum, non minus illic *Florentinæ* Reipubli-
cæ quæ jamdudum hoc ſibi perſuaſerit, ut eandem
fortunam cùm *Sfortia* familia bello & pace experi-
retur, quàm in caſtris adverſus apertos hoſtes uſui
futurus: cum magis etiam ſint occulti obſervandi,
& quaſi in inſidiis deliteſcentes, ne quando impa-
ratum offendant vigilantes homines atque in omnem
occaſionem intenti. Ita autem *Venetum Inſubrum*
imperio animum adjeciſſe, ut ſi illius optatis for-
tuna reſpondeat, quæ illi ſemper ferè ſecunda af-
flare maximis in rebus & graviſſimis viſa ſit, non
ille modò ad *Hetruriæ* principatum, ſed (quod ne
fiat, ſit omni ratione providendum) ad totius *Italiæ*
imperium facilem ſibi viam & expeditam videatur
brevi muniturus. Quamdiu igitur per illius cun-
ctationem liceat, cùm haud diu veriſimile ſit illum
quieturum, & res in integro maneat, illius conati-
bus occurri oportere. Quod quando ſatis intelligat
ſibi minimè ulterius negligendum (quod eſſe tutiſ-
ſimum conſilium eo tempore videatur) hoc jam de
ea re tota ſtatuere debere, dignitatis ſalutìſque ſuæ
ratione habenda, & ſociorum commodis ſe, & ſuo-
rum maximè quieti atque otio proſpecturum. Cùm
eas literas *Galeatius* accepiſſet: ſive tutius cenſeret
parere recta monentibus, atque afferentibus melio-
ra conſilia, cùm & rei & temporis ratio haud eſ-
ſet ab literarum argumento aliena: ſive per officii
ſimulationem ſe ab exercitu amandari exiſtimans,
ſe falli facilè pateretur, magis urbanis delitiis quàm
militiæ labori aſſuetus, etiamſi eum ſibi tolerabi-
lem ſedulitate ſuorum & ſtudio reddiderat: relicta ea
parte copiarum quæ viſa eſt ſociis auxilio, ipſe cum
delecto equitatu in *Inſubres* proficiſcitur, *Mediolani*
belli exitum expectaturus jam ſolutiore à metu at-
que à cura animo. *Ticinenſis* etiam ante *Galeatii*
profectionem ſæpè pugnatum ait levioribus præliis:
cùm ex occaſione, varia certamina contrahi ſive
pabulatum, ſive aquatum milites exirent, tumul-
tuaria magis quàm certa manu neceſſe eſſet. Semel
quidem petitum inſidiis *Coleonium* affirmat, facilè
illum quidem, ubi temerè potius, quàm pro ſua
priſtina conſuetudine militibus indulſiſſet, ſubitu-
rum rerum omnium diſcrimen. Fuiſſe autem ho-
ſtium conſilium, ut cùm profectionis ſigno dato,
ac crebris ignibus in caſtris excitatis, quo fides fie-
ret ea incendi, primum agmen è portis ſigna extu-
liſſet: ubi id quod fore omnino credebant, *Coleo-
nius* equitatum, qui noviſſimos moraretur præmi-
ſiſſet, ipſi repente è vallo effuſi, perturbatos, at-
que ancipiti malo circumventos, cùm qui fugerent,
in perſequentes converſis ſignis à fronte infeſtos, à
tergo eſſent integros hoſtes habituri, ad unum
omnes cæderentur. Eorum inſidias, cautum ho-
minem & qui nihil hoſti integri ad nova capienda

A conſilia per ſuorum temeritatem relinqueret, cùm
præmiſſis equitibus levis armaturæ ſpeculatum, ho-
ſtes intra vallum abditos latere in inſidiis, atque in-
ſtructa acie ad dimicandum paratos obſervare ſuorum
profectionem accepiſſet: ſuos inſequendi hoſtes
ſtudio elatos facilè demonſtrata re, continere po-
tuiſſe. Mane ejus diei qui inſequutus eſt, magnam
eundem occaſionem delendi hoſtium exercitum
amiſiſſe: eo ingenio ducem ut magis conſilio ne
vinci poſſet, quàm animi alacritate & ſtudio ut
vinceret in magna etiam opportunitate bene ge-
rendæ rei, niteretur. Cùm enim *Federicus* cer-
tis de cauſis inde caſtra movere, ac quibuſcunque
B rationibus poſſet, hoſtem in ſuum locum elicere
conſtituiſſet: juſſis militibus ſilentio vaſa colligc-
re, ac ne quid ex tumultu & ſtrepitu de eorum
profectione enuntiaretur, iis teſſera ſigno dato:
temerè in caſtris ortum incendium, cùm ventus
flammam in omnes caſtrorum partes diſtuliſſet, qua
ex re & trepidare militem & concurſare neceſſe
erat, tabernaculis ferè omnibus abſumptis (id
quod tum facere conſueverant ubi caſtra moverent)
Ducis conſilia prodidiſſe. Tantam autem hoſtium
ſive ignaviam, ſive metum fuiſſe, ut cùm nova re per-
turbati milites à ſignis diſcederent, atque ab impedi-
mentis quæ ſuccendebantur ſumerent, quæ quiſque
C chariora haberet: nullo autem imperio nullâque di-
ſciplina continerentur: turpiter ſedendo tantam oc-
caſionem potiundæ victoriæ amiſerint: quam qui-
dem etiamſi minus militum virtute confideret, ho-
ſtium trepidatio & metus, duci non inertiſſimo
opportunè in primis oſtentabat. Secundum *Ga-
leatii* profectionem in quem tantæ ignominiæ cul-
pa transferebatur, quam ille tamen communem
habebat cum multis, cùm nullus relictus locus
dedecori & flagitio eſſet: propius hoſtem admotis
caſtris, duces militem in aciem eduxerunt, ur-
gentibus id maximè Reipublicæ legatis, qui cun-
ctantibus illis atque hyberna ſpectantibus ad belli
D finem quod extrahi in hyemem nolebant, prope-
rarent. Erat res eò adducta, ut ſi hoſtis paratus
ad dimicandum, in aciem prodiret, ſpe victoriæ
ex priſtina ejus cunctatione animo præcepta ma-
jore alacritate & ſtudio pugnam inirent: ſin idem
pro ſuperioris temporis conſuetudine, pergeret ſe
caſtris tenere ab ignavis timiditatis confeſſionem
exprimerent: quæ res metum hoſtibus, ſuis ani-
mum atque audaciam augeret. Qua re animad-
verſa, paucis *Coleonius* ſuos hortatus, ut memores
eorum quæ ſuis auſpiciis magna ſæpe gloria geſſiſ-
ſent, animos ſpe certa vincendi confirmarent: neu
paterentur aut Imperatorem partam per tot annos
E militiæ laudem, aut exules quorum reducendorum
cauſa adeò honeſta arma ſumpſiſſent, ſpem vitæ
reliquam proditos hoſtibus infeſtiſſimis abjicere:
ingenti clamore & ſtudio poſcentibus ſignum pu-
gnæ dedit. Ita cùm majore verborum quàm ani-
morum contentione, utrimque acies concurriſ-
ſent, atque à meridie ad veſperam totis viribus
pugnatum eſſet: nox tandem ita prælium dire-
mit, ut tanquam ludicro certamine, & non gla-
diis ſed fuſtibus dimicaſſent, incerta ac dubia vi-
ctoria, cùm nullus in acie armatus cecidiſſet, non
ita multi capti, perpauci leviter vulnerati eſſent,
F defuncti prælio minimè cruento, in caſtra redie-
rint. Hac pugna commiſſa, ne quid ſibi reliqui
ad ſummam ignaviam atque inertiam facerent:
cùm nondum autumnus in exitu eſſet, anni tem-
pore adverſo belli laborem, & hyemandi ſub pel-
libus inſtitutum deprecantes, novum per ea tem-
pora inſuetis durioris militiæ hominibus & grave
futurum, hyberna poſcebant: ubi invitos eos re-
tinere Duces ad ſigna cònarentur, minimè illis
dicto audientes futuri. Cùm exules qui ad tan-
tam belli famam, tanto adverſariis terrore inje-

cto, neque tumultum à suis in urbe excitatum, A neque erectis in belli eventum cum minimè secundus ac lætus consequutus esset, spem ullam ostentatam novandi res animadverterent, ipsi autem ad militem alendum nullam rationem expediendæ pecuniæ reliquam haberent: fortunæ, cui egregiè ad eum diem offerenti se occurrissent, cesserunt: ferri illam diu facilius adversam quàm vinci virtute posse arbitrati. Ad hunc maximè modum quiescentibus illis quorum causa & suscepta expeditio & initum bellum ac confectum magna ex parte erat: ejus idem qui prælii fuerat dubius exitus atque anceps, illis spem reditus omnem, adversariis, qui non vinci ab iis qui exularent, pro B victoria ducebant, metum omnem in posterum & solicitudinem ademit: non ignaris illis quidem, jam reliquos *Italiæ* Principes nullos futuros, qui se ita gravi bello & non necessario implicarent, ut cùm dubia atque infirma spe eorum salutis procurandæ, quibus in tanti Senatus autoritate parum præsidii fuisset, domesticam esse conjunctam perniciem & ruinam intelligerent. Ut autem nihil facilius est quàm detecta facie malorum quæ accidant immerenti, eorum illi studium conciliare, qui juvandis aliis in adversa fortuna, exemplum juvandi sui constituere æquè in aliis arbitrantur: sic nihil citius misericordia obsolescit, ubi C ita videatur compendio misero futura, ut id sine impendio esse miserentis non possit. Tollit enim maximè constantiam in perfungendo officio, si minus cupiditas & spes quæstus, quo ferè omnes magis movemur: at impendentis mali metus, quod quidem in aliorum nobis ærumna objectum non ita ad ferendum auxilium indigenti, quàm ad recusandum aliis quod nobis sit subsidio, ubi id contingat, solicitos plus æquo de iis quæ nos in posterum manent, quàm quæ urgent in præsentia alios, impellit. Ita autem fert hominum natura depravata usu & consuetudine malorum, ut quicquid à nobis impenditur causa alterius sublevandi, id nunquam ferè quàm ex usu illius sit, sed D quàm nobis sit incommodo futurum spectemus. At exules confecto bello, quo quidem gerendo ipsi sumptu exhausti milites uni ditati essent, qui quæstuosam militiam exercebant, cùm & pietati in patriam & gloriæ pariter, dolori certè suo satis cuivis fecisse viderentur, *Ferrariam Neronius* humaniter à *Borsio* ac perhonorificè exceptus, cùm ad victum & cultum tuendum certam illi pecuniam decrevisset: *Soderinus Ravennam*, impetrato à *Venetis* stipendio quo ali modò posset, concessit: ubi non ita multò postea decessit: vir (ut alio loco diximus) cùm à plerisque E studiosus libertatis ac justitiæ cultor atque honesti habitus (vehementior quidem aliquando fuit quàm Reipublicæ moderatorem decebat) tum qui in excogitanda re tardus, in eadem aggredienda, expediendaque à vi animi magis quàm à consilio paratus præceps ferretur. Quanquam ego hoc bellum ita exorsus à principio ad finem usque pertexui secutus in eo scribendo *Hetruscos* maxime autores, à quibus discedere, nisi cum fides & religio officii postulat, minimè placet: video tamen *M. Antonium Sabellicum* cùm causas belli alias & principia, qua in re ille, ut jam diximus, cùm *Ticinensi* convenit, tum ejus gerendi ratio- F nem omnem aliquantò diversam attulisse. *Coleonium* cùm magnam voluntariorum manum coëgisset, qui superioribus bellis defuncti, nullo tum certo militiæ Duce ad cujus signa convenirent, stipendia merebant: cùm nihil illi ad justi exercitus speciem deesset, ignorantibus omnibus utrum sua sponte an aliorum imperio expeditionem suscepisset, in *Flaminiam* contendisse. Ea re cognita, exules *Florentinos*, quibus præter spem, tantam repente occasionem fortuna repetendæ patriæ obtulerat: minimè sibi defuisse, atque belli ducem magni nominis & haud mediocribus viribus nitentem, qui in liberam militiam & quò opportunitas negotii bene gerendi vocaret, militem duceret, mercede conduxisse. Magna autem in spe fuisse, per eum *Florentinis* bello illato, fore ut civitas oppressa externis armis, præter cæteras domesticas clades quibus affecta spem omnem recuperandæ libertatis abjecerat: à *Petro Medice* alienata in quem unum belli causam rejiceret, studia hominum ad Rempublicam capessendam moveret: atque se ita ab illius dominatione vindicaret. Bellum cùm acriter gestum affirmat, & pro hominis nomine & fama, tum cruento prælio & memorabili, cùm utrimque aliquot hominum millia cecidissent, confectum. Non ab exulibus aditum Senatum, non ejus autoritatem bello interpositam, quicquid *Coleonius* secutus sibi id aut in *Flaminia* gerendum aut transferendum in *Hetruriam* censuerit: stipendii exulum addictum, egregiam operam illis ad belli usque finem navasse. Nam *Valorius* vitæ *Laurentii* autor, *Galeatium Sfortiam* toto bello affuisse ait, & recenti victoria elatum, cùm fugatos vi à se uno hostes, & retrò referre signa coactos insolentius jactaret, *Florentiam* ovantis ferè triumphantisque similem venisse. Ibi hominem levissimum & qui in magna fortunæ indulgentia consilio egeret, crebrò iis quæ Reipublicæ causa egisset commemorandis, tum fastidio atque animi impotentia tota à se civitate alienata, quæ non magis à tàm vano ingenio, quàm ab ætatis ferocia & Regni opulenti viribus intelligeret sibi esse timendum, vix *Laurentii Medicis* comitate facilitatéque summa delinitum, cùm a patre exceptus magnificentissimo ac planè regio apparatu fuisset, in officio potuisse contineri. Hinc fœdere percusso, quo paulò antea cum eo civitas conjuncta societatem & amicitiam firmaverat: per *Flaminiam* in *Insubres* profectum gravi periculo, ut sibi homines vulgò persuaserant, civitatem liberatam liquisse. Utcunque minus inter scriptores convenit in hujus belli explicatione, cùm civitas ingenti metu levata, ac pace confirmata recreataque esset: *Bardus Altovitus* qui tum *Vexillifer* summum magistratum gerebat: ne qui superessent, qui ullo modo exulum causæ in posterum favere, & restinctum eorum ruina incendium renovare quandoque posse viderentur: in summa potestate facilem sibi aditum calumnia ad inimicorum perniciem aperiente, à Republica amovendos omnes, atque ablegandos curavit: si qui ex his tum magistratu fungerentur, eo se extemplò abdicare, ac pro summi imperii potestate exilii causa vertere solum æquè jussit. Ita inimicis, *Medices*, ejectis, quorum alii foris profligati bello, alii domi essent sublati qui vel levissima conjectura suspecti haberentur: jam nemine contradicente impunè exercere imperium in victos videbantur. At *Petrus* morbo indies ingravescente, cujus unius autoritas & moderatio, insolentiam hominum & audaciam, in infinita rerum omnium licentia retardaret, neque ea quæ in civitate fiebant cognoscere, neque civium saluti quæ improborum libidini & crudelitati patebat, prospicere poterat: gravi illius invidia frustra opem civitate ab illo exposcente cujus se imperio tradiderat. Tanquam enim non hostium sed civium victores, & urbis & privatorum fortunas sibi ad prædam proposuissent: nullo discrimine in eos sæviendo, quorum insignes divitiæ ac lautiora patrimonia avaritiam & cupiditatem ad scelus excitaret publica autoritate abutebatur. Atque quanquam tot malis atque incommodis quibus indies licentius & privatos cives & Rempu-

publicam universam *Medicum* studiosi afficiebant, minus per *Petri* adversam valetudinem poterat obviam iri: ut tamen ille valetudine integra usus occurrere iis sua autoritate posset, multa illi dissimulanda eorum causa videbantur, quorum studiis atque armis superior inimicis extitisset. Illud autem in civilibus contentionibus accidere videmus: ut cum semper ferè victoria secundo eventu insolescat, materiam ad sæviendum in facili etiam ac miti ingenio inveniat. Cujus rei & si non una causa potest afferri, at illa potissima videtur, quòd non æquè facilitas victoris clementiam in conservandis victis, quos magis hostes esse quàm miseros meminit: atque indulgentiam in confirmandis suis, studium quæ parta habet tuendi, videtur postulare. Quæ quanquam ita se haberent, non tamen deerat *Petrus* civitati autoritate & consilio, quoad per morbi magnitudinem licebat. Nam & suos leniter appellando, & monendo interdum sæverius & castigando, postremò metum injiciendo, ut civitatis statum respicerent, & modum aliquem infinitæ potestati statuerent hortabatur. Id si minus sibi persuaderi paterentur, at illud ignorare minimè debere, neque satis unquam tutam vim adversus multorum consensum, ubi constantia & magnitudo animi ad eam vindicandam adesset, & rarò eandem in populi magna offensione & potentium odio, aut diuturnam, aut fortunatam esse. At dum ea inani studio pacis & concordiæ à *Petro Medice* aguntur: seditiosi homines qui uberiorem suæ improbitatis fructum diuturnioremque à principio quæsissent: nullum sæviendi finem in adversarios insultandiquè inveniebant: eò impunitatis àtque amentiæ progressi, ut satis haberent ad quem vellent perdendum, eum modò partium nomine notare: ipsi cognoscendi sibi animadvertendique jus cùm privati essent, ac nullo magistratu fungerentur, vindicarent. Interim *Petrus*, qui (ut sæpè diximus) articulari morbo oppressus, vehementissimis doloribus dies noctesque angebatur, non esse amplius tacitè ferendam tantam malorum vim arbitratus, magistratibus ad se domum advocatis, ita ad illos loquutus fertur. Nunquam sané ego fore putassem, ut, cùm eas partes suscepissem in Republica quas ego esse optimas, & ex salute omnium judicarem: in eos ipsos quos meorum consiliorum participes haberem, mihi esset hoc tempore dicendum: id quod invitus quidem, sed necessariò tamen facio. Viros enim ornatissimos atque amplissimos nostræ civitatis delegisse me arbitrabar: quos Republica procuranda non adjutores modò, sed quod ex animo affirmare possum, autores etiam verius haberem. Quorum quidem studiis innixus, ita seditiosos & turbulentos cives è civitate deturbavi, qui salute mea oppugnanda libertati & saluti communi insidiabantur: ut nunquam mihi in mentem veniret dubitare, aliquando futurum, ut quorum fidei summam Rempublicam credidissem, ab eorum cupiditate & scelere mihi ea esset vindicanda. Quæ rei quidem tanta indignitas, quò me adeò tristi meorum civium tempore gravi morbo confectum vestra magis fide & sapientia recreari sperabam, eò gravior mihi acerbiorque accidit. Itaque cùm propediem vitæ mihi interitum imminentem, expectem non invitus, quo me levatum iri sensu doloris acerbissimo intelligo: eundem perhorresco, quòd mea morte improborum hominum scelus atque impietatem in patriam augeri, spem imminui bonorum, si qui modo vestram avaritiam & crudelitatem effugerunt, Rempublicam universam, id quod refugit animus dicere & reformidat, penitus labefactari intelligam. Nam verè illud jam dici potest, quibus ego ho-

A minibus vitam salutemque meam referam acceptam, petitam illam sæpè inimicorum insidiis: iisdem quò expetenda mihi maturior mors sit, unis item tribuendum esse. Vicimus quidem, quod nobis optandum fuit, patriæ causa, cui omnes velle consultum debemus: sed nobis, non patriæ vicimus. Illud autem à nemine ferri æquo animo potest, qui intelligat pietatis nomine sanctissimo in procuranda patriæ salute esse civibus utendum, vos non eo modò ad privatas vestras simultates exercendas, sed ad evertendam patriam sceleratissimè abuti. Quod cùm ita sit, tanquam nomine nos magis, quàm causa oporteat pugnare (eò imB pudentiæ ventum est) & dici pios volumus & haberi. At quid nunc ego agere instituo? quasi mihi cum iis ipsis res sit, quos ego sequutus autores in patria defendenda cives modò conservavi meos: ita ab illis fidei, religionis, officii humanitatis jura quam planè omnem animo exuerunt, requiro. Alios quidem (tandem enim dicendum est) alios vos (inquam) vestri commodi ratio, & cupiditas effecit, atque à mente & consilio deduxit: ut jam sit mihi non iniquo animo ferendum, cùm scelere in vobis victam pietatem, libidine pudorem, fidem avaritia, humanitatem crudelitate intelligam, omnia me dicendo ad utilitatis & commoC di vestri rationem exigere. Qua in re tamen, neque ego vobiscum ratione magnopere pugnabo. Omnia enim obcæcatis cupiditate animis, vobis pro vestra libidine esse agenda statuistis. Itaque minus ego illud ostendere conabor, quod tamen mihi facillimum esset, in libera civitate & quæ vires agnoscat suas, diu servitutem ferri non posse, cujus nunquam sit vindex defuturus: non illud, quod nemo vestrum est quin intelligat, foveri intestino odio in civitate incendium, quod quidem ubi diu conceptum animis vires aluerit, magna cum multorum ruina (faxit Deus ut falsus vates sim) in omnium capita erumpat. Non ego vobiscum conjectura agam, non D tempore, non populi offensione, non vestra injuria, non metu malorum impendentium, cùm ita vos statuere oporteat, arma in præsentia exules coactos tempore, non illos item vim, consilium, fiduciam spem in posterum posuisse. Non illud (inquam) ostendam vigilare ad vestram perniciem adversarios acerrimos, & quibus non ferocia magis adimere consilium, quàm prudentia augere vim animi & magnitudinem potest, ut pro occasione ad vos opprimendos vestra invidia utantur. Præsto enim illis semper erunt armati novarum rerum cupidi, qui nunquam in civitate sunt vestra injuria defuturi. Majorum exempla vos commoE nefacient, atque ea quidem ita posita illustri loco, ut à vobis faciiè spectari queant, quando vos minus ratio movet ducta ex certa conditione temporis & Reipublicæ statu, qui finis hujus vestri dominatus futurus sit. Vicerunt quemadmodum vos & alii quoque, nunquam in seditiosa civitate atque in magna contentione partium, deficiente materia ad bella civilia: at cùm iidem (quod vos nunc agitis) victoriæ præmium quæstum privatum suum, non partum civitati otium esse voluissent: & victis expeditum, ac facilem in patriam reditum, & viam multudini ad pellendos victores patefecerunt. Atque ut alia in præsentia omittam, quæ F nunquam mihi totum etiam dicenti diem sunt defutura: domestico equidem exemplo contentus ero: non solùm propterea quòd recens adhuc res est, & ejus meminisse facilè omnes potestis: sed quoniam me in primis juvat, viri optimi patris mei facto quid vobis esse faciendum censeam demonstrare. Quid enim unquam familiæ nostræ illius exilio calamitosius acerbiusve accidere potuit? quid eo ipso rursus ad posteritatem gloriosius hominum fama atque illustrius? Affuit Deus posito

poſito in tanta calamitate per ſummam inimicorum injuriam: nemo negat. Nihil enim minus credi oportet, quàm ullo unquam tempore deeſſe Deum immortalem rectis hominum ſtudiis? Sed tamen ut breve illi exilium, facilis atque expeditus reditus in patriam eſſet, nulli magis quàm inimici illius perfecerunt. At ille poſt tantam acceptam injuriam, cùm nulla in re minus, quàm in vitæ innocentia illi eſſet præſidium conſtitutum, redditus patriæ, qua ſummo deſiderio ſuorum caruerat, ac factus ſecunda fortuna inſolentior, non crudelis ſolùm in victos, ſed impius etiam & nefarius fuit: cujuſmodi vos videmini evaſiſſe cupiditate atque avaritia elati. Imò quicquid illius inimici detrahere de illius laude maledicendo conentur, in hos clementiam, magnificentiam in illos & liberalitatem exercendo: cùm ſtudioſiſſimos ſui homines præmiis ampliſſimis retinuit, tum inimicos graviſſimis condonandis injuriis, quod liberalitatis genus multo præſtantiſſimum eſt, atque adeò æquitate animi, & facilitate ſibi conciliavit: utroſque certè ſibi in poſterum reddidit firmiores. Ubi inimico parcitis, non illi magis, quàm vobis conſulitis. Sive enim à vobis conſervatus, grato eſt in vos animo futurus, (nullum certè beneficium majus habetur, quàm eum quem perdere potueris conſervare) nunquam eſt humanitas & clementia præmii expers: ſive eſt idem ita duro ingenio, ut diuturnior injuriæ, quam beneficii memoria in illius animo inſideat, vobis lenitate & clementia in victoria uſis, eſt aliquid de ingenii ferocia atque immanitate remiſſurus. Cùm autem nunquam inimico poſſis ignoſcere, quin hominem idem & civem ſerves: præterquàm, quòd naturæ & patriæ debitum officium perſolvis, verè etiam Chriſtianum hominem obliviſcenda injuria præſtas. Quòd ſi tanta eſt vis benè merendi, ut conſervatum inimicum, & injuriarum cogat eſſe immemorem, & firmiſſimum ſæpè amicum reddat: quid de his vobis ſtatuendum eſt, qui cùm nullo odio prohibeantur quò vos minus cupiant quàm ampliſſimos eſſe, provocantur beneficio, ut ſtudioſius id vehementiuſque velint? Atque cùm ita ſit natura comparatum, ut qui ſua ſponte etiam noſtri cupidi ſint, beneficio plurimum moveantur: ubi illis à nobis fiat injuria quos proſequi liberalitate æquum eſſet, tantò ea afficiuntur gravius, quantò magis illi memores ſunt, à quibus injuriam accipiant, ſibi beneficium deberi. Unum nobis modò propoſitum eſt, totum illud quidem in utilitatis partibus conſtitutum: fœdè hoc quidem & flagitioſè, utinam non impie & nefariè, ut partam in veſtros cives dominationem verius, quàm principatum quæſtui habeatis. At quando ita ſtatuiſtis: veſtro ego ingenio obſequutus eodem modo vobiſcum agam. Duplex enim eſt via, qua eò vobis pervenire facile ſit, benevolentia hominum & metus. Utram eſſe vobis ineundam ſtatuitis, ſive præmiis ad benevolentiam, ſive ſuppliciis ad terrorem conſtituendis, nullum finem, aut modum ratio hæc habet. Nam neque homines niſi magno metu objecto, id quod inhumanitatis eſt, diu in officio continentur: neque parvo deliniti beneficio, quod ſæpius accidit, cùm in largitione hominibus, ut maximè etiam velint, minimè ſemper liceat profuſis eſſe, facilè pati ſervitutem poſſunt. Atque hæc quidem loquor, non tanquam cum Reipublicæ liberatoribus quo titulo tumidi atque inflati inſigne in patriam veſtrum hoc meritum jactatis, ſed tanquam cùm patriæ oppreſſoribus tyrannis immaniſſimis & ſuperbiſſimis: ut non prius vobis hæc vox audienda ſit, quàm omnem vos abjeciſſe animo humanitatem pietatemque fateamini. Quid autem vos agitis? quò veſtra hæc

A tanta importunitas & crudelitas ſpectat? Quæ mitior via leniorque eſt, etiamſi eſt eadem expeditiſſima, probare minimè poteſtis: eam vobis placet inire, quæ eadem difficilis, ardua, tortuoſa, multis anfractibus, atque erroribus implicata vos ad exitium gravi impietatis infamia, atque ignominia notatos deducat. Agite ergo, ut veſtra vobis crudelitas, inhumanitas, libido ſuadet, ſævite in veſtros cives, inſultate in eorum fortunas, immanitatis, barbariæ, avaritiæ exempla omnia in patriam ſtatuite, capite, plectite, ablegate, proſcribite, conſtituite in foro hominum carnificinam, nihil vobis ad ſummam impietatem & ſcelus reliqui facite: neque ita vobis tamen erit ad tyrannidem ſepta & munita via, ut non magis paucis multorum conſenſum, quàm multis paucorum vim diu eſſe timendam intelligatis. Ita de vobis patria merita eſt, in lucem hanc extulit, ampliſſimis honoribus auxit, ut ſi minus in pietatis exſolvendo officio, at in ſcelere admittendo, vos eſſe in illam oporteat animo æquiore. Per me patria vos ſupplex orat & obteſtatur (qua in re quidem cùm uſque eo illa de ſuo jure decedat, quantum ſit vobis de veſtra crudelitate remittendum, facile docet.) per me inquam vos patria orat, ut ſi ulla eſt in vobis humanitas reliqua, ſi, quæ tanta in vos contulit, beneficiorum ulla recordatio, quando vos neque officii ratio ulla, neque charitas in illam movet, & malle videmini regnare, quàm quem vobis attribuit locum, tueri pietatis ſtudio, & honeſtiſſimum & ampliſſimum: promereri potius vobis civium ſtudia beneficio, quàm invidiam & odium conflare maleficio velitis. Ego ſanè quando non ita longius videor mihi vitam producturus, parum ſcilicet dignus qui patriæ meæ ſalutem ab ingratiſſimis civibus exorem (id quod ſæpè à feris ac barbaris hominibus impetratum eſt) ne quando videar, nimia animi remiſſione, aut pietatis meæ in patriam, aut dignitatis eſſe oblitus: quod à volentibus non licuit, extorquere per vim à nolentibus atque invitis conabor. Quod ſi fuero aſſequutus, ut mea anteacta vita dignum eſt, hoc poſtremo in patriam munere functus, atque in vitæ exitu præclarè de meis civibus meritus, læto atque alacri animo è vita excedam. Cùm hæc ille elatus iracundia dixiſſet, & quanta maxima poterat animi contentione: paucis illi, atque ut interdum vultu culpam agnoſcere magis, quàm oratione viderentur, reſponderunt. Quanquam ea tempora incidiſſent, ut ægrè ſeveriſſimis etiam magiſtratibus Rempublicam adminiſtrantibus, hominum impunitas, atque audacia poſſet coërceri: ſibi tamen vel illius cauſa, in poſterum curæ fore, ut cùm in utramvis partem peccandum eſſet, indulgentiæ potius & lenitatis culpa, quàm ſeveritatis & triſtitiæ in vindicandis hominum malefactis notarentur. In Reipublicæ rectoribus, cùm celſo loco, atque eminenti collocati non minus quàm ſpectent alios, ipſi ſpectentur: ita quæcunque agant acri cura animadverſa obſervari: ut quæ præclara in his ſua natura ſint, cum vix poſſint hominum invidiam effugere, nulla cum eorum majore laude comprobentur (deberi enim officium cum dedecore & infamia: non item cum laude debitum perſolvi) nunquam ea quæ mala ſint errori atque imprudentiæ tribuantur: quæ dubia ſemper ferè in eam partem accepta, quæ deterior eſt, aut odio, aut æmulatione, judice illa quidem iniquiore quàm officii jura requirant, damnentur. Eandem verò omnium rationem eſſe. Nam & qui juſtitiæ partes ſævèrè præſtat, durum, inhumanum, acerbum: qui fortis, audacem: timidum, cautum: prudentem, aſtutum: lenem, remiſſum: induſtrium, cupidum: ſemper in hominum offenſione averſis à recto judicio animis, videri. Ac præpo-

A posterè quidem speciosis ad ostentationem nominibus liberalitatis, fortitudinis, lenitatis, industriæ, quæ eas virtutes vitia affinitate attingant, efferri laudibus ac fama hominum & prædicatione celebrari. Illius tempori suos inimicos insidiatos ex gravi morbo laborantis, ea de se ad illum & discindendæ civium concordiæ, & discordiæ serendæ causa per certos homines attulisse: quorum criminationes in bonos, ex eorum anteacta vita magis, quàm ex oratione, aliorum mores atque instituta spectari æquum esset: ut quemadmodum de eo non possent queri (nisi fortè nimia facilitas & lenitas accusanda sit) cujus religionis & fidei B esse intelligant in publicis privatisque rebus severa & acri animadversione uti: ita cum iis non possint non magnopere expostulare, qui à suis inimicis patiantur se tanta cum sua invidia gravissimis de rebus ad principem in Republica civem allegari. Quæ tametsi ita se habere videantur, cùm in nefariorum hominum audacia refutanda, eam esse optimam rationem animadvertant, quæ cùm illi maledictis & convitiis pugnent, vitæ innocentiam & recta studia, præclarè factis tueatur: minimè necessariam se ad ea omnia, quæ sibi objecta sint, responsionem judicare. Nam & si minimè difficilis, in causa præsertim optima & justissima sit: eò C tamen libentius se illa non usuros, quò magis intelligant, molestam & gravem suam orationem, & laboranti gravi morbo & jam dicendi labore fesso necessariò futuram. Hæc eorum responsio fuit, & aversis auribus, & præoccupatis jam inimicorum criminationibus, nulla cum assensione audita. At illi cùm hinc magistratus autoritas, quæ non quantam illis populus mandasset, sed quantam ratio temporum ferret, infinita ac nullo modo amplius toleranda esset: hinc *Petri* jam deplorata salus fiduciam, atque animos augeret: majore se indies libidine incrudelitate & scelere jactabant. Quæ dum ad eum modum ab his administrantur: D *Petrus Medices* qui non tam dolore & cruciatu corporis, etsi vehementissimè illum urgebat, quam ægritudine & mœrore animi angebatur: ne extremo suæ vitæ tempore, patriæ defuisse videretur: quando altius jam vulnus insedisse intelligebat, quàm ut leni curatione indigeret: ferro tandem esse utendum ac remediis acrioribus existimans: de exulibus reducendis agere instituit: quorum autoritas quæ absentium desiderio indies augescebat, sua potentia & gratia confirmata, insolentium hominum ferociam atque impetum retardaret. Ita de amicorum sententia, deliberata & constituta re: ad *Angelum Acciaiolum* literas dedit exulum ducem, E quibus illi spem faciebat, ubi sui copiam ad colloquium fecisset, brevi in patriam cum suis redeundi. Quod ille quidem, qui optimè intelligebat, quo in statu res civitatis essent, minimè sui fallendi causa, sed quod res ita se haberet, non esse negligendum arbitratus: die constituto, quo die sibi advenienti præsto esset, in *Casagiolanum* concessit: ubi de Republica multa cum *Petro* collocutus, quæ quoniam morte illius interrupta transigi minus potuerunt, non feruntur, brevi discessit. Illud satis constanter scriptores affirmant, modò illi vitam proferre in plures dies licuisset: civitatem per exulum reductionem à suorum conspiratione, aut consilio fuisse, aut armis libera- F turum. Nam cùm victa naturæ vis esset morbi magnitudine, qui quotidie magis ingravescebat: importuno in primis Reipublicæ tempore & suorum, si magis ætatis quàm morbi ratio habeatur, decessit. Fuit *Petrus Medices* cum prudentia & consilio, tum magnitudine animi & constantia aliquanto *Cosmo* patre inferior, omni alia virtute par, vitæ domesticæ splendore & magnificentia, sive hoc illius ingenio, sive tempori dandum esset quod quidem hoc postulabat, nonnihil superior. Minus diu illustre illius nomen & fama celebrata est, quoniam grandis jam natu parentem extulit, cujus gloria illius laudi officere quamdiu vixit, plurimum visa est: & quia minus secunda usus valetudine, ut sibi cessare liceret, à magistratu impetravit. Breve tempus post patris mortem Reipublicæ præfuit: sed ita quidem se gessit, ut in gravissimis contentionibus de Republica atque in magna conspiratione & consensu civitatis, neque fortitudinem & constantiam in publicis rebus administrandis, neque in tuenda sua dignitate consilium & vim, neque in adversariis pellendis denique passus sit vires à se unquam & studium desiderari. Quæ omnia sive ille sua sponte gessit, virtutis & prudentiæ, sive aliorum consilio, moderationis atque æquitatis laudem sibi comparavit: quippe qui in delectu amicorum habendo cautus, æquè & ad parendum melioribus, & ad imperandum sibi, videretur esse ingenio accommodatus. Quæ res eò pluris debet æstimari, quò æquius est virum principem & magnas res gerentem, à temeritate inconsulta atque ignoratione abesse. Decessit annum natus LIII. cùm liberos *Julianum* & *Laurentium* reliquisset: quorum huic propterea quòd fratri ætate anteiret, & mirificam semper virtutis indolem præ se tulisset & domesticæ & publicæ rei administrationem vivens adhuc magna ex parte tradiderat. Qua ille suscepta, ita semper se gessit, ut parentis spei & suorum responderit: hominum expectationem atque exterorum in primis, quibus minus erat illius virtus explorata, longè etiam industria & virtute superarit. Per eadem ferè tempora, quibus ea *Florentiæ* agebantur, in magno totius ferè *Italiæ* otio *Paulo Secundo* Pontifice Maximo septimo Pontificatus anno decedente, in illius locum *Xystus Quartus* sufficitur, majore quidem sui quàm aliorum admiratione: cùm neque illum nobilitas, non obscuro solùm sed sordido loco natum, neque excellens virtus, aut eruditio, neque probitas morum atque elegantia, sed sacerdotum ambitio, atque ex ea ingens inter eos ortum dissidium, ad eam dignitatem evexisset. Usque eò autem cupiditate exarsisse dicuntur, ut cùm nemo non mallet ab infimæ etiam fortunæ homine sibi acceptum Pontificatum referri, quàm ab eo qui pari dignitate esset, sibi videri ereptum: omnium ferè in unum collatis suffragiis, eodem consensu illum, malo quidem *Italiæ* fato, futurum Pontificem renunciarint. Superiorum enim omnium longè ambitiosissimus, cùm oblitus, quàm ex humili fortuna emerserat, ejus modò quam esset assequutus meminisset: potestate summi imperii, multò quàm cæteri impudentius audaciusque abuti ditandis aug[e]ndisque suis instituit. Erant inter familiares qui maximè autoritate & gratia excellebant, *Petrus* & *Hieronymus* fratres *Riarii*, ab eo, ut ferebantur, cùm adhuc ageret in *Franciscanorum* familia, liberi suscepti: ac quò minor parentis infamia esset, propinquorum honestiore nomine, liberaliter quidem & honestè, sed nondum tamen in spem tantam educati. Horum alterum qui in eodem ordine sacris initiatus esset, adeptus Pontificatum in Cardinalium collegium, quanquam reclamantibus atque invitis omnibus cooptavit: id quod *Ticinensis* affirmat, cujus magna tum autoritas inter principes ejus ordinis habebatur: alteri *Forum Liviæ Flaminiæ* oppidum, pulso per vim *Antonio Ordelaffo*, adjudicavit: cujus majores perdiu in eo principatum obtinuerant. Ac cùm magna hominis cupiditas in novi Pontificatus initiis animadversa ingentem illi admirationem apud Principes conciliasset, qui pares adjunctas ambitioni vires formidarent: omnes sibi viam ad illius gratiam & aditum quærebant In his *Sfortia*,

quo ille amico in omni fortuna firmiore uteretur. *Catharinam* filiam ex pellice susceptam *Hieronymo* in matrimonium collocavit: dotis nomine illi *Foro Cornelii* urbe item *Flaminiæ* minimè ignobili attributa. Erat *Galeatius* ingenio præceps ad ea omnia quæ ambitiosum animum spe rerum novarum levissima etiam occasione ostentata moveret: cùm quidem ad ea tentanda, quæ concupisset præter insitam animo cupiditatem, plurimum illum ætas & domesticarum virium æstimatio adjuvaret. Itaque eodem usus consilio *Joanni Galeatio* filio adhuc puero, *Isabellam Alphonsi* filiam, *Calabrorum* Duci despondit, qui erat *Ferdinando* patri in *Neapolitano* Regno successurus: in obscuro involventibus fatis, per earum nuptiarum faces, quandoque *Italiam* magna ejus Regiæ ruina conflagraturam. Hujus enim *Ludovicus* patruus, nefarius homo &, quod omnes fatentur, memoriæ semper nostris hominibus detestandæ, cùm adolescentem per tutelæ simulationem principatu opulentissimo spoliasset: veritus *Alphonsi* arma qui se bello generum à tàm gravi injuria & contumelia vindicaturum non obscurè profitebatur, *Carolum Gallorum* Regem in *Italiam* vocavit, ad quem pertinere *Neapolitani* Regni jura dicebantur: unde nobis origo & principium ingentium malorum extitit, quorum adhuc finem nullum videmus. Eodem anno quo est *Romæ Xystus* Pontifex creatus, inter *Ludovicum* Regem *Gallorum* & *Carolum* Ducem *Burgundiæ*, cùm ad cæteras simultates, novis semper utrimque causis exorientibus, diu fuissent in armis, de pace agebatur: majore populorum studio in præsentia, qui grave ac diuturnum bellum perpessi otium & pacem respicerent, quàm in posterum spe ubi inter eos convenisset, diuturnam pacem firmamque fore. Nam *Caroli Aquitaniæ* Ducis, qui idem & *Ludovici* frater & inimicus erat acerrimus, mors consecuta, & res illius penitus stabilire, & inimici vires debilitare & spem omnem pacis adeò tollere repente est visa. Erat enim *Ludovico* ingens metus ademptus, non solùm *Burgundo*

A destituto magna virium accessione, sed dirempta *Henrici Hispaniæ* Regis affinitate, cujus *Joannam* filiam *Carolus*, in matrimonium duxerat: magna spe fretus ubi ad cæteras vires *Hispanorum* auxilia accessissent, bello instaurato fratrem se de Regno rursus dimicare coacturum. Ac ne qui penitus in *Europa* malorum essent expertes: *Henricus Hispaniæ* Rex, cum sorore *Isabella* quæ postea *Ferdinando* nupsit *Tarraconensium* Regi, victo jam *Alphonso* fratre, cùm is diem obiisset, bellum gerebat. *Is* cùm multis aliis flagitiis infamis, ac maximè suis invisus esset: passus uxori stuprum inferri, quòd minus ipse aptus liberis procreandis haberetur, natam ex
B adultero filiam Reginam imponere *Hispanis* constituerat. Dejecto enim spe Principatus *Alphonso* qui hæreditario jure ad Regni successionem aspirabat, non ita magno negotio se armis sororem prohibere sperabat: magni animi fœminam & majore in suo jure persequendo constantia: quæ se Regni Principem frequenti omnium conventu declarari curaverat, quo nomine ab *Hispanis* Regni successor futurus appellatur. In *Anglia Edoardo* Rege possessione Regni deturbato: *Henricus* summa gentis gloria *Lutetiæ Parisiorum* olim *Gallorum* Rex inauguratus, cùm ad vigesimum & quartum annum *Londini* carcere inclusus egisset: dignitati
C Regiæ restituitur, ac paulò post magnum fortunæ ludibrium futurus, ab *Edoardo* victus capite plectitur. Insigni tantis cladibus anno, *Borsius* quoque *Ferrariensium* Dux in *Italia* decessit, melior princeps habitus vitæ exitu, quàm initiis principatus, quem insigni *Herculis* fratris injuria cui successio debebatur, occupaverat. Ejus autem ignominiæ delendæ causa, ferunt illum consulto à nuptiis abstinuisse, ne charitate liberorum prohiberetur, quò minus libero judicio in Principatu fratri restituendo uteretur. Accedit ad hæc *Georgii* mors *Bohemorum* Regis, *Romani* Pontificis hostis acerrimi, cujus res gestæ tum ab aliis conscriptæ, tum à *Pio*
D *Secundo* Pontifice atque à *Jacobo* Cardinali *Ticinensi*, leguntur.

JOANNIS MICHAELIS BRUTI

HISTORIÆ FLORENTINÆ

LIBER QUINTUS.



Um *Laurentii Medicis* tanta virtutis opinio extiterit, ut ea & patriæ salus & pax *Italiæ* populis parta magna cum illius laude credatur: placet antequàm de iis agere instituamus, quæ eo Rempublicam administrante *Florentini* gesserunt, quibus ille artibus domi institutus, tantam sibi autoritatem, atque existimationem apud exteras nationes compararit, paucis demonstrare. Nascitur *Laurentius Federici* Cæsaris *Germaniæ* Regis anno octavo, ita magnis animi & naturæ bonis cumulatus: ut cùm eam fortunam esset assequutus, quàm omnium opinione majorem sibi animo finxerat, æquè illam & indulgentem, & adversantem suis rebus longè semper gloriæ cupiditate, quæ in illo immoderata fuit, superarit: nunquam ille passus in vita agenda, quò minus ea ageret, quæ digna essent magno homine, fortunam sibi magis quàm rationem imperare. Nam maximas relictas à patre divitias, ad liberalitatem & magnificentiam, cujus rei ostentatione magnam in primis

E gloriam consequutus est, sive elatus ambitione, sive studio virtutis expositas habuit: in eo *Cosmi* avi potius, quàm patris institutum æmulatus. Pietatis indoles & religionis in puero adhuc mirifica: ut cùm adolevisset, neque illam arte quæsisse & fallacia ad colligendam popularem auram, neque studio magis (tametsi & illud quoque erat acerrimum) quàm natura ad virtutem propensus, honestas artes à primis annis excoluisse videretur. Nam magnitudinem ingenii, cùm virtutis par studium adesset, in prima ætate, & quidem excellentem ostendit. Ita cúm iis rebus contemnendis quibus addicta ea ætas est, tum iis sectandis, quo-
F rum æmulatione magni homines tenentur & præstanti virtute: dignus quidem est visus, qui cùm puer tenerum animum tanta opinione virtutis imbuisset, is vir evaderet qui æquè esset & posteris admirationi & præsentibus invidiæ futurus. In eo autem utrumque pari dignum laude: cum tantam in puero aciem ingenii fuisse, ut honesti faciem posset perspicere, tum eam vim in corroboranda ætatis imbecillitate & confirmando judicio, ut perspectam

ſpectam illam iis rebus poſſet anteferre, ad quas natura cujus tanta vis eſt, & ſenſu duceretur. Has tantas animi & naturæ dotes magnopere domeſtica diſciplina auxit: cùm mater lectiſſima fœmina, præter cæteras virtutes, quas domo paterna attulerat, excultum animum politiorum literarum ſtudiis haberet, atque incenſum per ſe puerum cupiditate gloriæ, excitaret. Nam curam illius inſtituendi jampridem pater *Gentili Urbinati* tradiderat, literato homini & erudito. Quem poſtea *Laurentius* præclarè de ſe meritum, ſua autoritate & gratia renuntiandum *Aretinorum* Pontificem curavit. Ita literis his elegantioribus perpolitus, cùm ætati facilè ſemper ingenio & judicio præcurreret: *Joannem Argyropylum* eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis clarum hominem, jam à *Coſmo* avo ſpe liberalioris ſtipendii *Byzantio* evocatum apud ſe domi habuit, à quo quidem Peripateticorum præcepta hauſit, quibus corroborari infirmus animus adverſus ætatis vitia pugnantis cum rectis ſtudiis poſſet: confirmata inde ætate à *Marſilio Ficino* cui ſe planè totum tradidit, *Platonis* doctrinam quam maximè ſemper probare viſus eſt, cupidiſſimè percepit. Is eſt *Marſilius Ficinus* veteris Academiæ inſtaurator, ac *Platonis* ſcitis interpretandis per ea tempora princeps habitus: cùm à *Coſmo* domi á puero educatus liberos in literis inſtituiſſet, dignus viſus ob ſingularem eruditionem, & morum elegantiam, quem in *Caregiana* villa ubere ac lato agro donaret: ubi quidem cum *Coſmo* jam mortuo, vitam in plures annos produxiſſet, diem extremum egit: multis & præclaris ſapientiæ monumentis relictis, quæ conſignata literis à noſtris hominibus magna cum ejus admiratione ingenii leguntur. Fuiſſe in *Laurentio* dicitur adhuc adoleſcente, tacita quædam cum *Coſmo* ſuſcepta contentio clariſſimo homine, & qui ægrè ſpem faceret, quanquam æmulatori acerrimo & ſummæ virtutis, ullis artibus ad eandem gloriam contendendi. Inter avi *Coſmi* virtutes quas pari cum laude expreſſas familiæ retulit: ut nemo alius æquè ſuæ ætatis, feſtivitate in ſermone & venuſtate, quam cùm vis & acumen adeſſet, moderatio ſumma temperaret, excelluit. Atque cùm hoc ingenio eſſet, non ſalſè modò & venuſtè dictis ſed ſatyra etiam oblectatum ferunt: quam non cupidè ſolum legit ab aliis ſcriptam, ſed etiam ipſe ſcripſit egregiè, & facilitate quadam mirifica. Atque cùm omnia in eo fuiſſe digna admiratione dicuntur, ſi ea pietatis ſtudium in patriam magis, quàm gloriæ cupiditas moderata eſſet, tum illud maximè, cùm inter diverſas virtutes, hinc prudentiam ſummam, quam ſemper munitam habebat ratione & conſilio, hinc vim ingenii & celeres animi motus, judicium grave certumque emineret: neque potuiſſe vim ingenii eum in temeritatem abducere, neque prudentiam in explicanda & conficienda re, cùm celeritate opus eſſet, tardiorem languidioremve reddere. Procera ſtatura fuit, & quæ eſt ſignificatio virium & roboris, quibus maximè dicitur præſtitiſſe, lati humeri ac firma totius corporis, atque optima conſtitutio. Habitus oris in quo quidem cum ſibi dignitatem vultu affingeret, neque venuſtas, neque elegantia ulla à natura ineſſet. Hæc tanta filii virtus & conjuratione inimicorum detegenda, & conſtituenda poſt exactos exules Republica patri in gravi diſcrimine vitæ, & de ſuo & de civitatis ſtatu ſolicito, magno uſui atque adjumento fuiſſe fertur. Cùm enim acrius indies vis morbi ſæviret, atque ex ea re fieret, ut minimè aptus tantis rebus adminiſtrandis haberetur: quò minus facilè ab inimicis opprimeretur, vigilantibus ad illius perniciem, *Laurentii* virtus occurrebat, in qua una omnem ſpem poſteritatis, & ſalutis familiæ collocaverat. Agebat primum & vigeſimum annum cùm pater deceſſit: qui *Pauli Secundi* Pon-
A tificatus quintus annus fuit: quanquam tanta jam in illo virtutis ſignificatio eſſet, haud ſatis tamen futurus par ad improborum atque audacium hominum libidinem coërcendam, qui facilius adoleſcentis ætatem contemnere viderentur, quàm admirari virtutem, nondum planè illam uſu rerum corroboratam. Itaque cùm *Petro* mortuo, omni ſoluti metu fiduciam ex impunitate atque ex ea ſpem occupandæ tyrannidis concepiſſent: non eſſe tamen rem tentandam arbitrati, niſi prius magnæ autoritatis hominem ſibi adjunxiſſent, cujus nomine ad comparanda populi ſtudia abuterentur: ad *Thomam Soderinum* coierunt: qui tum publici conſilii
B autor, omnium in ſe oculos propter ſingularem virtutis opinionem, menteſque converterat. Erat autem ingens eorum ſpes, haud difficile ſe eum in ſententiam perducturos civitatis principatu illi oblato, quod eſſet violatæ amicitiæ & fidei præmium haud aſpernandum. Sed tantam eorum ſpem cùm temerario conſilio niti videretur, aliquantò gravior eorum æſtimatione difficiliòrque temporis ratio fefellit. Erat *Thomæ* cùm ſingularis animi moderatio & virtus, tum quæ erat quæſita maximis meritis & officiis in Rempublicam magna atque inveterata inter ſuos cives autoritas: prudentia quidem, quæ cùm maximarum rerum uſu confirmata haud
C temerè caſu & fortuna falleretur: hinc gravitatem & conſtantiam in agendis rebus, hinc certam ſpem earum eventu explorando, ſejunctam à falſa atque inani, ſi quam temeritas magis quàm ratio objeciſſet, præſtaret. Itaque quanquam ad ſummum civitatis conſenſum, *Italiæ* Principum autoritatem & judicium accedere non ignorabat, qui illum literis publicis principem civitatis ac moderatorem Reipublicæ agnoſcerent: invictum animum ſemper, ſive à temeritate conſilii, ſive à cupiditate animi præſtitit. Hominum autem ſtudia quæ parum illi ſtabile & diuturnum imperium, certum exitium ſpondebant, optimo uſus conſilio in *Petri*
D liberos ſtatuit conferre. Nam & iis ſibi tanto beneficio obſtringendis, multò ſe magis ſuis rationibus proſpicere, intelligebat: & in multitudinis temeritate non eſſe ſuas ſpes collocandas arbitrabatur, cùm non æquè ut in novandis rebus alacritatem & ſtudium, ita iiſdem tuendis conſtantiam & animi magnitudinem virtute retineret. Ergo neque publicis literis reſpondit, per hanc animi æquitatem magna apud Principes prudentiæ & moderationis laude ſibi comparata: neque in civium ingenti conſenſu uti præſenti fortuna voluit: cùm in nullos illa ſæpius quam quibus vehementius favit, ſæviente, tum invidiam magis ſecundis rebus
E inveniente, quàm adverſis miſericordiam: id quod tum illi verendum magnopere videbatur. Ita ad *Antonii* coacto principum conventu, hac oratione alienatos ab adoleſcentibus animos civium, cùm *Laurentius* & *Julianus* intereſſet, in primis conciliandos curavit. Si quis eſt qui exiſtimet, ubi agitur de ſummi imperii poteſtate ad novum hominem transferenda, magis de privati cujuſquam commodis, quàm de totius Reipublicæ ſalute agi uſque eò ille ſua opinione fallitur, ut eum ipſum quem principem in civitate conſtituit, evertat: Reipublicæ ſtatum, quem maximè ſperat poſſe hac ratione con-
F firmari, labefactet penitus & convellat. Sive autem is ſibi privatis inimicitiis exercendis indulget, gravem patriæ injuriam facit, cui vitam debet & libertatem acceptam referre: ſive idem exiſtimat ſe in eo Reipublicæ conſulere (quod boni civis eſſe & patriæ amantis videtur) in tanto perſolvendo officio, imprudentiæ vituperationem ſummam, pietatis nullam laudem refert, non præclarius de ſe quàm de ſuis civibus meritus. Atque ego cùm in præſentia agere graviſſima de re inſtituerim, & quæ non Reipublicæ magis quàm ſingulorum ſalutem

attingat: mihi orandos vos maximè obsecrandosque censeo, ita ea de quibus sum dicturus, vobis probari patiamini, ut neque qui odio & simultate ducuntur, iracundiam, neque qui religione & officio, temeritatem inconsultam adhibere in consilium velint. Illud autem omnibus velim persuasum esse, etiamsi cuncta ex sententia contingant, cùm perbrevi voluptate illos ulciscendi inimicos, & non illa tamen adeò explorata, Reipublicæ minimè dubiam perniciem ac liberis & conjugibus afferre: tum hos religiosos nimium in ducenda ratione officii, & patriæ se in eo æquè obesse, & non magis quam illos tutos ab imminenti ruina atque exitio futuros. Nobis id unum modò debet curæ esse, ut civitatem comprimendis iis quorum impunitas & licentia est periculosa omnium libertati: & à præsentibus malis pariter, & ab iis quæ in posterum impendent, tutam præstemus. Quod cùm ita sit, tantò magis liberis ab omni perturbatione animis dicere debemus de Republica sententiam, quantò nobis difficiliorem consultationem multitudinis temeritas & inconstantia facit: unde & in suscipiendo de re tanta consilio & in explicando, omnem duci rationem oportet. Itaque eos qui novo homini Reipublicæ imperium mandant, non ad suum ingenium fingere multitudinem, sed ad illius studia accommodare suum ingenium oportet: cùm id unum modo debeat in hoc probando consilio spectari. Tum enim est facilis explicatio consilii, ubi cùm paucis nobis, qui viri boni iidem ac prudentes sint, proposita est de rebus maximis consultatio. Nam etsi est minus necessarium, est verisimile tamen in primis, majorem esse in his prudentiam, gravitatem, magnitudinem animi, quàm in multitudine: ut cùm eam rationem inierint, quæ sit optima & tutissima, tueri eandem constantia & autoritate possint. In multitudine, cùm horum simile nihil, tum diversa contrariaque omnia habentur: levitas, inconstantia, temeritas, abjectio animi, & quibus quò velis nullo negotio flectatur, sordes & cupiditas quæ nullam rationem & modum habet. Nihil illa novit quod honestum sit, omnia temerè ad voluptatem, nihil ad veram laudem agit, ratione adducta & judicio. Eodem loco cuncta posita habet: officium, religionem, fidem, & contraria adversaque vitia: ut cùm propriam venalem habeat libertatem, modò licitator emptorve adsit, alienam cuivis temerè sit addictura. Nam temeritas est & inconstantia tantò cæteris gravior, quantò hoc. ingenii vitium magis, quàm usus: alia sunt usus magis, quàm ingenii. Itaque eum quem civitatis principem modò agnovit, altissimo gradu gloriæ dejicit: alium eodem loco constituit, ex humili fortuna provectum: eadem mox desiderio illius quem improbavit, præsentem agit præcipitem: eundem restituit, quem paulò antea ignominia affecit. Quæ cùm minimè obscura sint & latissimè pateant: quis obsecro erit adeò in civitate popularis, qui speret ulla se unquam benemerendi ratione solidam à populo & diuturnam gratiam inire? In eadem civitate quæ gloriæ atque imperii domicilium maximarùmque virtutum omnium habuit constitutum, *Camillum*, *Scipionem*, *Marium*, viros fortissimos ac clarissimos imperatores, devictis hostibus ac liberata patria, summa cum gloria triumphasse, damnatos eosdem in exiliumque actos: *Athenis* morte affectum *Socratem*, pulsum *Aristidem*, sanctissimum utrumque hominem legimus. Nam ut ad propiora veniam, & quorum omnes possumus meminisse: *Cosmum Medicem* in capitis periculum adductum, majestatis damnatum è patria ejectum, restitutum eundem atque ovantis more urbem invectum, deturbasse è civitate potentissimos cives inimicos acerrimos, hæc ipsa civitas paucis ab hinc annis vidit. Ac ne diu vos exemplis teneam: periculum si libet facite. Deligite quem optimum civem sapientissimumque omnium in civitate esse statuitis, credite illius fidei Rempublicam illum dejicite cui credita erat, improbum hominem & perditum: probate vos multitudini rectè fecisse: qui vobis finis erit expediendi consilii, illi improbandi initium erit. Nam brevi misericordia invidiæ victrix, eum cujus diu imperio assuevit, quem Reipublicæ moderatorem, quem civitatis principem vidit, jacentem erigere: novum hominem ad principatum è privata domo evectum, detrahere (ut jam dictum est) de summo loco conatur, neque eum facilè ferentem commutationem fortunæ tantam, neque ex fortunæ commutatione paratam semper atque imminentem à multitudine invidiam. Eundem porrò cui imperium restituit, ubi eorum qui parere debent, recuset imperium, cunctantem & tergiversantem depellit, atque ad nova semper consilia, sæpè ad ea quæ improbavit, perpetuò in eo sui similis, recurret. Itaque cùm semper suo ingenio rerum novarum esse cupida videatur: tamdiu spes est illam in officio manere, quamdiu ad seditionem materia desit, quæ nunquam deesse volenti in summa hominum improbitate potest. Ut igitur in morbis fere capitale est, eo levi de causa improbato, quo diu medico usi sumus, novo medico & cujus curationi non assuevimus etiamsi minimè illius fides nobis & diligentia suspecta sit, salutem nostram committere: ita nunquam intestinis malis civitati affectæ, transferenda ad novos homines Reipublicæ procuratione, consulitur. Quid enim? virum (inquit) bonum delegi, excellenti ingenio, egregia fide, prudentia singulari, nemo negat. At cui est ille successurus? homini non malo, pari ingenio, præstantia, fide, in eo aliquantò superiori, quod usu novit tractare multitudinis animos, & cùm illius morbis qui multiplices & graves sunt consilio mederi, tum perficere autoritate ut parere meliori (quod quidem magni refert) cupidissimè etiam velit. Neque verò illud contendo quod esse vobis debet gravissimum, ejus fidei, qui princeps vestris suffragiis est in Republica futurus, adhuc nullum esse in privata fortuna periculum factum: & sæpè eos qui privati habiti viri boni sint, positos in summo honore, alios mores & vitæ instituta probasse, quàm antea sequuti essent: contra in iis quos tot jam annos adesse ad gubernacula Reipublicæ voluistis, nunquam à vobis fidem, constantiam, studium in vestra salute procuranda esse desideratum: id quod vobis facilè constiterit, ubi hinc odium, maledicta, & criminationes inimicorum facessant: quæ plurimum semper *Medicum* causæ obsuerunt. In eodem vestigio persisto. Fingite (inquam) animis hunc vobis è cœlo demissum hominem sapientissimum, omnium mortalium sanctitate religione, probitate summa. Quid si minus ille tamen populo probatur? quid si rejicitur? quid si homines seditiosi urgeant, ad desiderium ejecti principis, ad studia hominum, stimulos addant, faces admoveant, impellant ad arma? At erunt qui nostram autoritatem sequantur & in causa sint constantes futuri: audio. Ergo civitatem dividi studiis placet, & per civiles discordias in omnem occasionem hostibus intentis, ad nostram ruinam aditum patefieri. Adest vicinus Pontifex per occasionem summæ potestatis, cùm ab ingenio ferociam, à fortuna vires habeat, non Pontificatu nobis modò, sed cupiditate, quæ vasta atque immanis, inhiare jam omnium fortunis videtur, semper nobis formidabilis futurus. Parum fidus amicus *Ferdinandus*, æquè dubiæ fidei & constantiæ *Sfortia*. *Venetus* inimicus potentissimus, veteres injurias hostili semper animo persequuturus. Nam exules ita infesti civitati immi-

imminent, ut in magno sui desiderio, nostra summa invidia, gravissima populi offensione, non desperent reditum sibi in patriam ita discissam partium studiis, brevi comparatum iri. Quæ quidem qui obcœcati cupiditate minus videre possunt, quo modo eam sententiam dicere queant, quæ è Republica sit, planè ignoro. Nam in illis quibus ea cognita sunt, & in sententia tamen persistunt, cum animum in patriam desidero æquiorem, tum quidem eam mentem requiro, ut odio atque iracundia comprimenda, Rempublicam quam obrutam inimicorum ruina perdere instituunt, pro ea quam illi debent pietate incolumem salvamque velint. Quanquam quis ita est rerum imperitus qui hæc ignorare possit? quis (inquam) qui cum eadem perspiciat: non simul quot Reipublicæ impendeant mala, multò ante etiam animadvertat? Jam illud longo usu rerum compertum est, in dissensione civium, ut maximæ vires essent, & invictæ æquè à bellis externis, nunquam diuturnam Reipublicæ salutem & libertatem fuisse. Quid cùm metus armorum accedit ad intestinum malum, cujus nunquam est hæc civitas in tanta ambitione Principum expers futura? Quemadmodum verò corpora, ubi diffident inter se partes & affectionibus diversis pugnant, omnis extrinsecus allata vis facilè perdit: eadem in firma corporis constitutione & benè consentientibus partibus, & vegetiora sunt, & suum robur facilius tuentur: ita civitatem cum parum tuta est à discordiis, atque in visceribus tanquam malo incluso laborat, quantumvis leves intercedant casus, qui minus provisi sint, evertere facilé illam possunt: in consensione eadem civium & concordia, ad omnes casus, si qui accidant, firmissima comparata subsidia habebit. Maximas autem civitates videmus cum armis parere sibi ferocissimas gentes & nationes coëgissent: victas domesticis ac civilibus bellis concidisse. Nulla sunt in civitate firmiora præsidia, quam ea quæ ex civium concordia comparantur: nulla pestis major aut execrabilior; quàm quæ ex dissensione atque odio civium orta multitudinem contingit. Tantò autem sunt morbi majores vires, quantò imbecilliores sunt qui eo afficiuntur. Quanquam quæ causa est hujus initi à vobis consilii? quo suo merito duo clarissimi adolescentes nostræ civitatis, ex amplissima domo, & cujus sunt eximia & præclara merita in hanc Rempublicam digni vobis videntur, qui per summam injuriam eo loco pulsi, quem majores eorum retinuerunt honestissimum, ac fortunis patriis eversi, adeò insigni ad posteritatem nota ignominiæ infames reddantur? At quicquid inimici maledicendo conentur *Medicum* laudes elevare: ita se *Cosmus* & ejus *Petrus* filius horum pater adolescentium in rerum maximarum procuratione gesserunt, ut si quid hi deliquissent, digni vobis videri deberent, quibus id à vobis quicquid illud esset condonaretur. Nunc verò qua in re illi unquam offenderunt? Imò quam non officii, pudoris, probitatis, virtutis significationem in hac sua ineunte ætate, ita illa semper sua sponte præcipiti ac lubrica dederunt? Quæ res unquam est per *Petrum* gesta, cujus non fuerit adolescens filius, non particeps modò sed etiam autor? Impedit me præsentis moderatio & pudor cujus sine magna offensione hoc minimè fieri à me posse intelligo, quò minus multis, ut constitueram, de illius laudibus agam. At ingenium probatur: ætas requiritur, & qui esse in adolescente non potest, rerum usus. Quasi verò ætas magis quam naturæ vis, ingenium, disciplina, liberalis educatio, cujusmodi esse debeant, homines efficiat. Et si autem is à puero tenerum animum imbuit iis artibus, sine quibus rectè administrari civitates & magna imperia non possunt. Ita semper patri affuit dum is summam Rempublicam gereret, viro prudenti & civi optimo, ut magnam nobis spem afferat, neque consilium, quod quando de ingenio convenit, non desideratur, neque rerum usum, qui mediocris etiam in magnitudine ingenii excellit, Rempublicam capessenti defuturum. Sed tamen (ut cætera absint) ad magnam indolem virtutis, quæ satis per se ipsa præstat, ut minus ætatis firmitas necessaria sit, prudentium hominum autoritas accedet, & benè de Republica sentientium, à quorum est nunquam consilio discessurus: ut quod unum videatur optatissimum civitatis contigisse, spes magna sit, quasi adolescere in Reipublicæ sinu summam virtutem, quæ studio diligentiàque exculta, uberrimos suis civibus fructus sit aliquando allatura. Hæc si qui sunt qui non videant, ac quoniam memoria aliqua in illis resideat odii & simultatis, cum liberis susceptas adversus patrem inimicitias exerceant: quo ea facilius quæ dico vera esse intelligant: tollendæ ex animo illis quasi quædam offusæ tenebræ, odii, malevolentiæ, cupiditatis, necessariò videntur: certè patriæ causa, quando nullam hac una referre illi gratiam majorem possunt, injuriæ omnes inimicis etiam, quæ ad constituendum Reipublicæ statum sint impedimento futuræ, sunt condonandæ. Vidit illa atque quàm vellet quidem sæpius vidit, in mutuam perniciem armatos cives, aspersum eorum sanguine forum, direpta templa, incensas domos, avulsos à complexu parentum innocentes liberos, optimos cives ejectos, inferentes in urbem signa infesta hostes: quibus illa malis tantis ita modum aliquem sperat per civium concordiam posse imponi, ut si pergitis diutius ita inter vos odio & inimicitiis certare, de communi salute & libertate actum iri intelligat. Itaque quanquam ego mea sponte faveo adolescentium causæ, res me tamen publica movet maximè, per vestram fidem hoc à vobis, perque eam, quam à vobis patria requirit, pietatem, per Dei immortalis religionem hanc sanctissimam, cujus estis sacris initiati, per jura (inquam) à vobis divina humanáque omnia contendam ut memoriam veterum injuriarum ponere, id à vobis ex hoc sacro loco superis omnibus postulantibus, & mentem meliorem in Rempublicam privatósque omnes gerere velitis. Hac *Thomæ* oratione magna omnium assensione audita, cùm nemo jam non videretur duobus fratribus reconciliatus esse: *Laurentius* ita celso atque erecto animo próque hominum sensu & ratione temporis dicitur verba fecisse: ut nulla jam cuiquam fuerit mora, quin facta jurejurando fide se optimo animo inimicitias & simultates omnes Reipublicæ condonare, cùm adolescentibus in gratiam redierint, *Thoma Soderino* in primis verbis amplissimis collaudato, cujus unius virtute & moderatione animi restitutam eo die Reipublicæ salutem, ac privatis vitam & libertatem faterentur. Ita summa frequentia hominum honestissimorum cum populus clamore & plausu prosequeretur, *Laurentio* & *Juliano* domum deductis: unus in omnium ore *Soderinus* hominum studia atque eorum maximè qui otio & concordiæ in civitate studebant, in se converterat: magna illis spe facta per civium optimorum consilium Rempublicam *Laurentium* administraturum. Quam ille spem suorum minimè fefellit. Nam præter *Thomam Soderinum* cui in omnibus primas deferebat, *Joannem Canigianum* & *Antonium Putium* habebat notæ homines prudentiæ & fidei, quos, si quid aut publicæ, aut privatæ rei esset agendum, consuleret. Quod ille institutum & ad declinandam invidiam & ad judicium confirmandum ratione optima susceptum, constantissimè in omni sua vita publicis maximè rebus procurandis retinuit. In consulendis amicis, sive ille fidei hominum, sive constan-

tiæ diffideret, aliquando variavit: minimè diu iisdem usus. Quos verò adhibere in consilium decrevisset, non illos quidem eodem tempore, sed seductos ab àliis de Republica consulebat. Ita ubi ab iis qui quæ aliorum esset sententia ignoraret, eadem afferri comperisset, in multorum consensu quem neque præsentium æmulatio divelleret, neque studium & gratia in mala sententia tueretur, consilium optimum esse & tutissimum arbitrabatur. Cùm optimis *Laurentius* auspiciis accessisse ad capessendam Rempublicam videretur: in magna *Italiæ* quiete, cùm neque foris bella, neque domi civiles discordiæ civitatis statum perturbarent: novi motus, repentè ac præter hominum expectationem exorti Rempublicam penè everterunt. Erat *Bernardus* ex *Nardorum* familia cum primis honesta civitatis, propterea quòd *Silvester* illius frater superiore bello cum cæteris exulibus interfuisset, post belli finem veluti cum fratre communia consilia habuisset, & pulsus in exilium, & publicatis bonis hostis judicatus. Cùm acer juvenis & impiger esset atque ad quodvis facinus audendum animo paratus: præter insitam menti ferociam, justis (ut ipse rebatur) de causis odium in *Medices* susceptum, patriæ desiderio, quod calamitas exilii augebat, aliquamdiu aluerat: gravissimis vitæ incommodis, quæ exilium consequuntur, in non mala causa jactatus. Ita cùm pax firmata atque ab armis discessum esset: omni spe abjecta per pacis tempus in patriam redeundi, cujus bono fessi diuturnis bellis, liberatis metu & cura animis fruebantur, aliunde sibi aditum patefacere ad suos instituit. In magna autem securitate inerti otio sopitos homines, cùm magis sedati tumultus, quàm causæ tumultuandi sublatæ viderentur, quæ penitus mentibus hominum infixæ non poterant facile evelli: incautos opprimi posse non desperavit: quod ut accideret, singularis audaciæ rem, cùm neque vires consilio, neque consilium viribus adesset, & quam non tàm ratio ulla, quàm exitus probaret, aggreditur. Erat huic juveni jampridem instituta familiaritas & usus, cùm quibusdam *Pratensibus*, cùm primis inter suos honestis, quorum autoritate posse oppidum impelli ad defectionem, ubi exulum auxilia accessissent non diffidebat. Horum enim literis, cùm quotidie (ut fit) de publicis & privatis eorum rebus certior fieret: intelligebat, sive magistratuum injuria qui in illos immoderatè atque avarè imperium administrarent, sive sua sponte, ut in seditiosa multitudine, alienatis à *Florentinis* animis ad res novas spectarent: per eos qui adversas partes *Medicibus* foverent, rem *Prati* ad tumultum & seditionem trahi: nihilque propius esse quàm ut sequuti *Pratenses* defectionis autores, qui se illis offerrent, oppidum à *Florentinorum* imperio vindicarent. Hæc cùm ita *Bernardus* cognita haberet, ut in magna animorum inclinatione, non ita magno negotio rem confici posse speraret: quàm primum suorum animos tentare,& quantum autoritate consequi & consilio posset eos trahere in apertam defectionem constituit. Ubi autem tanti motus principium extitisset, planè sibi persuaserat, necessariò rem *Prati* venturam ad arma, & quod caput esset, per ejus tumultus occasionem, cùm non deessent, qui parum æqui *Medicibus*, causam rerum novarum quærerent, *Florentiæ* seditionem aliquam exorituram, rem maximè opportunam ad spem reditus ejectis faciendam. Accedebat ad illius confirmandum consilium, quòd in agro *Pistoriensi*, multos aut amicitiæ conjunctione, aut beneficio sibi devinctos habebat. Hi sua sponte seditiosi, inter perpetuas civium dissensiones, qua re semper ea urbs ad perniciem usque laboravit, multorum cæde contaminati, tum ob judiciorum severitatem, cùm ea maximè necessaria videretur

A ad egentes & perditos homines à scelere & maleficio deterrendos, magistratibus infensi: ad quodvis facinus & concipiendum animo & re perficiendum apti habebantur. In his longè *Palandrii* excellebant, quoniam clientium, atque affectatorum numero præstabant, & plura admiserant, quàm ut iis posset ignosci sine multorum pernicie, quibus cum inimicitias gerebant. Cùm hi maximè omnium visi idonei essent quibus transactoribus, atque administris ad rem tantam conficiendam uteretur, rem per eos aggredi, ac ne quid temerè fecisse unquam magis, quam certa ratione adductus videretur: *Dietesalvium Neronium* adire atque eum B de omni re agenda consulere, constituit. Ita cum eo re communicata, cùm (id quod permagni intererat) quæ auxilia illi essent præstò futura, ubi *Pratenses* ad defectionem induxisset ad reliqua incœpta maturanda percunctatus esset: collaudatum juvenem quòd dignam se majoribùsque suis cogitationem suscepisset: atque ad ea alacriter persequenda, quæ opus essent confirmatum à se dimisit. Tametsi autem prudenti homini & quem fortuna sæpè magnis gerendis rebus fefellerat, res factu difficillima videbatur: tamen cùm sive prosperè & ex sententia res eveniret, lætæ fortunæ participem se, sive minus rectè succederet, nullo suo C periculo ab illo peccatum iri intelligeret, rem minimè esse aspernandam arbitrabatur. Itaque abeuntem prolixè prosecutus, magnis pollicitationibus, ac spe implevit, fore ut si paucos dies modò, oppidum in fide contineret, minimè illi dubia auxilia ab exulibus tum *Ferraria* tum *Bononia* adessent. Ea re ita administrata cùm juvenis optimè spei plenus animum ad quamvis fortunam ferendam, quæ rem agenti esse subeunda videretur, confirmasset: *Pratum* occultè venit, atque cùm amicis collocutus, ubi quemadmodum speraverat, non esse aversos à novis consiliis animadvertit, illis & quid agi vellet, & quo id modo & ratione D ostendit. Ad hunc modum *Pratensium* animis confirmatis, cúm omnia de industria majora ostentando facile sua sponte inclinatos, in sententiam adduxisset, atque accepta fide sibi illos in tempore non defuturos: in re quæ multorum fidei credita esset, errore hominum quamdiu liceret, ac celeritate in primis utendum arbitratus, *Palandrios* continuò convenit. Tum iis edoctis quid eos facere & quo die sibi armatos præstò esse vellet, de eo *Neronium* certiorem faciendum per certos homines curavit: ne quando ubi res postularet exequi promissa cunctaretur, & sibi in mora rem gerenti esset. Erat res tamen in nonnulla difficultate, propterea quòd E Magistratus etiamsi in cæteris sopita omnis cura administrandæ civitatis videbatur, severè edixerat, ut qui oppidis præessent, quæ erant in Reipublicæ ditione, quotidie vesperi occlusis portis, sibi claves referri juberent, nihil de pristina diligentia remittendum esse arbitrati, quàm belli tempore magis quidem, sed perpetuò tamen suspecta semper hominum fides requireret. Quanqam verò semper hoc hominum institutum omnibus oppidis tuendis servatum est, tamen in iis maximè retinetur, quæ aut situ aut opere munita ubi in potestatem hostium veniant, objecta propugnacula videantur iis qui ea amiserint futura. Quæ eorum diligentia, ac F vigilantia, nunquam ut maximam etiam adhibeant, hominum insidiis ac perfidia major: sæpè ut tuta minus ab fraude fit, nonnunquam casus magis quàm scelus, aut imprudentia eorum efficit, quibus urbis custodia mandatur: id quod tunc usu venit. Interdum enim nisi tempora arctiora sint, sive ingredi honesti homines, sive egredi velint, atque adeò sæpè nocte intempesta, Præfecti portas aperiri permittunt. Quæ consuetudo cùm esset nota conjuratis, constituta ab illis hora, qua *Bernardus* cum

cum armatorum manu adeſſet ad portas: paulò ante lucem, cum armatis ad centum numero adjunctis *Palandriis*, ad eam portam quà *Piſtorium* itur, rei eventum opperiens ſubſtitit. Interea unus ex conjuratis, dum alii intenti ſunt armis expediendis, eadem ferè qua ille advenerat hora, Prætorem adit, atque cùm per cauſam faciundi itineris claves poſtulaſſet, facilè ab eo, cui nihil hujuſmodi veniret in mentem ſuſpicari, ut ſibi oppido exire liceret impetravit. Ita ſequutus ſuperiorum inſtitutum qui facilè in eo oppidanis gratificari conſueverant: uni ex apparitoribus negotium dat, qui ubi vellet illi portas aperiendas curaret. Eum certum in locum de induſtria adductum, conjurati repente è latebra qua deliteſcebant, ut convenerat, proſilientes, comprehendunt ac diu recuſantem metu mortis injecto ni pareret, claves tradere ac ſe ſequi jubent. Hinc ad portas profecti, ad cæteram hominum diligentiam, noctè opportunè inſidias tegente, recluſas patefaciunt, ac quò minus rem induſtriè exequerentur prohibente nemine, *Bernardum* intus armatum accipiunt. Ad hunc maximè modum oppido occupato, quod quidem ubi exules cenſuiſſent eandem ſibi celeritatem & vigilantiam adhibendam, magni motus principium erat *Florentiæ* futurum: diviſis partibus alios ad arcem recipiendam duce *Silveſtro* impigro homine atque audaci, *Bernardum* ad occupandum forum & Prætoriam domum cum cæteris proficiſci placuit. Quod illi cum impigrè egiſſent, relictis paucis qui arci præſidio eſſent ac Prætorem cuſtodia diligenter aſſervarent: per vacuum ab armis oppidum, populum ad libertatem vocantes excurrunt: ut fides fieret non ſe oppreſſores, ſed vindices libertatis adveniſſe, abſtinere ſuis à cædibus & direptionibus atque ab omni alia injuria in privatos juſſis. At oppidani orta jam luce ad tumultum excitati, cùm diſcuſſo errore, urbem captam ab armatis teneri, & vocari ſe ad libertatem, quieſcentibus iis in quorum poteſtate oppidum eſſet, non ſatis cauſa tanti motus perſpecta, animadverterent: in forum concurſu facto, taciti qui ejus eſſet exitus futurus, dum inter ſpem & metum animos verſarent, armatorum hominum libidini, atquæ avaritiæ expoſiti expectabant. Ac cùm ſtupefacti ſubita re, & voces tamen excitantium ſe ad libertatem audirent non inviti & quid ſibi eſſet agendum incertis animis fluctuarent: *Bernardus* nuntio accepto, eos qui Prætori in Magiſtratu aſſidebant, aliam in partem conveniſſe, ac quanquam eo in cuſtodiam tradito, qui Reipublicæ nomine præerat, de ſumma rerum conſultare, cùm neminem interea tumultum per eam occaſionem excitare, ſed quieſcere omnes nullam vocem liberam mittentes, quæ fidem faceret, rem multitudini probari, ac cætera contra atque ſperaſſet, accidere animadverteret: adire ipſe Magiſtratum decrevit. Ubi autem homines ſua oratione confirmatos in ſententiam perduxiſſet, futurum non diffidebat (vana conjectura ex ſui animi ſtudio de aliorum voluntate facta) ut populus nactus autorem magiſtratum, quem ſequeretur, omni cunctatione abjecta factum probaret. Ergo re ad hunc modum excogitata, ad eos ſeptus armatorum manu profectus ita verba feciſſe dicitur. Cùm ego adhuc in capta urbe incruenta arma geram, minus ſanè mihi neceſſe eſſe intelligo, longiore oratione, qui meus in vos animus ſit, declarare. Nam quod optatiſſimum omnibus jucundiſſimumque eſt, ad vos veſtræ autor ſalutis advenio, libertatem vobis ſi modò viri eſtis, quando is dies primus *Pratenſibus* illius recuperandæ illuxit, à crudeli paucorum atque immani dominatu, hujus tantæ rei autoribus uſus viris honeſtiſſimis, & probatæ virtutis, vindicaturus. Quæ quidem res tantò vobis in præſentia gratior quantò illa minus expectantibus videtur accidiſſe, cùm æquè eſt omnibus in poſterum futura magnæ laudi, tum integros eoſdem ac tutos reddit ab iis malis, quæ gravia adhuc expertos, multò majora indies ac minus ferenda liberis hominibus, cujuſmodi vos eſſe præ vobis fertis, videntur manere. Plura dicere cupientem temporis exiguitas prohibet, quæ tamen ipſa ut minus eſſe neceſſaria exiſtimetis, & prudentia veſtra vos & horum temporum ſtatus monere in primis debet. Tantum illud dicam quod ubi ſemel perſpectum habeatis, omnem in vobis moram & cunctationem tollat. Cùm enim idem vobis dies & malorum finis & ſalutis initium futurus ſit: ne quando vos pœniteat autori vos veſtræ libertatis, quæ ſalutaria atque honeſta ſint ſuadenti paruiſſe, vobis certiſſima auxilia & validiſſima ſpondeo: quibus tecti & muniti adverſus crudeliſſimorum hominum vim, æquè tueri redemptam libertatem meo labore & conſilio, & ulciſci veteres offenſiones, quod ſummæ voluptati eſt injuria affectis, facillimè poſſitis. Propediem *Hercules Ateſtinus Ferrarienſium* Dux aderit validis copiis inſtructus, jam pridem ille cura reducendorum exulum ſuſcepta *Medicibus* infeſtus, quos non odiſſe vos & veſtræ libertatis eſſe memores minimè poteſtis: à *Venetis* item haud dubia auxilia aderunt, nunquam illis *Medicum* familiæ æquis, & quam ſibi laudem quærunt, vel ſumunt potius jam omnium conſenſu, adjutoribus ſemper futuris, à nefariorum hominum tyrannide oppreſſos populos, ſua autoritate liberandi: quod adeo laudabile inſtitutum, minimè ſunt in vobis hoc tempore neglecturi. Ad hæc omnia, quò rem audacius atque alacriore animo ſuſcipere, utque viris fortibus dignum eſt, oblatam vobis tantam divinitus occaſionem capeſſere, ne vereamini (quod ego multorum literis habeo compertum) *Florentiæ* nobis ſecunda omnia contingent. Multitudo enim alienata à principibus graviſſimis eorum injuriis, ac ſeditionibus & diſcordiis, civitati inveterato morbo, perpetuò jactata, ſimulatque accipiet, libertatis capeſſendæ à vobis principio facto, inventos eſſe qui auſi ſint à ſceleratis dominis deficere: arma veſtro exemplo ad ſe vindicandam in libertatem continuò ſumet. Quæ res quanti vobis debeat videri ad veſtra confirmanda conſilia, non ignorare vos arbitror, prudentes homines, & haud noſtrarum contentionum ignaros. Itaque cùm ancipiti malo, & domi inteſtino bello & foris externis armis communes inimicos diſtineri eodem tempore ac diſtrahi neceſſe ſit: à nulla illi jam parte ſatis tuti (quod ego vobis polliceor futurum, haud indignus autor cui etiam agenti de maximis rebus aſſentiamini) integram poſthac vobis fruendam libertatem ac quibus viſum fuerit legibus, permittent. Quæ ſe vobis occaſio offerat animadvertitis: habetis meum conſilium, tum qui nobis ad omnia præſidio futuri ſint, præſto eſſe armatos homines atque eos quidem inſignis & ſpectatæ virtutis intelligitis, ut jam quid vos agere oporteat, ignorare haudquaquam poſſitis. Quæ cùm ita eſſe intelligerem, plura dicere in hanc ſententiam ejus eſſe hominis cenſui, qui aut eos ipſos apud quos verba faceret, aut ipſe ſe, aut qua de re ageret, planè ignoraret. Itaque (quod unum reliquum eſt) illud vobis in præſentia ſpondeo, quicquid vobis eſſe agendum de veſtris rebus ſtatueritis, meam ſemper in vos benevolentiam & ſtudium quos pulcherrimo facto aſſerere in libertatem, ac magno meo periculo (quod vos non fugit) minimè veritus ſum, præſto æquè vobis perpetuò fore. Nihil illi moti *Bernardi* oratione, paucis pro temporis ratione, & ut minimè ſuæ libertatis eſſe immemores viderentur, reſponderunt. Quòd ille per vim occupata urbe à cædibus, & direptionibus abſti-

abstinuisset, cùm quidem utrumque armato liceret: non tàm illi *Pratenses* ex animo agere gratias, quàm queri atque expostulare, quòd cùm minimè de eo ita essent meriti, perfecisset (quicquid illi esset visum de gravissima injuria remittere) ut quod pro beneficio æquiùs erat, pro condonata illis patriæ eversione, cuiquam essent gratiæ habendæ. Ita cùm beneficium ostentet (si vera modò audire æquo animo patiatur) fatendum illi necessariò esse, non se laudem ullam promeritum, quoniam potuerit à gravissima injuria abstinere, sed reprehensionem potius, quòd injuriam minus illam sanè gravem, si quis velit spectare cujusmodi fuisset futura, ubi armorum impunitati esset adjuncta nocendi voluntas, sed injuriam tamen, in amicos sibi homines nullo eorum lacessitus maleficio intulerit. Itaque leviorem illius culpam videri posse: videri eundem penitus culpa carere minimè posse. Libertatis vindicem quando ipsi nulli serviant, quærere se quidem neminem. Legibus enim & magistratibus ita parere quorum sit legitimum imperium, ut etiam si nullus alius à Republica mittatur, qui juri dicundo præsit, sua sponte delecturi ipsi sint communis salutis causa, cui vitæ & necis in se potestatem permittant. Quin etiam si ea servitus esset habenda quæ legum vi, ac judiciorum severitate, improbos & nefarios à scelere, atque amentia retardaret: ea autem libertas quæ solutis omni metu hominibus facultatem permitteret, quæ vellent agendi: libertatem, quæ non inutilis modò, sed perniciosa etiam saluti omnium esset, remittere se ejus vindicandæ autoribus non invitos: contentos eosdem futuros ea servitutis conditione, cui improbi addicti quò minus boni libertate fruerentur, non essent impedimento. Externis auxiliis cum maxima & firmissima illi habeant in concordia civium constituta, nisi ille patriam repetere per aliorum perniciem, quàm eadem carere per suorum injuriam malit, neque indigere in præsentia, & ut in posterum ne indigeant, adnixuros. Quæ *Florentiæ* agantur ita ad se pertinere existimare, ut quorum semper mitissimum in se imperium & justissimum fuerit, iis diuturnum illud esse amplissimumque velint: utrum quidem rectè an minus inter principes conveniat de summa Republica non esse *Pratensium* cognoscere: cùm enim pari in omnes observantia sint, unum curare se ut civitati sua fides constet cujus beneficio liberi sint, ac suis legibus utantur, nemini addictos qui privatus separata consilia á Republica habeat. Qua re (quod reliquum esse videatur) se illum etiam atque etiam orare, ut Prætore viro optimo libertati restituto, ac metu omni Republica liberata, discedere de medio, ac participes consilii alibi quærendo, haud trahere se in certam perniciem velit, & invitos & minimè dignos qui tanta injuria & calamitate afficiantur. Cum quanquam ita illos affectos, haud tamen *Bernardus* desperaret, ubi metus injectus esset, quam maximè vellet sententiam probaturos: Prætorem educi è custodia, ac magistratu populoque inspectante è fenestra Prætoriæ domus suspendi imperavit. Ita in magna omnium trepidatione cum jam rumor dissipatus esset de Prætore supplicium sumi, in quem minimè dubia multitudinis studia inclinabant, jam ille ad tàm triste, atque atrox hominis imperium collo laqueo inserto, ex superiore ædium parte, quò magis conspectus homines supplicii fœditate deterreret, producebatur: vir minimè dignus, qui inexpiabili odio elatum juvenis animum, ultimo supplicio exsaturaret. Is est *Cæsar Petrutius* qui postea in *Patiana* conjuratione *Vexillifer* Reipublicæ egregiam operam duobus fratribus *Medicibus* navavit. Cùm igitur, ut erat acri ingenio, atque animi præsentia & consilio præstabat, neque extremo vitæ tempore fa-

A cilè sui oblivisceretur: ad novum consilium animum adjecit, ac *Bernardum* jam agi in eum jubentem appellat: ubi pateretur pauca secum communis salutis causa communicari, pollicitus se illi ea allaturum, quæ sciret magno usui in præsentia rem gerenti esse. Quanquam ferox juvenis ingenium, & non satis accommodatum ad probanda meliora consilia hinc odium atque iracundia, hinc voluptas summa expiandi exilii inimici supplicio, in primis acuebat: movit tamen objecta utilitatis species dubiis suis rebus hærenti, cùm nullum inire consilium, aut explicare satis posset. Itaque jussis suis consistere, ac Prætori potestate dicendi

B facta, quid ille sibi vellet percunctatur, superbo adjecto imperio, ut paucis rem expediret cum visus esset per colloquii occasionem moram supplicio quærere. Ita ille hominem obtestatus, ut collecto tandem animo, quem rei tantæ magnitudo perturbaret, tutiora sequi consilia mallet quàm quæ iracundia & ferocia suaderet: facilè demonstrat (quod loqui res ipsa videbatur) omnia contra ab illo agi, atque ratio institutæ rei postularet. Quemadmodum enim Prætore affecto supplicio, multitudinem quæ illius perstudiosa sit, iracundia in autorem supplicii exarsuram: ita eodem conservato (quod minimè illum prætereat) ejus in omnibus sequutu

C ram sententiam atque autoritatem confirmat, cujus diu fidem atque abstinentiam gerendo magistratu probarit. Itaque modò sibi permittat, ut populum alloquatur, prolixè ei omnia de illius voluntate quàm optimè perspectam habeat, polliceri. Videri autem in primis illius rationibus conducere, ut per quietem atque otium, armis captum oppidum, quod quidem & ipse viderit, qui suos à maleficio atque injuria prohibuerit, secunda hominum voluntate retineat. Temporis quidem causa & vitandi supplicii, posse hæc à se dici existimari: quæ tamen nisi certa ratio confirmet, neque moram se ullam supplicio sua oratione deprecari. Nam

D quòd existimet adeò severa & tristi animadversione homines territos in officio contineri, longè illum falli. Semel enim occupatis misericordia animis, futurum ut desiderium illius, quem amiserint, non tàm afferat metum ad offensionem dissimulandam, quæ ex supplicii foeditate orta sit, quam vim & ferociam extorqueat ad vindicandam injuriam. Silentio se præterire quòd imminens mortis periculum dicentis suspectam orationem faciat, in se illum adeo tetro ac detestando mortis genere sævire: qui unus omnium maximè paucorum potentiæ infensus præsentem rerum statum oderit semper execratusque sit. Comprimere homines præsentis doloris sensum, metu im-

E pendentis, quem tamen vultus sæpius quàm oratio indicat. Eò enim ventum esse hominum insolentia, ut nimis magno redimatur libertas iis, qui servitutem perferre minus noverunt, fortunarum, dignitatis vitæ amissione. Sed ut nihil tamen horum sit: si modò possit inducere animum ut assentiatur salutaria atque utilia suadenti, facilè tum intellecturum non se magis vitæ alterius, quàm suæ saluti hac tanta remittenda injuria prospexisse. Facile fuisse oppidum occupare nullo armatorum præsidio munitum: ut illud diu in potestate habeat, quod totum ab iis sit, qui populo præsint, quibusque Prætoris autoritas antiquissima, omnia quæ agant publicè atque admi-

F nistrent, ut maximè is velit præscribat, se unum perfecturum. *Bernardus* qui populo quiescente quem moturum aliquid speraverat, omnia circum spectando planè consilii inops, neque rei exitum ullum inveniret, & in primis fluctuaret animo: non esse aspernanda arbitratus, quæ *Cæsar* attulisset: illum ex suggestu, quod ex altiore ædium parte in forum spectat, concionari atque oppidanos, sive sua sponte inclinatos confirmare, sive alienatos conciliare, spe & pollicitatione maximarum rerum

rum jubet. Qua re administrata parum læto eventu: per eam moram temporis interjectam *Bernardus* sibi passus magnam occasionem rei agendæ manibus elabi, illum reduci in carcerem atque asservari diligenter imperavit. In re tàm gravi, & quæ ut nullo suscepta consilio celeritatem & præsentiam animi, ita explicata consilium ne dolo & fallacia debilitata langueret, requirebat: nimia cunctatione oppidanis spatium dedit ad se colligendos, qui erant noctis beneficio & errore opprimendi, ab iis qui plus animis audaciæ, quàm virium armis afferrent. Ubi enim sensim apparuit exiguam armatorum manum, & minimè parem multitudini resistenti futuram, momento temporis res compressa discussáque est. Erant complures in eo oppido *Florentini* honesti homines cùm primis sui ordinis & locupletes: inter quos maximè dignitate excellebat, *Georgius Ginorius* vir magni consilii & prudentiæ, eques ex *Rhodiorum* militum ordine. Is cùm *Bernardus* nequicquam multitudinem seditiosis vocibus ad tumultum, atque ad arma excitare conaretur, aut suo ingenio à rebus novis aversam, aut hæsitantem & torpentem metu: fortissimorum juvenum collecta manu, in eum de improvisò impetum facit, ac primò pedem referre, & loco excedere, mox fato illum suo, magis quàm inimicorum vi urgente, terga vertere, ac postremò circumventum & nocturno labore & pugnando fessum sese dedere coëgit: aliis omnibus ad unum, aut captis, aut interfectis. Hinc illo in carcerem conjecto ac Prætore educto, fortunæ vicissitudinis magno omnibus futuro exemplo, atque oppidanorum animis magna solicitudine & metu liberatis, *Bernardum* & qui socii participesque ejus consilii essent, cùm cura conquisitos *Florentiam* vinctos adducendos curavit. Jam cùm ea ad hunc modum *Prati* gererentur: ejus tumultus fama (cùm quidem quò latius manaret, aliquid semper ad id quod afferret, pro suo ingenio homines affingerent) aliquantò verò major perlata in urbem erat. *Pratum* vi captum Prætore cum universa familia interfecto, in exulum potestatem venisse: inter tumultus autores, esse *Pistoriensium* nobiles aliquot, qui subnixi multitudinis studio rem trahere ad defectionem conarentur. Ejus rei causa esse eam civitatem in armis, ac jam ad multitudinem sceleris contagione pertinente, ingenti consensu universos ad defectionem spectare. His nuntiis territa civitate, cùm populus frequens in forum convenisset: magistratus negotium dat *Ruberto Sanseverinati*, qui tum casu copiarum Reipublicæ imperator *Florentiæ* agebat, ut quanta maxima subitò posset militum comparata manu, ire *Pratum* ad tumultum sedandum properaret: ubi autem omnia pro sua fide & diligentia constituisset, quæ esse è Republica duceret: tum si quid ad ea agi præterea administrarive placeret, de eo quam primum certiorem magistratum faciendum curaret. Cum his mandatis *Ruberto* dimisso, nuntius ei à *Pratensibus* obviam præmissus occurrit, cùm à *Campis* Reipublicæ oppido aliquantum viæ processisset: qui & tumultum sedatum & emissum è carcere Prætorem, tum captos sontes in potestate esse significaret. Quibus cognitis rebus, eodem nuntio, qui hæc magistratum doceret, præire jusso, ad urbem rediit. Non ita multò post quàm hæc acta erant: *Bernardus* in vinculis cum cæteris *Florentiam* adductus, variè animos affecit: cùm multi ejus ferociam & temeritatem, plures exulum ignaviam & cunctationem accusarent: qui illi in tàm gravi re, atque opportuna non affuissent, omnes infelicis juvenis casum æquè miserarentur. Hinc de ea re quæstione constituta, cùm magistratus, quos ille consilii socios haberet, quibúsve autoribus & qua de causa rem tantam aggredi ausus esset, quæsisset: neque alios participes

A consilii quàm qui secum vincti adducti essent, neque aliam ob causam rem se esse aggressum respondit, quàm ut mortis honestæ periculo se quidem exilii calamitate, patriam *Medicum* tyrannide oppressam servitute liberaret. Cùm oratio visa esset à juvenis ingenio non abhorrere: magno ludibrio fortunæ, ab iis in quos insigne maximè beneficium sua spe, atque opinione constituerat, capite plectitur: cùm de cæteris pariter sumptum supplicium esset. Hac tanta exorta subitò & restincta flamma, repente obliti homines, ut fit in secundis rebus, quanto defuncti periculo essent ex nimio otio atque animi securitate: ad inertiam &
B desidiam conversis animis, ut nunquam antea majorum memoria, ad omnia vitia, quæ turpia magis & detestabilia sunt in hominum vita, intoleranda atque infinita licentia aditum sibi aperuerunt. Tanta autem infamia tum civitas laborasse fertur, ut scriptores ejus temporis (credo quòd natis hominibus ad industriam & frugalitatem, multò etiam quàm esset gravior videretur) dignam rem existimarint, quam memoriæ hominum proderent. Querebantur grandes natu homines temporum vitio commutata facie rerum, in qua civitate summa cum laude majorum, parsimonia victus & moderatio viguisset, in ea ipsa quas res privatorum am-
C bitio & mollitia animi ostentaret, luxum, illecebras, mollitiem, corruptelas, nequitiam omnem & vitæ turpitudinem hæsisse Itaque quorum majores multis laboribus ferendis, virtute abstinentia, probitate excolenda, civitatem florentissimam fecissent, eos tanquam pudore amisso, jam quod deperderent, nihil reliqui haberent: fœdissimis voluptatibus diffluentes, vino, alea, luxuria perditos, turpissimis amoribus atque intempestivis conviviis addictos, nullis non flagitiis coopertos & sceleribus conspici. In legum & judiciorum contemptione positam summam impunitatem: in au-
D dacia & temeritate fortitudinis laudem, facilitatis in animi remissione atque indulgentia, in maledicentia & dicacitate, commoditatis & elegantiæ: omnia languidè, dissolutè, molliter agi ac per summam ignaviam & inertiam. Corporis cultum in quo cùm studium atque industria excelleret; tum ne quid luxui deesset, unguenta summo labore & pretio quæsita consumerentur, quibus obliti in matronarum cœtu homines delicati atque elegantes niterent: contra cultum animi nullum: nullam disciplinam ac vitæ institutionem dignam liberis hominibus, nullam officii religionem, nullam fidei. Cætera ex eodem instituto, fœditatem in moribus & turpitudinem, studium eorum quæ
E conspicerentur, quod ambitio & cupiditas definiret immensis finibus: in lustris, in ganeis, in ludo talario frequentiam, in curia & foro solitudinem & vastitatem, alendis improbis hominibus, lenonibus, sicariis, aleatoribus profusissimos sumptus, fovendis miseris, honestis artibus provehendis sordes atque avaritiam incredibilem. Atque ut hæc tanta malorum vis altius infixa animis insideret, *Galeatius Sfortia* per causam, ut ferebatur, voti dissolvendi *Florentiam* cum uxore venerat regio quidem apparatu & penitus insolito liberæ civitati, in qua præsertim summa (ut diximus) parsimoniæ laus & frugalitatis haberetur. Jam *Lucen-*
F *ses* advenientem magnificentissimè exceperant, portam qua in urbem erat invecturus & turrim quæ è portæ fornice in ingentem altitudinem perducebatur, demoliti: nomine ut eo honore afficeretur qui magnis Regibus haberi consueverat, re vera, quòd illis ambitio hominis suspecta metum injecisset, ne turri occupata loco arcis, ubi res succederet, ad urbem expugnandam uteretur. Certè aliquid de ea *Lucenses* suspicatos esse, videtur *Cola Montanus* affirmare, qui postea *Mediolani* autor fuit, illius

interficiendi. Is enim quadam oratione *Lucæ* habita, cum civitatem ad faciendum fœdus cum *Xysto* & *Ferdinando* Rege adversus *Florentinos* hortaretur (utrum hoc ille sua sponte an Pontificis impulsu haud satis constat) ait se biennio ante *Bononia Lucam* profectum quò Magistratui *Galeatii* advenientis insidias indicaret. Sed hæc erat quidem ferè de illius adventu multorum opinio: secus prudentes homines censebant. Causa enim amicitiæ cum *Laurentio* firmandæ, & ut sua autoritate illius potentiam stabiliret, quanquam arrogantem hominem, & non ita facilè de suo jure decedentem venisse in urbem credebant. Multis autem de causis sibi *Medicum* familiam fovendam in Republica sua autoritate censebat: *Laurentio* adhuc in civitatis principatu hærente, & manentibus adhuc illi cum potentibus civibus simultatibus, qui nullam non occasionem captaturi viderentur, illius opprimendi: quod ille minimè suis rebus conducere arbitrabatur: cùm majora jam spe atque animo agitaret, & *Italiæ* sibi imperium *Galeatii* proavi gloriam & potentiam æmulatus sponderet. Divertit ad *Laurentium* exceptus ab eo magnificentia & comitate summa. Tum enim primum omnes expositas *Medicum* copias Populus vidit, cùm hominum invidiam, eorum aut potentia contemneret, aut animi æquitas superaret, quæ diu illas facilè texerat. In argento præter copiam quæ regiam opulentiam ostentabat, erant miro artificio vasa elaborata, gemmarum magna vis quæ aut in horum emblematis conspiciebantur, aut in peristromatis quibus auro contextis strati lecti in cubiculis nitebant. Tabulæ pictæ, signa ex ære & marmore antiqua, picturæ textiles & perfectæ *Phrygio* opere, plurima stragula vestis. Ad hæc omnia, quæ non deliciarum ostentationem, sed veræ magnificentiæ commendationem haberet, librorum lectissimorum copia: cùm in eo avo *Laurentius* præferendus esset, quòd ille aliorum causa hic sui etiam optimarum artium studiosus locupletissimam sibi bibliothecam comparaverat. Inter eos quorum opera ea instruenda utebatur, cùm quidem undique magnis excitati præmiis quotidie veterum libri multi & reconditi ad eum exportarentur: *Joannem Lascarem Byzantinum*, hominem doctum & magnæ nobilitatis regiis muneribus donavit. *Platonis* statuam erutam summo labore ex ruderibus, quà sita olim Academia erat, atque ad se è *Græcia* allatam, ab *Hieronymo Pictoriensi*, magno redemit. *Laurentii* magnificentiam civitas nullo studiorum genere omisso, quibus posset declarari propensissimus in *Galeatium* animus, subsecuta est, cùm variis ludis & spectaculis faciendis, quæ aut artificio, aut novitate animos tenerent, tum quamdiu *Florentiæ* egit, festis æquè profestísque diebus summa lætitia & frequentia celebrandis multitudine plausu & acclamatione subsequente, quæ tota semper *Medicum* fuerat, tum studiosissima *Laurentii* erat. Inter ea agenda (quod eorum quæ postea evenerunt portendere exitum visum est) cùm ad *Sancti Spiritus* dies festus Pentecostes (quem vocant) ageretur, intento populo ejus diei memoriæ instaurandæ, injectus ignis è superiore templi parte, qui pluribus simul locis linguarum forma tanquam cœlitus emitti videbatur, tecta primùm comprehendit, mox continenti incendio correptis propinquis locis, non prius ulla humana vi aut consilio potuit restingui, quàm ad solum usque ædes deflagravit. At expletis jam animis satietate spectandis ludicris rebus, *Galeatius* & *Laurentius*, multa inter se remotis arbitris, de præsenti statu rerum, de pace, de bello, déque iis omnibus rebus, quæ magna postea cum *Italiæ* clade acciderunt, summa concordia egisse dicuntur. Eo in colloquio illud dicitur *Galeatius* jactasse, sive

A domesticas opes per hanc occasionem ostentare, sive adulari *Laurentio* vellet: quando facilè inter omnes constaret, numero & virtute militum *Insubres*, divitiis præterea *Florentinos* cæteris *Italiæ* populis præstare: ubi tantæ opes fœdere atque amicitia jungerentur: non esse dubitandum quin omnibus, belli & pacis leges suo arbitratu præscriberent: qua ex re fieret, ut brevi partum inter se dividerent *Italiæ* imperium. Quæ quidem cùm ita acta constitutaque dicerentur: ita ille *Florentia* discessit, ut civitati suspicionem minimè dubiam reliquerit, jam orto dissidio eum socios quæsisse, quorum auxiliis ad bellum quod occultè adversus B Regem parabat, uteretur. Nam quò firmior etiam ab omni parte paratiorque esset, *Venetos* qui tum plurimum in *Italia* poterant, adsciverat in fœderis societatem *Ferdinando* maximis de causis infestos. Per hanc conspirationem magni motus sunt in *Italia* excitati, quorum quidem causæ atque initia, quò facilius perspiciantur, videntur altius esse repetenda. Cùm *Paulo Secundo* mortuo, *Xystus* (ut diximus) Pontifex renuntiatus esset, civitas de more honorificentissimam legationem, cujus erat *Laurentius* princeps, ad illum decreverat: quæ ei Reipublicæ nomine Pontificatum gratularetur. Ferunt eam legationem gratam in primis novo C Pontifici fuisse: quòd per ejus rei occasionem, dari sibi facultatem sperabat ad suas rationes *Laurentium* adjungendi: cujus autoritate cùm omnia *Florentiæ* administrari non ignoraret, magno sibi eam usui futuram ad ea agenda, quæ animo destinaverat, intelligebat. Ac quò magis testata sua in illum studia viderentur, eum urbis ærario præfecerat: facta potestate, ut per eos, qui in urbe illius negotia procurarent, munus administraret: quæ res magno iis fuit quæstui & emolumento. Cùm enim *Paulus* Pontifex, clarissimas gemmas atque sumptu immani quæsitas reliquisset: eas parvo pretio à *Xysto* redemptas qui aut earum vim haud satis D callebat, aut ægrè ferebat grandem sibi pecuniam speciosa magis quàm utili re occupari, cùm jacturam, si qua esset, celeritate conficiendæ pecuniæ compensaret, Regibus plurimum, ac privatis qui earum studio tenerentur magno addixerunt. Ex his maximè ditatus rem familiarem auxit, *Joannes Tornabonius Laurentii* avunculus: quem ille *Romæ* suis negotiis administrandis præfecerat. Neque his visus Pontifex satis suam voluntatem & studium in *Laurentium* declarasse, tanquam Pontificiam majestatem fore augustiorem putaret augendo *Florentinæ* Reipublicæ imperio, pollicitus erat civitati se auxilio futurum ad *Volaterras* recipiendas: E quæ urbs minimè quidem levibus de causis per eos dies à Republica defecerat. Ea postea (ut infrà à nobis commemorabitur) per *Federicum Urbinatium* Ducem, qui *Florentinorum* copiis præerat recepta est. Ita *Laurentius* & aliis honoribus amplissimis, & decretis honorificentissimis auctus, *Florentiam* rediit, ubi quidem non ita diu in amicitia Pontificis mansit. Ea autem hominis alienatio, sive id *Xysti* injuria, sive ingenii inconstantia, quam illi inimici tribuebant, sive aliorum consilio accidit: magnas calamitates & illi pariter & civitati universæ invexit. Non me fugit tamen (ne id temerè *Laurentius* fecisse arguatur) certas ab aliis hujus F alienationis causas afferri: quæ cùm à Republica manarent, eum cogerent & curationem muneris Pontifici & amicitiam renuntiare: gravem illi futuram ubi dissentiente civitate, eam ulterius tueri perseveraret. Cùm *Laurentius* quo tempore *Galeatius Florentiæ* fuerat, summo cum eo studio egisset, ut certa pecunia accepta, *Forum Cornelii*, quam urbem per ea tempora, ejecto *Thaddæo Manfredo*, occupaverat, Reipublicæ cederet: *Xystum* re comperta, antequàm *Galeatio* planè cum *Flo-*

Florentinis convenisset, injecta affinitatis mentione, per *Catharinæ Galeatii* filiæ & *Hieronymi Riarii* nuptias, cui ea urbs dotis nomine adjudicabatur, ea spe illos dejecisse: magna civitatis offensione, quæ opportunissimam urbem proferendis imperii finibus sibi dolo & fallacia Pontificis ereptam esse querebatur. Hanc dissidii causam, hoc principium simultatis cum Pontifice susceptæ *Laurentio* fuisse: cùm non posset communia cum eo consilia habere quin in magnam suorum offensionem, atque odium incurreret. Ea res (ut plerique existimabant) Pontifici parum honesta qui præcipiti cupiditate dominandi incensus, fidei atque amicitiæ jura violasse videretur: non levi *Galeatii* infamia, nullo certè cum illius compendio accidere est visa. Cùm enim nova illi spes esset affinitatis ostentata, desponsam urbem amicissimæ civitati & vetere necessitudine conjunctissimæ, novo homini tradidit, cujus neque tum ulla in se merita extarent & ut esse quandoque possent id in unius hominis voluntate positum videretur, qui & grandis jam natu & suo ingenio parum constans haberetur. Atque cùm ita res transacta esset, ut *Hieronymus* dotis nomine urbe accepta, *Galeatio* certam pecuniæ summam intra certam diem repræsentandam curaret: nemo ferè est in urbe inventus eorum, qui negotia modò aliqua *Romæ* gereret, quin *Laurentii Medicis* autoritate deterritus, spondere pro *Hieronymo* recusaret. Quæ res minimè obscura cùm Pontificis animum à *Laurentio* alienasset, suorum commodis plus æquo indulgentis: unus *Franciscus Patius* cujus *Gulielmus* frater sororem *Laurentii* in matrimonio habebat, quique ob ingentes divitias, illius gloriæ & potentiæ æmulus in primis ferebatur, est ausus spondere: qua ex re illi simultatis principium cum *Laurentio* ingentiumque malorum extitit. At quanquam Pontifex gravi se affectum injuria querebatur: cujus summam in terris potestatem, omnibus in terris verendam suspiciendamque existimaret: civitas tamen, cùm ejus rei principium ab illius injuria ortum, ac per fraudem eam sibi urbem ab eo interversam non ignoraret, quæ ad Rempublicam rectè administrandam maximas haberet opportunitates: rectè atque ordine fecisse *Laurentium* defendebat, qui de tanta Reipublicæ illata injuria palàm ausus esset expostulare: & non minus quàm in Pontificem in *Galeatium*, quòd ejus rei maximè videretur autor extitisse, odio atque iracundia efferebatur. Quanquam quod ad *Galeatium* attinebat, necessitatis ille & temporis excusatione utebatur, quam cuivis probari æquum censebat. Cùm is cujus summam in *Christianam* Rempublicam potestatem consensus hominum deferret, majorem in modum id à se contendisset: non potuisse pati illius voluntatem diu apud se gravem esse: ut si *Florentinos* queri oporteret, non de se quidem qui illi paruisset, cujus autoritatem homines sanctam, augustam, inviolatamque haberent: sed de eo qui ea imperasset, quæ fieri minus deberent, si id modò dicere fas esset, illis queri expostulareque liceret. Atqui præter cæteras causas quæ *Xystum* à *Laurentio* alienasse ferebantur, non leviores aliæ accedebant: quarum illa potissima credebatur. Cùm enim *Tifernum*, cujus urbis *Nicolaus Vitellius* Princeps cum cæteris *Umbriæ* populis à Pontifice defecerat, aliquamdiu à suis obsessum, propediem esset in potestate habiturus: factum esse *Laurentii* opera dicebat, ut quibus ille vellet conditionibus, magna à se pecuniæ vi in summa difficultate ærarii dissoluta, urbis deditionem faceret. Itaque, quod iniquissimo animo esset ferendum, eum ipsum à quo sibi tantam illatam injuriam constaret, non solum tanquam victus ipse esset, coactum conservare se, verùm etiam prosequi urbe egredientem commeatu: quò

A factus scilicet, sua indulgentia & lenitate contumacior: ex suo tempore nactus occasionem, quod esset attentissimè observaturus, in se rursus insolentius audaciusque insultaret. Quæcunque odii causæ Pontifici fuerint, *Nicolai* posteri insigne ejus meritum in *Xystum* commemorant, quò illum iniquius egisse cum benè de se merito homine ostendant. Cùm enim *Franciscanorum* familiæ *Antistes* prope *Tifernum* à nescio quo fuste malè mulctatus esset: à *Nicolao* conservatum atque exceptum hospitio, postremo datis comitibus qui abeuntem prosequerentur tuerenturque ab inimicorum injuria, omnibus officiis humanitatis cultum à se dimisisse. His principiis conceptum inter *Laurentium* & Pontificem odium alia maximè augebant.

B Nam *Xysti*, quemadmodum erat apertus, & minimè facilis ad animi impotentiam & iracundiam dissimulandam, cui erat summa potestas imperii adjuncta, liberiores querelæ erant: jamque palàm & in amplissimorum hominum conventu, in *Laurentium*, non illius magis quàm suæ dignitatis oblitus, ut dolor atque iracundia suadebat, acerbitatis atque odii virus evomebat: ut sæpè non Pontificis modò sed hominis moderatio in illo desideraretur. Neque hæc ille tamen ferebat impunè, aut præclarius *Florentiæ* audiebat, nihilò in illum

C multitudine quàm is in civitatem esset, animo æquiore. Nam illius Legato nulla jam erat apud magistratum autoritas reliqua: atque ut esset à convitio & contumelia munitus, vix illi satis præsidii erat in Pontificis autoritate constitutum. Ergo cùm pessimo exemplo odio inter Pontificem & *Florentinos* certaretur: *Xystus* hinc serendis in civitate discordiis, cùm ita animum induxisset, nunquam sibi per hujus rei occasionem, materiam ad *Medices* opprimendos defuturam: hinc sua autoritate deterrendis sociis atque ad apertam vim hostibus solicitandis, in eos civitatem concitare, tanquam malorum omnium autores, conabatur. Id

D si accideret, brevi fore sperabat, ut tantæ invidiæ succumberet, ac non solùm factione nobilium, sed populi conspiratione oppressus à belli incommodis aversi, à Reipublicæ administratione amoveretur: qua voluptate (ut ferebatur) maximè animum explere cupiebat. Atque quò illi maturius exitium pararet: fœdus cum *Ferdinando* Rege inierat, cujus viribus confirmatis stabilitisque suis, minimè posse obsistere *Florentinos* arbitrabatur: à quorum societate *Venetos* & *Galeatium*, illos Pontificia autoritate, hunc præterea, novæ affinitatis conjunctione fretus se abducturum non diffidebat. Verum hæc omnia aliquantò postea acciderunt: nunc videtur ad institutam

E orationem revertendum. Profecto ab urbe *Galeatio*, magistratus corrigendis hominum moribus intentus sumptuarias leges, ita ut cujusvis ordinis, fortunæ, census rationem diligentissimè haberet, condere instituit, quibus effusas ac redundantes nimium hominum cupiditates coërceret. Nam cùm usque eò ventum esset hominum improbitate, ut remediis omnibus violentior morbi vis, curari nullo modo posse videretur: qui laborantem ad perniciem civitatem penitus labefactarent, ex *Galeatii* familia nequissimi homines, & diu ad omnia vitia, licentia aulæ corrupti flagitiorum, & fœ-

F dissimarum voluptatum exempla omnia edendo extiterunt. Quæ tanta pestis quò minus latè improborum contagione disseminata, progrederetur: novi tumultus & seditiones obstitere: non facilè hominibus nisi malo coactis, resipiscere & ad sanitatem redire assuetis. *Volaterræ* urbs in primis *Hetruriæ* nobilis tum erat in ditione *Florentinæ* Reipublicæ cujus illam parere imperio, hoc tempore animadvertimus. Ea urbs cùm ad *Eugenii Quarti* Pontificatum per magistratus qui ab urbe mitte-

bantur, civilibus discordiis sublatis, in fide mansisset: quòd graviora sibi tributa imponi quereretur, à Republica defecerat: ne pœnitendi locus relinqueretur, per cædem Prætoris defectione confirmata, ac multitudine scelere obstricta. Atqui cùm brevi rursus recepta eadem esset in fidem, usque ad *Xystum* Pontificem facilè Reipublicæ perferendo imperio, sive magistratuum æquitate, qui modicè delatam sibi in victos potestatem exercerent, sive metu (quod magis verisimile est) id acciderit, cùm minus ex sententia superior defectio successisset, contineri in fide & in officio potuit: ut eo tempore *Volaterrani* redirent ad ingenium, non levior (ut videri volebant) civitati illata injuria, perfecit. In agro *Volaterrano* cùm aliarum rerum est fertilitas summa, quæ maximè usui sunt ad hominum vitam, tum metallorum omnis generis ingens vis & quod tunc inventum magno cum quæstu ad hunc usque diem incolæ effodiunt, aluminis in primis. Id quidem, quoniam veteres, homines eruditi & magni nominis, inveniri aluminis fodinas in *Italia* negarant, nunquam antea nostris hominibus compertum, per multa jam secula latuerat. Atque cùm ita inveterata opinio penitus animis hominum hæsisset: veterum autoritatem superante nostrorum hominum industria cùm illam certa ratio tueretur: jam & *Pii Secundi* Pontificatu ad *Forum Claudii*, quæ urbs aliquando non ignobilis in *Faliscis* fuit, & postremò in *Volaterrano* agro magna aluminis vis inventa, posse falli doctissimos sæpè viros, atque falsos adeò quandoque esse ostendit. Docuit autem id in primis patrum nostrorum memoria *Christophorus Columbus Ligur*, magna orbis terrarum parte quæ priscis temporibus incognita fuerat, neque audaci, neque temerario incœpto patefacta: quod ratio in principio, eventus postea comprobavit. Utrum autem casu evenerit, ut sæpè homines alia quærendo, in ea imprudentes incidunt, quæ illis quæstui uberiori sunt: an explorantibus exemplo eorum qui in *Faliscis* effoderant, perspecta natura soli cupiditatem injecerit ulterius quærendi (nihil enim certi traditum est) illud quidem constat, quibusdam rem compertam, quæ privatis magnam compendii spem, civitati penè exitium ruinamque certam afferret. Ita cum nulla iniri consilii ratio posset, quæ explicatior in præsentia haberetur: sæpè experti hujusmodi fossionis genus esse, ut permultis operis conductis indigeret, quæ sufficerent labori perferendo: ad *Florentinos* quosdam navos & industrios homines confugerunt. His cùm re demonstrata, magni spem quæstus esse persuasissent: ab iisdem, ut sunt experientes homines, atque ad rem attenti, ut periculi socii & lucri esse vellent, impetrarunt. Jam verò indies rem aggressis majori compendio erat, quám ut posset facilè dissimulari. Itaque *Volaterrani*, qui in principio (ut aliis in rebus omnibus ferè accidit & in his quæ sunt hujus generis maximè) rem contempsissent: ubi ex secunda hominum fortuna, quæ ægrè sese efferens poterat latere, fructus ab iis uberiores percipi cognoverunt: arbitrati posse exigi vectigal non contemnendum, quoniam infectoribus magnum esse aluminis usum, non ignorabant, jure agere cum privatis cœperunt, cùm publicum esse agrum contenderent, atque ex eo quicquid commodi, atque utilitatis hauriretur, id ad commune *Volaterranorum* pertinere affirmarent. Nam ut maximè publicus ager esset privato addictus: id quod aut à natura abditum, aut ab hominibus defossum lateret, quod quidem multis de causis posset accidere, non continuò qui agri publici redemptor esset, sui juris illum existimare debere. Non enim magis in contrahendo, verba hominum, quàm sententiam spectari oportere, cùm illi in altero sæpè, nullo modo unquam in altero falli possent. Itaque interdum usu venisse, ut cùm in agris privatorum, aperientibus humum, signum è marmore, aut ex ære extitisset: nisi illi à magistratu, ut sibi habere liceret, per beneficium & gratiam obtinerent, magistratui, tanquam id jure pertineret ad Rempublicam continuò essent restituere coacti. Contrà privati in publicam averti utilitatem iniquum censebant, id quod sua industria inventum, sumptu ac labore penè incredibili ex terræ visceribus eruissent, nullis à populo prædibus acceptis, qui sibi à periculo caverent. Re jam spectante ad seditionem, quò facilius hominum cupiditati obviam irent, legatos *Florentiam* miserunt: qui demonstrata re, quibus summo magistratui videretur, eam permitterent ex eorum fide judicandam. Cognitis *Volaterranorum* postulatis, cùm magistratus arbitros qui de eorum controversiis cognoscerent, statuisset: sive illi accepta pecunia privatorum causæ favere quàm consulere suæ fidei maluerunt, id quod videtur à *Volaterranis* manasse, sive æquitatem & jus sunt in ferenda sententia sequuti (neutrum enim audeo affirmare) secundum privatos judicarunt: adjecto ad contumeliam decreto: non videri *Volaterranum* populum rectè atque ordine facere, qui suos cives, vigilantes homines & solertes, fructu suæ industriæ & laboris privare velit. A quibus tamen ne plus gratiam quàm æquitatem valuisse eo judicio videretur, illud addiderunt, placere quotannis à privatis certam pecuniam pendi nomine tributi, quod indicio esset, ejus soli jus in quo aluminis fodinas invenissent, ad civitatem pertinere. Cùm eo judicio ita constituto, privati pertinacius in suo jure exequendo uterentur: civitas, quæ magno omnium libertati facto præjudicio, non obscurè ferret, armis se, quando legibus non licuisset, suum jus recuperaturam: intestina odia fovendo, in certam ferè est perniciem adducta. Nam libere jam ea de re multitudo querebatur, sua natura insolens ubi de suo jure decedere coacta, vim adversus privatos ab eorum injuria sumit: atque in publici consilii autoribus severitatem & constantiam in publica autoritate à privatis vindicanda requirebat: nullam autem non arreptura occasionem, quæ spem faceret rei obtinendæ, jam seditiosas voces, & quæ molientium defectionem alienationemque à Republica viderentur, emittebat. Cùm res in hoc statu essent, sua sponte *Volaterranos* incensos, novus exortus in civitate tumultus, ad vim & ad arma excitavit. Erat in ea civitate *Pecorinus* quidam nomine (aliud autores non tradunt) magnæ vir cum primis existimationis & dignitatis, qui à privatorum causa stabat. Is in jurgio cum orta ea de re mentione, pertinacius eorum causam tueretur: à multitudine concitata interficitur. Hinc ad tumultum, concursu hominum facto, quò furor homines atque amentia agebat, itum continuò est ad eorum ædes, qui ejus factionis erant: atque iis direptis & incensis, ægrè temperatum magistratui est, qui missus *Florentia* ad jus dicendum, excitatum tumultum comprimere publica autoritate conabatur. Quo facinore cùm civitas obstricta sibi spem veniæ præcidisset: jam nemini dubium relinquebatur, quin illi necessaria defectio, & quæ eam consequuntur arma atque bellum esset. Hujus tanti tumultus famam *Florentiam* subsequuti sunt à civitate legati: qui & id jure factum tuerentur, & simul magistratui denuntiarent, ubi stari iis conditionibus placeret, quibus olim recepti *Volaterrani* in fidem essent, quin Reipublicæ imperium rursus in se ut accepissent à majoribus æquissimum mitissimùmque perferrent, illos non recusaturos: si quid durius in civitatem statueret, quòd jus suum armis persequi conata esset, quando illi moribus experiri cùm privatis tanta

ta suæ libertatis jactura non permitteretur, tum verò se quid sui juris esset consideraturos. Hi *Florentiam* profecti cùm postulantibus datus magistratus esset: paucis quidem causam civitatis egerunt, quorum hæc summa dicitur fuisse. Quando hæ sibi partes impositæ essent, ut causam capitis pro patria dicerent, quod miserrimum in hominum vita videretur: eò se hanc communem calamitatem minus ferre iniquo animo, quò magis intelligerent, apud viros fortissimos & sapientissimos se verba facturos, quorum ea de re cognitio esset. Non desperare enim se quin potius ab his fortitudinis laudem quòd à privatorum contumelia publicam autoritatem audacter vindicassent, quàm defectionis tristem adeò & gravem notam, quoniam ejus rei civitas esset insimulata, ubi rem cognovissent, referrent. Fateri quidem à se hominem interfectum, sed jure tamen eundem interfectum, non tàm defendere *Volaterranos*, quàm rem ipsam declarare: seditiosum hominem, civem improbum & nefarium, atque invidiosa potentia adversus suorum libertatem abutentem. Sequutam paucorum cædem, qui tanquam victoria de hostibus parta, propterea quod civili controversia superiores paucorum hominum sententia extitissent; importunissimi homines & teterrimi, adversus civitatis tantum consensum, arma sumere pro privato homine essent sceleratissimè ausi. Scire se rumorem, gravem illum quidem in primis, in urbem pervasisse, concitatam paucorum scelere multitudinem, ægrè manus abstinere à magistratu potuisse: quod maximum crimen & gravissimum eò sibi minus esse diluendum censuisse, quò re ipsa magis quàm ulla vi orationis à se id depulsuros sperarent. In culpa enim quæ nulla esset, accuratius quæsitam defensionem, non facti purgationem, quæ minimè esset necessaria, sed sæpè non excogitati ab accusatore facinoris suspicionem habere. Rumoribus temerè adhibere fidem, non magis eorum causæ obesse, quorum de re ageretur, quàm eorum quorum judicium esset, existimationi & dignitati. Nam ut illos salutis & fortunarum, ita hos fidei, nominis, famæ periculum subire. Magistratum quidem cum tanto excitato tumultu, magis cogitaret quousque sibi esse progrediendum irati homines atque armati statuerent, quàm, id quod æquius erat, quantum sibi præsidii, cùm in autoritate publica, tum in *Volaterranorum* fide esset constitutum, fecisse ut materiam sæviendi iratæ multitudini eriperet (id quod tutius consilium visum esset:) civitati quidem occasionem pulcherrimam ademisse suæ fidei & voluntatis in Rempublicam declarandæ. Quæ verissima quidem sua oratio, si quoniam is status rerum sit, minimè digna videretur cui fidem ii haberent, quibus illam probari vellent: at sese dignos qui eadem uterentur, sua fide & constantia præstaturos. Cùm autem ob eam causam ne iis injuriam facerent, qui ab se omnia jure potius & æquitate, quàm precibus aut gratia vellent impetrari, tum ne parum confidere causæ optimæ atque æquissimæ viderentur, finem se facere dicendi. Sive autem illi statuerent sibi eos conservandos quos & causæ æquitas, & gentium jus tueatur, quo quidem hominibus permissum sit, ut inferentem vim, vi prohibeant, sive animadvertendum in eos gravius, qui minimè meriti sint: se operam daturos ut neque communi tuenda salute, neque fide declaranda sua, aut constantia *Volaterranis*, aut fiducia animi videatur ullo suo tempore defuisse. Legatis cùm hæc dixissent, excedere extemplò jussis, cùm multi insolentius locutos eos ac ferocius accusarent, quàm causæ ratio aut temporis postularet: rogari deinde sententiæ sunt cœptæ. Ac cùm omnes ferè gravius in illos esse animadvertendum censerent: unus *Thomas Soderinus*, gravi

A illos quidem & severa objurgatione castigandos, sed & conservandos tamen & in fidem rursus recipiendos censebat: cùm satis apparere diceret, nullam aliam ob causam plectendos *Volaterranos* videri, quàm quòd constantiores in dignitate vindicanda patriæ, jus suum armis potius quàm magistratus autoritate, quò erat confugiendum injuria affectis, persequuti essent. Minimè verò ea sibi tempora Reipublicæ videri, ut non aliquid potius civitati de suo jure decedendum, quàm summo jure & per ultimi supplicii metum experiundum cum civitatibus putaret. Habere socios Rempublicam in quorum aliis voluntas & studium, cùm B cætera prolixa essent, in aliis & firmior fides & vires simul majores desiderarentur. Nam de Pontifice & *Ferdinando*, qui quidem dubium relinquerent, utrum odium majus in Rempublicam an vires jactarent, rem ita per se loqui ut apud prudentes homines plura dici supervacaneum videri posset. Ut enim alia omitterentur, cùm Pontificis imperium Reipublicæ finibus definiretur: potentem hostem & præter summam autoritatem, quam illi tanti muneris dignitas conciliaret, audacia atque animi impotentia formidabilem, omni spe destitui oportere, per civitatum defectionem quicquam in Republica movendi. Longè ab illo secus *Laurentius* censebat: ut multi credebant, non *Thomæ* ad- C versandi causa, cui magno devinctus beneficio ob summam virtutis opinionem meritò plurimum tribuebat, quàm prudentiam & virtutem declarandi suam: nunquam fore arbitratus, ut suum jus in civitate & principem locum obtineret, nisi aliquando ostenderet, liberam se & nulli emancipatam potestatem imperiumque in Republica administrare. Eam autem illius sententiæ summam fuisse ferunt. Cùm ea esset oratio *Volaterranorum*, ut non facti confessione animos commoveret, quæ veniæ facilitatem sæpè in barbaro hoste clementiamque invenisset: sed testificatione summæ au- D daciæ contumaciam hominum atque arrogantiam declararet: facilè jam ab omnibus posse intelligi, quid de his statui in præsentia ac decerni oporteret. Si ita cum iis molliter indulgentérque agendo æquo animo patiantur eam viam atque aditum ad audaciam muniri, ut ubi velint audeant judicatas res rescindere, & in summa legum magistratuumque contemptione, tueri injuriam armis, cædem hominum facere, ignes tectis subjicere & (quod extremæ dementiæ atque furoris sit) quo se licentius in scelere jactent, ut publica sibi autoritate liceat abuti, postulare: brevi civitatem, non jus & majestatem imperii modò, sed libertatem E etiam amissuram. Satius fuisse cùm utrumvis liceret, tacitè scelus hominum & dissimulanter ferre, quàm ubi illi ipsi qui scelus admisissent, audacia atque impudentia provecti illud minimè dissimularent, non vim & severitatem in illo vindicando adhibere. In altero enim tarditatis atque inertiæ fuisse opinionem subeundam, minus illam quidem periculosam Reipublicæ futuram, quando in eos magistratus ad quos ea cognitio pertineret, ejus rei culpa omnis posset transferri: in altero mollitiæ animi & dissolutionis, quæ in contemptionem apud omnes civitatem adducat, Reipublicæ eandem longè perniciosissimam, cùm una maximè F summi imperii jus in liberis civitatibus labefactet planè atque evertat. Itaque cùm in scelere adeò gravi & nefario, in quo suscipiendo nullum sibi modum *Volaterrani* statuerint, minimè dissolutio & remissio animi usui sit: ne eadem improborum hominum insolentia atque audacia foveatur, magnopere quamdiu liceat, cavendum providendumque esse. Ut enim studiosa civitas maximè Reipublicæ sit, ut fidelis, ut præclarè merita, in deprecando supplicio id valere aliquid debere,

in scelere tuendo, obesse etiam, ne abuti indulgentia ignoscentis videatur ad scelus atque audaciam tegendam. Nam & benè de Republica merentes virtuti debita præmia, & constituta in improbos homines supplicia, ubi iidem ab instituto discedant, quod videatur esse æquissimum, manere. Nunc verò esse eandem hanc civitatem quæ patrum memoria, per summam injuriam Reipublicæ magistratu, è sella in qua jus dicebat, detracto, deturbato è prætoria domo, sceleratissimè interfecto, usque eò animos sustulerit, ut nullius magis præsidiis quàm suæ audaciæ, atque amentiæ subnixa, à Republica adverso maximè illius tempore defecerit, sua libertate seditioso homini & egenti turpissimè addicta. Quæ cùm ita sint, videri antea *Volaterranorum* ferociam armis domandam: tum quibus legibus magis eorum scelus, quàm certorum hominum lenitas requirat, parum illa quidem opportuna furori atque amentiæ hominum coërcendæ, eosdem recipiendos in fidem: quò aliis terrori sint, quos in eandem amentiam, superbia atque animi impotentia impellat. Ergo iis ita responderi placere: quando per *Volaterranos* factum esset, ut minus iis conditionibus sibi standum *Florentini* censerent, quibus recepti olim in fidem essent: nisi penitus se suaque omnia magistratus arbitrio permitterent, operam illos daturos, ut brevi tandem iis ostenderent, quantò major animi vis & robur in æquitate & jure tuendo armis, quàm in sceleris impunitate defendenda pertinacia inesset. Cùm omnes ferè damnata *Thomæ* cunctatione in hanc sententiam pedibus issent: tristi responso accepto, sed minimè tamen præter suorum expectationem, mœsti legati *Volaterras* reverterunt. Cùm variè hinc rerum omnium desperatio spe auxilii destitutos ad tutiora consilia, hinc dolor, iracundia, recentis injuriæ memoria, à pacis consiliis aversos ad bellum & ad arma incitaret: una tamen omnium sententia vincebat, cùm servitutis ingens metus civitati in præsentia objiceretur: graviorem illam omnibus malis liberis populis, tanquam pestem quandam imminentem omnibus longè funestissimam, avertendam omni ratione depellendamque esse. Commemorabantur simul, quæ avarè unquam aut crudeliter *Florentini* in civitatem fecissent, cùm facilè esset veterum injuriarum memoriam, novo tanto accepto vulnere refricare, magna quidem eorum gravíque invidia. Esse eosdem homines crudelissimos, qui prodita olim fide, ac jure gentium violato, in nobilissima civitate, fama vetustatis clarissima, quam missi olim ex Principe gentium omnium populo homines incoluissent: vocati ad tollendas civiles discordias per maximi beneficii & meriti occasionem dominationem constituissent longè importunissimam. Quod quidem scelus tantum, tanquam vererentur ne parum verisimile posteris pro ingenio hominum videretur, nisi illud majus accessione novi criminis fecissent: ut cùm injuriæ magnitudine perfidia æquaretur, novo quasi adjecto corollario comprobasse. Nam cùm servitutem indignissimam temporibus magis servientes suis, quàm sua sponte diu perpessi essent: tributis gravissimis impositis civitati, legatos qui publicum incommodum deprecarentur ad se missos, homines sui ordinis honestissimos barbara crudelitate & ad eum diem inaudita *Italiæ* populis comprehensos, vinctos, in carcerem conjectos non prius dimisisse, quàm jugo rursus acerbissimæ servitutis accepto, urbem libidini & crudelitati insolentium dominorum tradidissent. Nunc verò veluti non satis adhuc pœnarum sit persolutum: iniquissimo antea judicio circumventos, magna sui juris à civitate jactura facta, ut constricti rursus arbitrio eorum dedantur à quibus nullo suo merito tanta sint affecti injuria postulari: ut nullo supplicio expleri posse occupatis animis immani ac barbara feritate videantur. His magna cum *Florentinorum* invidia commemorandis, quibus difficultates omnes vincerentur, quæ ad arma spectantibus essent futura impedimento, *Volaterrani* magno consensu tuendam armis civitatis dignitatem, quam jure non licuisset, atque omnia præparanda quæ ad bellum necessaria essent, censuerunt. Hinc frustra tentatis Principum animis, cùm illi incertæ & dubiæ spei, otii & pacis securitatem præferrent: ne quando ubi diutius cunctando tererent tempus, imparati opprimerentur, oppidum atque arcem munire, commeatus omnis generis comportare, milites mercede conducere, quæque ad urbem defendendam, aut ad diuturnam obsidionem tolerandam opportuna judicarent, summa diligentia vigilantiáque comparare instituunt. *Florentini* interea magno peditum, atque equitum numero coacto, *Federicum Feltrium Urbinatium* Principem Reipublicæ copiarum Ducem, ne spatium ad se colligendos *Volaterranis* darent, agrum populari, ac totis viribus oppugnare urbem primo quoque tempore jusserunt. Ita ille infesto exercitu ab urbe profectus, ubi ad *Volaterranorum* fines pervenit, latè agros populatus, cuncta incendiis, direptionibus, aliísque belli cladibus complendo, omnia quæ in eorum ditione erant, nemine obsistente in deditionem accepit. Hinc propius motis castris, ac magna tormentorum vi adducta, oppugnare urbem instituit, aditu omni sive egredi quis sive ingredi vellet, intercluso. Est quidem ea loci natura ut posita urbs edito & prærupto loco, ab ea parte modò quà est situm *Alexandri Fanum*, quod incolæ admodum religiosè colunt, adiri possit. Qua parte ne *Florentinis* impunè adoriri urbem liceret, jam *Volaterrani* delectorum militum ad mille numero, qui loco præsidio essent, collocaverant: minimè ignari hostem loci natura prohibitos, eà quòd non esset oppidum difficile accessu, oppugnationem tentaturos. Interea cùm frustra externa auxilia expectando, impares se fore ad urbem defendendam intelligerent: milites qui multò numero inferiores, loco excesserant, in urbem recipiunt, ut iis propugnatoribus ad vim hostium arcendam uterentur. Sed *Federicus* neque tentata oppugnatione, quam fore difficillimam non ignorabat: obsidione cogere *Volaterranos* ad deditionem sperabat: quòd angustiis temporis & celeritate sui adventus exclusos commeatuum non magnam vim in urbem advexisse cognoverat. Itaque hinc foris hostibus agris vastandis, hinc domi (ut in efferatis animis adversa fortuna misericordiam, in contemptionem vertente, præsidiariis militibus omni contumeliæ genere sæviendo) magnitudine malorum victi, de deditione consilia agitare cœperunt: nullam recusaturi pacis conditionem quam victor hostis attulisset. Eo consilio probato, necessario iis quibus in magna rerum omnium desperatione planè suis viribus esset diffidendum: misso caduceatore qui Reipublicæ legatis se suaque omnia dederent, exercitum sub signis, cùm fidem accepissent nihil se hostile passuros, in oppidum introduxerunt. Quod tamen fœdè direptum miserabilitérque est: victa legatorum auctoritate, ac majestate imperii, militum avaritia & crudelitate. Cùm enim *Federicus* medius inter legatos venisset in forum atque urbis magistratum (*Priores* illi vocant) jussisset è domo prætoria excedere: unus ex his cum casu in militum cohortem incidisset, nihil præsidii in avaro milite & insolenti victoria inveniens, spoliatur, vix assequutus patientia sua magis quàm moderatione victoris, ut manus à violando corpore abstineret. Hinc tanquam omnibus datum pariter signum esset ad prædandum: contempto *Federici* imperio, æquè & pri-

vatorum ædes & urbis templa omnia, cùm nihil avaritiæ militum clausum, nihil satis religione munitum adversus vim fuisset, diripuerunt: nulla neque ordinis, neque sexus, neque ætatis ratione habita ab iis, quibus cupiditas atque avaritia delectum ac discrimen omne sustulisset. Nam (quod sceleratius est atque minimè tamen ab ejus temporis militia alienum) ab iis ipsis *Volaterrani* tantam cladem magna ex parte acceperunt quorum præsidio usuri ad propulsandas injurias hostium fuerant. Ut enim magis locorum periti, cùm locupletiorum domos notatas ad prædam, & ad direptionem haberent, immisti militum prædantium turbæ, omni exemplo crudelitatis & barbariæ edito, nobilissimis matronis, ac sacris virginibus violatis, participes se hostium victoriæ quam sua ignavia, atque inertia illis faciliorem fecissent victi præstiterunt. Cùm nobilissima *Italiæ* urbe, fato quodam ejus adverso urgente, penè excisa, nuntii *Florentiam* missi essent, qui læta & secunda omnia evenisse significarent: in summa omnium lætitia *Laurentii* unius prudentiam singularem & virtutem vulgò homines suspiciebant ac ferebant in cœlum laudibus: qui veluti divinaret rem ita futuram, autor salutaris sententiæ extitisset, & quam fortuna adeò læto & prospero eventu, tanquam illustri testimonio comprobasset. Ac cùm quidam ex illius amicis, exprobrandi causa *Soderinum* rogasset, num illum capta jam urbe ac domita ferocia *Volaterranorum* suscepti consilii pœniteret: ut inquit, lætaturum se fuisse, cùm illi sua sponte se dedidissent, ubi conservati & recepti in fidem essent, quo illi beneficio tanto Reipublicæ devincti, fideles ei in posterum videri possent futuri: ita quòd recepta urbs tanta cum hominum clade, utinam non pari exercitus Imperatorisque infamia fuisset, non magis se eorum causa, quàm Reipublicæ cui maximè deberet velle consultum, dolere. Nam illud semper in posterum verendum, ne *Volaterrani* quos non tàm vis & arma inimicorum quàm dolor atque iracundia vicisset, observato Reipublicæ tempore, magno aliquando cum fœnore acceptam essent cladem reddituri. Quod cùm ita esset, non videri sibi receptam potius quàm amissam eam urbem, quæ ut tradita à volentibus magno usui videretur Reipublicæ futura, ita dedita ab invitis & coactis armis, in adversis timoris plurimum, & sumptus & damni in secundis importaret. Ubi enim esset inimicus conservatus, nisi is incolumis atque integer penitus ab omni injuria maneret, vitæ beneficio illum non ad referendam gratiam, sed ad ulciscendam injuriam excitari: ut qui planè inimico non ignosceret, id illi cogitandum esset, non benevolentiam comparari beneficii memoria, quæ nulla in eo relinqueretur, in quo non penitus injuria omnis esset obliterata, sed maleficii recordatione, quæ hæreret penitus, atque insideret animo, odium ali. Itaque illud esse verissimum, quod semper prudentes homines statuissent: inter summum beneficium & summam injuriam viam mediam nullam esse: & inimicos semper prorsus aut perdendos aut conservandos. In altero enim spem reconciliati animi, in altero metum nullum, sublato inimico, inesse, qui animum solicitum haberet. Cùm autem præstare utrumque homini liceret: quando ea securitas quæ cum laude conjungeretur esse propria hominis, quæ à crudelitate & scelere peteretur, non hominis esse sed ferarum videretur: quid virum prudentem agere & bonum eundem deceret, minimè quidem ignorari. Invenio, apud quosdam, *Volaterras* magno belli apparatu oppugnatas: cùm se acerrimè oppidani defenderent, vi captas à *Federico* & quòd superbè imperata facere recusassent, dato signo, direptas fœdè ac crudeliter fuisse. Magnam quidem illum ex ea expeditione retulisse laudem, scriptores eorum temporum affirmant, tribuentes gratiæ (ut apparet) quòd minus dare veræ virtuti possent. Eodem anno orta de finibus controversia inter *Fojanenses* & *Lucianenses*, quorum hi *Senensibus* illi *Florentinis* parebant, cùm mutuæ cædes factæ rem trahere ad bellum viderentur, post longam disceptationem sublata est. Datus iis arbiter *Jacobus* Cardinalis *Ticinensis*, ita rem transegit, ut voluerit videri, ferè in eo vertisse *Hetruriæ* salutem. Jam enim *Senenses* & *Florentinos*, cum non posse facilè inter eos convenire animadverterent, tanquam ea controversia minui jus civitatis existimarent, fuisse planè ad arma venturos. Is mediocri fortuna *Lucæ* ortus, cùm in familiaritatem *Æneæ Sylvii* Cardinalis se insinuasset, ob egregiam virtutem atque animi indolem, illi magnopere probatus, morum elegantia & studia optimarum artium accedente, dignus etiam habitus est, qui ab eodem Pontifice creato in Cardinalium collegium, *Ticinensium* Pontificatum adeptus cooptaretur: quo in ordine multos postea annos, & abstinenter & magna cum laude vixit. Extat epistolarum volumen, quas ille aut suo, aut Pontificum nomine, ad ejus ætatis Principes atque ad amicos scripsit, qui clari virtute, aut nobilitate haberentur, quibus tanquam annalibus, eorum temporum memoria continetur. Dum ea à *Florentinis* geruntur, *Tifernum* in *Umbria*, cùm ejus provinciæ civitates omnes, principio à *Spoletinis* facto, eodem consensu defecissent, summa vi oppugnatum *Machiavellius* ait, *Nicolao Vitellio* impigro homine, & magnæ ac spectatæ virtutis civitatem adversus Pontificios defendente. Quod tamen oppidum biennio post receptum autores certi affirmant, qui rei gerendæ ipsi interfuerunt. Extat enim *Jacobi Minutoli Lucensis* nobilis atque eruditi hominis epistola ad *Jacobum* Cardinalem *Ticinensem* cujus sæpè antea meminimus, qui præmissum se ait ad *Tifernatium* animos tentandos magnopere à Pontifice aversos, cùm *Federicus* copias in eorum fines adduxisset, qui affinitate cum *Xysto* per eos dies conjunctus, belli summam rerumque omnium administrabat. Scripsit autem ex castris Cal. Septemb. anno ejus seculi LXXIIII. cùm captas *Volaterras* constet *Federico* eodem *Florentini* exercitus ductore, anno LXXII. ante diem XVII. Cal. Augustas, quo die scriptæ à *Philelpho* literæ ad *Federicum* leguntur, quibus de expugnatione *Volaterrarum* agit: quam illi rem magno honori fuisse apud Principes *Italiæ* contendit. Sed eodem anno adversus *Tifernates* susceptam expeditionem idem *Ticinensis* præterea tradit: id quod colligitur ex quibusdam illius epistolis, quæ tanquam commentarii earum rerum quæ per ea tempora in *Europa* gerebantur & accuratè, & luculenter scriptæ ad multos supersunt: ut non mihi magis *Machiavellii* fidem suspectam hominis ingenium, quàm incuria faciat, quæ in eo non ferenda fuisse animadvertitur. Deditam porrò urbem Pontifici scribit, per interpositam *Ferdinandi* Regis & *Galeatii* autoritatem, cùm *Florentini* accederent, à *Vitellio* (ut verisimile est) appellati, quòd minus iis æquis Pontifex uteretur. Nihil autem ait ea deditione illi turpius potuisse accidere. Acceptas non datas victo à Pontifice leges. Factam potestatem ejus legato veniendi in oppidum, sed datis à *Vitellio* custodibus, qui illius ingressum pariter egressumque observarent. Admissos pedites circiter ducentos atque ejus arbitratu per civium domos dispositos, quorum illi esset fides probata: ut magis obsidum loco, quàm ut præsidii causa missi videri possent. Ubi in legati conspectum venisset, non ut victum deceret, suppliciter ac demissè, sed tanquam pacis leges ipse esset dicturus. oris contumacia, vultu, oratione,

quæ

quæ victoris insolentiam præ se ferrent, superbè & arroganter locutum. De exulibus convenisse, ut ex illius præscripto, & quibus modò ipse permitteret, reducerentur: ipse pactus incolumitatem *Tiferni* privatus ageret, sed id nomine modò, cùm nemo dubitaret, quin semper in illius potestate civitas esset futura. Jam idem alio loco, *Senæ*, ait, conventum se, à *Laurentio Medice*, cùm esset exceptus honorificè à civitate, ac frequenti principum occursatione, multis aliis de rebus gravioribus secum egisse: liberè autem castigatum à se, tùm quod passus esset per *Federicum* magis quàm per *Florentinos* de compositione agi, tum verò quòd admisisset, pertinacius causa *Vitellii* tuenda, ut minus Pontifici liceret, quod haud quaquam illum præteriret, cùm superbo & contumaci hoste ex sua dignitate de re tanta transigere. Quoniam enim, magna cum *Laurentio* amicitia *Vitellio* intercedebat, & pecunia illi à civitate suppeditari, & commeatus clàm ac subsidia summitti credebantur: iniquo animo id Pontifice ferente, qui aliis etiam de causis, quas superius commemoravimus, jam à *Laurentio* alienatus, hanc insuper sibi illatam ab eo injuriam querebatur. Atqui utcunque *Nicolaus* à *Florentinis* & à *Laurentio* adjutus, Pontificis vim atque arma sustinuerit: is rerum exitus (quod convenit inter omnes) consecutus est, ut æquioribus ille quidem conditionibus quàm *Xystus* voluisset, sed tamen illi urbe cedere sit coactus. Idem postea receptus summa populi voluntate, cùm magna inimicorum edita cæde, atque arce diruta, quo minus iis usui esset, domesticas opes & potentiam stabilisset: domi forisque magna gloria parta, quatuor liberos mortuos reliquit, æquè omnes in primis suæ ætatis militiæ gloria claros. Horum *Joannes* natu maximus *Innocentio* Pontifice Maximo, ad *Auximum Piceni* urbem, quæ per ea tempora desciverat, ictu majoris tormenti, in expugnatione urbis interiit. Nam *Camillus* cum magnis gerendis rebus perfecisset, ut cum omnibus ejus tempestatis militiæ gloria esset æquandus, in *Apulia* dum à *Gallis*, *Circellum* oppidum oppugnatur, murum incautius subiens, immanis magnitudinis lapide à propugnatoribus jacto, interficitur: cum idem paucis antea diebus equitum præfectus, invictas *Germanorum* cohortes disjectas, magna sua cum gloria ad *Luceriam* profligasset. Hujus fuisse inventum dicitur, ut milites ex equis minoribus tormentis in hostem uterentur: quo quidem instituto hoc tempore utuntur ex ultima *Germania* equites, quos atratos populares vocant, ita à prima adolescentia huic generi pugnandi assueti, ut quina sæpè senave suspensa ex ephippiis gerant, quò pugnantibus præstò sint, breviore atque ob id ipsum commodiore forma excogitata. At *Paulus* cum laudis fraternæ æmulus, magnas res *Gallico* bello adversus *Pisanos* gessisset, à *Florentinis*, quorum copiis præerat, proditionis insimulatus capite plectitur. Neque mitius cum *Vitellotio* fortuna egit, à *Cæsare Borgia Alexandri* Pontificis filio, cùm ei spes veniæ esset & reditionis in gratiam ostentata, dolo *Sennogalliæ* circumvento atque interfecto. Fertur *Vitellotius* tanta opinione virtutis rudimentum adolescentiæ posuisse, ut non *Italiæ* Principibus solùm sed externis etiam Regibus formidabilis, quàm se cunque in partem vertisset, aut perniciem secum aut salutem videretur allaturus. Ita facilè illo sublato, ac simul fratre urbe pulso *Tifernatium* Pontifice, qui erat alia matre natus, *Tifernum Alexander* in deditionem redegit. Agitanti *Xysto* nova adversus *Florentinos* consilia *Petri* Cardinalis morte magna est spes adempta ea quemadmodum animo destinaverat, exequendi. Etsi non est consilium, cùm *Florentinorum* res gestas explicandas susceperim, in A iis quæ propriè ad eam scriptionem non pertinent, morari: visum tamen est non alienum esse à scribendi munere, ut parumper ab instituta narratione digressus, de hujus hominis moribus, ac vitæ rationibus, cum in eo insigne suæ temeritatis documentum fortuna constituerit, paucis agam. Is enim (ut diximus) humili loco & obscuro natus atque à puero ascitus in *Franciscanorum* familiam: ubi tanquam ex quibusdam vitæ angustiis per *Xysti* Pontificatum, non patris solùm (ut ferebatur) sed patris etiam indulgentissimi, ad tantam dignitatem evasit: brevi declaravit, quanquam ita sibi fortuna indulsisset, multò plura tamen quàm quæ illi B referret accepta, suæ industriæ atque ingenio deberi. Erat in eo animi elatio, quæ supra etiam fortunæ vires cùm tantum illi largita esset, se extolleret: calliditas & perspicacia tanta, ut nemo, etiam omni ætate magnis tractandis gerendisque rebus acta, plura aut provideret animo, aut præstaret, ubi provisa perspectaque haberet. Id verò quod dignum admiratione videbatur, nullæ magno homine dignæ artes, nulla liberalis educatio, aut disciplina efficiebat: cùm is in sordidissimo vitæ genere à pueritia versatus, ac longè positus ab hominum luce, neque rerum usum, neque exercitationem, repente evectus ad tantum fortunæ C fastigium, attulisset. Idem cùm omnes artes mirificè calleret, quibus Regum animi & summorum hominum conciliantur: æquè semper & ab aliorum insidiis tutus & ad fallendos omnes dolo, fallacia, artificio, ut si quis alius unquam paratus habebatur. Nam in quotidiano victu, ut facilè appareret ingenii hoc magis, quàm fortunæ esse, splendor regius & luxus. Argenti copia & vis ut non ad usum modò, cùm in eo superiorum omnium magnificentiam superaret, sed ad ostentationem etiam, fide omnium major esset. Ad corporis ministerinm, nobiles pueri & forma excellenti, quam cultus mollissimus, & curatio corporis D eximia augeret. Omnium voluptatum artifices, quæ movere modò sensum, atque lenocinari animo & blandiri possent. Scurræ, mimi, saltatores, comœdiarum & tragœdiarum actores, ludii, qui in omnium fastidio & satietate, nunquam animum explerent. Jam illa majora, & quæ non tàm ullius exemplo quæsita, quàm ab ingenio hausta, superbia, contemptio omnium, arrogantia, ambitio, cupiditas, in homine orto etiam regio genere non ferenda. Regnandi immanis cupiditas, quam spes non inanis præsertim foveret, ut nullus modus ratiove statueretur. Hinc celebratissimum fama omnium convivium, in quo quidem E nummorum aureorum XX. millia, locupletis hominis censum, consumpta esse dicuntur: quò *Æsopi* tragœdi profusissimas cœnas Christianæ sanctimoniæ & religionis moderator, longè etiam anteiret. Quanquam ne admiratione hominum major res videretur, ambitioni id tribui mallebat, cujus eosdem fines sibi qui immensi erant, & sumptus præfinisset. Excepit eo convivio *Herculem Atestinum Ferrariensium* Principem & *Helionoram Ferdinandi* Regis filiam, quæ per eos dies illi nupserat. Erat autem magna illius spes per adeò præposteram rationem, fore ut ejus sibi voluntate & studio conciliata, reliqua sibi facillima essent, ad ea quæ F constituerat perficienda: quæ majora quidem aliorum spe suam minimè æquabant: tanta aut fiducia sui, aut fortunæ subnixus ferebatur. Nam fama jam constans ac minimè obscura emanaverat, vivente adhuc *Xysto*, qui in omnibus illi indulgendo, nihil quod conceptum animo haberet, non ejus spe minus effecisset, ad Pontificatum ambitiosissimè aspirare: quem minimè dubitabat, ubi se eo *Xystus* abdicasset (usque eò alter temeritatis, impudentiæ alter progrediebatur) non etiam Principum

cipum voluntate (quod plurimum referre arbitrabatur) susceptùrum se administraturumque esse. Quin etiam cùm legationem ad *Venetos* & *Galeatium* postulasset, id vulgò homines suspicabantur, ambitiosum juvenem per causam aliud agendi occasionem ad prensandum, tanto morbo laborantem ad insaniam quæsisse. Ut enim tantam dignitatem ambienti ex sententia cætera evenirent: non ignorabat, haud satis ea adjumento sibi futura nisi Principum secunda voluntate, *Italiæ* in primis uteretur. Hac ille functus legatione *Romæ* moritur, ut multi crediderunt, veneno sublatus: frustra quidem ad bellum *Florentinis* inferendum, *Galeatio* & *Venetis* solicitatis, cujus rei causa (id quod magis verisimile videtur) eam legationem susceperat. De hujus juvenis luxuria, intemperantia, immanibus ac profusis sumptibus, si cui libet plura cognoscere, extant *Ticinensis* epistolæ, quibus luculento testimonio, illius mores, instituta, cupiditatem, ambitionem execratur. Hujus morte tametsi spe magna Pontifex destitutus erat, quæ constituerat ex sententia agendi, lentius aliquantò, sed nihilo tamen cupidius consilia de *Florentino* bello agitare cœpit. Quo illius animo planè *Florentinis* detecto, cum *Venetis* & *Galeatio* fœdus renovarunt: cæteris *Italiæ* Principibus iisdem fœderis legibus coëundi potestate facta. Hanc eorum conspirationem Pontifex veritus cum *Ferdinando* & ipse novum iniit fœdus, in quo disertè cavebatur, ut eosdem amicos atque hostes uterque haberet. Atque quò pertinacius susceptas partes tuerentur, *Venetis* pariter & *Florentinis*, novæ illatæ injuriæ efficiebant. Nam *Veneti* cum in eorum tutela *Cyprus* Insula jam à morte *Jacobi* Regis fuisset: gravem sibi factam à *Ferdinando* injuriam querebantur: cùm ille *Cyprio* Regno imminens, per certos homines Reginæ viduæ animum tentasset ut *Federico* filio nuberet, minimè ignarus ubi illam in sententiam adduxisset, formidabilem se potentiam per ejus Regni adeptionem, adversus alios Principes *Italiæ* atque adeò adversus *Venetorum* Rempublicam jactaturum. Erat Regina ex *Cornelia* gente *Venetiis* orta, & nobilitate & divitiis inter principes civitatis familias clara. Sed ita ea tamen Regi nupserat, ut tametsi una ex multis delecta esset, quæ judicio amplissimi ordinis excelleret: per unius ille affinitatem, institutam sibi cum civitate necessitudinem censeret. Quod cùm nemini obscurum esset, Senatus in eo sibi laborandum existimabat, ne Regina decedente sine liberis, interversum à *Ferdinando* Regnum, Reipublicæ cujus jure hæreditario esset eriperetur, fallacis ingenii homine & callido, atque ob nimiam dominandi cupiditatem, meritò liberis populis suspecto. Nam à *Florentinis Federicum Urbinatium* Principem averterat, cujus summa virtus tum bellicis rebus in *Italia* habebatur: cùm illum & multis aliis pollicitationibus, & spe liberalioris stipendii solicitatum *Neapolim* evocasset. Quò ille profectus accepta à Pontifice fide nihil hostile passurum à Rege crudelissimo, & cui clarorum hominum vita venalis esset, cùm aliis affectus honoribus tum Regii & Pontificii exercitus Imperator appellatus dimittitur. Id quidem magna Pontificis & *Ferdinandi* invidia, *Federici* non levi infamia, ac pari *Florentinorum* offensione accidisse ferunt: qui magnam spem salutis & dignitatis publicæ tuendæ, in ejus hominis virtute & fide collocassent. At *Xystus* cum omnino *Florentinis* bellum inferre statuisset, & *Flaminiæ* Regulos omnes & *Hetruriæ* civitates, non desistebat per certos homines solicitare, quarum ditionem *Florentini* finibus imperii attingerent. Quæ Pontificis consilia cùm minimè essent *Florentiæ* occulta: ne quando civitas improviso bello opprimeretur, hostibus in omnem

A occasionem intentis ut incautos atque imparatos adorirentur: pari industria & celeritate, quæ ad gerendum bellum opportuna necessariaque existimarent, comparare instituunt: cumque sua sponte se *Federicus* exautorasset, *Rubertum Malatestam Ariminensium* Regulum copiis Reipublicæ præficiunt: simul cum *Perusinis* & *Manfredis* qui *Faventiam* in *Flaminia* obtinebant fœdus ineunt, veriti (ut videtur) ne quando hostes transitum liberum nacti, ab ea parte in Reipublicæ fines, quod magno cum detrimento civitatis futurum intelligebant, invaderent. In tanto animorum ardore cùm quidem ut in apertum bellum erumperet, occasio

B modò quæreretur: quò magis necessaria Regis & Pontificis arma à *Florentinis* Principes alienarent: belli causæ ut satis in speciem probabiles, ita non minus etiam verisimiles in medium afferebantur. Querebatur Pontifex, per trium præpotentium populorum coitionem, *Italiam* tot jam annos bellorum perpetuis cladibus jactatam in certam perniciem adduci. Minimè verò esse dubium, quin consultò ab iis captata occasio esset, dum in magno otio vacui metu homines curaque languerent, per summam injuriam & vim imbecillioribus illatis armis, ereptas civitates occupandi. Hæc quidem ferebatur Pontifici causa fœderis cum Rege initi

C fuisse, speciosa magis quàm probabilis iis, qui propius rem intuerentur. Re vera illi erat *Florentinorum* potentia formidabilis, qui gravissimis de causis ab illo alienati, videbantur sociis *Venetis* adjunctis, *Hieronymo Riario* exitium moliri. Nondum enim ille satis opibus firmatis, omnia, etiamsi nullus objectus externus metus esset, ut in novo principatu & per vim propè parto, verebatur. Cùm ea *Florentini* non ignorarent, satisque intelligerent, ubi amicitiam *Venetis* renuntiassent, destitutam magno præsidio Rempublicam Pontificem ac Regem inimicum invasurum: quanquam multitudinis animi, ut id agerent, nulla non ratione &

D consilio tentabantur, in eorum societate & amicitia manebant. Atque cùm jam alterum annum nihil agendo absumpsissent: novus tumultus repente in *Hetruria* excitatus, magnum iis momentum ad res gerendas attulit: quod quidem illi neglexerunt, cum magis suæ fidei sibi habendam rationem, quàm securitatis atque otii arbitrarentur. *Carolus Montonius* erat *Bratii* filius, ejus qui à *Jacobo Caudola* & *Francisco Sfortia* copiarum Pontificiarum Ducibus, magnis rebus gestis interfectus in *Marsis* fuerat. Hujus *Oddum* fratrem *Florentini* exercitus Ducem, cùm adversus *Guidantonium Manfredum Faventiæ* Regulum copias duceret,

E *Anemonis* fluvii accolæ montani homines & feri Apennini angustiis inclusum interfecerant: magnæ spei adolescentem, & quo de medio sublato, omnem familiæ spem, quæ nulla quidem aut perexigua in *Carolo* fratre puero admodum superarat, penitus extinctam appareret. At *Carolus* cùm jam adolevisset, magna sui expectatione concitata, fore ut brevi paternam gloriam æquaret: à *Venetis* honesto in primis stipendio inter cæteros copiarum Duces, qui Senatui militabant, ascitus est: cùm optimæ indolis adolescentem, etiamsi nullum adhuc suæ virtutis documentum dedisset, memoria patris commendaret, viri fortissimi, ac cla-

F rissimi militiæ gloria. Ita cùm *Venetis* aliquamdiu secunda hominum fama meruisset: magnam fiduciam & spem concepit, quòd summa *Perusinorum* voluntate, patrem popularem hominem & multitudini gratiosum, principatum in ea civitate obtinuisse non ignorabat, futurum ut per suæ factionis homines quorum multi adhuc supererant, sibi facultas aliqua ad patrium Principatum repetendum daretur. Ergo cùm opportunè stipendii tempus confecisset: impetrato à *Venetis* commea-

tu, cum valida armatorum manu in *Hetruriam* venit. Etsi autem omnia illi facillima ostendi ad rem obtinendam videbantur: tempus (quod caput est in magnis rebus gerendis) alienius aliquantò à suis rebus offendit. *Florentini* enim quibus non mala conjectura usus, optatissimam fore eam occasionem arbitrabatur, minimè dissimulanter præ se ferebant, ut *Perusinis* injuria fieret, quibus cum fœdus & societatem fecissent, se haudquaquam passuros. Atqui ille cùm quanquam tanta spe frustratus animum tamen non abjecisset: majora etiam quàm initio constituerat aggredi ac *Senensibus* inferre bellum decrevit: ne videretur gerere injusta arma, ingenti pecunia à civitate postulata, quam patri multis nominibus debitam, sibi diutius deberi iniquum censebat. Ergo illos de improviso adortus, cùm agro latè vastato, omnia ferro ignique populatus esset, ac magnum in discrimen civitatem adduxisset: ut sunt *Senenses* acri ingenio & acuti, atque quod permagni refert, multis de causis semper *Florentinis* infensi: non obscurè querebantur: nomine se à *Carolo*, (Non enim eas illius vires esse, ut iis subnixus civitati bellum inferret) re vera à *Florentinis* peti, quibus autoribus & belli sumptum subministrantibus, rem sibi agendam, quam neque privati hominis fortuna, neque vires æquarent, suscepisset. Itaque non ea solùm *Romam* ad Pontificem, & *Neapolim* ad *Ferdinandum*, sed ad *Laurentium Medicem* de consilii sententia *Florentiam* perscripserunt: hunc maximè precati, ut cùm nullo suo in Rempublicam merito, hæc civitati acciderent, sua & publica magistratus autoritate, deterrendum à tàm audaci incœpto hominem avocandumque curaret. Cùm enim nemini posset in mentem venire, rem tantam *Carolum* suis modò viribus confisum, ausurum: ubi hoc sibi esse agendum statueret, magna suspicione se atque civitatem adeò liberaturum. Certè ut alia omnia abessent: facturum illum quidem id quod maximè ex ejus Reipublicæ dignitate esset, ut conservata ejus gratia & autoritate nobilissima *Hetruriæ* urbe, illi *Senenses*, & salutem & fortunas, & patriam acceptam referrent, de quibus per unius hominis summam injuriam & scelus, in discrimen venissent. Visa *Florentinis* non iniqua eorum postulata esse: cùm quidem quò magis ab ejus sceleris societate abessent, eò diligentius sibi providendum censerent, ne qua hujusmodi suspicio de civitate in hominum animis hæreret, satis per se verisimilis futura ob veteres simultates quæ cum *Senensibus* Reipublicæ intercesserant, nisi *Carolum* sua autoritate atque armis adeò, ubi iis pergeret injuriam facere, coercerent. Itaque tametsi sua voluntate factum negabant, ut *Senensium* civitatem, nefario bello sibi susciperet lacessendam: quæ res cùm ita esset, neque præstandam sibi alienam culpam, neque magnopere laborandum esse affirmabant, quicquid de ea re parum æqui Reipublicæ homines statuerent: tamen pro sua fide atque egregia in illam Rempublicam voluntate, polliciti sunt posthac sibi curæ fore, ut positis armis primo quoque tempore excederet ex *Senensium* agro: nisi autem is ab injuria & maleficio abstineret, quod per suam autoritatem & gratiam ab eo minus impetrassent, ut id omnino statueret sibi esse agendum, vi illum atque armis se coacturos spondebant. Cùm magistratui *Senensium* nomine, gratiæ actæ essent: iis dimissis placuit *Carolo* denuntiari, ut è *Senensium* agro copias educeret, & civitati, quæ ademisset restitueret, cùm cura conquisita. Quòd si quemadmodum instituerat, iis injuriam facere perseveraret, quando semel esse è sua fide judicassent, minimè id *Florentinos* neglecturos. Hac civitatis denuntiatione *Carolus* territus, qui rem esse occasionis & non moræ arbitraretur: militem inde, parta magna præda, abduxit: cùm non magis sibi injuriam fieri, quàm parum consuli *Florentinæ* Reipublicæ à suis affirmaret. Nam sibi gloriæ fructum uberrimum ereptum & magno homini in primis expetendum, qui inimicam civitatem, & quæ æquo jure disceptare recusasset, armis coactam, fuisset ad officium revocaturus: nobilissimæ urbis imperium *Florentinæ* Reipublicæ esse ademptum; quod sæpè majorum memoria magnis inferendis accipiendisque cladibus, tentasset. Brevi enim illam omni alio præsidio destitutam, ac proditam per summam suorum inertiam: fuisse necessariò in eorum potestatem venturam quibus esset usus sociis ad bellum. Liberati magno metu *Senenses Florentinorum* beneficio, nullam illis majorem gratiam habuerunt: quoniam eam sibi ab iis illatam injuriam existimabant, ut maximè illos suscepti consilii pœniteret, non æquè arbitrati compensari officio injuriam & tolli officio injuriæ memoriam posse. Itaque non quoniam victi pudore sibi à maleficio temperassent, quando diffisi essent ejus rei invidiam se posse sustinere, id sibi beneficii loco esse accipiendum: sed quoniam perfecissent inferenda injuria, ut honesta esset civitati consilii mutatio, perinde atque rem confecissent, esse reprehendendos. Hæc quidem ita adversus *Senenses* gesta, magni motus tum in *Hetruria*, tum in *Insubribus* secuti sunt, quos quidem in sequenti libro latius persequemur.

JOANNIS MICHAELIS BRUTI
HISTORIÆ FLORENTINÆ
LIBER SEXTUS.



CUM ea in *Hetruria* gererentur *Galeatius Maria Sfortia* in *Insubribus* per trium nobilium adolescentium conspirationem interficitur. Qua una ex re (id quod verè dici potest) quæcunque mala, aut nostra, aut patrum memoria in *Italia* acciderunt, esse profecta maximè dicuntur. Atque quanquam non me præterit, rem ab aliis memoriæ proditam magis perspectam testatamque esse, quàm ut nunc explicanda mihi diligentius sit: quoniam tamen serie quadam rerum ea attingit, de quibus scribere instituimus, placuit ordine quemadmodum gesta constitutaque est à principio enarrare. Erat *Nicolaus Montanus Bononiensis*, vir (ut illis temporibus) non ineruditus, ex eorum genere qui nobiles pueros in literis instituendos suscipiunt. Hujus inter cæteros, erant auditores *Mediolani*, tres adolescentes ejus civitatis cum primis nobiles, *Joannes Andreas Lampognanus*, *Carolus*

lus Vicecomes, & *Hieronymus Oleatus*, quibus ob egregiam indolem virtutis plurimum omnium indulgebat. Erat hominis ingenium longè acerrimum, & sive hoc à natura haberet, sive studio esset & diligentia consecutus, minimè ad hominum vitia, Principum in primis dissimulanda accommodatum. Hoc quidem ut penitus illius animo insideret, cùm *Mediolani* ageret, *Galeatii* immanis atque importuna crudelitas & libido efficiebat: quam quidem in summi imperii potestate formidabilem, cùm tantæ accederent vires omnes horrebant. Nulla illi domus quanquam sanctissima & castissima erat clausa: nemo ab illius crudelitate tutus, per quem minus liberi aditus ad nequitiam patefierent. Idem adeò perdito ingenio, ut cùm in omni genere flagitii licentia magis atque impunitate quàm peccato offenderet: tanquam impudentia & audacia magna esset voluptatis accessio, non prius sibi facere satis videretur quàm libidinis & nequitiæ suæ monumenta omnibus testata relinqueret. Ita ejus injuria nobiles domus permultæ violatæ, sed quod esset ferendum, ubi id quidem lateret, nullæ non ejusdem prædicatione infames, quò semel libidini aditum animi impotentia, & vis imperii dedisset. Nam cùm plurimos quotidie ad cædem denotaret, aut nullis, aut levissimis de causis: veluti in capitis supplicio, parum gravis animadversio constitueretur, mortis genere in eosdem sæviebat: itaque aliquando dicitur vivos homines in culeum insuendos, atque humandos curasse qui quantumvis minima in re illius voluptati obstitissent. Sed quod maximè offendebat, & illi exitium maturavit, in nobiles fœminas (ut diximus) ubi iis ad satietatem abusus esset, dicax videri & salsus volebat: æquè & in admittendo flagitio impudens, & in detegendo petulantia ac linguæ procacitate singulari. Gravi ad hæc omnia laborabat infamia, matrem lectissimam fœminam cum illam autoritate administrandi imperii privasset, veneno sustulisse. Ex hujus impotenti imperio *Nicolaus* quæsita occasione: adolescentes peracri ingenio, & (quod caput est) gravi injuria affectos hinc execrandis sæpè abominandisque malis, quæ subeunda erant parenti unius imperio: hinc contrà commemorandis bonis quibus nati in liberis civitatibus homines fruerentur, ad rem capessendam eorum spe, atque expectatione dignam, excitabat. Gravem semper unius hominis potentiam videri, etiam cùm probitas par & virtus consequeretur (non enim quid deberent modò homines, sed quid possent etiam cogitari oportere) ubi eadem crudelitati adjuncta & sceleri dominaretur, in legum observantia nihil esse præsidii atque adjumenti, in contemptione fidei, officii, pudoris jacturam, atque cùm iis ipsis libertatis sæpe interitum subesse. Ad hæc quæ vera magis quàm opportuna essent, exempla eorum colligebat, qui veterum memoria in omni benè instituta Republica floruissent: quibus cùm proposita ad virtutem præmia essent amplissima, satis jam intelligi posset quid ita liberæ civitates plurimos semper, perpaucos quæ unius imperio regerentur, qui virtute, rectis studiis, magnitudine animi, ac rerum gestarum gloria florerent, extulissent. In legibus enim quæ in Republica vigerent, virtutem & rectè facta gloriam sequi: in hominis improbi dominatione, cùm se videri meliorem pateretur neminem (quod malorum institutum est) aut jacere eandem contemptam, aut penitus neglectam interire. Itaque in liberis populis, quoniam virtutis plurimus usus esset, & coli illam studio & labore, & augeri præmio, & gloria foveri consuevisse: in unius Principatu cùm neque virtus nequitiam, neque virtutem ferre improbitas posset, minimè quenquam mirari debere, si quæ esset vires majores nacta,

A illam tolleret, quæ viribus inferior atque imbecillior haberetur. Id nobilissimi tyranni exemplo comprobari, qui *Dionis* filium viri fortissimi, ac clarissimi sapientiæ studiis, patre pulso in exilium, quò nativa illius virtus ocyus in desidia & languore interiret, vetitum liberalioribus artibus institui, usque eò omni genere nequitiæ & corruptelæ enervasset, ut cùm patria liberata, *Dion* rediisset, filium, quòd ferre triste parentis imperium non posset, sibi afferre manus coëgerit. Cùm igitur, pudori & probitati omnia essent clausa, quæ probris, flagitiis, luxuriæ paterent: cumque nullus virtuti locus relinqueretur, ubi viro forti metus,
B inerti & desidi securitas proposita esset: quid esse cur homines mirarentur, in ea civitate quæ hoc uteretur instituto, religionem ac pietatem nullam coli, officium negligi, legum majestatem solvi, impunè vim afferri ingenuis, matres familiâs, nobilissimas fœminas constuprari, de innocentibus supplicium sumi, lenonibus, sicariis, aleatoribus turpissimarum voluptatum administris, debita summæ virtuti præmia, honores, magistratus, sacerdotia, dignitates amplissimas deferri, omnia quæ libido imperaret, crudelitas, avaritia, nihil pro legum & judiciorum severitate agi? His adhortationibus victi adolescentium animi, atque adeò ut
C digna res summa admiratione videatur, nondum ita aut constituta ætate, aut corroborata virtute, ut satis apti, ad rem tantam diutius dissimulandam haberentur: fide data atque accepta jurant, ubi primum liceret, patriam se à tyranni importuna dominatione liberaturos. Augebat eorum odium suis privatim illatæ injuriæ gravissimæ & maximæ. Nam *Joannes Andreas* querebatur sacerdotio propinquum à Pontifice auctum, cujus uberrima vectigalia essent, nullius precibus, aut gratia assequi potuisse, ut secundum Pontificis decretum illi sacerdotii possessionem daret: *Oleatus* & *Vicecomes* cum minus munitas domos ab ejus libidine habuis-
D sent, iniquissimo animo ferebant (ut sunt *Itali* minimè omnium apti ad suorum flagitia dissimulanda) in nobilissimis familiis, tantam maculam & labem, vivo eo qui illam imposuisset, hærere. Hac de re tanta cum illi remotissima in ædium parte ferè quotidie agerent, propterea quòd jam omnibus erat nota eorum familiaritas & consuetudo, nemo magnopere mirabatur: quavis de re illos potius quàm qua de agebant, hominibus suspicantibus eos consilia inire: quippe qui ab ætate, quæ facilè falleret, non ab ingenio ducerent conjecturam. Tantam autem fuisse in his animi præsentiam, eum ardorem & studium ferunt ad patriam liberandam,
E ut quà vulnus facilius pateret, quà ferrum hæreret altius, quod esset commodius gladii genus atque expeditius explorarent: non de loco & de tempore solùm soliciti, sed de ictu, ne moram faceret, ubi minus celeriter hominem tolleret. Namque & illud crebrò agebant, ut tectis vagina pugionibus se mutuò peterent. Ubi enim ludicra exercitatione tantæ agendæ rei assuevissent, animos paratiores arbitrabantur se in facinore exequendo allaturos. Nam aut nullam aliam rem prætereà, aut hanc unam maximè esse statuebant: in qua excogitanda consilium aggredienda vis & fortitudo animi, conficienda usus atque exercitatio
F requiri diuturna videretur. Quæ quidem cum aliis omnibus in rebus, atque adeò in his quæ sunt hujus generis, plurimum possint: in ea ætate, aut nulla aut perexigua certè & contemnenda videbantur. Hinc de loco simul & de tempore cœptum est agi. In arce eum aggredi quandoquidem milites qui in præsidio agebant, erant prius in sententiam perducendi, quam quidem rem multò omnium spe majorem, haud esse tentandam censebant, iis autem invitis, reditus ad fugam minus

*Brutus.

liber patebat: haud satis tutum consilium expeditumque arbitrabantur. In venatione qua ille & confirmandæ valetudinis causa, & quòd plurimum ea voluptate tenebatur, crebro uti consueverat: adversus insidias error videbatur præsidio futurus, cùm nunquam eodem loco consisteret, & venantium more huc atque illuc, quà ferarum vestigia ducerent vagaretur. Quanquam ne satis liberè peti & audacter posset, hinc amici interiores, de quorum in se fide, & voluntate minimè dubitabat: hinc fortissimorum militum manus, qui ejus latera tegebant, objecta prohibebat. Nam (quod caput erat) nullam tum multitudinem futuram apparebat, quam per tumultum tyranno interfecto, spes esset suos liberatores adversus vim, si qua inferretur, defensuram. Cùm per urbem incederet, casus ubi subsisteret incertus, eum liberabat à minime dubia & destinata vi, & conjuratos eodem quo in venatione errore implicabat. Reliquum erat, ut illum in conviviis adorirentur: quoniam autem magnopere ea in re familiaribus indulgebat, facilem se eum ac paratum insidiantibus objecturum sperabant. Id quò minus ex sententia succederet, obsistebat hominum metus, qui ut maximè adolescentium consilium probarent, non erant passuri, ut intra domesticos parietes Princeps interfectus initæ cum his conspirationis indicium esset: cùm quidem conscientia facinoris, quantumvis levissima conjectura æquè fraudi videretur futura. Nam & illud erat verisimile, apud familiares & studiosos sui homines illum convivia inire, quorum dubiæ fidei haud satis tutum existimabant, rem tantam committi. Ita quando alia omnia consilia minus expedita videbantur, constituerunt illum in pompa & populi celebritate adoriri: cùm enim præter alia multa quæ indigna, & non ferenda quotidie patiebatur, oppressa civitas tributis gravissimis jam diu tot malorum vindicem quæreret, omnino futurum credebant, ut ad tegendos eos, qui communis salutis & libertatis autores, tyrannum tanto suo periculo sustulissent, ingenti studio consensuque accederet. Illud præterea convenit: si quis ex conjuratis, aut multitudine à rei atrocitate aversa, aut in omnium trepidatione & tumultu territa, in vincula duceretur: tum cæteri sibi ferro via patefacta, eum quando à morte minus liceret, vindicare à carnifice & tortore conarentur. Neque enim dubitabant quin homines crudelissimi, quos diu innocentium sanguine *Galeatius* saginasset, per omnia tormenta excruciatum ad supplicium raperent. Susceperat *Galeatius*, quo tempore ea *Mediolani* agebantur, bellum adversus *Salassios* & *Taurinos* cæterasque *Subalpinas* gentes: causa autem ea belli ferebatur, quòd *Philiberti Allobrogum* Principis *Isabella* mater, cujus autoritate imperium administrabatur, prodita à suis *Carolo Burgundioni*, & in *Sequanos* traducta erat. Qua ex re cùm civitates tumultuarentur, atque à Principe deficerent, *Galeatius* ad suam existimationem pertinere existimabat, ut eas armis coactas cogeret *Philiberti* imperio parere. Nam quò id studiosius ageret, non eum solùm nova cum *Philiberto* conjunctio instituta cùm illi filiam puero adhuc despondisset: sed cura etiam suarum rerum permovebat. Erat enim miminè dubium, quin *Carolus*, ut cætera etiam abessent, viribus Regni opulentissimi subnixus, ubi tot civitates suo imperio adjunxisset, quæ & agrorum ubertate & frequentia populorum essent cum nobilissimis *Italiæ* æquandæ, non jam aditum sibi ad *Insubrum* imperium, atque totius *Italiæ* adeò patefaceret. Nam ut erat hominis ambitio non ferenda, inani ostentatione verborum crebrò illud jactare dicebatur, *Mediomatricibus* atque *Helvetiis* qui medii intercederent, bello subactis, unum se futurum Principem, qui ab *Oceano Britannico* ad Superum atque Inferum mare productis imperii finibus, Christianam Rempublicam ab immani *Turcarum* tyrannide, exercitibus in *Græciam* & *Macedoniam* transportatis, vindicaret. At *Galeatius* cum civitatum aliquot, partim vi partim deditione recepisset: milite quòd hyems suberat, dimisso in hyberna, celebraturus Christi natalem diem, qui vitæ illi erat supremus futurus, *Mediolanum* rediit, XII. Cal Januar. qui *Xysti* Pontificatus quintus annus fuit. Conjurati interea qui satis scirent illum vetere instituto, ad *Stephani*, ubi rei divinæ operam daret, postridie mane iturum, opportunam adesse occasionem ad rem agendam arbitrati: intento illum ad omnia alia animo aggredi constituerunt: vana spe inflati, quæ sæpè multos fefellit, ubi minus firmo consilio & certa ratione niteretur, multitudinem rem gerentibus haud defuturam. Atque adeò ubi is dies advenit, cùm sibi esse comparandum præsidium adversus vim omnem statuissent (id quod videbatur necessariò futurum ubi frustrati sua spe à multitudine destituerentur) familiares armandos & clientes curaverunt: ad avertendos ab omni suspicione animos consultò dissipata fama, se eo die *Joanni Andreæ* affuturos, qui armatorum præsidio inimicis opposito, iis invitis aquæductus quosdam aperire, qui ab his obstruebantur, & derivare in suos agros decrevisset. Cùm igitur illos armatos se ad templi fores opperiri jussissent, quo se esse venturos per causam salutandi Principis dixerant: ex amicis alios præterea eodem adducendos, quò firmior manus ad subitos casus esset, censuerunt. Ubi autem se eadem causa implicatos animadverterent futurum sperabant veluti in subita re, nulla alia objecta consilii ratione, qua deprecari imminens periculum liceret, ut se armis fortiter tuerentur. His rebus ad hunc modum administratis, deinceps quæ post tyranni cædem agi placeret, constituunt. Erat enim eorum consilium, continuò uti stipati armatis & multitudine frequenti essent, in certas urbis partes excurrere, ubi (ut credebant) certa ostentabatur spes plebem ad seditionem & ad arma excitandi. Hinc validiore jam contracta manu, arcem deimproviso, perterritis omnibus cæde tyranni occupare, atque inde excedere jussa cum liberis ac cæteris aulæ principibus *Galeatii* uxore: populum ob annonæ caritatem iis infensum, ad eorum simul diripiendam domum & ad libertatem capessendam evocare. Id autem eò magis sperabant futurum, quò omnibus vehementius persuasum erat, non solùm illis autoribus ad plebem lacerandam, sed ad omnia flagitia & scelera administris & transactoribus *Galeatium* usum. In iis qui majore flamma invidiæ flagrabant, *Franciscus Simoneta Calaber*, *Joannes Bottus*, & *Franciscus Lucanus* habebantur: qui cùm se in Principis interiorem amicitiam malis artibus insinuassent, facilè autoritate & gratia, nobilissimos homines dejecerant, qui maximè virtutis & probitatis opinione excellebant. Cùm his ita comparatis constitutisque rebus sibi cætera facillima fore pollicerentur: benè mane ad Divi *Stephani* conveniunt, eo consilio, ut cùm rei divinæ interfuissent *Galeatii* adventum opperirentur. Multa quidem dicuntur illius cædem portendisse, quorum illa maximè illustria feruntur. Cùm ab exercitu rediens *Abiate* constitisset: audivit majorem ejus cubiculi partem, quo ad interiora corporis ministeria utebatur, igni subitò correptam conflagrasse. Quod quidem quò magis etiam prodigii loco haberetur, eodem tempore visa crinita stella, efficiebat: inveterata jam, memoria veterum, opinione hominibus, nunquam illam conspici, quin aut magnorum Principum cædem, aut Regnorum conversionem, aut majorem aliam cladem portenderet. Certè (ut erat semel captus superstitione animus) nihil propius dicitur fecisse, quam ut susce-

sceptum consilium redeundi, *Mediolanum* abjiceret. Quò tamen cum occulta fati vi, nondum planè solicitudine animi discussa duceretur: ferunt super equitantis caput, ternos corvos diri ac tetri ominis avem, extitisse: qui tanquam ferale carmen canentes, leni quidem ac placido volatu eum comitari, atque iter eodem intendere viderentur. Enimvero illud vehementius dicitur hominem perterruisse, cùm jussisset eos clamore sublato, ac crebris lapidum ictibus pelli, priore ictu nequicquam petitos, vix altero abigi, iterum repetito clamore potuisse. Jam cùm præclaros cantus artifices conductos è *Gallia* uberrimis stipendiis haberet: novo more atque instituto jussit illos indui atro vestitu, cùm adjecisset in mandatis, ut ubicunque sacra fierent, carmen perpetuò canerent quod expiandorum manium causa faciendis sacris usurpatur. Ad hæc omnia illa dicuntur accidisse, quæ omni ratione etiam & consilio contrà enitentibus, vim fati inexorabilem esse ostenderent. Cùm prima luce experrectus è lecto surrexisset, indutus thoracem quo uti eo die constituerat, utrum offensus quòd minus aptè caderet, an (id quod alii tradunt) quòd elegantiæ & mollitiæ studiosus nollet pinguior videri, eundem subitò exuit: tanquam hoc illi esse curæ videretur, ut se inermem quò esset magis ad injuriam expositus, traderet armatis. Jam illud haud minus evidens: cùm eo die exire gravaretur, ac jussisset sacerdotem acciri qui illi erat à sacris, quo rem divinam in arce procurante, de more interesset, non esse inventum: cùm iis arbitratus Principem, secutum veterum morem, ad *Stephani* iturum, eò cum omni rei divinæ apparatu esset profectus. Hinc accitum *Novocomensium* Pontificem, ac sacra facere jussum, eum necessitatis excusatione usum, minus sibi licere respondisse. Ita eodem fato rapiente invitum & tergiversantem ad interitum, cùm parvos liberos complexus sæpè & deosculatus esset, medium inter duos legatos *Ferrariensis* & *Mantuani* Principis, ad *Stephani* ædem venisse. Conjurati interea, quò se magis ab omni suspicione abesse demonstrarent, anni tempore durissimo, frigore maximè sæviente, in æditui cubiculum coierant, ut igni adhibito, corpus curarent. Interea rumor perfertur *Galeatium* adventare, turba familiarum (ut fit) qui illius adventum prænuntiarent, per viarum compendia præcurrente. Ergo tres adolescentes confirmatis animis, cùm illos clientium atque amicorum turba circumstarent, pugionibus intra vestem abditis, fores obsederunt. Quorum *Joannes Andreas* princeps inferentem se *Galeatium* cum ille è loco superiore immineret, in jugulo & sub alvum saucium reliquit: *Hieronymus* eodem tempore & in jugulo pariter & in pectore: *Carolus* qui propius fores à sinistra constiterat, cùm ille properasset gradum inferre humerum & tergum momento transfixit. His vulneribus confecto atque adeò, ut prius in terram prolapsus concideret quàm aut eò accurrere aut stringere ferrum in armatos posset: vix unicum verbum licuit efferre, serò divinam opem viso implorare, quam vivus semper superbissimè contempserat. Interea cum in multitudine quæ magis rei attrocitate objecta subitò perterritis & perturbatis, quàm causa quæ non æque apparebat, etiamsi optima esset, moveretur, neminem esse conjurati animadverterent qui liberam vocem mittere auderet: ubi districtis omnium in se gladiis, se ab iis desertos proditósque senserunt, in quorum virtute & fide plurimum sibi præsidii constituerant, viam quæ nulla erat reliqua, quærere ad effugium cœperunt. Atque cùm ægrè in conferta virorum & mulierum turba, evadere circumventis multorum armis liceret: *Joannem Andream* implicitum vestium laciniis, quas laxas atque amplas nobiles fœminæ humi trahunt,

A ac nequicquam se inde proripere & moliri pedes conantem, unus ex *Galeatii* pedisequis *Maurus* genere assecutus interfecit: jam *Carolo* cum circumventus subitò esset, multis vulneribus à militibus confosso. At *Oleatus* cùm sibi ferro via patefacta incolumis è templo evasisset ad paternas ædes confugit: unde à patre ne esse particeps consilii videretur excluditur. Eum ille totius rei gestæ conscripto libello, immanissimum patrem & crudelissimum appellat. Cùm à patre destitutus circumspectaret atque hæsitaret animo: à matre, ut est mollis sexus, & naturæ quodam instituto magis in liberos indulgens, cùm ob oculos versantem filii B calamitatem minus sustinere animo posset, sacerdoti familiæ clienti commendatus, atque ab eo quò tutior esset, mutata veste domum perductus, in præsentia servatur. Ibi cùm biduum delituisset, ac sublato è civitate tyranno, non desperaret (ut facile semper hominum studia spes magis dubia quàm certa ratio sequitur, populum per interregni occasionem excitari, quod esse reliquum videbatur, audacia sibi utendum ac fuga salutem petendam meliore consilio quàm tempore statuit. Jam enim magna proposita præmia erant, qui illum vivum magistratui tradidisset: ut minimè se tutò fore in ea civitate arbitraretur, in qua vindici liber- C tatis supplicium, constituta præmia tyrannidis autoribus non impunitatem modò, audiret. At cùm parum præsidii reliquum in fuga esset, itineribus undique obsessis armatis: comprehensus atque rem, ut erat gesta, explicare ordine coactus, supplicii genere teterrimo afficitur: cùm vivus laniatus atque in quatuor partes dissectus esset, non minore in tanto cruciatu perferendo constantia, quàm in tyranno interficiendo fiducia animi & audacia, adolescens minimè ea calamitate dignus, si mens potius & consilium, quàm multitudinis judicium, malè semper de rebus magnis sentientis, spectandum est. Nam carnifice illi ad tantum supplicium D gladio imminente: ita ex magno horrore collecto animo, dixisse fertur. Mors acerba, fama perpetua, stabit vetus memoria facti. Hunc exitum habuit trium adolescentium fortissimorum, in *Galeatium Sfortiam* conjuratio. Sive autem cum his *Pausaniam* libeat conferri, qui *Philippum* medium inter generum & *Alexandrum* filium interfecit: sive *Hermolaum* puerum nobilem & summæ virtutis atque indolis, qui in *Alexandrum* omnium gentium victorem conjuravit: ita statuendum videtur, neminem illis ex veteribus præstantia & magnitudine animi esse præferendum. Erit autem hoc exemplum omnibus in posterum memorabile, ne- E que flagitium & scelus ubi præsentes animi sint & sibi benè conscii, satis tutum in summa etiam potestate esse: neque plus animorum atque audaciæ quàm prudentiæ & consilii in iis esse oportere qui in Principe & magno homine scelus vindicare & flagitium aggrediantur. Nam illud longo jam usu observatum est, cùm multi sæpe post hominum memoriam, virtutis summæ & constantiæ homines in Tyrannos & magnos Reges conspirarint: perpaucos ferè semper lætiorem eventum sortitos esse: ut jam minimè mirandum sit, adolescentibus imperitis rerum, quorum spes omnis in multitudinis consensione collocata esset, rem minus ex senten- F tia successisse. Inerat in his æquè, & in consilio suscipiendo vis, & in dissimulando constantia ætate major & fides: in conficienda quidem re major animus, quàm consilium & vires: quippe cum neque prudentia in ea ætate nisi admodum exigua, & vires in multitudine, quæ diu assueta unius imperio vim & audaciam amisisset, æquè infirmæ dubiæquè essent. Nam illa semper fluctuanti similis, cùm nulla re alia magis quàm à se ipsa diffidendo stabilis sit: in eo facilè sibi constat, ut quæ non adsint velit, præsentia eadem

improbet atque aspernetur. Memorabilem annum *Galeatii* cæde: *Caroli Burgundionis* interitus, multò etiam magis reddidit insignem. Is cùm anno superiore fœdus pactus cum *Federico* Cæsare *Nussiam* obsidione solvisset: victus ad *Gransem* oppidum ab *Helvetiis* & castris exutus partam antea gloriam magnis gerendis rebus amisit. Dicitur *Carolus* tum primum Regiam supellectilem in castra avehi imperasse, quæ esset indicio pertinacis animi, si diuturno bello procul domo manendum, atque agendum in castris esset. Ea verò multorum annorum spatio collecta, quibus domus fortunatissima & beatissima floruit, victoriæ insigne monumentum *Helvetiis* & domesticæ virtutis & frugalitatis documentum illustre fuisse fertur. Nam argenteos lances & pocula ex solido auro tum gemmarum magnam vim, tanquam è vili materia essent, & quæ eorum speciem referrent, quorum usum ipsi ignorarent, venalia in vicinis oppidis exiguo pretio habuisse dicuntur. Magnis postea *Italiæ* cladibus, Regum & Pontificum ambitio *Helvetiorum* virtutem claram magis celebrémque reddidit, quæ per multa secula fuerat nostris hominibus obscura. At *Carolus* cùm iterum ad *Moratum Bernensium* oppidum memorabili prælio victus octo millibus amplius è suis amisisset: rursus ad *Nansem* congressus cum *Renato Lotharingiæ* Duce, cui *Helvetii* auxilio venerant: multò etiam insigniorem hosti victoriam sua cæde fecit. Hujus *Maria* filia unica tot Regnorum hæres relicta, postea *Maximiliano* Cæsari nupsit: cùm interim *Ludovicus Galliæ* Rex quæ angustiis temporum coactus *Carolo* concesserat, tum in *Belgis*, tum in *Sequanis* nemine contra ferente arma recuperasset. Iisdem ferè temporibus mortuo *Henrico Hispaniæ* Regi, *Ferdinandus Joannis* filius successit, qui *Aragonensium* Regnum obtinebat. Is est *Ferdinandus*, qui postea devictis *Mauris* ac magna gloria *Betica* ejectis, *Catholici* claro atque illustri ad posteritatem cognomine nobilitatus est. Idem omnia ferè *Hispaniæ* Regna *Elisabethæ Henrici* sororis nuptiis adeptus, cujus maximè virtute & consilio, de barbaris victoriam retulerat, *Neapolitano* Regno potitus, inter ejus ætatis Reges Maximus potentissimusque habetur. In *Pannonia* ad *Savum* amnem *Matthias Huniades*, insigni de *Turcis* victoria relata, atque eorum castello munitissimo expugnato, *Austriam* & *Stiriam* vastat, ac *Pannoniæ* Regnum invadit. *Italia* interim Principum gravissimis contentionibus & discordiis, quarum nullum adhuc finem videmus, perniciosissimi belli incendio excitato, propediem conflagratura videbatur: hinc *Xysto* & *Ferdinando* illinc *Venetis*, *Florentinis* ac *Joannis Galeatii* tutoribus qui patri interfecto *Mediolani* successerat, cùm paribus viribus subnixi essent, adversas partes tuentibus. Ac quanquam jam aliæ simultatis causæ, quas jam antea commemoravimus, omnem spem reliquam futuræ pacis & concordiæ sustulissent: aliæ quoque accedebant minimè contemnendæ factæ indies Principum odio graviores, cùm eas casus temerè objecisset. Erat fortè per eos dies mortuus *Philippus Medices Pisanorum* Pontifex, quo quidem sacerdotio in primis *Hetruriæ* opulento, *Franciscum Salviatum* ornavit, quem esse *Laurentio* inimicum maximè intelligebat, illius decreto *Florentinis* reclamantibus, quibus hisce in rebus superiores Pontifices præcipuè indulgere consueverant. Hanc tantam Pontificis injuriam, quæ ut gravior aliquantò esse videretur, voluntas atque hominum studia efficiebant: *Florentini* vehementius quàm res ipsa, aut Reipublicæ tempora postulabant, tulisse dicuntur. Itaque ne minus constantes in suo jure tuendo viderentur, ejus sacerdotii possessionem, quòd in vectigali agro Reipublicæ esset, *Francisco* se daturos ex *Xysti* decreto negabant. Rem enim

A esse iniquam contendebant, & minimè dignam Pontifice Maximo, quo sacerdotio benè de Republica meriti cives honestari augerique consuevissent, homini demandari, qui ut cætera non improbarentur, minimè ex suorum civium sententia videretur Pontificatum administraturus: quò scilicet existeret qui ad privatas simultates ex opimi sacerdotii vectigalibus vires & fiduciam sumeret, ac civiles in Republica dissensiones foveret. Jam cùm *Romæ* perampla negotia *Laurentius* haberet, ac qui secundum *Medices*, divitiis maximè in civitate florebant, ex *Patiorum* familia magnæ dignitatis homines, & cùm primis civitatis honesti: in his quoniam parum *Laurentii* studiosi habebantur, minimè
B obscura Pontificis studia, aut dissimulata conspiciebantur: in *Laurentium* grave odium atque inexpiabile exercebatur: quod ut penè illi exitium afferret, alia (tanquam consultò) super alia cumulasse casus videbatur. Ex *Patiis* longè princeps autoritate *Jacobus* habebatur, quem civitas virtutis ergô equestri dignitate honestaverat, qui honos semper in liberis populis permagnus benè de Republica meritis civibus habitus est. Hujus erat unica filia quam ex pellice susceperat: fratris filii quos ille liberorum loco habebat *Gulielmus*, *Joannes Andreas*, *Franciscus*, *Nicolaus Galeotus* atque horum *Renatus*
C patruelis. Felix quidem videri poterat, cùm ad domesticas opes, propagare familiæ gloriam, fratris adeò clara prole in multos annos licuisset: si aut præsentia magis fruenda æquitate animi & moderatione, quàm spe & cupiditate ea tentànda quæ majora quidem privati civis captu essent, aut non tam aliorum ambitioni, quàm suo sibi ingenio obtemperandum censuisset. Jam pridem *Cosmus Medices Gulielmo* qui fratrum maximus natu erat *Blancam* sororem *Laurentii* in matrimonium collocarat, familiæ nobilitate & divitiis adductus, quæ jam illis temporibus haud erant contemnendæ, ut hoc esse optimum existimaret. Fuit *Cosmi* consilium
D in primis laudandum: à rectissimo certè animo profectum videri potuit. Nisi autem res eventu magis quàm causa æstimandæ & voluntate hominum probandæ potius quàm consilio & ratione sunt: videbatur maximè salutare (ut tum erant tempora) patriæ futurum: ut brevi postea apparuit, gravissimarum in Republica calamitatum & malorum initium fuit. Ita autem ille statuerat, cùm duæ potentes familiæ junctæ affinitate tanquam fœdere essent: ex mutua consensione, cùm maxima incrementa illis privatim, tum quicquid virium per eam occasionem quæsissent, Reipublicæ quam *Medices* moderabantur, accessurum. Varia erat *Laurentii*
E sententia in dispari conditione temporum & statu. Ita enim induxerat animum, non inutile hoc solum, sed perniciosum etiam Reipublicæ ac si qua unquam simultas intercederet, suis quidem maximè periculosum fore, quorum illi potentiæ objecti viderentur. Hoc enim naturam hominum ferre, ut dissentientes in pari potestate vehementius æmulatio afficeret: quàm cùm esset suscepta contentio cum inferioribus ordine. Nam, quicquid illud sit quod utrisque concedatur: qui dignitate pares habeantur, propterea quod visi sint præstitisse, id videntur nolentibus atque invitis ademisse: quod
F magna nominis jactura victis accidit: imbecilliores per beneficium & gratiam id abstulisse à volentibus putantur: quòd magnam in his moderationis laudem habet. Atqui cum ita *Laurentius* censeret, utcunque privatorum civium potentiam autoritate publica augeri pateretur, haud dubiè sibi esse de principatu dimicandum: quantum efficere studio, quantum consequi gratia poterat, ne quando *Patii*, ubi ampliores in civitate honores magistratusque gererent, ad majora aspirare auderent, iis tum in aliis obsistebat, tum maximè in honorum petitio-

tione adversabatur. Ex hoc *Laurentii* consilio: fiebat, ut quod minimè erat obscurum: grave odium adversarios in quibus injuriæ memoria hærebat, minimè æqua solicitudo eum, qui autor injuriæ habebatur, urgeret. Itaque cùm essent adeò adversa studia: non pariter intenti animi & ad vindicandam injuriam, & ad pellendam vim erant. Nam *Laurentius* quoniam ad domesticam potentiam autoritas publica accedebat; soluto animo erat, & planè vacuo metu: inimici, qui nisi consilio niterentur, haud satis præsidii in privatis opibus haberent: ne illi quantum sibi sponderet animo, in publica autoritate virium esset, sibi agenda omnia moliendaque arbitrabantur. Ex hac contentione animorum fiebat, ut magistratus qui ex *Laurentii* voluntate Rempublicam administrabant, cùm ita ille inimicis injuriam facere perseveraret, ut neque id illi facile negligere neque oblivisci ulla ratione possent, *Patiorum* nulla in re rationem habebant, & eorum consilia conatusque omnes quibuscunque in rebus poterant, retardabant. Ex ea familia *Franciscus Patius*, magna tum *Romæ* negotia gerebat: quem antea demonstravimus, pro *Hieronymo Riario*, *Galeatio* sponsorem fuisse; cùm cæteri ex eo conventu locupletes homines, quò minus spondere auderent, *Laurentii* autoritate deterrerentur. Erat juvenis cùm summa ambitio, atque ingenium accerrimum, tum animus ad quodvis facinus aut mente concipiendum, aut exequendum audacia, ubi res poscere videretur, ut nullius magis, æquè aptus & idoneus. Is *Francisco Salviato Pisanorum* Pontifice, quoniam eum pari esse odio in *Laurentium* intelligebat, iis maximè de causis, quas superius commemoravimus, familiarissimè utebatur: cùm utrisque autem *Hieronymus Riarius* æquè *Laurentio* & *Florentinis* iratus consilia communia habebat. Erat eorum in dispari causa una atque eadem sententia, *Laurentium* & *Julianum* fratrem de medio tollendi. Quamdiu enim illi incolumes essent, neque *Patiis* tutò *Florentiæ* agere atque ex majorum dignitate, neque *Salviato Pisis* Pontificatum inire, neque *Hieronymo*, etiamsi magnum illi in præsentia præsidium erat in Pontificis autoritate constitutum, partum per summam invidiam principatum retinere in *Flaminia* licebat. Verisimile enim videbatur non prius *Florentinos* quieturos, quàm ereptam inimico urbem opportunissimam ad imperii fines proferendos, Reipublicæ omni ratione & consilio adjudicarent. Ac quanquam (ut ferebatur) haud penitus erat *Xystus* ab eorum consiliis aversus: facilè tamen patiebatur, quòd nimis ea conjuratio illi infamis & invidiosa esset futura, suas partes à *Riario* præstari. Is quo *Patius* & *Salviatus* confirmatiores in suscepto consilio rem agerent, prolixè illis erat pollicitus, fore ut *Laurentio* sublato, Pontificis autoritas atque auxilia adeò, illis ad statum civitatis constituendum præsto essent. Non desunt tamen qui *Xystum* à tanti sceleris infamia vindicent, *Hieronymum*que affirment, cùm ejus autoritate ad cæteros confirmandos abuteretur, ut hæc suspicio in Pontifice hæreret plus æquo illi in omnibus indulgente effecisse. Quæ quidem dum *Romæ* geruntur: sive ejus rei rumor aliquis *Florentiam* manasset, sive quid aliud subesset causæ, quod minus tradere necessarium visum sit, à summo magistratu fit repente decretum, quo *Franciscus Patius* adesse intra certam diem *Florentiæ* jubetur: maxima ejus familiæ offensione, qui factum hoc in suorum contumeliam novo more atque instituto querebantur. Neque enim nisi gravissimæ causæ urgerent, & cùm de summa Republica magistratus referret edicto compellari Principes cives, præcipuè qui abessent, consueverant. At *Patii*, decreti iniquitate offensi, gravem factam familiæ injuriam, non invidiosa minus *Laurentio* quàm vera oratione augebant. Eò enim ventum esse patientia civium, ut non jam illi dominum sibi esse ferendum, quod mitius malum tempore coacti jam diu pertulerint: sed dominationem atque eam quidem importunissimam & minimè tolerandam intelligerent. *Joannem Medicem* regnasse privatum civem in libera civitate, magna eorum infamia per quos illi crescere eousque licuerit: sed ita ut libertatis vestigia aliqua essent reliqua: *Cosmum* filium item exercuisse Regnum, sed in adversarios, in inimicos infestissimos, in eos qui adductum antea in capitis discrimen, & carceris indignitatem & calamitatem exilii subire coëgissent. Sævisse *Petrum* in sui oppressores viros quidem optimos, sed inimicos tamen: ab amicis, affinibus, cognatis abstinuisse. Tempore ali impunitatem, & in eos qui semel patientia obduruerint, nova atque intoleranda imperia, injurias omnes atque acerbitates excogitari. Ita *Petri Medicis* liberos non jam quid possint modò sentire: sed etiam ut quid possint alii intelligant, laborare: ac quò illos non jus, non æquitas, non pudor, sed libido, ambitio, crudelitas impellat, contumeliosè ac superbè in omnes, non ordinis, non conjunctionis, non affinitatis ulla habita ratione, edicere, decernere, statuere. Eadem animi impotentia, publicam pecuniam qua majores ditati, honestis tamen in speciem nominibus cupiditatem obtexerint, expositam palàm quæstui habere: ea fidem, existimationem, familiæ dignitatem sustinere: cùm ob unam regnandi cupiditatem vastam atque immanem, domesticas copias egentibus hominibus, sibi beneficio obstringendis, effuderint: quorum scelere atque audacia, licentius in dies & majore cum contemptione, in suorum capita insultent. Hinc decretum iniquissimum in *Franciscum Patium* comparatum, implicatum hominem negotiis gravissimis, quò *Roma* totius familiæ magno incommodo, ad dicendam causam evocatus, apud æquissimos judices *Medicum* clientes atque assectatores, venalis fidei homines, qui Reipublicæ summum magistratum gerant, dimicare de capite cogatur: id scilicet eo consilio, ut per unius calamitatem fide *Patiis* concidente iis in celeberrimo totius *Italiæ* conventu, nomen, existimatio, lux, spiritus quem cœlo ducant, indignissimè eripiatur. At quanquam hæc ita jactabant (quod iis facillimum erat quibus dolor injuriæ vim ad dicendum, atque orationis aculeos suggerebat) neque in multitudine quicquam præsidii inveniebant, quæ erat unius imperio addicta: & inimicum per se potentem ad faciendam injuriam maledicendo paratiorem reddebant. Cùm ita animi essent affecti, ut quantumvis minima accessio ad maturandam *Laurentio* perniciem satis momenti videretur habitura: quò rem celerius aggrederentur, graviores causas, & quibus novæ offensiones exorirentur, sive fortuna, sive casus invexit. Nupserat fortè per eos dies *Joanni Patio Joannis Borromæi* hominis ditissimi unica filia: ad quam mortuo patre, cum nullos præterea liberos superstites reliquisset, nulla (ut ferebatur) controversia, bona patris hæreditate omnia perveniebant. Cùm is discessisset, ac *Joannes Patius* soceri hæreditatem uxoris nomine aditurum se nullo negotio putaret: *Carolus Borromæus Joannis* mortui propinquus, cùm eorum bonorum partem, ad se pertinere contenderet, invasit. Qua de injuria adeò gravi, cùm *Patius* cum *Carolo* expostulasset: ubi nihilo sibi æquiorem futurum animadvertit, inficiantem ac pertinacia summa suum jus persequentem, in judicium vocavit. Cognita causa judices magna quidem sua ac gravi infamia decretum hujusmodi fecerunt, ut filia nullo jure atque æquitate bonis patriis eversa, hæreditatem illam omnem *Carolo* adjudicarent. Quod quidem tantum acceptum incommodum, cùm

cùm gravius atque acerbius contumelia fieret: *Patii* ab uno *Laurentio* agnoscebant: quem non ignorabant, enixè *Borromæi* causam gratia atque autoritate sua juvisse. Certè præter alios permultos qui concordiæ atque otii studiosi habebantur, *Julianum* fratrem, ajunt, in eo *Laurentii* moderationem & gravitatem desiderasse. Nam & illud eum addidisse ferunt, cùm quidem de ea re, cùm eo expostularet: vereri se nisi inimicitiis exercendis, statuendum sibi aliquando modum aliquem putaret: ut hi quos minime illius causa & suorum vellet, illi præfinire vi & armis conarentur. Illud enim neminem ignorare, facilius qui paucis contentus esset, quæ plurima & maxima haberentur, quàm qui omnium cupiditate teneretur, quæ minima essent, in libera præsertim civitate adepturum: neutrum horum populo invito consequi ulla largitione quenquam & studio posse. Itaque cùm ad cæteras offensiones sibi pergeret inimicos infestiores reddere, novis quotidie injuriis cumulandis: illud agere, quod omen Deum immortalem à suis avertere, quàm se iis fœdè ominari mallet, ut odium sibi atque invidiam apud multos compararet, quæ vix insigni clade familiæ posset expiari. Namque perficere illum ea pertinacia animi, ut faciliora omnia inimicis, si quid adversus illum novi consilii inirent expeditioraque redderet: quæ res plurimum ab illius prudentia esse aliena videretur. Semper porrò illud esse longo rerum usu in omni offensione animadversum: ubi quis injuria lædatur, superiorem eum inimico ulciscendo, haberi: studiis hominum inclinantibus in eam partem, quæ quòd sit imbecillior & magis exposita ad injuriam, videatur id illi maleficio fuisse. Erat in *Laurentio*, id quod in magnis ingeniis quasi insitum à natura videmus, & fiducia sui ingens & ambitio par, inimica res utraque sanis consiliis: ut cùm præterea tanta fortunæ adjumenta quasi additamenti loco accederent, æquum censeret omnia ab se uno peti: quod neque *Patii* videbantur, neque eorum similes alii facturi, cùm ut quisque est majore ambitione, ita huic non partus honos magis, qui sæpè etiam patet indigno, quàm qua ratione partum obtineat, sit curæ. Itaque neque fratrem audivit salutaria monentem, & omnibus in rebus, quod semel conducere suis rebus statuerat, quæsita consultò occasione, potentiæ *Patiorum* infestus quoad ejus fieri poterat, eorum elevare autoritatem in Republica conabatur. Quæ cùm ita se haberent, *Patii* quorum divitiæ & copiæ ingentes, contineri diutius adeò angusta & depressa fortuna non facilè posse viderentur: ad nova consilia (ut diximus) animum adjicere cæperunt. Ita fore arbitrati, ut & se in eam fortunam, quæ digna esset amplitudine familiæ vindicare, & *Laurentio* de statu dejecto, ulcisci tantas injurias ejus & contumelias possent. Inter eos *Franciscus Patius*, cùm (ut dictum est) fiducia animi & audacia excelleret, cui vires maximas injuria recens & justum (ut rebatur) odium in *Laurentium* susceptum addebat, cæteris autor ut rem susciperent: celeritate utendum existimabat. Quemadmodum autem superius docuimus, jam ea de re *Romæ* cum *Francisco Salviato* & *Hieronymo Riario* erat colloquutus: quæ causa fuisse videtur, ut magistratus imperio *Florentiam* evocaretur. Quanquam verò erat una res quam conabatur, quæ non animi vim magis, quàm consilii magnitudinem in agendo postularet: neque illius spe major neque viribus animi poterat videri, si æquè alii impigrè & naviter delatas sibi partes præstitissent. Re diligenter *Romæ* animadversa placuit *Franciscum Florentiam* ire: eumque operam dare, ut *Jacobum* patruum familiæ principem in sententiam perduceret. Magnæ dignitatis hominem plurimum autoritatis & momenti, si cùm cæteris societatem coi-

A ret, allaturum existimabant. Cùm *Riario* manere *Salviatum Romæ* voluerunt: qui in omnem occasionem intentus ubi quem sperarent, eventum res haberet, Pontificem ad cætera exequenda, quæ is erat pollicitus, hortaretur. His rebus ita constitutis, *Franciscus* profectus *Florentiam* ac sua opinione magis *Jacobum* nactus aversum à novis consiliis, statim id *Romam Salviato* significandum curavit. Nulla autem ratione adduci posse hominem docebat, ut in sententiam accederet, nisi majore interposita autoritate, fides fieret, Pontificem (quod *Riarius* spondebat) vindicantibus suos in libertatem non defuturum. Qua ille re intellecta, de *Riarii* sententia
B *Joannem Baptistam Montesiccum* appellat, unum ex copiarum Ducibus qui Pontifici merebant. Propterea verò quod magni usus hominem & prudentiæ haberi, maximisque beneficiis *Hieronymo* devinctum sciebat (quod obstrictæ fidei esset vinculum futurum) fore arbitrabatur, ut fortem in eo fidelemque operam conjuratis navaret. Cùm (re demonstrata) prudentem hominem & quem recens *Galeatii* exemplum admoneret, quàm difficilis atque ardua res esset principem civem, ac nitentem populi gratia sine certa pernicie adoriri: minus facilem probando consilio invenisset: *Salviatus* difficultates omnes facilè elevabat, cum quidem ostende-
C ret (quod facillimum erat) quæ auxilia rem gerentibus tum à *Xysto* tum à *Ferdinando* essent affutura, quod civitatis odium in *Medices* esset, ita sopitum in præsentia, ut quamvis minima occasio magnum ex eo incendium excitare in illos posse videretur, quòtque & *Salviati* & *Patii* clientes haberent, qui communi consilio cum his rem susciperent, aliasque permultas opportunitates, quæ magno adjumento essent ad consilium expediendum futuræ. Nam *Laurentium* & *Julianum*, tanquam satis muniti autoritate publica adversum omnem vim haberentur, omni solicitudine ac metu vacuo animo, inermes ac nullis comitibus per urbem incedere:
D ut à quovis facilè peti armis, & tolli possent. His sublatis, cùm nemo speraret præsenti rerum statu se diu posse in Republica aut dignitatem, aut fortunas retinere: in magno consensu civitatis suo arbitratu Rempublicam se unos administraturos. Hujus orationi ita *Joannes Baptista* assentiebatur, ut nihil tamen temerè esse facturus videretur. Nam ea longè diversa videbantur quæ *Salviatus* afferebat, ab his quæ fama hominum de *Laurentio* ferebat. Audire se moderatum esse hominem, & qui non magis divitiarum copia, quæ cum nemini unquam perniciosæ, permultis salutares fuissent, haud invidiosæ esse possent, quàm populi benevolentia,
E suorum civium charitate, nobilitatis studiis, omnium ordinum consensu, partum in Republica principatum tueretur. Nihil eum dici pro potestate imperii decernere, nihil quod gratiæ datum, nihil quod ambitiosè factum videri posset, omnia ex magistratuum & legum autoritate, ut nihil sibi integrum relinqueret, procurare, agere, moderari. Quòd inermis incederet & solus, non id magis argumento esse quàm obnoxius inimicis, sed quàm tutus ab inimicorum injuriis ac septus undique & munitus amicorum benevolentia incederet: cùm qui esset ab armis imparatus, multò validiore præsidio, quod in benè consentiente mul-
F titudine & populi studiis collocatum haberet, niti suam salutem demonstraret. Quæ res cùm minimè dubia esset, parum ratione confirmatum consilium haud temerè probandum homini præsertim prudenti & rerum non imperito affirmabat. Cùm ex *Joannis Baptistæ* oratione, magis illum diffidentia perficiundæ rei, quàm voluntate & studio improbare consilium appareret: *Salviatus* non desperabat, ubi faciliora certioraque illi afferrentur, sua sponte etiam in eam sententiam hominem descen-

scensurum. Quando igitur tentatum illius animum non abhorrere penitus ab ea sententia constabat: satis in præsentia actum videri arbitratus, missum hominem facit: majore autoritate, tanquam machina adhibita ad tantum facinus suscipiendum impulsurus. Hæc dum illi ita intentè agunt: opportunè *Romam* fama perfertur *Carolum Manfredum Faventiæ* Regulum, correptum acri ac vehementi morbo in gravi discrimine vitæ versari. Qua in re magnam opportunitatem ad rem gerendam obtulisse casus videbatur. Per causam enim in speciem honestam repetendi res, quæ *Riarii* ditionis à *Carolo* occupatæ dicebantur, *Montesiccum* in *Flaminiam* posse mitti censebant: minimè autem suspiciosum cuiquam fore videbatur, ubi per eam occasionem *Florentiæ* quà illi erat iter faciendum substitisset: quo temporis spatio illi multa explorare, quæ ad rei summam pertinerent, multa agere & moliri impunè licebat. Jam verò *Riarius* autoritate pervicerat, ut suam operam conjuratis, præter eorum omnino sententiam polliceretur. Atque ad *Laurentii* animum ab omni suspicione avertendum: jubebatur illum adire & de ea re tota consulere, veluti omnia ex illius sententia & perscripto agere constituisset. Præterea eundem, quod, maximè in præsentia urgebat, unà cum *Francisco Patio Jacobum* patruum convenire placebat: & quoniam inter eos qui Pontifici militabant, honestissimum ordinem ducere, & plurimum apud illum autoritate valere ferebatur, Pontificis autoritate abuti ad expugnandum confirmandumque illius animum hærentem & fluctuantem. Quod ut ille intentiore cura & studio ageret, antequàm *Roma* decederet (quod tamen ab aliis traditum minimè pro certo affirmare visum est, cùm rei fœditas me ne temerè assentiar magnopere moveat) *Xysti* gravi atque accurata oratione ad rem capessendam magno atque alacri animo ferunt. His rebus ita administratis, *Roma* profectus *Florentiam* venit, atque (ut jussus erat) *Laurentium* adiit: à quo cùm esset comitate summa exceptus, de iis quæ à *Riario* in mandatis habebat, ita consultum audivit, ut neque prudentiorem illo quenquam, neque *Hieronymi* amantiorem in dando consilio, cùm esse inimicum non dubitaret, ex illius oratione judicari posse affirmaret. Illud autem summa in eo admiratione dignum animadvertisse dicitur: cum nullis sibi visus esset simultatibus impediri, quò minus amicissimi hominis, & ab omni animi perturbatione remotissimi officium præstaret. Hæc *Laurentii* congressio quæ illius saluti insidiandi causa erat excogitata, ut suo loco apparebit, salutaris ei maximè fuisse fertur. Quæ quanquam ad eum modum administraverat: quando jam dubitare non poterat, quin Pontificis voluntati mos esset gerendus, reliqua cum *Francisco* agere atque per eum *Jacobum Patium* (ut convenerat) adire constituit. Cumque fortè eo tempore *Franciscus* abesset: nihilò sibi minus peragendum incœptum, atque cum *Jacobo* colloquendum censuit. Ita in remotissimam ædium partem ab illo abductus minus libero animo quidem, quem *Laurentii* comitas plurimum & facilitas delinierat, sed summa tamen cum fide de iis colloqui quæ conjuratis receperat se acturum, instituit. Ita injuriarum memoriam refricando, spem præsentem ulciscendi, Pontificis auxilia, *Ferdinandi*, tempus ad rem gerendam idoneum, opportunitatem explicando, quæ facilem exitum & secundum spondèrent, iis qui non animum penitus metu victum cum spe omni abjecissent: usque eo illum persuasum reliquit, ut quamdiu is esset in *Flaminia* futurus, se spatium illud diceret, sumere ad deliberandum: ubi cum *Francisco* qui brevi diceretur *Luca* rediturus, diligentius ea de re egisset, tum verò quod sibi fa-

A ciendum esset se consideraturum confirmaret. Cùm hoc ille responsum tulisset: convento rursus *Laurentio* quò semel errore falsum ab omni alia cogitatione abduceret, instituto itinere in *Flaminiam* proficiscitur. Hic cùm dies aliquot faciendæ fidei causa consumpsisset, atque ut egisse aliquid videretur: *Florentiam* reversus omnia quæ à se acta confinxerat ordine *Laurentio* exposuit: assimulatæ jam consuetudinis & familiaritatis usu facilè persuaso, ut ea ita esse existimaret: simul adhibito *Francisco Patio*, qui jam *Luca* redierat, rursus *Jacobum* aggreditur, tandemque multis in eandem sententiam dictis, quà re non cunctari amplius sed suscipere audacter cum B cæteris rem magnoque animo deberet: pervicit ut & consilium & operam quod factu difficilius judicabant, ad duos fratres interficiendos polliceretur. Non est consilium hoc loco recensere quæ *Angelus Politianus* eo libello complexus est, quem de *Patiorum* conjuratione conscripsit. Nihil enim in eo dignum hominis constantia & gravitate, omnia quæ doloris sensus, atque animi mollitia à scribente videantur expressisse, & qui eos modò in quos scriberet, non qui scriberet intueretur. Unum apparet maledicendi studium quo maximè insultat in nobilem & claram familiam: ut jam non rei gestæ explicatio, sed declamatio verius, atque ea C quidem puerilis, minimè eo certè homine digna videatur qui fama eruditionis atque eloquentiæ in primis suæ ætatis clarus excelluerit. Nobis quidem visum est in his *Valorium* & *Machiavellium* sequi autorem inter quos optimè de re tota ferè convenire animadvertimus. Cùm res quam labare sensim sua sponte necesse erat nisi major autoritas accessisset, jam planè consistere ac certum ducem habere videretur, cujus magna dignitas atque existimatio habebatur: quod reliquum erat, rationem consiliumque iniri oportebat, quo duo fratres, qui raro consueverant, quòd diversis studiis tenebantur, unà esse, uno eodemque tempore tolle- D rentur. Quod cùm ita se haberet, ac per plures administros transigenda res videretur: erat magnopere verendum, ne in aliis quidem constantia, fides in aliis, ubi mora interposita facultatem deliberandi daret in multis studium atque alacritas desideraretur. Itaque duo simul difficillima atque inter se maximè contraria præstari oportebat, celeritatem in agendo, ne locus levioribus ingeniis ad pœnitendum relinqueretur: & maturitatem in tempore observando parem, ne properantibus inimicos perdere in certam perniciem ipsi adducerentur. Erat quidem *Jacobi* sententia, quoniam ægrè sperari posset, eò duos fratres convenire, quò & E facilis accessus ad vim inferendam, & tutus receptus conjuratis esset, ut observato tempore, etiamsi eodem loco minus liceret, uterque tamen eodem momento interficeretur. Quoniam autem fama erat *Laurentium* propediem *Romam* profecturum, illum per certos homines id quod facilè urbis magnitudo ac vastitas efficiebat, atque eodem tempore *Julianum* de medio tolli *Florentiæ* nullo negotio posse arbitrabatur: cætera sibi cum ita illos curasset interficiendos fore facillima spondebat. Hoc *Jacobi* consilium *Franciscus* non tàm improbabat, quàm difficilem habere exitum censebat, cùm in re tanta properatò maximè esset opus. Verebatur F præterea ne diutius *Laurentius* profectionem differret, minimè necessariam: quod si accideret, perincommodè cadebat: cùm nulla alia res magis quàm dilatio temporis & mora conjuratis infesta esset futura. Nam quòd censeret ægrè posse ambos eodem coire, hoc quidem nihil esse. Scire enim se unà sæpè inire convivia, & cùm æqualibus ludere, & in templum convenire, quibus in locis omnibus illos opprimere facillimum esset. Atque quoniam, ut res ex sententia eveniret, per

magni intereſſe arbitrabatur, ut certiora auxilia, & in tempore adeſſent: cenſebat Pontifici copias in *Hetruriam* movendas: nomine ut ea oppida reciperet, quæ in *Caroli Bratii* filii ditione erant: id eſſe facile, quòd nemo ſuſpicari poſſet aliam ſubeſſe cauſam Pontifici ad bellum, quàm ut pœnas ab eo homine expeteret, qui *Peruſinis* fœderatis, & *Senenſibus* arma intuliſſet, qui in *Romanorum* Pontificum clientela eſſent. Re vera ſi quid tumultus *Florentiæ* per *Laurentii* & *Juliani* cædem excitaretur: fruſtrari conjuratos expectatione auxiliorum, & iis æquè periculoſum & civitati ducebat: cujus ſalus & libertas in ejus rei caſu conſiſtere videretur. Cùm hoc *Franciſcus* ſentiret, neutrum ſequi in præſentia placuit: ea in re modò ſententia probata, ut rurſus *Monteſiccus* & *Patius Romam* profecti, rem cum *Hieronymo* (etſi res poſceret) cum Pontifice communicarent, ac de eorum ſententia, quod optimum eſſe conſilium cenſerent, ſtatuerent. Ita *Romæ* re diligentius conſiderata: placuit bellum *Carolo* indici Pontificis nomine, qui per eam cauſam (ut *Franciſcus* exiſtimabat) exercitum in *Hetruriam* induci juberet. Id quò celerius fieret, qui manus militum cogeret & rebus gerendis præeſſent *Franciſcus Tolentinas* & *Laurentius Caſtellanus* delecti, qui magnum uſum in re militari & ſingularem virtutis opinionem habebant. Iis autem negotium datur, ut in omnibus quæ adminiſtranda atque agenda eſſent, duobus *Franciſcis Salviato* & *Patio* autoribus uterentur: tum ut ad eorum imperium atque ubicunque res poſtularet præſtò armati adeſſent. Eos quidem, adhibito *Joanne Baptiſta* continuò redire *Florentiam* atque omni præciſa mora, rem aggredi placebat. His ad hunc modum adminiſtratis, *Florentiam* illi revertuntur, atque alios qui participes conſiliorum eſſent, cùm tutam multorum fidem ſpes brevi conficiendæ rei præſtaret, aſciſcere conſtituunt: in re ardua & difficili, complurium eſſe opus auxilio arbitrati. Inter eos *Jacobus Pogii* filius fuit, docti hominis & cujus clarum nomen in eloquentiæ ſtudiis ſuis temporibus extiterat. Quæ autem illum cauſa moverit, cur adverſus *Laurentium* conjuraret, non traditur. Adoleſcens, cujus erat acerrimum ingenium, ſumma audacia, libertatis ſtudium ingens, ejus vindicandæ gloriam ſibi & laudem ſumebat, ac tantæ audendæ rei idoneus habebatur. Præter hunc duo *Jacobi*, frater alter *Franciſci*, alter propinquus *Salviati*, tum *Bernardus Bandinus* & *Neapoleo Franceſius* audaces homines, & qui *Patiis* maximis eorum beneficiis devincti, quamvis arduas ſibi impoſitas partes minimè recuſaturi videbantur. His accedebant, duo *Volaterrani Stephanus* & *Antonius*: quorum ille ſacerdos & non ineruditus, apud *Jacobum Patium*, filiam aliquot jam annos Latinas literas docebat: atque hi quidem quibus de cauſis idonei *Laurentio* interficiendo viſi ſint, quoniam ab aliis proditum non eſt, hàud libet temerè affirmare. Probabile eſt, quoniam *Laurentius* ejus ſententiæ autor ferebatur, quæ Rempublicam adverſus patriam armaverat, inde occaſionem initi in illum conſilii ſumpſiſſe. Nam *Stephanum* præter inſitum odium in *Medices* ex patriæ everſione, aliæ privatim cauſæ movere potuerunt. Veriſimile enim videtur quòd diu in eodem convictu cum *Jacobo* egiſſet, captum hominis conſuetudine, ſatis ſibi eſſe juſtam cauſam cum illo coëundi adverſus illius adverſarios cenſuiſſe. Ex *Patiis*, unus *Renatus*, nulla neque patrui autoritate, neque fratris precibus ſibi paſſus eſt perſuaderi, ut cum his ſocietatem coiret: id ſive jam antea animo providiſſet, qualis eſſet rei exitus futurus: ſive ut maximè lætum eventum haberet, execratus ea mala quæ inde ſecutura eſſent. Nullius ille culpæ in *Medices* conſcius,

A nisi quis nimis illum pertinaciter fidem conjuratis præſtitiſſe arguat, quos quidem arctiſſima ſibi propinquitate conjunctos minimè prodere, popularem cauſam præſertim ſuſcipientes, debebat, de medio diſceſſit. *Piſis* per ea tempora *Raphaël Riarius* adoleſcens juri Pontificio operam dabat, à propinquo Pontifice in Cardinalium collegium cooptatus. Hunc quidem & *Xyſti* gratia & *Hieronymi* patrui florentem, ad confirmandos conjuratorum animos, placuit per cauſam viſendæ urbis & relaxandi ſimul animi *Florentiam* deduci. Ea autem in re plurimum ineſſe opportunitatis videbatur. Nam civitate intenta ad illum excipien-
B dum, & occultiora conſilia conjuratorum erant futura, & in illius familia, cùm ea perampla eſſet, ii facilius latere poterant, quorum uti opera ad *Laurentii* & *Juliani* cædem conſtituerant. Inde etiam datum iri facultatem non deſperabant, ut illos aut Cardinali obviam euntes, aut deducentes domum, quòd officii genus duo fratres maximè magnificentiæ ſtudioſi haud neglecturi videbantur, incautos adorirentur. Cùm Cardinalis *Florentiam* veniſſet: diverſatus eſt apud *Jacobum Patium* ſuburbana illius villa quam *Montugos* appellant. Quod cùm commodè eveniret, certis è ſuis hominibus ad id adornatis, curaverunt à *Laurentio* Cardina-
C lem ad cœnam in *Feſulanum* invitandum, haud illi tamen læto eventu. Sive enim id caſu accidit, ſive quid aliud cauſæ fuit, convivio eo die *Julianus* non interfuit. Ita cum ea illis occaſio effluxiſſet, dandam ſibi operam cenſuerunt, ut in urbe cum apud illos in convivio eſſet, rem agerent: vix exiſtimantes poſſe fieri ulla ratione, ut tum *Julianus* etiamſi illum adverſa valetudo tentaret frequentiæ atque aſſiduitatis cauſa non adeſſet. Ea re confirmata diem cædi dixerunt, qui erat XVI. Cal. Aprilis futurus ſtudio & ſedulitate aſſecuti, ut *Laurentius* eo die Cardinalem ad prandium vocaret. Quanquam verò erat magna *Laurentii* prudentia:
D quoniam tamen nullius rei ſibi conſcius erat, quæ illius animum ſolicitum haberet, & domeſtica potentia ac civitatis ſtudiis tectus, minus ſibi eſſe timendum ab ulla vi externa cenſebat, nihil minus ſuſpicabatur futurum, quàm ut per eam occaſionem peteretur. Cùm omnino conjuratis conſtitutum eſſet eo die illos in convivio aggredi: totam illam noctem quæ diem cædi deſtinatum anteceſſit: conſultandis iis quæ agenda in re tanta videbantur, conſumpſerunt: ut quem *Laurentium*, quem *Julianum* adoriri, quem populum ad tumultum excitare, quemve alia exequi munia placeret ſingulis ſuis diſtributis partibus, deſignarent. At cum jam
E illuxiſſet, *Franciſco Patio* renuntiatur (quod quidem erat facillimum, tota *Laurentii* domo exploratorum referta) *Julianum* eo die convivio non interfuturum. Cùm non eſſe amplius cunctandum, ſed quod fortuna, minus daret, ab animi robore & vi petendum conjurati arbitrarentur, eos dum ad Divæ Reparatæ rei divinæ intereſſent, opprimere conſtituerunt. Quin autem per eam occaſionem, opportunitas aliqua ad rem agendam daretur, non dubitabantur. Cùm enim Cardinalis eò ſacrorum cauſa eſſet venturus: veriſimile videbatur duos fratres principes civitatis, quod quotidie facere conſueverant, domo illum honoris
F cauſa deducturos. Partes *Laurentii* interficiendi *Joanni Baptiſtæ* attributas cum ille recuſaſſet, ſive comitate ac liberalitate hominis victus, facinus deteſtaretur, ſive quæ alia cauſa illius animum ab illius cæde retardaret, duobus *Volaterranis Antonio* & *Stephano* dederunt: peſſimo quidem conſilio delata re, quæ præter animi confidentiam audaciamque ſingularem, & viros requireret & in cædibus illos multorum exercitatos, neque aſſuetis his rebus hominibus, neque ullo rerum uſu confirmatis.

Nam

Nam cùm ipsa deliberatio interficiendi hominis difficilis omnibus ferè est, qui non ab ingenio simul atque à vitæ instituto, animum afferant & audaciam ad agendum parem: tum eos petere, quos magna potentia domi & publica autoritas tueatur: eorum modò esse hominum videtur, quibus major voluptas in vindicanda injuria, quàm mortis metus, etiamsi illa sit obeunda, proposita sit. *Franciscus Patius* & *Bandinus* partes sibi *Juliani* necandi sumpserunt, homines, cùm magnum facinus aggrederentur, ut res postea docuit, audacia & confidentia animi majore. Atque ne qua mora in re tanta perturbatis, aut impedimentum afferretur ubi sacerdos, qui sacra faceret, imprudens signum quod inter eos convenerat edidisset, tum fieri cædis initium placuit. Quæ tanta objecta religio, cùm illa quantumvis efferatum animum atque odio implacabilem, à tàm audaci incœpto deterreri æquum esset, ad confirmandam fiduciam animorum & vim per illius contemptionem, iis plurimum usui futura videbatur. Atqui dum cæteri his agendis rebus essent occupati duorum fratrum secuta cæde, *Franciscus Salviatus* cui esse auxilio *Jacobum Pogii* filium placebat, necessariorum manu quam haud contemnendam comparaverat, forum occupare & curiam: atque hinc oppressum magistratum, ubi minus suis faventem rebus comperisset, collegasque simul illius omnes interficere jubebatur. Cùm hæc ita ordine administrata essent: stata hora in ædem conveniunt, quò jam erat Cardinalis à *Laurentio* deductus. Erat populi summa frequentia accedente ad causam religionis cupiditate visendi amplissimi adolescentis, & florentis maximè apud propinquum Pontificem autoritate & gratia. Ac quanquam jam erant sacra instituta *Julianus* tanquam unum esse fortunæ studium videretur illum à tanta clade imminenti vindicare, nondum venerat in templum. Itaque ne per illius absentiam sæpius conjurati frustrarentur, quæ jam bis illos fefellisset: *Franciscus Patius* & *Bandinus*, quibus (ut diximus) datum negotium erat eum opprimendi, domum rectà ad illum contendunt: quoniam uterque institutam cum eo familiaritatem & consuetudinem habebat, non diffidentes illum, die festo præsertim & quo pietatis officium de more esset persolvendum, deducturos. Quæ cùm minus tamen procederent: multa affingendo quæ elicere possent animum juvenis ubi exiret inviti & tergiversantis: tandem pervicerunt, ut domo egressus atque iis comitatus ad ædem contenderet. Quanquam erat hominum audacia ingens, religionis summa contemptio, odium planè inexpiabile: illud tamen non potest non summæ admirationi esse: cùm rei tantæ conscientia animos versaret, quam mox essent aggressuri: eum ipsum quem petere ferro, ac trucidare constituissent, adire, appellare, quæ videbantur juvenili licentia oblectandi causa dicere, multa ad voluptatem fingere, potuisse. Nam *Patius* (ut fertur) exploraturus an indutus thorace, quod aliquando consueverat, domo exisset: tanquam studio & amore provectus, dicitur illum aliquamdiu arctè complexus tenuisse: vix ut tandem fide facta, esse inermem, videretur missum facere posse. Tametsi minimè fratres *Medices* fugiebat, *Laurentium* in primis qui sibi conscius erat quam multas odii & alienationis illis causas dedisset, *Patiorum* malè affectos animos in simulatione officii latere: minimè tamen suspicabantur, ita illos studio & cupiditate efferri, ut non civili more potius simultates exercere, quàm hostili odio ac sanguine inimicorum & vita expetenda arbitrarentur. Itaque semper facilè erant passi, pro jure eos affinitatis & majorum necessitudine sua consuetudine & familiaritate uti: id quidem eo consilio, ut cum manare

A odii causam à domestica potentia, quæ iis erat invisa, intelligerent: hoc tanquam lenocinio delinitos eorum animos sibi conciliare aliquando non desperarent. Quæ quidem opinio longè illos fefellit. Nihil enim viro forti facilius est, cum vitam inhonoratam ducat, quàm illam execrari animo, & pretium vindicandæ injuriæ statuere. Itaque nemo est ita abjectus, cujus non sit offensio vitanda: cùm in eam quis incurrit: illum in magnis etiam imperiis & potestate summa, horrere infamis vitæ despicientem animum oportet: cum is illam morte speret à contumelia vindicare, quæ sit clara inimici exitio futura. Jam cùm eò esset

B ventum, ut sacerdos qui rem divinam faciebat, esset signum editurus, quod erat conjuratis ad cædem constitutum: *Bernardus* qui opportunè *Juliano* propinquus constiterat, brevi gladio quem ad hunc usum faciendum curarat, illi pectus transfixit: cum in magna hominum turba primos urgentibus proximis, nemo qui opem imploranti auxilio esset, accurrere potuisset. Quo tanto accepto vulnere, moribundum atque in terram prolapsum *Patius* adortus, aliis vulneribus multis, ut non ille jam morte sed cruore exsaturari & sanguine inimici videretur, confectum reliquit. Atque eò dicitur iracundia & furore provectus, ut cùm

C in jacentem ferro incumberet, ac sæpius novis infligendis vulneribus repeteret ictus, se ipse in crure, gravissimo affecerit vulnere. Est autor *Valorius* non à *Bandino* primum *Julianum*, sed à *Patio* vulneratum: ita autem ordinem rei gestæ exponit. Cùm ad constitutum signum *Patius* propius *Julianum* accessisset, illum complexum sub alas explorandi causa an esset armatus, cùm illud etiam adjecisset, egregiè esse cùm illo actum qui in morbo pinguior esset effectus, sub mammam à læva parte pugione transfixisse: hinc eum cum accurrisset, *Bandinum*, unà multis confossum vulneribus confecisse. Eodem tempore quo *Patius* & *Ban-*

D *dinus Juliano* interficiendo intenti rem gerebant: duo *Volaterrani* longe quidem vario eventu, cum leviter *Laurentium* se acriter defendentem in jugulo sauciassent: homines qui neque audacia neque animi præsentia pares *Bandino* & *Patio*, in virum (quod caput est) atque eum animo paratiorem *Juliano* incidissent: infecta re, in turbam se hominum & frequentiam multorum & formidine trepidationeque fluctuantem, recipere coguntur, unde cùm nullum effugium pateret, comprehensi facilè ac paulò post sunt supplicio affecti. *Laurentius* interea quanquam jam illos rejecerat, veritus tamen ne major manus conjuratorum esset, stipatus ne-

E cessariorum & clientium turba se in sacrarium opportunè receperat. Namque *Bandinus* (tanta erat hominis confidentia & vis) damnata cunctatione & tarditate *Volaterranorum*, post *Juliani* cædem *Francisco Norio* interfecto, jam erat in *Laurentium* impetum facturus, sive adhuc veteris simultatis memoria manente, sive offensus quòd *Juliano* auxilio venisset: ut vix ille valvis aditi occlusis, satis se munitum ab illius subita vi existimarit. In magno tumultu cum perterritis hominibus, neque à quibus petendum sibi esset auxilium, neque adversus quos arma sumenda, neque quid sibi cavendum,

F magnopere constaret: Cardinalis ad aram confugit, quo in loco septus sacerdotum corona, cùm aliquamdiu egisset: tandem postea tumultu sedato, per civitatis magistratum est domum deductus: ubi vix tectus religione sacrorum ac publica fide se continuit. Nam quoniam ad *Patios* diverterat qui illum in urbem perduxissent: erant qui illum quanquam adolescentem non esse expertem consiliorum, sed suam præsentiam conjuratis accommodasse, iis de causis quas superius commemoravimus, arbitrarentur. Facile autem erat id suspicari, facienti-

bus conjecturam ex Pontificis & *Hieronymi* simultate, nemini quidem obscura: cùm neuter illam dissimularet. Pontifex in primis fretus summa potestate imperii. Itaque appositis custodibus, qui quæcunque ageret attentè observarent, interea se continere domo erat jussus. In urbe tum fortè *Perusini* aliquot exules agebant, homines egentes atque audaciæ singularis. Pulsi autem per vim ab adversariis *Florentiam* confluxerant: quoniam studia partium vigere inter potentes cives non ignorabant, certa spe adducti quo domesticam egestatem tuerentur paratum sibi subsidium à privatorum liberalitate non defuturum. Horum per opportunam operam *Patii* arbitrati ad civitatis statum constituendum: cùm aliarum maximarum rerum pollicitatione, tum spe certa in patriam reditus, ubi *Medices* sustulissent, in sententiam adduxerant: factiosos homines & multorum cædibus & sanguine contaminatos. Ita *Salviatus* ad cæteram hominum manum, quos partim è suis partim ex amicis & necessariis permultos coëgerat, *Perusinis* exulibus adjunctis, in curiam venit: ac cæteris jussis subsistere ad fores, quò excitato tumultu, fugientibus aditus præcluderetur: scalas conscendit, exulum præsidio munitus. Hinc cùm propè atrium venisset quo Vexillifer cum collegis prandebat (is est *Cæsar Petrutius*, quem in *Prati* defectione supplicio destinatum, fortuna magno adjumento futurum ad *Medicum* potentiam stabiliendam, reservaverat) à janitore ut paucis loqui cum illo liceret, postulavit, quæ ut cognosceret permagni illius interesset. Facilè potestate facta, cùm in cubiculum interius intromissus dicere quæ vellet juberetur, comites in scribarum proximo atrio repente foribus introrsus cum suo pondere agerentur, clausis, foris exclusi aditu manserunt. Erat enim serra, ut plerasque videmus, eo artificio facta, ut quidem levi impulsu atque adeò sua sponte claudi, recludi eadem nisi clavi adhibita haud posset. At *Salviatus* seductum ab aliis *Petrutium* veluti aliquid à Pontifice haberet, quod illi ejus nomine exponi oporteret: ita alloqui instituit, ut hinc parum verba cohærentia, hinc vultus & motus inconstantia, perturbatum metu atque horrore animum indicaret, nihil idem quo mente conceptum facinus occultaret, præ se ferret. Ita Vexillifer ex illius perturbatione, collecto animo, cùm id quod erat, subesse insidias suspicaretur, sublato clamore ac familia excitata, è conspectu se repente foras proripuit. Hinc cùm illi fortè occurrisset *Iacobus Pogij* filius vi manu arreptum lictoribus vinciendum asservandumque tradidit: comitibus pariter ponere arma & se tradere summo magistratui jussis. At cæteri ad tumultum multitudinis clamore excitati, qui magistratui assistere consueverant, armis quæcunque ad manus erant, arreptis, *Salviatum* ac suos omnes, cùm eorum magna pars tanquam inclusi cavea laterent, aut vivos captos suspendi pro curia, aut resistentes interfici jusserunt. Inter eos qui sunt tam fœdo supplicio affecti, duo *Jacobi Salviati* & *Pogii* filius alter: atque qui eorum omnium dux erat, *Franciscus Salviatus* cum præter nobilitatem familiæ, *Pisanorum* Pontificatu insignis haberetur. Interea qui jussi erant ad fores opperiri, cùm superius tumultum excitatum audissent: militibus perpaucis, qui in statione erant oppressis, omnia inferius occupaverant: videbanturque mox quanquam ingressus erat armatis munitus, in superiorem contignationem impetum facturi. Etsi autem ad tumultum concursu hominum facto, multi jam aderant, qui factionis *Patiorum* essent: neque armati tamen cùm aditu prohiberentur, foribus ob eam ipsam causam occlusis, esse præsidio, neque inermes qui ipsi consilii inopes in primis hærerent, quicquam

A opis poterant aut auxilii afferre. Interea *Bernardus Bandinus*, qui etiam si susceptas à se partes egregiè præstitisset, *Laurentium* esse tamen incolumen qui totius rei caput erat, *Franciscum Patium* gravi vulnere affectum, in quo spem omnem benè rei gerendæ collocaverat, minus esse idoneum ad cætera obeunda intelligeret: desperato rei eventu, sibi ipsi quando minus aliis licuerat, consulere decrevit, ac fuga salutem quæsivit. At *Franciscus Patius* cum reversus domum, vulnere obligato equum conscendisset, ex illius jactatione sanguine uberius effluente, domum rursus redire est coactus. Ubi cùm minus ipse saucius cætera posset

B peragere, obsecrando obtestandoque pervicit, ut *Jacobus* patruus equo conscenso per urbem excurrere, ac multitudinem concitatam ad libertatem vocare, tum alia quæ usus postularet, quando sibi minus per vulneris cruditatem liceret, obire sedulo vellet. Ipse, cùm vulnere gravius recrudescente fessum vires deficerent, collocari se in lecto jussit. *Jacobus* interea quanquam neque satis ipse per ætatem poterat, & suo ingenio ab armis abhorrebat: cùm id tamen ab invito temporis angustiæ extorquerent, assumptis secum circiter centum armatis, quos ad hujusmodi casum comparaverat quacunque vadebat, clamore ab illis sublato,

C non desistebat hinc nominatim homines, appellando, hinc universos hortando, ad arma quæ ipsis privatim salutaria & Reipublicæ essent, excitare. Pro suis civibus, assertorem se omnium libertatis arma cepisse: caput, vitam, fortunas, ut improbis hominibus obviam iret, qui illi insidiarentur in discrimen objecisse: ut non magis cùm ita de patria meritus sit, pro hoc tam insigni pietatis studio parem sibi referri gratiam speret: quàm intelligat, ubi frustra patriam à se opem implorare boni & amantes Reipublicæ cives patiantur, perniciosum id omnibus & grave futurum. Ac si cunctentur sibi esse auxilio patriæ liberatori, quam

D quidem minimè pati potuerit per paucorum studium & gratiam magnitudinemque largitionum invadi, ac tanto suo periculo asserere in libertatem aggressus sit: quem alium postea, cui haud dubia pernicies proposita nulla populi gratia, nulla laudis spes sit, rem tantam ausurum? At sibi quidem, quanquam desertum se & proditum ab iis intelligat, à quibus minimè debeat, pietatis, laudem tamen propositam cujus fructus uberrimus sit, privatis suis fortunis, patria, propinquis, fratris liberis quos filiorum loco semper habitos, adolescentes clarissimos & florentissimos civitatis pro patriæ salute in perniciem certam adduxerit: omnibus de-

E nique quæ sunt magis in vita expetenda, multò semper antiquiorem futuram. Hæc tametsi celso erectoque animo vir summæ dignitatis, septus fortissimorum juvenum manu ad populum jactabat: nemo tamen conspiciebatur, qui aut paulò liberiore querela, aut tacita admurmuratione indicare liberi hominis sensum, atque sequi adhortantem auderet: diuturno usu ita populo delinito, ut libertatis pretium libertate charius potiusque haberet. Ita hac tanta destitutione perculsum, cum jam in forum progressum & vox simul & vires & spes maximè deficeret: delecti milites ex Prætoria cohorte saxis magno pondere de loco superiore

F actis, pellere inde atque exturbare conabantur, ut cùm in subjectos nulli temerè ictus caderent, & crebra lapidatio conjectioque telorum esset, una autem vox exaudiretur, cedere foro & ponere arma jubentium, & præsenti fortunæ succumbere, quàm aversam à vera virtute agnoscebat, & converso equo pedem referre cogeretur. Cùm autem ab aliis multis, convitiis, probris, & maledictis exagitaretur: à *Joanne Seristorio* propinquo homine, quem casu obvium habuit, castigatus non gra-

gravi magis quàm vera oratione fertur. Quid sibi vellet? quid spectaret? quid secutus, civis primarius, autoritate tanta, gratia, amicitiis, clientelis, divitiis florens, omnem vitæ anteactæ fructum in unius horæ discrimen contulisset? commune libertatis desiderium, omnium esse in quibus aliquis ejus modò sensus existeret (quem autem sua sponte cùm utrumvis liceret, servire malle?) libertatis patrocinium Dei immortalis unius esse: qui ut populus ejus studio aliquo teneatur solus possit efficere: multitudinis partes cum quidem id ipsa aut negligat, aut contemnat, qui suscipiendas sibi ac præstandas putet: parum quid sui juris atque officii sit agnoscere videri. Cùm ita illi omnis spes præcisa esset, non modò (quod sibi spospenderat) ad suum arbitratum Rempublicam inimicis sublatis, moderandi, sed neque statum retinendi privatum suum: quod unum illi reliquum erat, eodem præsidio armatorum tectus patria cedere inimico irato, & tanta injuria implacabili, atque aliò se recipere, constituit. Ita quemadmodum sibi visus erat, pietatis in patriam egregiè in præsentia officio persoluto, flens Deum hominesque contestans per se eo die quo minus patriæ libertas restitueretur, factum non esse: ex urbe, in *Flaminiam* per *Apennini* tramites iter facturus proficiscitur. At *Laurentius* cum multi ad illum, re audita, præsidii causa subitò armati coissent, domum gravi defunctus vitæ periculo incolumis rediit. Ibi cognoscit jam omnibus ad unum, aut vi interfectis, aut affectis supplicio, qui forum & curiam occupaverant: cùm vindicatam summi imperii jus esse à conjuratorum armis, tum *Medicum* nomen, ingenti populi plausu efferri certatim ubique & celebrari. Nam veluti hanc unam rationem opportunam populo fors obtulisset, ab omni se suspicione liberandi, corpora conjuratorum discerpta in diversas partes, & dilaniata, per urbem unco trahebantur: atque ut fœdum horrendumque spectaculum non aliis solùm sed iis etiam videretur, qui gravissima injuria & recenti affecti, ex cruore & carnificina inimicorum solatium quærerent, mutilata eadem ac sanie & cœni illuvie fœdata in *Arnum* projiciebantur. Eodem animorum impetu atque ardore, cùm cupiditas & egestas esset hominum crudelitati adjuncta, magnum ad omne scelus incitamentum, *Patiorum* ædes ab avara plebe direptæ: unde, cùm omnia edita exempla libidinis & avaritiæ essent, in immensis opibus & per multorum annorum spatium in divitem atque opulentam domum congestis, ampla sæviendi prædandique materia objecta, vivum *Franciscum Patium*, & (ut casu eum offenderant) nudum extractum eodem quo cæteros supplicio affecerunt. Ejus porrò dicitur tanta sive constantia, sive pertinacia fuisse, ut cùm à multitudine irata, & quæ *Laurentii* gratiam per eam occasionem captaret nullo non convitii ac contumeliæ genere afficeretur: elatus animo incedens, atque eandem præ se ferens ferociam & contumaciam oris, nulla ratione aut vi cogi potuerit, ut verbum efferret. Ita obstinato silentiò, & defixis in eos oculis à quibus vinctus trahebatur, crebra ab imo pectore suspiria ducebat: ut hoc esset indicio altam irarum molem illius animo insidere, aut fati urgentis vim, aut populi judicium detestantis: cujus haberi studiosus affectabat, cùm ejus causa teterrimum sibi ac fœdissimum constitutum supplicium videret. *Gulielmus Patius*, cui *Laurentii* soror nupserat, sive ille à conscientia ejus rei abesse crederetur, sive affinitas illi præsidio fuerit, vix ereptus sævienti multitudini, quæ unam omnibus atque eandem causam constituebat, servatusque est. Apparuit tum quidem, quàm leve præsidium in populi studiis bene etiam de illius salute & libertate meritis positum sit, quamque

A temerè illi faciant, qui eo innixi & magnas res suscipiant sibi agendas, & susceptas sibi successuras sperent. Nullus enim ferè per id tempus dicitur *Florentiæ* fuisse, qui aliquo modò numero haberetur, quin illum inviserit, fortunas, vitam, liberos pro illius salute & incolumitate in omnem dimicationem objicere pollicitus sit. Nam & ab iis qui æqui erant amici animi officium præsens hominis fortuna, & ab inimicis metus poscebat: ne cessatio, maleficii suspicionem afferret, quæ in recenti populi invidia maximè esse declinanda videbantur. Hæc dum *Florentiæ* aguntur: *Renatus Patius* quem improbatis conjuratorum consiliis

B è medio recessisse ac rus profectum esse diximus, cùm in totius familiæ invidia tanta eodem se conflagraturum incendio non dubitaret: nuntio de his accepto, statim mutata veste, quò tutius inter notos homines fuga pateret: in itinere cognitus ac comprehensus *Florentiam* adducitur. Eandem fortunam *Jacobus* patruus subiit. Nam cum ferè esset ex *Apennini* faucibus evasurus: à montanis hominibus ad quos jam fama eorum pervenerat quæ *Florentiæ* acta erant: cùm ex præcipiti fuga unum esse ex conjuratis conjecissent: consistere primum ac mox arma tradere est jussus. Quo gravi adeò casu perturbatus: cùm *Patiorum* se ac *Medicum*

C fortunam agnoscere dixisset: diu precibus defatigatis, ut aut servare se aut vindicare honesta morte à fœditate supplicii vellent: & aversis animis ab iis auditus est, quos cupiditas & spes præmii amplioris cepisset, & *Florentiam* nullum non interea genus probri & convitii passus est ad supplicium raptus. Quatriduo autem postquàm facta cædes fuerat, unà cum patruo *Renatus* damnatus (ut apparet) quòd suppressam conjurationem magistratui non indicasset: re vera quòd vindicem tot cladium & suppliciorum superesse noluerint, quibus erat *Patia* familia eversa, capite plectitur. *Paulus Jovius*, quem autorem sit sequutus minimè tradit,

D eundem cum cæteris conjurationis reum facit: cùm illud etiam adjiciat, delatas sibi partes homines armandi, dum cæteri in urbe, facienda cæde occupati essent, impigrè præstitisse. Hinc cùm manus hominum cogere deprehensus vivus in urbem esset perductus, eadem animadversione pœnas *Laurentio* dedisse. Sed hoc ille nullo certo autore & temerè, ut alia etiam permulta. Atqui utcunque acta res administrataque est, illud video cæteros affirmare: in magna hominum strage cum forum esset stratum cadaveribus, ac viæ urbis penè omnes infectæ sanguine & cruore: nullius mortem æquè aversis à supplicio oculis, aut magis dignam mise-

E ricordia hominum, atque hujus unius visum esse: præter hominis probitatem accedente ingenii & morum lenitate, quæ (ut ferebant) procul abesse ab arrogantia & superbia *Patiæ* familiæ videbatur. At *Jacobi* cadaver cum adeò fœdum supplicii genus nondum satis animos explevisset: ut neque mortuus ignominia careret etiamsi datum à magistratibus ad sepulturam & paulò post elatum atque in sepulchro majorum conditum esset: inde extractum, atque in agro publicò, ad urbis mœnia humatum est. Hinc veluti nondum satis sævitum esset, eo ipso ex loco illud plebs abduxit, atque eodem quo fuerat laqueo vivus suspensus, nudum

F per universam urbem, ita ut cœnum & pulverem ubique everrendo, indignum sui spectaculum atque atrox præberet, in *Arnum* projecit: vix unquam populo exitum reperiente, ubi aut favere semel aut sævire instituit. In hoc homine si quis familiæ dignitatem, anteactæ vitæ splendorem, domesticam potentiam, divitias, cùm illius supremo tempore velit conferre: fateatur necesse est rarò unquam exemplum illustrius ad cohibendas moderandasque animi cupiditates propositum hominibus

 fuisse.

fuisse. Gravia in illo fuisse vitia dicuntur, quæ ut etiam re fœdiora viderentur cùm ætas, tum dignitas hominis faciebat, sed duo illa maximè insignia, & quibus nullus unquam nepos profusissimus contaminatus & perditus æquè esset, aleæ lusus, & maledicendi impunitas: atque cùm hæc in homines summa, tum in Deum hujusmodi ut nullam colere religionem, nullos agnoscere Deos crederetur. Atque hac una in re *Angelo Politiano* cum cæteris convenit, quos ipsi sumus autores his scribendis sequuti. Eidem tamen attribuunt beneficentiæ in egentes homines studium singulare ac justitiæ atque æquitatis cultum eximium. Itaque pridie ejus diei quo die inter conjuratos convenerat, ut cædes fieret, ne cui unquam sua adversa fortuna damno, aut detrimento esset, ubi minus ex sententia res processisset: omnibus quibus acceptas pecunias relatas habebat, ad assem solvendum curavit: neque id solùm, sed quicquid mercium, aut domi positum aut apud scripturæ magistros ad alios pertineret, id in eo usus summa religione & fide, dominis restitui imperavit. *Joannes Baptista Montesiccus* cùm longa de eo disceptatio fuisset, capite plectitur: quoniam mitior cæteris & probasse magis quàm adjuvisse conjuratorum consilia dicebatur, impetrato à magistratu, ne suspendio vitam finiret, fœdo genere supplicii & in proditores ac transfugas constituto. At *Neapoleoni Francesio* & *Bandino* cum suis rebus diffisi fugam arripuissent, ratum illis esse exilium jusserunt. *Gulielmus Patius*, & si qui reliqui ex ea familia erant: in arce *Volaterrarum* tetro carcere asservari jussi. In hac judiciorum severitate tanta quæ in reos constituebantur, ferunt *Laurentium* ut lenitatis & clementiæ sibi opinionem conciliaret, magistratibus sua autoritate occurrisse: cùm quidem iis diceret esse verendum, ne ulterius progrediendo humanitatis jura magna cum sua invidia violare dicerentur. Itaque multis culpa liberatis, quam in paucos rejiciebat, ut finis tandem fieret ea de re quærendi, ægrè multis precibus impetrasse. Nam per *Philippum Valorium* unum ex intimis amicis, & cujus maximè consilio in administranda Republica utebatur, ad se adductum *Averardum Salviatum Francisci* propinquum, qui metu latere dicebatur, non conservavit modò, sed obliterandæ injuriæ, atque animi illius confirmandi causa, sibi affinitate devinxit, *Lucretia* filia *Jacobo Salviato* filio fratris in matrimonium collocata. Ergo jam de omnibus supplicio sumpto, qui aut ipsi rei erant, aut culpæ affines & consiliorum conscii habebantur, justa *Juliano* mortuo placuit solvi: cùm funere magnificentissimo efferretur, universa ferè multitudine in pompa cum liberis & conjugibus studii causa sequente. Eum quidem honorem, non familiæ magis quàm memoriæ hominis, cujus humanitatem summam, liberalitatem & magnificentiam laudibus efferebant, se habere vulgò homines in assentandi studium conversi jactabant. Huic non ita multò postea quàm est interfectus, filius posthumus nascitur,

A cui nomen *Julio* fuit. Is à *Leone* Pontifice Maximo cujus erat patruelis, in Cardinalium collegium ascitus, post *Adriani* mortem qui *Leoni* successerat, malo fato *Florentinæ* Reipublicæ Pontifex Maximus creatus, & *Clemens Septimus* est dictus. Hic finis conjurationis fuit in *Laurentium* & *Julianum Medices*: ut in quibusdam ejus persimilis quam *Mediolani* tres adolescentes in *Galeatium* fecerunt: ita cædibus hominum multitudine suppliciorum, tum Principum conspiratione & omni belli apparatu, quod illam brevi postea consequutum est, atque quod caput videri debet, benevolentia hominum & studio in unius hominis cæde
B vindicanda magis aliquanto insignis. Causa præterea hæc ab altera plurimùm differre est visa. In illa enim tyranni crudelissimi vita petebatur, & qui potestate imperii nullis divinis, aut humanis legibus præfinita, ad cædem & perniciem hominum abuteretur: cùm ille omni genere dedecoris & flagitii contaminatus, crudelitate atque immanitate summa, & quidem parricidio infamis execrandus meritò videri posset. In hac ii opprimebantur, quorum merita in multos præclara, nisi ea essent suspicione affectatæ tyrannidis invisa, majorumque extitissent: cùm ad hæc omnia, etiamsi cupiditas imperii subesset, civilis modera-
C tio, temperantia, atque æquabilitas quæ animi studium tegeret, in iisdem animadverteretur. Illud quidem omittendum non est, quod multi constanter affirmant, *Medicum* potentiam cum eò esset adducta, ut per se ipsa ac nullo impellente concideret: unius hominis cæde numine placato, si quod erat familiæ infestum, erectam stabilitamque esse. Tantum enim fuisse æris alieni conflatum quo tempore in illos conjuratum est, ut in præsentia nulla alia oblata facultate ejus dissolvendi, confugiendum ad publicam pecuniam *Laurentio* fuerit: quod invitis suis civibus, non videbatur facilè facturus. Ita converso ordine, idipsum
D non à volentibus modò sed ab iis etiam qui studio inter se atque alacritate in eo persolvendo officio certarent, impetrasse: cùm ex illius adverso tempore, aut gratificandi occasionem quærerent, aut avertendi criminis. Sua sponte enim de gradu dejecto in quem ut cum offensione hominum conscenderat, ita invidiæ expositus conspiciebatur: nemo erat futurus qui misericordiam tribueret: cùm gravis casus videretur è sublimi & celso loco, sed is tamen qui tanquam merenti accidisset, solatio etiam inimicis esset futurus. Ex cruore quidem & cæde suorum (quod ultimum omnium malorum est) id consequebatur, non solùm ut mise-
E ricordia animi multorum, sed ejus etiam declarandæ studio tenerentur. Nullum autem satis aptum officii genus videtur injuriæ expiandæ, quæ sanguine & vita constat: multitudini in primis, quæ non causis rerum afficitur quibus prudentes moventur, sed iis quæ modò intuetur: sive ea minus grata sensui incidant, sive habeant quod voluptati sit: quam unam rem illa perpetuò spectant.



JOANNIS MICHAELIS BRUTI
HISTORIÆ FLORENTINÆ
LIBER SEPTIMUS.

ELLUM inteſtinum *Florentiæ* multorum cæde & ſupplicio ſedatum magis in præſentia, quàm ſublatum in poſterum videbatur: ita animis affectis, ut citius eos vires, quæ nunquam erant defuturæ ab externis armis, quam materies ad tumultuandum deficeret. Quod cum Pontifex & *Ferdinandus* non ignorarent: quod minus per occultam conſpirationem licuiſſet: de principatu *Laurentium* deturbare, omnibus aliis improbatis conſiliis, bello aperto, atque armis conſtituunt. Jam cum ea *Florentiæ* gererentur, *Laurentius Caſtellanus* copiarum Pontificiarum Dux, militibus juſſis ad ſigna convenire, in *Hetruriam* iter habebat, iis de cauſis quas libro ſuperiore commemoravimus: in primis ut copiis cum *Tolentinate* conjunctis, quem via *Flaminia* eodem properare audiebat, *Florentiam* quàm proximè accederet. Erat autem in magna ſpe, quoniam firmiſſima eſſe conjuratorum manus, ac cum iis populus ſentire ferebatur: omnino aliquid opportunitatis datum iri, ſi quam ipſe ſpem certam auxiliorum oſtentaſſet, ad civitatis ſtatum commutandum. Verùm cùm paulum viæ proceſſiſſet: primùm rumore & fama, temerè orta & nullis certis autoribus, deinde ſuorum literis & nuntiis cognoſcit: cum omnium opinione celerius conjurati rem aggredi maturaſſent: alium exitum illos, quàm eum quem ſperaverant ſortitos eſſe. Non eſſe ulterius rem differendam Pontifex & Rex arbitrati: nihilo minus exercitus duces promovere copias atque in *Florentinum* agrum excurrere juſſerunt. Jam enim illi præ ſe ferebant, unam ſibi eſſe cauſam armorum, ut Rempublicam à *Medicum* dominatione liberarent: quæ niſi *Laurentii* cæde aut exilio, nimis gravi unius familiæ potentia levaretur, ægrè aut poſſe quieſcere unquam domi ab inteſtinis ſeditionibus, aut foris ab externis bellis diceretur. At qui Pontificiis copiis præerant, ad *Peruſium* ſubſtiterant. Eum in locum ubi *Ferdinandi* exercitus advenisſet, quem jam *Truentum* amnem traductum eſſe fama erat: totis viribus peti *Florentinos* placebat. Quoniam autem nondum ſatis ſe civitas collegiſſe ex trepidatione & tumultu ferebatur, ſperabant (id quod probabile erat) eos ſe opprimere imparatos: quod ſi accidiſſet, tum fore omnino ut cætera ſibi, quemadmodum conſtituerant, læta & ſecunda evenirent. Interea quò facilius multitudinem Pontifex à *Laurentio* alienaret: igni atque aqua civitati interdixit, quo genere animadverſionis Pontifices uti raro adverſus liberas civitates & Reges conſueverunt, niſi graviſſimorum ſcelerum & maximè inſignium expiandorum cauſa. Ita cùm vulgò hæc opinio percrebreſceret, unius *Laurentii* cauſa, Rempublicam in tot mala incurriſſe: religioſam civitatem, cui ſanctum ſemper Pontificis nomen in maximis etiam diſſidiis, majorum memoria fuiſſet: facilè apparebat, ab eo qui autor tantarum cladium ſuis civibus haberetur, abductum averſumque iri. Verùm omnia ſecus acciderunt, ac Pontifex ſibi & *Ferdinandus* pollicitus erat. Omnes enim ſive gratia, ſive metu in unum *Laurentium* converſis animis, Reipublicæ ſalutem il-

A lius fidei diligentiæque permiſerant: cùm videri vellent ita illum poſſe civitatis dignitatem atque incolumitatem tueri: ſi animadverteret ſibi populi ſtudia non defore in retinenda privata ſua. Hanc ille ſuorum civium de ſua virtute opinionem, ne quando fefelliſſe videretur: ex omnibus ordinibus CCC. delectos, qui prudentia & fide plurimum præſtare credebantur, curavit in curiam per magiſtratum advocandos: qui ubi frequentes convenerunt: ad hunc modum ad illos dicitur verba feciſſe. Ita mihi ſemper veſtra in me ſtudia majoreſque meos perſpecta fuerunt: ut noſtri inimici nulla tempora acerbiora familiæ noſtræ optare de-

B buerint, quò illa nobis cognita magis perſpectave eſſent. Sed nulli unquam noſtrum per inimicorum crudelitatem atque audaciam, diu hoc tanto bono licuit frui. Namque ut de me loquar, cùm id mihi contigiſſet quod maximè omnibus optandum eſt, ut meis civibus viderer, pietate magis quàm patriæ debeo, & animi inductione quadam mei quàm ullis eorum meritis in me atque officiis devinctus: ea nunc mihi acciderunt, ut propter magnitudinem beneficiorum, quæ in me & multa, & illuſtria contulerunt, referendæ gratiæ facultatem deſiderari à me facilius, quàm ſperari ullo modo poſſe intelligam. Ergo cum ita ſemper

C à mea prima ætate in meos cives animatus eſſem, ut ſi quando à me patria vitam repoſceret, quam me illius beneficio intelligerem retinere, eam illi reddere tanquam depoſitum paratus eſſem: ita hoc tempore nunc mihi illi videor vitam debere, ut non magis pietatis laudem mihi ſperandam putem ſi patriæ meæ cauſa illa poſſim æquo animo carere, ſed ſceleris atque impietatis gravem ac turpem notam ſubeundam, ſi ut meæ ſaluti & dignitati proſpiciat, in gravi illam rerum omnium diſcrimine verſari animadvertam. Atque antea quidem non ignorabam vitam me, liberos, fortunas, principem hanc in Republica dignitatem, veſtro be-

D neficio retinere: ſed mihi erat hoc commune cum multis. Nunc ſi pro vobis mihi mors oppetenda ſit: ut hoc pietatis munus mihi liceret patriæ præſtare, vita mea ſervanda tanto veſtro ſtudio ipſi antea præſtitiſtis: ſi rurſus eadem retinenda, quòd illa vobis aliquando eſſe uſui poſſit: ut ea quoque voluptate fruar, factum id à vobis eſſe veſtro in me immortali beneficio intelligo. Atque haud equidem optabam, ut quemadmodum meo adverſo tempore, me vobis devinxiſtis, & fratris morte vindicanda, & vita ſervanda mea: ita ea ſe mihi occaſio per adverſam fortunam daret: ut cum veſtræ ſalutis cauſa, meum caput in vitæ diſcri-

E men objeciſſem, parem tanto veſtro beneficio vobis gratiam referrem. Sed neque mihi tamen in hac tanta Reipublicæ tempeſtate, qua illa jactatur, excipienda in me unum hac adeò ſæva procella, relatio ulla gratiæ par propoſita eſt. Ita enim illa eſt mei unius cauſa excitata: ut mei capitis jactura, tanquam levatam gravi onere, ſperandum modò ſit fore, ut ex tot fluctibus quibus penè obruitur, erepta ſervetur: rurſus ſi ego pergam cum ea ipſa ſævienti fortunæ obſiſtere, cùm in me unum modò ſæviat, vereor ne patria invidiæ meæ quaſi gravi preſſa mole, mea culpa naufragium faciat. Hoc unum inimici mei atque adeò apertè

A aperte illi jam non per insidias atque consilia occulta petunt: ut sæpius ego meis civibus vitam hanc debeam, cùm certam mihi perniciem & mortem, nefariè illi & sceleratè moliantur. Semel cum primum datum est lucem aspicere atque communem hunc spiritum ducere è cælo, patriæ illam retuli acceptam. Eadem rursus cum patre adhuc vivente, crudelissimè petita insidiis inimicorum esset: à vobis veluti exceptâ in sinum, & servata est. Postremò non illam templi religione augustissimi cùm ad salutem sicariis & parricidis pateat, non cultu sacrorum, quibus præsens adesse creditur humana vis ad scelera hominum vindicanda, B non conjunctione propinquitatisque jure satis adversus improborum consensum munitam: vos uni proditæ fidei, religionis, sacrorum acerrimi vindices quæ nostro cruore & sanguine nefarii homines & teterrimi violaverant, vestra autoritate defendistis, texistis, servastis. Itaque si ego vobis hanc vitam offero, & vestra illa, & vestra adeò sæpè est: si liberos, fortunas, cùm quæ habeo cuncta vestro beneficio retineam, eadem denique est ratio. Atque utinam tamen hoc ipsum mihi, quicquid illud est liceat præstare: in hac enim functione officii, cùm debitam vobis vitam obtulissem, eam me laudem referre sperarem, quæ C reddenti cum fide quæ accepit, expectanda est. Nunc cum mea sit vobis vita exitii causa: cum quidem quòd spiritum hunc duco, quòd patria fruor, quòd domesticum otium, quòd majorum dignitatem in Republica & locum tueor, vestræ saluti & libertati maximè inimicis meis adversantibus, bellum vobis, exilium, direptio bonorum, cædes, patriæ denique exitium ingentia mala, ut jam antea à sceleratis civibus, ita ab apertis hostibus in præsentia sint timenda: quomodo ego sine summo scelere, vitam hanc expetere diuturniorem in hac urbe possum, cujus causa vobis hæc subeunda propediem, timenda certè semper cavendaque D sint? Nam & illud mihi accidit, quod mibi inter tot vitæ incommoda, quibus circumveniebar, acerbissimum fuit. Cùm enim fore aliquando sperarem, ut mea vita meis civibus, si qua illis tempora inciderent, usui esset: idem cùm eam ipsam illis esse exitio, tum verò mortem, si eam oppetere necesse est, cùm semper pro salute suorum vitam effusam honesta mors & viro forti expetenda consequatur, haud magnæ mihi laudi fore intelligo. Cui enim modò ut vita illi expetenda sit, multa contigerunt quibus cum voluptate perfruatur (quod tamen raro, quæ rerum humanarum ratio est, homini usu venit) ei cum magna spe laudis, quæ maximarum virtutum parens est at- E que altrix, gloriosa mors semper ad posteritatem proposita est. At quanti ego vitam mihi esse faciendam putem? quæ invisa hostibus, meis civibus perniciosa, mihi si liceat incolumi in patria manere, inhonesta semper, molesta certè in magna meorum sit invidia futura? Nunquam sanè ego ita vivam, ut quavis morte illa mihi execrabilior detestabiliorque sit. Deus immortalis, qui hoc unus modò potest, hoc omen prohibeat. Non ego obsessam patriam ab hoste infestissimo, non flagrantem incendio, non cives necatos, non matresfamiliâs, parvos liberos in captivitatem abductos, non quorum sanguine domus nostræ incendium re- F stinctum est, eadem ego illos videbo flamma invidiæ flagrare. Et patriam meam equidem honesto exilio, & civium meorum libertatem (quando jam hoc unum se inimici mei petere dicunt) meo capite servabo. Ac non desunt qui mihi indulgentiores, quam aut officii mei ratio aut Reipublicæ tempora requirant, me hac adeò gravi cura levatum velint. Ita enim contendunt per speciem opprimendi mei (id quod tamen posse accidere haud negaverim) uno eodemque ictu Rempublicam per meum latus peti. Quod ut maximè sit, danda est tamen à me opera, ut scrupulus, qui injectus hominibus est, animis evellatur: *Laurentio Medice* enim è civitate profecto, cujus unius calamitate & ruina expiari modò inimicorum odium posse videtur, Reipublicæ hostes impia se gerere arma, si ea ita infesta civitati retinere pergant, convincentur. Quæ autem alia causa suberit præter eam unam, cui justum odium in *Medices* Pontifex obducit libertatis suorum oppressores, quæ alia inquam, præter infinitam cupiditatem ampliandi imperii, ac suos per aliorum eversionem augendi? quorum major ambitio in præsentia est, quàm indignitas antea fuit atque egestas. Video jam vos, quæ est omnium vestrum in me benevolentia, his ita à me commemorandis & affici magnopere & commoveri. Quod quidem si accidere magis ullo orationis artificio (quod in me nullum est perexiguum certè esse potest) quàm causa animadverterem: latius mihi ea de re esse agendum putarem. At jam pridem hoc vos in me animo meosque omnes esse testimonio illustri, hoc ipso tempore in primis comprobastis: cùm enim nobis, ab iis ipsis à quibus auxilium esset adversus aliorum injuriam petendum, mors & ruina certa impenderet: adversus illos nobis vim & necem intentantes, & amicorum partes & affinium & conjunctissimorum hominum, pari pietate atque alacritate animorum præstitistis. Quo vestro studio in nos declarando, illud etiam videmini effecisse, quod erit nobis semper ad posteritatem pulcherrimum atque honestissimum: ut nostra privata injuria vindicanda, cum *Medicum* incolumitate conjunctam Reipublicæ salutem vos tueri ostenderetis, communes inimicos ulti acerrimè: quo quidem ex vestro judicio de nobis tanto, magnum mihi in malis solatium propositum, ut quamvis acerbam fortunam æquo animo feram, præstare maximè potest. Nam tum quidem facile est eam ferre adversam, cùm illa non flagitii & sceleris pœna, sed virtutis, constantiæ, fortitudinis esse testimonium existimatur. Ergo si patria carere oportet, si cedere inimicis, si exilium subire, si diu minus vestro hoc conspectu frui, qua in re ego maximum meæ anteactæ vitæ fructum percipio: hoc uno tamen in reliqua vita utar perfugio longè maximo: meos cives cum meam in patriam pietatem & fidem, tum inimicorum scelus atque impietatem perspectam habere: quos æquius erat dirarum obnunciatione, & interdictione sacrorum quàm oppressam penè patriam eorum nefaria vi per privatorum cædem, notari. Vos quidem quando hodierno die de summa Republica quid censeatis potissimum esse agendum, statuere oportet: majorem in modum obsecro atque obtestor, ut propositam vobis Reipublicæ salutem, cum vos jam quo ego animo sim minimè fugiat, privatis meis commodis omnibus, quæ nulla unquam mihi conjuncta erunt cum vestra pernicie, potiorem gravioremque habeatis. Hic ille cum perorasset: placuit de magistratus & consilii sententia illi ad hunc modum responderi. Cùm ille semper majorum vestigiis insistendo, non parem modò in patriam pietatem, sed cumulatam etiam meritis maximis atque amplissimis omni suo tempore retulisset: quæ debita præmia erant summæ virtuti, omnes eos honores qui maximi in Republica habentur consecutum: & quando omni benè merendi ratione de privatis longè etiam semper antecelluisset, studia quoque suorum civium singularia in sua adversa fortuna esse expertum. Ac tametsi quæ mala essent *Medicum* familiæ importata omnes æquè molestè ferrent, in quibus vestigium modò aliquod humanitatis esset reliquum: at illud in tot incommodis opportunè accidisse, quod cu-

cupidissimè semper omnes expetiissent, ut tandem omnes intelligerent, non minorem voluntatem se in referenda gratia, quàm illum in promerenda, gerere &, quando adeò res tulerit, præstare. Vitam illius & quoniam ita semper meritus esset, & quoniam ea non posset patria sine certa suorum ruina & pernicie carere, nisi immemores non illius magis quàm sui esse vellent, & armis se & suæ vitæ præsidio defensuros. Verissimam enim hostes belli causam, præ se ferre, *Laurentii Medicis* salutem atque incolumitatem, quàm impiè & nefariè præ se ferrent. Tanquam enim è corpore capite abscisso, eo uno è civitate sublato, intelligere illos Rempublicam prædæ sibi ac direptioni relictam, ac simul cum eadem & legum & magistratuum autoritatem necesse esse interire. Quæ cùm ita se haberent, jam illum & bono animo esse, & meliores de sua ac Reipublicæ salute cogitationes suscipere debere. Nam brevi perfecturos se, ut quod hostes importunissimi ad hominum studia concilianda præ se ferrent, non solum intelligerent *Laurentio* nunquam fraudi fuisse, sed honori & commodo magis indies etiam fore. Hac hominum responsione *Laurentius* confirmatus, gratias omnibus egit verbis amplissimis: ac ne qua in re semel animis in adulationem effusis, suorum studia desideraret, ab illis primum mentione facta, ut sibi liceret præsidii causa certum numerum militum apud se habere, impetravit. Ita magistratum edicto præfatum esse ajunt: non videri ea esse Reipublicæ tempora, ut *Laurentius Medices* in cujus salute, omnium posita salus esset, vitam & incolumitatem, & insidiis simul & bello atque armis petitam suis inimicis committeret: quorum non minus quàm qui se apertos hostes profiterentur, qui metu delitescerent, illi essent timendi. His rebus ita administratis, omnium animi ad belli curam & cogitationem conversi, & qui pecunias cogerent qua ad bellum, quod futurum erat, uterentur & qui commeatus expedirent, & qui militum delectum haberent, quique alia munia belli ex sua fide & Reipublicæ tempore exequerentur impigri homines atque harum rerum periti, summa cura & studio delecti: simul ad *Venetos* decreta legatione ac *Mediolanum* ad *Joannis Galeatii* tutores, postulabant, ut ex fœdere sibi adversus communes hostes auxilio essent. Ac ne quis Pontificis autoritate quò minus sibi adessent, deterrerentur: quibus ille artibus, & aliàs semper, & eo ipso tempore Reipublicæ insidiatus esset, palàm magis suæ libertatis quàm Pontificis dignitatis memores docebant. Quod indignum maximè tanto Pontifice esset, & qui Christi in terris personam gereret: cujus pacis conciliandæ suadendæque hominibus, quamdiu inter homines egisset studium unum fuisset: fovisse in libera civitate, quæ nullius in illum injuriæ sibi conscia semper sacrosanctum Pontificis nomen potestatemque habuissent, civiles dissensiones, discordias, bella intestina, quæ exorta civium ambitione & partium studio, aut tollere sua autoritate, aut sedare debuisset. Nam quod vix credibile videri deberet, etiamsi de latrone ac perdito egestate homine referretur: certos homines quorum opera uteretur ad civium principum cædem, præmiis excitatos, per aliarum rerum gerendarum occasionem (quod iidem in quæstionibus expressissent) *Florentiam* præmisisse: quò facilius sibi bellum, sublatis iis quorum autoritas illius cupiditati ambitionique obsisteret, futurum esset. Itaque quod jam fama omnes cognitum haberent: violata innocentium civium sanguine urbis templa religiosissima, polluta sacra, cæremonias: atque in iis qui principes partes in tanto admittendo scelere præstarent, ex amplissimo ordine delectos Pontifices, sacerdotes, divinæ rei

A administros. Quæ omnia quidem, quia ut esset æquum acerrima sibi animadversione vindicanda duxissent, tantasque Deo immortali illatas injurias, pro sua religione & pietate essent ulti: tanquam hoc unum esset Pontificis munus, hominum nefariorum malefacta & scelera tueri: eorum vindices gravi nota ignominiæ afficere, bello atque armis persequi, libertate, patria, vita, si liceret, privare conatum esse. Ex eodem fonte cætera manasse, quæ nulla jam ab eo ratione tegi & consilio possent: quorum unum illud gravissimum: quò omnes ab sua societate absterrerentur, diploma excogitatum quo in impios homines modò & ma-

B jestatis convictos uti superiores Pontifices consuevissent. Eo populum *Florentinum* omnium aditu, congressu, sacris, spiritu communi hac luce, si id fieri æquè facilè atque expeti posset, prohibitum esse. Ac non malè in eo tamen cum Pontifice agi. Si quibus enim antea dubium fuisset, cùm eorum audacia, & libido tanta extitisset qui hæc essent ausi, à tàm gravi scelere Pontificem, aut hominum existimationem veritum aut Dei immortalis iram, & vim scelerum ultricem non abfuisse: nunc bello persequendis iis, qui debitum illi munus impleverint, quo ille animo esset declarare. Se quidem qui constantes fuissent in suo jure tuendo, atque imminentem Reipublicæ ruinam à suis

C capitibus sceleratorum hominum supplicio depulissent: nihil indignum majorum gloria quibus semper gravissima Pontificum autoritas fuisset, cujusque rei causa tantum in se illius odium excitare debuerint, admisisse. At si Deo immortali modo curæ esset, qua de re dubitare nemo deberet, quàm rectè Pontifices, divina in homines potestate uterentur: & externa arma pariter & dirarum obnuntiationem qua civitati à sacris interdictum esset, tristem illam quidem & timendam modò qui digni essent, ut illa peterentur: iis qui tantorum malorum autores cladiumque essent quas illa portenderet ruinæ, exitio, calamitati, ignominiæ

D futuram. Adversus horum querelas tantas minimè sibi Pontifex deerat, hominum feociam, p ritus, contumaciam qui Principi Christianæ Reipublicæ totius orbis terrarum moderatori, cui maximi Reges atque Imperatores Augustissimi imperanti parerent, monenti & castiganti se resistere superbissimè essent ausi, vi atque armis ut feræ bestiæ & indomitæ solerent, fuisse domandam. Victa patientia, scelere atque importunitate præfracti & contumacis populi: id unum scilicet reliquum fuisse, ut arrogantes & superbi homines per hanc rationem ad officium & sanitatem revocarentur.

E Neminem sanè ita malè de Christiana Republica sentire quin ita censeat: ubi cætera quæ mitiora sint minus procedant, non armis persequendos, profligandos à communione bonorum arcendos, qui jam pridem nefarium atque impium bellum Pontifici Maximo indixerint, ac divinam personam inter homines gerenti. Quot eorum injurias, quàm insignes ac graves fuisse? Deterritos metu qui sua sponsione, propinqui hominis fidem & existimationem tueri parati essent, quò id minus pro sua in Pontificem observantia præstare auderent. In civitatum defectione, quæ imperio Pontificum parerent, susceptam defensamque pertinacissimè

F eorum causam qui principes defectionis atque autores extitissent: negatam possessionem, quibus pro sacrosancti imperii potestate sacerdotia amplissima detulisset, hominibus illis quidem summæ dignitatis, & qui iis honoribus gerendis pares (quicunque postea illi evaserint) ab eo judicati essent, ad quem ejus rei cognitio & jus pertineret. Neque in eo tamen vestigio impietatem constitisse, sed progressam esse ulterius ac vagatam latius. Gravissimi quidem criminis convictos sacerdotes (quem

Brutus. L enim

enim hoc inficiari posse?) se inconsulto ut divina omnia atque humana jura confunderentur, affectos supplicio, eorum dilaniata membra & distracta, atque id quidem nullo humano more & instituto. Nam (quod resipiscentibus, tametsi illis gravissimorum scelerum in Deum atque homines damnatis, nunquam negatum esset) neque iis factam potestatem, ut venia à Deo immortali & pace impetrata, discedere è vita ubi tanto supplicio scelus expiassent, numineque placato liceret. Ac ne qua in re sibi impii homines reliqui facerent: amplissimi ordinis adolescentem lectissimum, & dignitatem gerentem Regiæ parem, vel voluntate, vel ingenio, vel ætate à cogitatione nefarii atque abominandi facinoris abhorrentem, cujus insimulatus sit, vix supplicio ereptum, cùm de eo sæpè esset actum in publico civitatis consilio, domique privato carcere asservatum, datis custodibus, qui aditum atque egressum familiarium observarent: cùm in crimine nulla esset causa sæviendi, aut à sui contemptione atque odio, aut ab ingenio sævientium quæsita. Ad hæc spreta audacissimè Pontificis Maximi autoritate, cum iis à sacris interdixisset (id quod terrori esse omnibus gentibus consueverit) sacerdotes reclusis templorum valvis, quas divina clausisset autoritas & vis, ab iisdem rem divinam facere ac sacra administrare metu supplicii coactos. Postremò cùm nondum sibi satis esse factum arbitrarentur, nisi in divinam & sacrosanctam potestatem sævirent: eorum imperio per *Hetruriæ* Pontifices concilio indicto, adversus majorum mores atque instituta, qui unum tantæ rei in terris autorem *Romanum* Pontificem perpetuò agnoverint: impium factum decretum, ut damnatis ab eo atque æternis suppliciis vivis æquè & mortuis devotis, scilicet quò impietas & scelus impunitate gravius inter homines alatur, provocare ad gentium omnium futurum conventum liceret. Nam quòd etiam se ausi sint incusare (quid autem adeò celsum inter homines & sublime haberi, quo non illi superbia atque audacia efferantur?) quòd dignum summo Pontifice statuerit, liberas civitates, ex servitute gravissima sua autoritate vindicare: ad quem magis quàm ad se unum pertinere tollere tyrannos, præmiis honestos homines, supplicio improbos afficere, leges, jura, instituta majorum tueri? Quamquam tantæ erant Pontificis & *Florentinorum* querelæ, quæ pessimo exemplo apud omnes *Italiæ* Principes jactabantur: *Raphaël Riarius* Cardinalis, quod verè magis *Xystus* quàm jure querebatur, è custodia dimissus atque ubi vellet, redire Romam est jussus. Grave autem ille periculum evasisse fertur: cùm eum multitudo concitata, tanquam consiliorum participem ad supplicium postularet, vix illa *Laurentii* autoritate & magistratus deterrita quò in illum minus pro suo ingenio sæviret. Satis quidem in eo causæ creditur fuisse, id quod postea res declaravit, ut ea cura Pontifex liberatus, majoribus etiam quàm constituerat viribus, bellum quod adolescentis causa trahendo distulerat, maturaret Reipublicæ inferre. Imparatis adhuc *Florentinis* ab armis subitò nuntiatur Pontificis & *Ferdinandi* exercitum ductu *Alphonsi Ferdinandi* filii & *Federici Urbinatium* Ducis in Reipublicæ fines ingressum multis ignobilibus castellis, quæ in *Senensium* agro *Florentinæ* ditionis erant occupatis, ad oppidum *Castellinam* castra posuisse. His nuntiis territi, cùm lentiora sua spe sociorum auxilia essent, ipsi nondum satis virium haberent, ut apti ad belli vim arcendam viderentur: pariter & qua ratione obsessis opem ferrent, & quod caput est, si propius ad urbem hostes copias admovissent, quibus viribus positam civitatem in tanto rerum discrimine tuerentur, ignorabant. Ac quanquam missa ab

A *Insubribus* auxilia adventare dicebantur: magna tamen spe à *Venetis* destituti impendentis mali metu trepidabant. Nam illi quoniam se ita fœdere teneri contendebant, ut bello privatorum causa ab illis suscepto (*Laurentius Medices* ea exceptione minimè obscurè notabatur) haud interesse deberent: apertè jam se illis auxilia missuros negabant. Cùm in hisce angustiis res esset, *Thomam Soderinum Venetias* legaverunt, qui Senatum belli causis diligentius expositis, ad fœderis religionem & fidem sociis præstandam, quoad posset inducere omni studio conaretur. Interim ne infami cunctatione redderent hostem alacriorem ad faciendam

B injuriam, *Herculem Atestium* qui *Ferrarensium* Dux *Borsio* successerat qui copiarum Reipublicæ Dux rem gereret, delectum, occurrere primo quoque tempore hostibus jusserunt. Quæ dum ab illis (ut in subita re & prudenter & accuratè administrantur) hostes quadragesimo die postquam ad oppidum castra posuerant, omni alia spe propinqui auxilii destitutos oppidanos, qui egregiè ad eum diem illis restitissent, in deditionem accipiunt. Oppido recepto ac præsidio firmato, majora jam animo agitantes *Aretium* copias ducere instituunt, magna spe posita in celeritate, qua maximæ sæpè res confici consuevissent, aliquid sibi opportunita-

C tis ad rem benè gerendam datum iri. Eo animo cùm essent ad *Sansevinum Montem*, quem appellant, castra ponunt: non ignari ubi illud oppidum celeritate adhibita expugnassent: subito suo adventu oppressos *Aretinos* deditionem facturos. At jam *Hercules* omnibus rebus necessariis ad profectionem comparatis, quadrato agmine incedens, copias instructas adversus hostem ducebat, ita animo paratus, ut si quam pugnandi facultatem occasio daret, non esset recusaturus. Cùm propius jam castris castra contulisset, quotidie levioribus præliis periculum virium faciendo, quibus ferè hostes inferiores habebantur, jam in magna spe

D erat, fore ubi totis viribus dimicatum esset, ut victoriam minimè dubiam referret. Cujus fiduciam cum minimè esse vanam hostes ignorarent, qui iniquo loco castris positis, ac commeatu exclusi jam retrò signa referre cogitarent, inducias aliquot dierum petere coguntur: confessione etiam sua visi de prælii eventu ubi manus consererent, dubitare. Quæ cùm ita essent, admirantibus iis tantam occasionem Herculem belli administrandi omisisse, cùm ejus esset summa virtutis opinio, ac magnus in rebus bellicis usus, induciæ fiunt. Itaque re præter suam expectationem impetrata, per induciarum tempus, omnia quæ ad oppidi expugnatio-

E nem necessaria essent comparare instituunt: atque ubi dies induciarum exiit, Reipublicæ exercitu penè inspectante, captum oppidum suæ ditionis fecerunt. Jam hyeme appropinquante, cùm hostes in hyberna concessissent, querente maximè civitate Rempublicam à molli atque inerti milite prodi, exercitus in hyberna est deductus. Hercules cum deserta ac prodita vera virtus nequicquam cum ignavia armis & consensu multorum munita videretur pugnatura, *Apennino* digressus *Ferrariam* rediit. Quæ dum in *Hetruria* geruntur: *Mediolani* inter *Sfortiæ* pueri tutores gravi orta con-

F troversia, cùm ambitiosè omnes ad Principatus administrationem aspirarent, magni futuri tumultus semina jaciebantur. Erat summa rerum penes *Bonam Joannis Galeatii* matrem, non illam quidem satis per se aptam imperio administrando, sed quæ proxima summæ virtuti est laus, nitentem unius hominis consilio, qui magnam apud omnes prudentiæ & probitatis opinionem partam habebat. Erat is *Franciscus Simoneta Calaber*, callidus homo, atque ex *Galeatii* mortui indulgentia, qua is nunquam immoderatè usus apud populum maximè præ-

præstare gratia ferebatur, summam ferè omnium rerum gerendarum unus adeptus. Huic cum simultates gravissimæ post *Galeatii* mortem cum *Ludovico Sfortia* intercessissent, qui propterea quòd pueri patruus erat & fratrum maximus natu rerum administrationem ad se deferri postulabat: ne quid illi locus ad nova ineunda consilia relinqueretur, magnæ cupiditatis homini, & quæ in primis videretur pueri rationibus incommoda futura, *Bonæ* matri persuasit, ut Senatus decreto interposito, illum extra urbem ablegandum atque imperii fines curaret. Ita illa probata re, cum (ut ferunt) in eo usa esset *Thomæ Soderini* consilio qui tum *Mediolani* legatus Reipublicæ agebat, *Ludovicum* tanquam is novas res adversus *Joannis Galeatii* salutem moliretur, ac simul *Octavianum* fratrem & *Ascanium*, tum *Rubertum Sanseverinatem*, quòd is maximè eorum esse studiosus dicebatur, in exilium ejecit. Ex his cum præcipiti fuga elati *Abduam* transirent, *Octavianus* vado destitutus, temerè equo in verticem demisso, interiit. At exules qui jam gravi coorto in *Hetruria* bello, in nonnullam spem venissent, per eam occasionem res in *Insubribus* novandi: in primis in suscepta spe *Ferdinandus* Rex confirmavit: quò illi magis animos ad nova consilia adjicerent, magna illis occasione ad rem ex sententia gerendam ostentata. Quoniam verò iniquo animo ferebat, *Florentinos* quibus cum bellum gerebat à *Sfortiæ* pueri tutoribus auxiliis juvari: ita illos cura domesticarum rerum implicare constituit: ut fœmina præsertim atque in novo posita principatu, satis consultum filii rationibus censeret, si quid illi spatii relinqueretur de illius salute cogitandi. Itaque per *Prosperi Adornii* & fratrum exulum operam perfecit, ut *Genua* & si qua illius ditionis oppida *Sfortiæ* imperio parebant ab eo præter urbis arcem deficerent. Quæ cùm illius præsidiis teneretur, sæpe eò missis qui tentarent, an ulla spes esset illam recipiendi, & victi semper facilè & redire æquè re infecta, erant coacti. His rebus fœmina (ut par erat) perturbata, cùm in *Florentinis* gravi tum implicitis bello & haud satis aptis qui sese adversus tantum hostem tuerentur, parum sibi esse præsidii constitutum animadverteret, consilium quidem inivit, ut in adversis & fluxis rebus haud improbandum, sed quod magis esset opportunum inimicorum vindicandis injuriis, quàm videretur filii rebus in posterum expedire. *Genua* enim accito *Baptistæ Fregosio Prosperi* inimico, atque adversariarum partium Principi, cùm illi facilitatem agendæ rei demonstrasset, magnam spem fecit, civitatis Principatum, per *Adornii* ejectionem occupandi. Ac quò majore alacritate & studio, rem sibi esse suscipiendam putaret: præter civium studia qui permulti illius nomini favebant, ubi rem aggrederetur se illi arcem tradituram pollicebatur. Cùm re intellecta *Fregosius*, se nunquam immemorem fore illius beneficii, ac tantæ oblatæ occasioni minimè defuturum respondisset: his conditionibus est res inter illos transacta: ut recepto Principatu, cum *Joanne Galeatio Sfortia* filio quem ut par erat, suæ dignitatis autorem & familiæ agnosceret, fœdus sanctè atque amicitiam coleret: in primis autem, quod utriusque rationibus expediret, neque exules unquam per ullam objectam causam reciperet, neque ad bellum aut sibi, aut *Galeatio* filio ullive inferendum, pecunia, milite, ullave re alia juvaret. Ita ille confirmatus, atque ad agendam rem *Genuam* dimissus, facilè recepta arce, cùm suorum fideli ac forti opera usus esset, Principatum occupavit: atque inde *Prosperum Sfortianosque* fratres ex urbe ejecit: summa fide (id quod se receperat facturum) in eo, fœdere servato. At illi exulibus *Genuensibus* adjunctis, unà cum *Ruberto Sanseverinate*, cujus eadem erat cum cæteris causa, se in *Apuanos Ligures* receperunt: ita parati animo, ut ubicunque spem reditus occasio ostentaret, insigni clade inimicorum suis ne deessent. Quod quidem cum Pontifici & *Ferdinando*, nuntiatum esset: omni jam in *Insubribus* sedato tumultu, unde spes illis primùm erat objecta, *Florentinos* ab ea parte *Sfortiæ* præsidio nudandi: exulum operam peropportunam ad vires eorum distrahendas arbitrati quæ haud satis per se esse firmæ eodem etiam contractæ videbantur: curaverunt ab illis copias in *Pisanum* agrum inducendas: magna illis spe reditus facta, ubi audacter incœpta exequi atque impigrè maturassent. Quòd autem ver appropinquabat, neque satis adhuc *Florentini* esse parati ad bellum ferebantur: plurimum fore commoditatis in eo existimabant, si exules usi celeritate ac rem illis nec opinantibus aggressi, ab ea parte belli initium facerent. Cùm exules de eorum voluntate certiores facti, rem minimè esse contemnendam putarent: optimæ spei & fiduciæ pleni tantam repente oblatam occasionem læti arripiunt. Itaque ex *Liguribus* qui *Adornii* partibus favebant, magna hominum collecta manu: cùm iis præesse *Sanseverinatem* placuisset, brevi quæcunque agri *Pisani* erant, ut in subita atque improvisa re nemine iis resistere audente, aut vi, aut metu, aut deditione recipiunt. Tanta autem erat eorum fiducia ex superioris temporis proventu: ut jam spectantibus militibus, qui in statione erant, excurrere ad portas urbis provecti gloriæ studio auderent. Hoc in statu cum res in *Hetruria* essent, legati à Cæsare, *Ludovico Galliarum*, & *Pannoniæ* Regibus *Florentiam* venerunt. Hi cum se missos ob eam causam dicerent, ut si qua ratio iniri posset, sublatis inter Pontificem atque illam Rempublicam controversiis, pacem & concordiam firmarent: planè se perfecturos pollicebantur, ubi civitas à sanioribus consiliis non abhorreret, ut Pontifex pariter hoc sibi persuaderi adductus Regum precibus atque autoritate pateretur. Cùm his actæ gratiæ, Regesque tanti, quòd sui commodi atque honoris causa, hanc sibi molestiam subeundam statuissent, omni verborum honore collaudati essent: ne quando unquam per *Florentinos* factum esse videretur, quò minus armis positis paci atque otio *Italiæ* consuleretur: præterea eorum Principum honoris causa à quibus legati essent, missuros se legatos *Romam* de compositione dixerunt. Neque ulterius dilata re cum illis hoc maximè curæ esset, ut æqui atque iniqui intelligerent, pacis se & concordiæ autores, invitos & maximis ac gravissimis coactos injuriis cum Pontifice Maximo gerere bellum, legatos decernunt, viros amplissimos civitatis, qui inita extemplo legatione, cùm nulla in re illum nacti suis rebus æquiorem essent, brevi quidem *Florentiam* reverterunt. Cùm *Florentini* ut quàm integerrima omnia ad pacem haberent, nihil sibi reliqui fecissent: dandam sibi esse operam censuerunt, ut legitima gerere arma, cùm ea non inferendæ sed propulsandæ injuriæ causa sumpsissent, & non magis cum Pontifice Maximo quàm cum pacis atque otii perturbatore, pugnare viderentur. Ac quoniam plurimum sibi momenti accessurum ad totius belli administrationem credebant ex nobilissimi Regis & potentissimi conjunctione: qui cum *Ludovico* fœdus & societatem firmaret, *Donatum Acciaiolum* legatum in *Galliam* mittunt. Is est *Donatus Acciaiolus*, à quo homine (id quod per ea tempora fuit perrarum) Latinis & Græcis literis erudito, conversa multa è *Græca* lingua in *Latinam* & doctè & luculenter leguntur: vir præterea, & nobilitate & probitate vitæ pariter domi forisque habitus clarus. Itaque cùm in ea legatione nondum ex *Italia* profectus decessisset: virtutis

ergô est publico sumptu à civitate elatus atque adeò ut posteris mortui memoria prodesset, cùm liberi publici muneris ac rerum omnium vacatione & immunitate donati: tum ad filiarum collocationem pecunia à magistratibus decreta. In hujus locum *Guidantonius Vesputius* suffectus, ita ut se statim in viam daret, mandatis à magistratu acceptis eam postea legationem obiit. Interea cum gravi bello affecta civitas eodem tempore sed diversis locis atque inter se disjunctis premeretur: quò majore animo & studio & exulibus in *Pisano* agro & in *Senensi Ferdinando* & Pontifici occurrerent: ex delectibus urbanis, milite imperato, quo præsidio Respublica adversus hominum temerè collectam manum uteretur: *Petrum Caponium Chini* filium, magnæ virtutis & consilii hominem *Lucam* legatum miserunt: quòd vererentur ne inde exulibus commeatus atque auxilia subministrarentur: in primis soliciti ut civitas opulenta & maximè opportuna propter propinquitatem gerendo bello, si æquam suis rebus & faventem nacti essent: in amicitia contineretur. Atqui suspecta legatio civitati cum animos simultatum memoria & discordiarum subiret quæ nondum planè resederat: ita multitudinem & plebem infimam commovit, nihil ut propius factum sit, quàm ut concitato tumultu, populariter Legatus vir honestissimus suæ civitatis: cum illi parum præsidii in magistratu esset, interficeretur. Ita ille functus legatione, quæ minimè salutaris futura civitati, penè sibi exitio fuerat, ut nova consilia à *Lucensibus* inirentur, id quod tamen facilè suspicari licebat, perfecit. Temporis enim vetustate sedatum penè compressumque odium, tanquam vulnus obducta cicatrice, novo ictu recruduisse videbatur. Nunquam porrò est satis firma amicitia inter vicinas civitates futura. Sive enim viribus & potentia sunt pares, æmulatio imperii, sive altera infirmior, est alteri contemptioni: idipsum & parit odium & simultates alit: ut cùm illa securitatem quærat ejus ruina, qua cum habet institutam contentionem de principe loco: hæc si qua se occasio det, se ab indignitate vindicare & contemptione omni cura & studio conetur. At *Florentini*, ne jam vere ineunte improviso bello opprimerentur, neu hostes capto ex suo tempore consilio: viarum angustias præoccuparent, ac commeatu civitatem intercluderent: *Herculem Ferrariensium* & *Federicum Mantuanorum* Principem, quò bellum majore fama apparatus per nobilissimos Duces atque in primis rei militaris peritos administraretur, *Florentiam* evocarunt. Quibus *Carolum Bratii* ac *Deiphœbum* * *Jacobi* filium, *Venetis* permittentibus, quòd eo tempore cum *Turca* pacti inducias quiescebant, cùm delectis militibus qui aliquot annos sub eorum signis militabant, socios atque adjutores ad bellum gerendum esse placuit. Cùm magno equitum & peditum numero comparato, vires cum *Ferrariensi* & *Mantuano* conjunxissent: ad eas copias, quas secum ipsi adduxerant, aliis insuper acceptis, se ad *Pisas* exulibus opponere atque ibi facere belli initium constituunt. Erat autem summa eorum consilii, ubi (quod sibi spondebant) exulum vires disjecissent, tumultuariam manum, & temerè collectam: *Senam* quò tota belli moles inclinaret, exercitum adducerent, ac cum Regiis, universis viribus de summa belli decertarent. At exules eorum cognito adventu, qui ad *Auserem* amnem stativa habebant, quoniam multò se esse inferiores militum numero intelligebant, veriti ne pauci à multis circumvenirentur: aliquamdiu ad timoris tollendam opinionem, iisdem in castris commorati, cùm ab exploratoribus propius hostes adventare cognovissent, unde discesserant, se in *Ligures Apuanos* receperunt. Ita illis profectis, atque ad ea oppida,

A quæ amissa erant, exercitu adducto: omnia, ut nihil hostile in *Pisano* agro relinqueretur, quod bellum in diversa parte gerentes solicitos haberet, recepta præsidiis firmarunt. Eo metu *Florentini* liberati copias omnes inter *Collem* oppidum & *Fanum Geminiani*, quò commodius faciliusque exercitu lustrato, de omni belli ratione ineunda statuerent, nullo dato spatio hosti ad loca æquiora occupanda, adduci imperant. Cum eò Duces summa usi celeritate exercitum duxissent: animadversum est, ex *Bratianis* militibus & ex *Sfortianis* æquè multos, qui ex *Insubribus* missi erant ex fœdere *Florentinis* auxilio, sub iisdem signis militare.
B Ea ex re verendum erat, ne vigentibus adhuc partium studiis, & nondum planè odiis restinctis, cum levissimis quibusque de causis quotidie venturi ad arma magna cum exercitus clade viderentur, ne quid detrimenti Respublica atque incommodi acciperet: vix autem ne id accideret ulla ratione & consilio à Ducibus poterat obviam iri, ni dividi copias ac vires distrahi paterentur: quod iis tamen videbatur necessario esse agendum, ne si diutius iisdem in castris manerent, ex privatis simultatibus odium conceptum, in minimè dubiam multorum perniciem erumperet. Itaque cum hoc tutius visum consilium esset: *Carolum* cum ea militum parte quibus ipse imperabat, in *Perusinum*
C agrum mittunt, qua in re minimè dubium erat, ob eas causas, quas superius commemoravimus, non esse plurimum illius rebus prospectum: cæteros quò transitu hostes prohiberent ubi vim facere conarentur, *Pogibontios* quà erat aditus in *Florentinum* agrum eodem tempore ire jubent. *Bonitium* à veteribus oppidum appellatum est, ut quibusdam videtur. Hoc consilio necessitas hostibus imponebatur, nisi negligere *Perusium* mallent Pontificis perstudiosam urbem, quæ in magnum adducta discrimen, ubi pergerent cunctari, ventura propediem in *Caroli* potestatem videbatur, copias
D quod ipsi coacti egissent, distrahendi. Præterea quo ancipiti cura distractum Pontificis animum à belli consiliis avocarent, operam dederunt, ut *Nicolaus Vitellius*, quem antea illi cessisse *Tifernatium* Principatu demonstravimus, suarum partium hominibus collectis, eam urbem *Laurentio Vitellio* ejecto, quod non illi erat admodum difficile futurum à suis quotidie ad reditus spem incitatus occuparet. Porrò *Laurentius* quòd maximè valere gratia apud Pontificem ferebatur, ac plurimum illius partibus favebat, autoritate princeps in civitate habebatur. Quæ omnia optimo consilio & ratione administrata, cùm viderentur propediem eum exitum habitura, quem maximè sibi animis spondebant: *Ca-*
E *rolus* qui jam *Perusinis* omni belli clade affectis magnam in spem potiundæ urbis venisset, non suorum magis quàm Reipublicæ adverso tempore moritur. Eodem verò tempore *Vitellius*, quanquam nondum urbem occuparat, latè agrum populatus, eò *Tifernates* adduxerat, ut omni spe propinqui auxilii adempta, suis rebus consulere atque inire consilia de tradenda urbe cogerentur. Pari usi felicitate qui *Pogibontios* ad transitum hosti claudendum missi erant: non solùm, quod iis datum negotium erat, hostes aditu in *Florentinum* agrum prohibebant, sed iis etiam invitis, cùm minimè
F auderent se eorum conatibus opponere, impunè ad urbis muros nullo eos prohibente excursiones faciebant. At quanquam *Caroli* immatura atque inexpectata mors, *Florentinis* quibus in illius virtute & consilio plurimum ad omnia momenti constitutum erat, perincommodè videbatur accidisse: ea tamen post illius mortem evenerunt, ut certa illos victoria, nisi ultrò offerenti se fortunæ defuissent exploorataque maneret. Pontificii enim erercitus Duces, cùm certis nuntiis de *Caroli* morte

A morte acceptis, *Florentinos*, quos jam factos rebus secundis negligentiores rebantur, ac se illis præterea in magnam contemptionem venisse non ignorabant, se posse de improviso opprimere sperarent: castra inde movere atque illos adoriri constituunt. Itaque magna trepidatione & tumultu quò timoris opinionem hostibus augerent militibus jussis vasa colligere, recta ad *Thrasimenum* lacum, nobilem *Annibalis* de *Romanis* victoria contendunt. Quod hostium consilium, cùm *Jacobus Guiciardinus* exercitus legatus cognovisset: re antea cum *Ruberto Malatesta* communicata, cujus erat in exercitu, ob singularem virtutis opinionem & rei militaris scientiam magna autoritas existimatio: propius ad B hostes castra movere, ac cùm iis duplici errore captis decernere totis viribus constituit. Cùm autem ab iis se peti viderent, quos adoriri ipsi constituissent, non ut existimabant, palatis ac nullo certo imperio atque ordine dispersis & dissipatis, sed animis ac viribus ad pugnandum paratis, falsos illos sua opinione nullo negotio se oppressurum, cùm præsertim nihil hostilis atque infesti à tergo relinqueret, arbitrabatur. Neque illum frustrata sua spes atque opinio est. Nam simulatque signum militibus pugnæ dedit: Pontificii quibus aliquantò majorem spem in hostium contemptione quàm C in vera virtute atque animi magnitudine posuissent: cum militum vim atque impetum, qui ut in imparatos & perterritos, sua etiam opinione vehementius atque acrius invehebantur, sustinere haud facilè possent: perturbatis ordinibus primum loco moveri ac pedem referre, hinc terga vertere ac postremò graviore urgente metu, præcipiti se fugæ mandare cœperunt. Quæ res *Florentinis* minimè dubiam victoriam fecit. Hujus rei nuntio *Florentiam* perlato, lætam civitatem, quæ jam à gravi metu respirare, ac tanquam emergere ex adversa tempestate videretur: *Pogibontiis* tristiores nuntii subsequuti, gravius aliquantò eam & vehementius affecerunt. Nam cum præda ingenti D parta ex hostium agro, inter milites (ut fit) in prædæ divisione magna esset exorta contentio: Ducibus ambitiosius quàm aut temporis ratio aut Reipublicæ dignitas postulabat, causam suorum defendentibus, ventum erat pari animorum ardore utrimque ad arma. Cum ut hinc magna esset clades expectanda, nihil ad speciem justi prælii deesset: ægrè quidem legatorum autoritate interposita, qui Reipublicæ nomine exercitui præerant, sedata in præsentia tanta seditio est. Postremò cum avaritia inter milites, studio inter Duces quo elati aliorum causam suam fecerant, pessimo exemplo certaretur: nulla jam reliqua spe alia ra- E tione animos conciliandi, alterum esse mittendum censuerunt: nihil illum arbitrati ex usu Reipublicæ facturum in magno militum odio & dissensione, etiamsi honoris existimationisque causa, uno animo cum collega bellum, ut instituerat, administraret. Ita *Mantuano* copiis præesse jusso: *Hercules*, quem minus fore æquum suis rebus censebant, insigni Reipublicæ illato detrimento, cùm magna exercitus parte, qua ex re ejus in primis vires extenuabantur, ex *Hetruria* abiit. Verisimile est quòd superiore bello *Venetis* exulum causam defendentibus, in eorum exercitu militaverat, cùm antea in civium dissensione minimè obscurè *Neronii* & *So-* F *derini* partibus adversus *Medices* favisset, *Laurentio* uno id procurante, aut missum esse factum, aut, quod probabilius est, sua sponte ipsum nobilissimum Ducem & qui parem eundem atque æmulum, haud satis æquo animo videretur in belli administratione laturus, discessisse. His rebus cognitis, *Alphonsus Calabrorum* Dux qui Regiis copiis præerat, *Sena* ubi substiterat, motis repente castris, ne magnam oblatam occasionem belli administrandi prætermitteret: adversus hostes ire incredibili usus militum studio properavit. Sperabat enim, quoniam quicquid roboris in exercitu habebatur, *Herculis* discessu erat detractum, quicquid ille studii & celeritatis adjecisset fore ut id magnum momentum ad totius belli summam afferret. Quæ illum spes minimè fefellit. Simulatque enim adventare illum *Florentini* cognoverunt adeò universi perterriti dicuntur, ut cum in omnium trepidatione, causam omnino cur trepidandum esset ignorarent: vix certiore de ejus adventu nuntio accepto: quanquam illi & loci æquitate, cùm egregie munitus natura atque opere haberetur, & tormentis atque omni alio belli apparatu multò hostibus superiores essent: non sine magna eorum admiratione, qui tam præcipitis ac turpis fugæ causam quærerent, terga verterunt. Quod autem fama nunquam antea cognitum erat (tàm imbellem militiam tum Principes *Italiæ* alebant) neque hostium conspectum sustinere ausi, tormentis, tabernaculis, impedimentisque omnibus prædæ relictis, unius cura salutis anxii, nominis, famæ, existimationis obliti, sese fugæ dederunt. Hac parta victoria *Alphonsus* non tàm suorum virtute, cujus nullum adhuc erat periculum factum, quàm hostium summa ignavia & timiditate: tanquam belli finis, ac fructus victoriæ in prædæ divisione constitisset, partienda ea cum avaro milite occupatus, hosti, quem adhibita celeritate delere potuisset, spatium ad se recipiendum reliquit. Celeriter fama tantæ cladis *Florentiam* perlata, magno terrore & tumultu civitatem complevit, pari illam & suorum ignavia perditam, & hostium servatam. Ac quanquam is erat Reipublicæ casus, ut quovis etiam tempore magnopere esset civitati extimescendus, tamen quò minus parata adversus illum in ulla re subsidia haberent, gravis exorta simul pestilentia efficiebat. In magno enim omnium metu, cum permulti relicta urbe, tanquam in multitudine perniciosior contagio ac præsentior mali vis non æquè facilè caveri posset, villarum amœnitates & recessus quæsissent: repentè malè gestæ rei fama eodem pervagata, cum conjugibus & liberis, quos magna sequebatur agrestium turba desertam paulò antea patriam proditamque repetebant: inter duo gravia vitæ discrimina, satius esse ducentes animam agere in complexu suorum, quàm hostibus immanissimis & non ita cupiditate gloriæ, atque odio sui gerentibus bellum prædæ relinqui. Cùm tot malis circumventa civitas, in primis eorum quæ impenderent debilitata metu, ferè de salute desperaret: vetere instituto majorum jam antea magistratu creato cui belli cura atque administratio mandabatur: factum ab eo decretum ad exercitum mittitur, qui ad *Perusium* à *Carolo* adductus, adhuc ibi eo mortuo constiterat: ut omissa in præsentia ejusce belli cura, ac collectis ex fuga, qui reliqui erant ex superiore exercitu, quique palati & vagi nulloque certo Duce ferebantur, omnibus viribus adversus *Alphonsum* rem gererent. Eum enim recenti victoria elatum jam quicquid intra amnem *Elsam* atque urbem erat, incendiis & populationibus infesta omnia faciendo occupasse fama erat. Etsi igitur obsessa arctissimè urbe, haud dubium erat, quin brevi *Perusini* cum ultima omnia essent passi deditionem facerent; accepto tamen magistratus decreto cui planè esse parendum censebant, cum tutius præsertim consilium videretur, tueri sua, quàm aliena ire oppugnatum: ad *Fanum Cassiani*, quod oppidum *Florentia* abest octo. mill. passuum, copias duxerunt. Ita autem consilium explicaverant, ut cùm victi exercitus reliquiæ eò convenissent: tum planè viribus superiores, aut cum hostibus confligerent, si quod futurum credebant, potestatem pugnandi facerent, aut conantibus ulterius progredi obviam

irent, ad omnem subitum casum urbi semper præsidio futuri. At exercitus discessione *Perusio* soluta obsidione, cujus incommoda haud diutius sustinere posse videbatur: Pontificis milites gravi cura ac metu levati, impunè *Cortonensem* agrum atque *Aretinum* populabantur: facileque apparebat, nisi qui eorum ferociam atque impetum retardarent, iis obviam mitterentur, insignem cladem Rempublicam atque ignominiam ab ea parte accepturam. Nam & Regii jam *Pogibontios* & *Vicum* oppidum in deditionem acceperant, & *Certaldo* capto & direpto, *Colli* imminebant. Quod oppidum & sui natura munitum, & in primis ejus regionis omnis Reipublicæ fidele, cùm desperarent oppidanorum voluntate posse recipere, adhibitis tormentis oppugnare summa vi ac militum studio instituunt. Qua re *Florentini* cognita qui jam copiis ad *Cassiani Fanum* contractis, minimè videbantur inferiores futuri, si iis dimicandi opportunitas aliqua daretur: ne oppidani qui propter exiguum propugnatorum numerum haud satis pares habebantur ad hostium vim atque impetum ferendum: longiorem autem obsidionem ferre non poterant, sibi consulere ac se *Alphonso* dedere cogerentur: simul & ad suorum animos confirmandos & ad terrorem hostibus inferendum propius ad illos castra movere constituunt. Ita profectionis signo dato, ad *Fanum Geminiani* quinque millia passuum ab hoste consederunt. Hinc cùm per varias occasiones quotidie ferè levioribus præliis, quibus virium periculum fiebat, decertaretur: quanquam Regiis quò minus liberè oppidanos vexarent (ut superioribus diebus consueverant) nonnihil afferre moræ atque impedimenti *Florentini* videbantur: tamen cùm in dies obsessis essent omnia arctiora, ac nihil illis fore præsidii in suorum adventu ad se tuendos appareret, illis astantibus atque inspicientibus (magno id quidem Reipublicæ dedecore quæ adeò ignavum militem atque infamem alebat) deditionem fecerunt. Jam hyems cum exactis Cal. Novemb. milites tecta atque hyberna spectarent, Duces à cura rerum gerendarum avocare videbatur. Itaque ne magis militum mollitia, quàm eorum flagitium infame esset, quorum imperio parebant: mentione primum à Regiis facta, trium mensium induciæ fiunt, cum decem dierum spatium *Florentinis* datum ad consultandum esset. Turpe quidem & flagitiosum consilium multis est visum, qui durissimo etiam anni tempore, minimè negligendam tantam oblatam occasionem, tamque ad res gerendas idoneam atque opportunam censebant. Quid autem minus agendum erat properantibus ad belli finem, quàm in medio cursu victoriæ consistere, perterritis hostibus quibus adversa omnia ita accidissent, ut de summa rerum desperarent? Nam afferre inducias victis, cùm mora interposita, & reparare vires & instaurare bellum per otium possint, aut eorum est, qui nimium molliter cum hostibus bella gerunt, aut cum hoc perrarò accidat, ut quis inimico velit consultum, cùm data facultas sit illius perdendi: esse indicio videtur, magis ipsos ignavia, quàm vera virtute victos hostes esse: certè quæcunque illa est causa quæ illos moveat qui ad hujusmodi consilium descendunt, ignorantium id uti victoria videtur. At civitas quæ tot jam bellis gerendis affecta, otii atque pacis esset ferè oblita, ubi per induciarum tempus longo intervallo spes illius recuperandæ affulsit: recenti malorum memoria quæ passa erat quæ mox impenderent, conjiciendo, cùm eò esset eorum sensus acerbior, quò magis ex pacis bono quàm essent belli incommoda detestanda intelligebat, palàm jam pacis autores quærebat, & si qui belli mentionem facerent, de quo instaurando jam à principibus agebatur, eos oderat atque aversabatur. Querebantur enim cum exhausti privati tributis conferendis, atque exinanitum Reipublicæ ærarium sumptibus faciundis esset, nullum tamen operæ pretium civitati extare, contrà, adversa illi semper omnia & tristia accidisse. Sive autem inertia & metu, quod mitius malum, minus videretur iniquo animo ferendum: sive scelere eorum atque avaritia, qui rebus gerendis eo bello præfuissent, cùm illis extraordinarii imperii vis, utilitati & compendio esset, militiam habentibus pretio addictam: præter tot oppidorum amissionem, quorum jacturam permagno redimendam censebant, aversos atque alienatos optimos fidelissimosque socios. Quibus rebus ita fœdè ac flagitiosè administratis, vix posset dijudicari, utrum detrimento majore civitas an ignominia & dedecore esset affecta. In castris ferocem militem, in acie imbellem: & cùm majore eundem cupiditate atque avaritia ad prædandum, quàm ad vincendum studio gloriæ: tum magis in eadem ipsa partienda præda contumacem quàm in defendenda adversus hostem constantem. Duces quidem factos ad eorum ingenium, molles atque indulgentes, minus certè quàm æquum esset, suum agnoscentes in protervos atque audaces imperium. Itaque inane esse nobilitatis nomen quod jactent: ut cum illiberales ipsi & sordidi sint, facilè ostendant, nulla se alia re à gregariis militibus quàm majorum imaginibus differre. Cujusmodi autem eorum virtus sit atque in re militari scientia & usus exitum tandem belli declarasse. Prædæ aviditate incensos milites, propè justo prælio atque infestis utrimque signis concurrere passos esse. Mox cùm pugnari cum veris hostibus oporteret, ubi animi vis præsens & robur præstandum esset, abjectis turpiter armis neque eorum expectato adventu, æquè malè partam defensamque prædam, simul cuncta quæ sua essent, terroris & formidinis plenos prædæ reliquisse. Alia nunc consilia videri esse ineunda: & qui bellicas artes non calleant, aut quoniam militiam habeant quæstuosam, neque animos neque vires afferant ad res gerendas pares, iis esse pacem qua fruantur, & se dignum quæstum in urbano otio atque inter mensarios & negotiatores quærendum. Qua re cum satis jam & domesticæ ignaviæ, & externæ virtutis factum periculum, ac magno id quidem Reipublicæ incommodo sit: quod esse reliquum videatur, per pacis autores ac Reipublicæ amantes cives qui minimè sint defuturi, an tantis malis finis ullus reperiri pace concilianda queat, tentandum denique experiundumque esse. Hæc non solum palàm inter privatos, facile libera civitate impunitatem in maledicendo & petulantiam tuente, sed in consiliis publicis & quidem cum *Laurentius* & magistratus adessent, quem unum præcipuè peti apparebat, dicebantur: ut cùm mentionem de bello instaurando facere instituisset: non defuerit, qui illo interpellato, defessam civitatem diceret gerendo bello atque aversam ab aliis consiliis pacem quærere, neque mentionem armorum fieri pati ullo modo posse. Qua in rerum difficultate tanta cùm parum in *Venetis* constitutum præsidii haberent, qui se bello alligari quod privatorum causa susceptum adversus Pontificem contenderent, minimè æquum censebant: in *Sfortia* & pupillo eodem, & domestico ac civili bello implicato magis voluntatem egregiam atque animi propensionem, quàm vires ad se juvandos esse intelligerent, statuerunt omnino, cæteris omissis consiliis, de pace esse agendum. Una erat dubitatio reliqua cum de hoc conveniret, à quo duorum potius pacem peterent, ne quando frustrati sua spe alterum tanquam non prius conventum ubi ei alter prælatus esset, minus æquum facilemque invenirent. Ea brevi disceptatio discussa compressaque

ſaque eſt. Nemo enim dubitabat tametſi cætera paria haberentur, cum in altero belli ſumma, in altero acceſſio eſſet: quin & viribus firmior *Ferdinandus*, & conſtans magis in amicitia & ſocietate tuenda, ſi animum ad pacem inclinaret, non eſſet *Xyſto* præferendus. Nam ut minus etiam de Pontifice dubitarent homine iracundo & peſſimo exemplo in ſumma poteſtate imperii, immoderata ambitione atque animi impotentia abutente: eam eſſe rationem animadvertebant ſocietatis cum eo & fœderis firmandi: ut dubium relinqueretur, quicquid cum eo tranſegiſſent, in alterius Pontificatu quam diu ſtabile eſſet ac firmum futurum. In Principatu enim qui non hæreditario jure, ſed paucorum ſuffragiis, atque ut fors & temeritas ſuadet ſæpius defertur: diverſa ferè hominum ſtudia ſolent voluntateſque animadverti: ut raró admodum acciderit, quod præſens optimam etiam ſequutus rationem inſtituerit, id ut ei qui ſucceſſerit, probatum æquè diu ratumque fuerit. Natura enim hominum id fert, ut magis omnes ſuis ſtudiis: atque adeò iis quæ minus certa ratione poſſunt tueri, quàm alterius inſtitutis tametſi eadem eſſe optima intelligant, parere velint. Sæpe autem videmus accidere, ut cum Pontificatus ac ſummi imperii poteſtas à vehementiore homine ingenio adminiſtretur, omnibus ſemper formidabilis, cum in facienda injuria impunitas & licentia, in declinanda religio tueatur, ingentia mala in Chriſtianam Rempublicam invehat. Qui enim ſemel animum induxit ut injuriam faciat, is cum ad voluntatem facultas lædendi atque impunitas accedit, & ferociam & contumaciam æquè addendo, facere eandem pertinacius perſeverat. In præſtanda fide raró idem conſtans habetur ſi quando illam alteri obſtrinxit, cum ſe legibus ſolutum à quo fidem præſtari oportet, religione impeditum qui illam exigit, & propterea minus audacter ſuum jus perſequi animadvertat. Itaque in Pontificis Maximi amicitia & ſocietate, neque ubi res proſperè ſuccedant, ſunt communia victoriæ præmia, neque belli pericula quæ neceſſario ſubeunda ſunt iis qui arma gerunt, ad eum pertinere videntur, quem tanta opinio hominum & religio in terris tueatur. Omnes enim in gratificando Pontifici pariter, & in eodem ſublevando, ſi quando iis de ſuo jure decedendum ſit, ſuæ religioni ſe & fidei conſulere exiſtimant. His rationibus animis confirmatis, *Laurentium Medicem* cùm autor ipſe ejus ſententiæ eſſet, mittendum legatum ad Regem, qui iratum illius animum placare & conciliare quo ad ejus fieri poſſet civitati conaretur, cenſuerunt. Nam & videbatur magna opus eſſe autoritate, ad animum Regis à Pontificis ſocietate avertendum, qui cum non fœderis religione ſolùm, ſed voluntate & ſtudio etiam conjunctis haberetur: (id autem erat ferè neceſſariò futurum, ubi ille ſibi perſuaderi paſſus eſſet, ut novum fœdus cum *Florentinis* feriret) & cùm is quem unum peti eo bello fama erat, ſe ultrò illius arbitratui permiſiſſet, vix erat dubitandum quin magnitudine animi ac virtute tanta, quantumvis barbarus animus, & deliniri & flecti tandem ad mitiora conſilia & poſtulata æquiora poſſet. At *Laurentius*, nondum ad illum delata legatione, cum ut illuſtrius pietatis in patriam ſtudium oſtentaret, ſuſcipere omnino rem decreviſſet: civitate *Thomæ Soderini* fidei commendata, qui tum *Vexillifer* Reipublicæ præerat, Calendis Decembribus ex urbe proficiſcitur, cùm cauſam ejus adventus omnes ignorarent. Hinc *Piſas* profectus, jam antea ad magiſtratum literis ſcriptis, quibus profectionis ſuæ cauſam ac totius conſilii ſuſcepti rationem explicabat, audit ſibi munus legationis quò majore autoritate rem gereret, mandatum eſſe. Adjectum autem erat

A decretum honorificentiſſimum, ut uni poteſtas fieret, quicquid is eſſe è Republica duxiſſet, ſive fœdus atque amicitiam ineundam, ſive inducias faciendas exiſtimaret, cùm Rege tranſigendi. Per eadem fere tempora, quibus ea *Florentiæ* agebantur: *Ludovicus* & *Aſcanius Sfortia Inſubrum* agros populati *Dertonam*, *Romanorum* olim coloniam, occuparant. Quia verò non eſſe penitus à ſe averſos *Mediolanenſium* animos audiebant, in magnam ſpem venerant, iis ſuo adventu confirmatis, ac ſi qui minus ſuis rebus faverent, largitione & præmio redemptis, fore ut ſuſcepta *Sfortiæ* pueri curatione, non magno negotio Principatum invaderent.

B Adjuvabat plurimum fortuna eorum conſilium. In magna enim caritate annonæ, armata multitudo, ita ut minimè quieturam appareret: autorem modò & ducem quærere ad ſeditionem videbatur: qui ſe à fame atque egeſtate vindicaret. Jam & illud ferebatur, quod in primis exulum cauſæ favebat, *Bonæ* matri & *Simonetæ* cujus conſilia omnia agi exiſtimabantur, magnam à plebe conflatam invidiam: quæ quòd civitas rei frumentariæ anguſtiis laboraret, culpam omnem in illos conferebat. Ita illi magna ſpe incitati, fore ubi propius ad urbem acceſſiſſent, ut à ſuarum partium hominibus ſibi portæ aperirentur, magna

C uſi celeritate *Mediolanum* properabant. Id cum fœmina didiciſſet, quæ ab omni conſilio inops ne quid ſibi durius accideret in magna populi offenſione verebatur: uſa illa quidem ut adeò ſuo adverſo tempore conſilio minimè improbando (quod adducta neceſſitate & tempore erat factura) deferre ultrò *Ludovico* ipſa conſtituit. Quò autem mitius cum illo ageret, eò ſe illum æquiorem habitura arbitrabatur. Hujus conſilii autorem illi fuiſſe ferunt *Antonium Taſſinum Ferrarienſem* quendam, cùm ex humili fortuna traditus uxori ad cubiculi miniſteria à *Galeatio* eſſet, ſive illum ſedulitate & officio, ſive ingenii & morum elegantia, cui rei maximè ad Principum gratiam aditus patet, ſive

D forma conciliatum id quod nonnulli ſuſpicabantur. Brevi autem cum ſe penitus in interiorem illius amicitiam inſinuaſſet, cæteris omnibus dejectis, ob minimè diſſimulata in illum Principis ſtudia, omnia ſuo arbitratu adminiſtrabat. Id cum alii ferebant moleſtè, qui tantam inuri ignominiæ notam *Sfortiæ* familiæ querebantur: tum unus erat *Franciſcus Simoneta*, qui ob ſingularem hominum de illius prudentia opinionem, principem locum inter familiares conſecutus, & hoc minimè æquo animo ferret, & unius hominis invidioſæ potentiæ, palàm fretus ſua autoritate adverſari auderet. Ea ex

E re gravi inter illos æmulatione orta, minimè quidem ex æquo loco, cum in altero vera virtus quæ contemnebatur, in altero fœminæ ſtudium & gratia conſpiceretur, certabatur. At *Taſſinus*, qui hoc non ignorabat, cum aſpiraret ad majorem potentiam, & (quod ſub fœminæ imperio ſperare non poterat) magis eandem firmam & diuturnam: ſemel tanquam loco motum adverſarium arbitratus ſe ubi paulùm admitteretur dejecturum: exules fratres, quorum illi potentiam autoritatemque opponeret, ſtatuit in civitatem eſſe revocandos. Eo confirmato conſilio ita, Principem dolo aggreſſus atque hortatus eſſe dicitur, ut expoſita

F illi temporis iniquitate, quæ ut nova omnino conſilia poſtulare, ita deliberandi moram minimè pati videretur, concitata jam multitudine & armata, inimicis urgentibus, nullo firmiore præſidio in externis auxiliis conſtituto, facilè illi perſuaderet, ut *Ludovicum* & *Aſcanium* propoſita illis impunitate, reducendos, atque ubi vellent, ſibi reconciliandos curaret. Omnino autem ſibi futurum pollicebatur, quod *Ludovicus* ſatis intelligeret illius conſilio & gratia ſe in urbem receptum, minimè eum ſibi tan-

tanto obstrictum beneficio defuturum. Quod quidem ejus consilium, quanquam satis tectum atque occultum haberet, haud satis potuit *Simonetam* celare. Itaque homo prudentissimus, cùm impendentem sibi calamitatem ab exulum reditu prospiceret, id quod postea evenit, *Tassino* prædixisse fertur: *Ludovicum* & *Ascanium* per illius gratiam & studium reditu impetrato, sibi quidem certum exitium: quod tamen fretus optimæ mentis conscientia aliquantò inimicorum opinione levius ferret, sed minimè dubiam ei ignominiam atque exilium, quod omni esset morte illi gravius futurum, si vir modò haberi vellet, allaturum. Quod quidem haud temerè ab illo prædictum brevi rei eventus declaravit. Nam *Ludovicus* simulatque accepta Principis fide, est in urbem receptus, facilè in eum cujus unius consilio & autoritate diu tantus principatus erat administratus, calumnia conficta, & damnari hominem & plecti capite curavit. *Tassinus* cum serò esset expertus, quantumvis parvam injuriam ægrè magno etiam beneficio atque illustri in viro principe obliterari consuevisse: brevi post-ea in exilium pellitur. Id *Bona* Princeps cùm factum contumeliæ suæ causa ægerrimè ferret: tanquam sibi ea injuria non *Tassino* esset illata, irata *Ludovico* & filii tutelam qui illi erat prædæ futurus, & Principatus procurationem reliquit, atque ex *Insubribus* discessit. Jam cum *Laurentius Pisis* magistratus decreto accepto, *Neapolim* vectus longa navi ad legationem obeundam navigasset: præter omnium opinionem, quod civitas per induciarum tempus avocata à belli consiliis minimè hoc sibi esse timendum censebat, *Sergianum* Reipublicæ oppidum ab *Augustino Fregosio* prodentibus (ut ferunt) quibusdam oppidanis, occupatur. Id ad *Macram* fluvium situm, *Lunæ* ruinis crevisse fertur, urbis olim *Hetruriæ* nobilis. Atque oppidum quidem neque soli ubertate neque commercio aut incolarum frequentia celebre quod objectum *Liguribus* veluti propugnaculum, Reipublicæ fines ab ea parte tuebatur, magnopere amissum civitatem perturbavit. Neque verò solum tantum acceptum incommodum ex oppidi opportunissimi amissione homines movebat, sed multò magis etiam causa. Nam omnes ita existimabant quòd adhuc Regius exercitus in Reipublicæ finibus hæreret, non connivente solum *Alphonso* sed clàm etiam adjuvante, oppidum esse ab *Augustino* Reipublicæ interversum. Huic *Florentinorum* suspicioni occurrere cùm non esse planè vanam appareret: suæ dignitatis esse atque existimationis *Alphonsus* arbitrabatur. Itaque nihil sibi reliqui fecit, & literis æquè & legatis ad magistratum mittendis & omnibus aliis rationibus ineundis quibus hanc à se averti suspicionem speraret. Ac quanquam hæc ita ille agebat, *Florentini* tamen maximo metu afficiebantur: & quòd civitas ærarii angustiis laborabat, exhausti jam sumptibus ad bellum faciendis, & quòd *Laurentius* aberat, quem unum maximè ut tantorum malorum autorem, ita etiam vindicem quærebant. Ita cum nemo superesse videretur cujus autoritas, aut præsentibus malis obsisteret aut impendentibus obviam iret, jam penitus tanquam deplorata re, desperandum de communi salute censebant. Nam adversus Regem & Pontificem manebat adhuc integrum bellum, cui diutius gerendo minus pares se esse intelligebant: & cùm jam neque in *Insubribus* (tanta facta commutatione rerum) neque in *Venetis*, his de causis quas superius demonstravimus, quicquam præsidii ostenderetur: erat magnopere verendum, nè *Genuensium* armis tanquam additamenti loco accedentibus ad bellum, Respublica in magnum rerum omnium periculum adduceretur. Una spes his malis solicitis solatio erat, quæ tota esse posita in *Laurentii* prudentia & vir-

A tute videbatur. Nam si is ex Reipublicæ dignitate (quod haud penitus diffidebant) cum Rege transegisset, non dubitabant, quin cætera etiam omnium expectatione mitiora civitati obvenirent. Jam verò ille secunda usus navigatione *Neapolim* appulerat ac civitate omni illius visendi studio excitata, à *Ferdinando* Regia magnificentia & comitate, cum illi *Federicum* filium, magna suorum frequentia comitatum obviam misisset, erat exceptus. Ac cum propius ad urbem accessisset: dicitur illi Rex minimè tanquam privato, qua in re decedere plurimum de suo jure videretur, obviam processisse: cumque ex Regiis equis unus adductus

B esset, quo vectus *Laurentius* unà cum Rege in arcem contenderet, non acutè minus quam salsè & venustè eum perstrinxisse ferunt: tum enim (inquit) sibi equo opus fore, cùm à tanto Rege sibi, facto æquiore pacem impetrasset, quo nuntio suis optatissimo ut citius civitatem impertiret, sibi esset celeritate utendum. Ad celebrem hominis famam ceperat animos tacita quædam admiratio: cum unus is esse diceretur cujus causa perniciosissimum bellum duo potentissimi *Italiæ* Principes patriæ intulissent: tantum autem in eò pietatis studium extitisse, ut animi constantia quadam invicta, cura omni propriæ salutis animo abjecta, ultrò patriæ servan-

C dæ causa, hostium se potestati infestissimorum permisisset. Quanti autem ea res esset æstimanda satis quidem in eo apparere: hostem enim, & quidem hostem acerrimum magnis jam & acceptis & illatis injuriis, subito ex animo simultatis omnis memoria obliterata, dignum illum duxisse, quem omni genere officii complexus atque adeò eadem cum Republica manente causa belli, privatim amicitiæ jure atque hospitii devinctum apud se haberet. Atque post prima illa persoluta humanitatis officia, quæ adeunti primum Regem obeunda erant: cum primo congressu nihil aliud agi placuisset, quàm ut lenocinio orationis & comitate quadam quæ in

D eo virtus dicitur planè Regia fuisse, facilem sibi aditum ad Regis benevolentiam compararet: diem colloquio constituit, quo die remotis arbitris, cum eo ageret de iis quorum causa missus erat. Qui ubi dies advenit ita illum allocutus fertur. Et sapientia tua (Rex) singularis, & animi magnitudo ac moderatio summa, agentem me gravissimis de rebus & maximis magnopere confirmat. Itaque sive ego adverso patriæ meæ tempore abs te pacem petere instituam, facilitate quidem te ac lenitate pari in simultatibus ponendis esse intelligo, cujus nullæ præsertim satis graves causæ extant: sive autem communis salutis causa, id censeam

E mihi esse agendum pari eundem animi prudentia & consilio præditum, non dubito quin æquissimum habeam in communi salute procuranda: qui unus maximè quæ ex præsenti bello impendeant calamitates quasi ex altissima specula longe antea animo prospicias. Nunc cùm ego utrumque agam: & patriæ meæ servandæ causa, cujus rei potestas in te uno summa est, & concordiæ atque otii in *Italia* tuendi, qua in re & de tua dignitate plurimum & de hujus Regni salute agitur, nihil subesse causæ video, cur non ego te mihi hodie magna alacritate animi affuturum putem. Magni hominis est inimicitias ponere: sed quæ tamen in nemine

F cum laude, in Rege vix unquam sine gravi offensione hominum atque invidia esse diuturnæ possunt: amicitiam instituere, inimicitiis positis, perrarò alii possunt, at Rex semper & quidem *Ferdinandus* Rex debet. Quæ enim cum laude fiunt, facere debent semper qui ea agere & possunt & noverunt. Ita nemo facile privatum hominem reprehendet qui condonandis injuriis inimico se difficilem præbeat, meritò idem Regem qui in eo se minus exorari patiatur. Res autem una est quæ ani-

animi magnitudinem requirit, quæ virtus in privato admirationem habet, non habet in Rege laudem. Hujus enim est propria: in altero si adest, datur laudi, æquo animo eadem desideratur. At dignitati semper in agendo debet Rex consulere: quid cum dignitati est adjuncta salus? Pacem abs te *Florentini* petimus, si à Rege quidem certa impetrandi spe, si ab eo qui ut hostis sit se Regem esse obliviscatur (non verebor quæ sentio dicere æquitate summa fretus tua) tantò id laturi levius, quantò magis illum sibi infestum quàm nobis relinquemus. Sed ut minus de hoc dubitem singularis tua virtus facit. Ita autem Regnum fortunæ debes ut virtuti plus debeas, quæ te Regno dignum effinxit. Verùm id à te petimus quod nobis quidem necessarium, tibi salutare maximè futurum contendimus. Ac cum minimè hæc instituta à me oratio sit tui docendi causa, ita autem te patriæ meæ placandi, ut intelligam mihi cum lenissimo eodem Rege & mitissimo ingenio esse agendum: illud tantum modò, si potero, efficiam, ut cum tua sponte sis propensus ad meliora consilia, & quæ pariter probari nobis perspecta intelligas, nihil jam nobis sit in mora, quin pari contentione & studio, ad ea quæ meliora esse animadvertimus, contendamus. Itaque ea pars à me orationis omittetur, quæ aut iracundiæ tuæ in nos sedandæ, aut impetrandæ patriæ saluti esse comparata videatur. Minimè enim est verisimile tantum Regem ulla vi magis orationis permoveri, quàm clementia, æquitate animi, studio gloriæ & laudis: in conservanda præsertim civitate cùm in primis *Italiæ* nobili & clara, tùm (si modò hæc dici præsens nostra fortuna patitur, quæ tamen vera sunt & nemini obscura) cujus multa atque illustria semper in Christianam Rempublicam merita extiterint, & nisi quæ nobis iniqua obsistat & fatalis vis, videantur in posterum futura? Valeat hæc quidem ratio, aut apud homines imperitos, qui sensu magis quam ratione ducuntur, aut apud barbaros animos, qui summi beneficii loco haberi volunt, si flecti se precibus magis ad officium quam causa & ratione patiantur. Apud *Ferdinandum* Regem cum causa & ratio pariter, tum existimatio hominum & fama semper plurimi erit: ita quidem si non illa magis faciendis iis quæ præclara sunt, quam tuendis iisdem & conservandis comparatur. Sed ut hæc tandem omittam: quid minus in præsentia convenire nostris rebus videtur, (communem jam ego causam hanc faciam) quàm eo in bello perstare, in quo æquè & qui victi sunt, & qui vicerunt, cum illinc vires deletæ penitus, hinc affectæ atque extenuatæ fuerint, necesse sit communi inimico & in hujusmodi occasionem servanti integras suas, prædæ relinqui? Duo enim in *Italia* Principes, quorum summa autoritas habetur adversus nos juncti fœdere estis: quibus ita Secunda multa & prospera evenerunt, ut tamen ipsi qui à vobis vincimur, conditione vobis simus paulò deteriores. Nam *Sfortiæ* Principatus in magna tutorum dissensione parum firmus, idem vigilantis hostis & potentis insidiis, quæ tectæ religione fœderis latent, expositus est. Unus *Venetus* Senatus est reliquus: cum integer ipse bello & nostro *Galeatiique* fœdere, satis tutus ab injuria, tum verò ex aliorum tempore ubicunque occasio vocare videatur, paratus semper, non invidiosa magis quam formidabilia omnibus arma inferre. Ac minimè vereor quidem ne quod ego mox sum dicturus, ita excipiatur, quasi à me dictum sit jactantiæ causa (nihil enim minus præsenti nostræ fortunæ videtur convenire) sed tamen si *Veneti* magis suæ fidei consulere, quàm insidiari nostro tempori voluissent: & meliore nunc loco nostræ res essent, & minore cum pudore, certè non ita afflictis & perditis nostris rebus, de

A pace tecum (Rex) ageremus. Sed hoc sanè fuit *Venetorum* consilium, quod ex veteribus ejus civitatis institutis conjici facillimè potest, ut cùm utrique nostrum fessi bello gerendo essemus: ipsi integri succedentes, tanquam jam rerum omnium arbitri constituti sibi gradum atque ascensum ad totius *Italiæ* imperium patefacerent: quod quidem facilè nisi quis Deus maturè eorum ambitioni occurrat, videntur esse facturi. Ac nemini sanè dubium est, quin *Veneti* propter magnitudinem imperii non sint omnibus *Italiæ* Principibus formidabiles. Sed tamen, si quis spectare diligentius rem velit, nulli tamen æquè ac *Ferdinando* Regi timendi esse in *Italia* videntur.

B Ita enim illi superum mare perpetuò infestum suis classibus habent, ut non secus atque *Liburnorum* & *Illyrii* oram, quæ eorum paret imperio, littora *Apuliæ* legant, ac portubus quà modò illis opportunum sit impunè utantur. Quod quidem quam tutum *Neapolitano* Regno sit, non modò in aperto bello, sed in occulta simultate & dubia fide, nemo est ita imperitus rerum quin intelligat. Una est crescendi via hominibus proposita, quæ semper latissimè patuit, ut ex aliorum ruina & casu sibi facto gradu, quò minus possunt suis viribus eniti, ad altiora evehantur. Ita distractis olim per duos populos præ-

C potentes viribus *Græcorum*, *Philippus Amintæ* filius imperium *Græciæ* invasit: & cum hanc ipsam *Græciam* tum *Philippo Demetrii* filio atque *Antiocho* expulso, duo maxima Regna *Macedoniam* & *Syriam*, multasque præterea civitates & provincias nobilissimas specioso titulo populos à Regum dominatione liberandi, suo imperio populus *Romanus* adjunxit. Unius quidem est hodie in terris potentia quam *Asiæ* atque *Europæ* populi omnes perhorrescant: faxit Deus immortalis, illi ulterius ne liceat sua arma atque terminos imperii proferre. At ita quidem per Christianorum Principum dissensiones vires auxit ad hunc diem suas, ut per

D hanc eandem occasionem, defessos illos magnitudine ac diuturnitate bellorum, integris ipse viribus adortus, & nullo eos negotio vincere & sibi stipendiarios facere, ac postremò maximorum Regnorum possessione sibi cedere victos coëgerit. Quam quidem viam ita *Venetos* à parvis profectos initiis & propè contemnendis videmus instituisse, ut nemo jam non intelligat, opulentissimam civitatem & cujus tantum sit terra marique imperium, per urbium *Italiæ* excidia ad tantam potentiam pervenisse. Nam quid de te statuere videantur, levissima illis orta de *Cyprio* Regno suspicio, cui te insimulabant per viduæ Reginæ & filii nuptias

E insidiari, satis fidem facere in præsentia cuivis potest. Nunquam est hominum fida societas, ubi utrimque vires sint pares metuendæ. Quid cum societas nulla, magna animi offensio & simultas intercedat, in altero parum nervorum & roboris, integra & firma in altero omnia habeantur? Quid porrò cum non pax modò sublata inter Principes sed adempta etiam spes omnis pacis sit? An verò fore aliquando speras, ut Pontificis tibi sint ad bellum præsto auxilia futura? Mitto equidem nunc illud quod te minimè præterit: cum eodem bello exhaustæ illius vires, quò afflictæ & debilitatæ tuæ, fractæ penè nostræ & perditæ sunt: ad su-

F bitos casus, qui nunquam hominibus non varii & multi in vita agenda manent, parum præsidii tibi in illo esse statuendum. Quod porrò aliud auxilii genus, aut diuturnum minus, aut magis infirmum videri hoc uno potest? Domone aliunde quæras, illustria tibi ea de re exempla subjiciuntur. Nam Regni tui initio studio partium elati summæ dignitatis & potentiæ homines Regni principes cum à te defecissent: *Joanne Andegavensi* socio, eodem *Aragoniæ* familiæ perpetuo hoste tibi communi

consilio intulerant bellum. Unus autem cujus est summa inter homines autoritas, *Callistus* Pontifex cum ad tantam dignitatem *Alphonsi* Regis patris tui optimi & sapientissimi suffragiis esset evectus, ita Dux tanti belli autorque erat: ut in nullo *Italiæ* Principum propter Pontificis infinitam potestatem tibi quicquam esset præsidii relictum. Atqui invicta virtute & felicitate illa tua, solus adversus vim tantam ausus consistere, tum inimici Pontificis morte consecuta, vincere hostes summa gloria, atque è Regni finibus postremò pellere potuisti? Infirma ferè semper spes est in auxiliis Pontificum, nisi aliæ vires adsint, & dubia futura? cum non illa quidem in Pontificatu, sed in unius hominis vita, atque ejus quidem qui exactæ jam ætatis eam sit dignitatem adeptus, diu consistere haud possit, ut malè ferè semper cum eo agatur, cui non aliunde præterea auxilium suppeditetur. Nam, ut diu spem suam tueatur fortunæ, id est temeritati tribuendum, cujus videtur beneficio is longius vitam proferre. Sed ut rarò fortuna comes hominum studia voluntatesque sequitur, eas præcipuè quæ ad rectum finem vitæ & laudabilem diriguntur, ita sæpius eadem cogitationes nostras & consilia, quæcunque illa finem propositum habeant, frustratur. Quæ quanquam minimè dubitare possum pro tua sapientia non summè tibi esse exploratа, quod in principio statim meæ orationis præfatus sum: quò tamen fœdere nos firmiores amicos tibi fore & socios in posterum pollicear (liceat enim quando ipsi mortales sumus æterna posteris nostris fœdera ominari) ipsi in dicendis pacis conditionibus, tanquam non victi prælio sed bello simus, integram tibi potestatem permittimus. Qua quidem in re cum singularis tuæ virtutis & moderationis fiducia nos magna confirmet, eò te fore æquiorem nostris rebus speramus, quò non id magis adversæ nostræ fortunæ indicium, quàm propensionis & studii significationem, vel ex hac ipsa mea oratione habere animadvertis. His à *Laurentio* expositis, Rex qui minimè ea quæ diceret aut vana esse, aut contemnenda existimaret, cum spatium ad deliberandum sumpsisset, inclinato ad pacem animo quem ad bellum ulterius gerendum vires defecissent, cum *Florentinis* fœdus & societatem, quibus maximè voluit *Laurentius* conditionibus, inivit. Summa autem eorum hæc fuisse fertur: si cui eorum arma inferrentur, milite, pecunia, commeatu perinde ac si de communi re ageretur, inter se juvarent. Quæ *Florentinis* oppida belli tempore essent adèmpta, ea Regi sive restituere illis sive minus vellet: integrum relinqueretur. Id datum gratiæ apparebat, quò *Ferdinandus* tanquam victor æquioribus conditionibus fœdus videretur cum *Florentinis* & pacem sanxisse. Ad hæc convenit, non invito *Laurentio*, quò sibi clementiæ opinionem conciliaret, ut qui è conjuratis *Volaterris* in arce asservabantur (in his erat *Gulielmus Patius* sororis vir) magistratus imperio primo quoque tempore è custodia dimitterentur: tum ut *Alphonso* Duci *Calabrorum* pro impensis in bellum factis, pecunia ad certum tempus descripta, æquis pensionibus solveretur. His conditionibus pace firmata, *Laurentius* ea de re nuntios *Florentiam* præmisit, ut ejus lætitiæ fructum quoniam ipse erat præterea aliquot dies *Neapoli* futurus, multò antea civitas perciperet: simul ut si qui per illius absentiam (id quod jam audiebat) facti insolentiores ad nova consilia spectarent, cum qualis exitus legationis esset accepissent, à suscepto consilio deterrerentur. Nam perinde atque ad certam perniciem *Laurentius* contendisset, ita quidam divinabant, damnata hominitis temeritate, simulatque Regi inconspectum venisset, fore ut in vincula conjectus, id quod multorum memoria *Jacobo Picino* acciderat, à Rege crudelitate infami, & cui omnia sua fide potiora essent, necaretur. Quæ quidem cum à sollicitis de *Laurentii* salute dici appareret: eò tamen spectare videbantur, ut multitudinem desperato rei eventu cujus erat causa profectus, ad nova consilia impellerent. Namque eodem tempore *Florentini* exules & qui in his maximè autoritate valebat *Dietesalvius Neronius*, tantæ oblatæ occasioni non deerant: ac Regem parum officii memorem ubi objecta utilitatis species animum moveret, omni ratione inducere ad *Laurentium* tollendum conabantur. Quibus ille rebus cognitis, cum inimicorum insidias diligentia summa atque industria superasset: voluntate etiam Regis aliquantò maturius, qui ejus captus consuetudine ægrè illum missum faceret, re quidem vera ut si quid novi consilii per illius absentiam iniretur Reipublicæ tempora explorando integra sibi omnia & ad pacem æquè & ad bellum reservaret, discidere omnino constituit: veritus & ipse ne qui novi exorti tumultus, Regis animum dubiæ hominem fidei ab instituta amicitia alienarent. Itaque *Neapoli* pridie Nonarum Martii amplissimis à *Ferdinando* honoribus affectus proficiscitur. Jam cum fama primum, atque eam subsecutæ multorum literæ & nuntii, initum esse novum fœdus inter *Frdinandum* & *Florentinos* affirmarent: & de Rege Pontifex & de *Florentinis* Senatus *Venetus* querebatur. Ita enim superiore fœdere cavebatur, ut novam inire societatem, nisi consultis iis qui vetere fœdere tenerentur, neutri liceret. Itaque non solùm propterea quod secus egisse videbantur quàm per leges fœderis licebat, violatam fidem esse ab illis censebant: sed illud etiam factum querebantur, ut qui bello gerendo socii fuissent (id autem præcipuè ad *Xystum* pertinebat) hi à novi fœderis societate per summam injuriam excluderentur. Horum querelæ *Florentiam* atque expostulationes perlatæ, magnum motum in civitate excitaverunt. Jam enim non deerant qui *Laurentio* parum æqui & calumniari eam pacem ex qua novi hostes Reipublicæ exorirentur & nova consilia agitare parati essent. Hi perfecerunt, ut cùm novi belli metus populo esset injectus, magistratus ne materia seditionis amplius multitudini præberetur (id quod accidere necesse erat, propterea quod conscientia eorum, quæ agebantur, ad plurimos pertinebat) novum consilium constitueret: ita ut cum septuaginta delectorum numero constaret, per eos, multitudine exclusa, de summa rerum decerneretur. Tum legatos ad Senatum *Venetum* legi placuit, quem si à civitate alinatum appareret, diligenter omnibus ejus circumspectis consiliis, ad eas cogitationes suscipiendas, quæ digna ejus gravitate essent, revocarent. Simul alia legatio ad Pontificem decernitur, si qua modò esset reliqua spes iracundum hominem, & cujusvis rei potius quam dignitatis suæ & muneris memorem placandi. Ac quò magis propensa civitas ad pacem videretur, qui eam legationem obirent, amplissimi homines atque honestissimi *Petrus Nasius* & *Antonius Rodulphius* deliguntur, data iis facultate quibuscunque conditionibus visum esset, pacem cum Pontifice faciendi. Non ignoro equidem hæc quemadmodum à me tradita sunt, alios tanquam adversus *Laurentium* facta retulisse. At *Nicolaus Valorius* omnia in eundem autorem, & quidem magna cum illius laude refert. Quin etiam illud ei attribuit, ut non solum foris cura belli, sed domi eodem tempore seditionis gravi metu Rempublicam liberarit. Cùm enim civitas ob immanes sumptus in bellum factos, ita gravi ære alieno laboraret, ut ejus dissolvendi nulla ratio iniri posset, nisi magistratus pecuniam privatis imperaret: jam plebs tumultuari ad mentionem tributi incipiebat. Itaque cum is causam pu-

publicam simul & privatorum suscepisset, magnam tributi curam populo, seditionis metum omnem magistratui ademit: mentione facta hinc de minuendis sumptibus, quos minus necessarios vix posse ferre amplius civitas videbatur, hinc de augendis vectigalibus, cum iis locandis privatorum magis rationem haberi, quam Reipublicæ appareret. Hæc hominis diligentia perfecit, ut & privatis nullo civitatis incommodo graviore ad suum pervenire & magistratui tueri publicam fidem, & iis ipsis qui civitati debebant, cum non facilè essent solvendo, laxiore die impetrata, repræsentare cum fide debitum ad magistratus præscriptum licuerit. Quanquam jam apud omnes pervulgatum esset fœdus Regem cum *Florentinis* icisse: *Alphonsus* tamen adhuc castra in *Senensi* agro habebat, per causam (ut ipse ferebat) sedandi civiles discordias & dissensiones, quæ nunquam in ea civitate defuerunt, & eo tempore nondum tumultu belli sublato gravissimæ exardescere dicebantur. Atque eò quidem res erat adducta, ut postremò communi partium consensu in urbem vocatus, quò de privatorum controversiis, cònstitueret, ac pacem inter diffidentes conciliaret: jam plura etiam sibi sumeret quàm civium libertati expediret. Nam & supplicio afficiendo alios, & in vincula alios conjiciendo, tum multos in varias partes amandando, non *Senensibus* modò, sed *Florentinis* novis sociis in magnam suspicionem civitatis occupandæ venerat. Itaque cum serò illos suscepti consilii, sed nequicquam pœniteret, qui tandem quò amentia & furore essent progressi, non ignorabant: *Florentini*, quò minus illius conatus reprimerent, fœdere impediebantur, quod cum *Ferdinando* patre, cupidissimè ictum, omni sibi studio tuendum censebant. Tantum autem ex ea re metum civitati injectum ferunt, ut veluti esset ventum in rerum omnium discrimen, ita prorsus Regis fidei & voluntati diffisi, de summa rerum desperarent. Ita enim censebant, cum magna atque opulenta civitas (& quod caput est) sita in Reipublicæ finibus, accessio esset *Neapolitani* Regni, quibus viribus se tantæ potentiæ opponerent, planè Reipublicæ defuturum. His curis civitatem solicitam, novi allati nuntii subitò recreatam erexerunt. *Mahometes* enim *Turcarum* Rex iisdem temporibus *Rhodum* classe appulsa, cum se acerrimè *Rhodiis* defendentibus fœdè inde repulsus rejectusque esset: *Achomatem* unum è Regiis Præfectis impigrum atque audacem hominem, acceptam copiarum partem *Apollonia* trajicere *Hydruntem* jusserat, ac maritimam illam oram omnem depopulari: non sine magna opinione, cum deimproviso perterritis incideret, per eam occasionem aliquam ejus Regni partem, cui magnopere imminebat, posse occupari. Ita *Alphonsus* omni alia in præsentia sibi esse omittenda consilia, atque hanc sibi unam curam suscipiendam existimans, magno metu non *Senensibus* magis quam *Florentinis* liberatis inde castra movit. Hinc cum neque dies iter neque noctes intermitteret, peditatu subsequi jusso, cum delectis expeditisque equitum in Regnum contendit: At jam *Achomates* cum classem *Hydruntem* appulisset, quatuor millibus peditum lectissimorum, cum turma equitum expositis, urbem deimproviso adortus expugnavit: atque ad terrorem aliis inferendum direpta eadem & incensa, ad unum omnes ita ut neque ætati neque sexui parceret, interfecit. Hinc quà aditus à mari patebat, ne temerè peti ab ea parte posset, oppido munito: jam valido equitatu quem Regia classis advexerat, instructus, non solùm ad vicina oppida, sed per universum *Salentinorum* agrum, ita ut neque ejus provinciæ intima, & maximè mediterranea, satis tuta ab eorum vi essent, excurrere audebat. Ita cum res quæ quanquam satis magna per se erat, ut major tamen videretur, hostis tanta potentia efficiebat, magnopere *Ferdinandum* movisset: non avocandum modò filium à rebus *Hetruriæ* sed excitandos adversus communem hostem omnes *Italiæ* Principes censuit: ut videretur magno fortunæ beneficio in illius Regnum immissus immanissimus hostis, qui averteret ab *Hetruria* tantam illi impendentem ab regiorum armis atque insidiis ruinam. Nam & *Alphonsus* cum *Senis* exercitum abduceret, in Regnum rediturus, minimè obscurè erat conquestus, fuisse parum semper sibi æquam fortunam: in propinqua spe potiundæ *Hetruriæ*, adeò suo opportuno atque idoneo tempore: nimium sibi tamen adversam reflare visam esse. Hic tantus subitò exortus in *Italia* tumultus, facilè perfecit, ut Pontifex (cum unus omnium maximè abhorreret à pacis consiliis qui esse alii pacis autor deberet) veritus ne diutius tantæ rei invidiam posset sustinere, de pace mentionem facientibus se æquiorem præberet. Qui ejus animus cum minus *Florentinis* obscurus esset: aliam legationem, quando minus ex sententia superioris eventus processerat, longè honorificentissimam decernunt: ex principibus civitatis, qui munere legationis fungerentur, duodecim delectis. Atqui homo ferox, & immiti implacabilique ingenio, ne in remittenda injuria (quod sibi minus fore honorificum putabat) magis causæ quam temporis habuisse rationem videretur: non est passus antea se à legatis adiri, quamdiu per certos homines pacis conditionibus jactatis, invitos illos ad quas maximè vellet, durissimas atque iniquissimas perduxit. Tum victa hominis pertinacia, patientia atque obsequio legatorum: frequenti Patrum concilio iis potestate dicendi facta, unus ex his ita dicitur verba fecisse. Quando nihil minus convenire videtur, quam ut qui veniam victi pacemque petunt, causa cum eo ac ratione pugnent, à quo pax & venia petenda est: brevis sanè nostra oratio est atque explicata futura. Ut autem nulla est satis æqua ratio, quæ in causa etiam optima, adversus parentes liberos tueatur (vindicanda enim horum injuria, nunquam non læditur pietas, cum ubi illa à parentibus proficiscatur, injuriæ semper nomen amittat) ita de eo jure decedimus, quod esse nobis nullum potuit, quamdiu cum Pontifice Maximo, Principe Christianæ Reipublicæ parente omnium qui in hac sanctissima religione censentur, gessimus bellum, atque nostram spem omnem in tua clementia (*Xyste* Pontifex) supplices collocamus. Quæ cum divina virtus in omnibus, Pontificis autem propria maximè sit: si illa omnibus hominum injuriis videri major debet, veniam *Florentini* petimus, non indigni qui illam ab eo impetremus, quem divina lex occurrere ultrò resipiscentibus, quem ignoscere, quem misericordiæ arcem illam quidem munitissimam, quo se recipiant, reserare jubet. Cætera quæ causa suppeditat, consultò omittimus. Ea enim si modo ulla in re nobis præsidio esse possunt, ut levior peccati causa videatur, possunt perficere: minimè inficiamur à nobis peccatum esse. Temporis ratio, concitata multitudo scelere improborum, imposita nobis necessitas (quod miserrimum est in liberis populis) aut dimicandi, aut serviendi, Pontificem nobis quidem æquiorem reddat: ut videamur penitus culpa, carere modò pœnitentibus haud desperanda venia sit, neque ipsi (inquam) quorum hoc maximè interest postulamus. Atque in eo tamen nobiscum agitur præclarè, quod non à judice, cujus nomen animadversionis severitatisque est, jus ullum petimus (quod etiam si esset, nullum agnoscimus) sed à Pontifice Maximo, quod ejus est proprium certumque munus, aut culpæ liberationem:

nem, aut si nos ea magis tua clementia, quam causa liberat, eam ipsam clementiam, lenitatem, misericordiam nobis ut liceat implorare contendimus. Tamdiu autem divinam te in terris gerentem potestatem homines suspicient, quamdiu sceleribus hominum ignoscendo, clementiæ, lenitatis, justitiæ partes præstando, te verè Christi Pontificem esse, vicariumque ostendes. Ita neque causa, cui minimè confidimus, neque ullo nostro adverso tempore (levationem enim aliquam hoc culpæ habet, excusationem non habet) neque alia re ulla superiores, cæteris vincimus. Postulamus ut nobis ignoscatur: sed ab eo hoc quidem qui citius se esse Pontificem obliviscatur, quam ut patiatur à se ignoscendi facilitatem desiderari. At qui id postulamus? miseri, supplices, perditis atque afflictis nostris rebus, & quod caput est, qui & resipiscimus & culpam fatemur. Eo autem in loco supplices manus tendimus, qui amplissimus idem atque augustissimus semper facilis pœnitenti portus ad salutem patuit: cum ea temporis ratio sit, ut una nunc omnium vox exaudiatur Christianos Principes adversus communes hostes excitantium, id quod nullo modo fieri potest, nisi sublatis antea discordiis ac pace ubique constituta. Nam si quid in nobis præsidii ac spei est: mutatione consilii, confisi doloris sensu acerbissimo, & (quo quidem nulla est nostra culpa major, ut maxima illa etiam sit) studio emendandi in posterum acerrimo, atque obliterandi adeò præteritas offensiones, magis te quid Pontificis Maximi persona, quam quid causæ nostræ ratio postulet memorem futurum speramus. Cum ad hunc modum legatus peroraffet: adeò iracundè & acerbè in universam Rempublicam Pontifex dicitur esse invectus, commemorandis iis quæ civitas adversus Pontificiam majestatem fecisse argueretur: nihil ut adhuc de vetere odio & simultate remissum, reditum ita in gratiam constaret, ut datum id tempori non hominibus appareret. Quanquam (inquit) dubitari non posset, quin fracti hominum spiritus atque audacia armis magis quam pœnitendi studio essent, se quidem cui supplicium preces & verba modò, non quo animo pacem à se precarentur, spectandum censeret, veniam se illis daturum: sed ea tamen conditione si animum inducerent, leges victis imponenti (ut æquum esset) nulla exceptione obtemperarent. Nunquam autem illos aut à salute sua longius, aut propius perniciem fuisse, quàm cum majorum vestigiis insistentes, unius hominis, non dignitatis quidem aut salutis tuendæ (mitius enim id malum videri potuisse) sed dominationis constituendæ causa, æquè & perniciosum Reipublicæ & nefarium impiumque bellum, cum Pontifice Maximo gerere essent ausi. Quæ quoniam minus viderent: ut furiosis hominibus & qui capti mente essent, certa victus ratio, quo citius ad sanitatem redirent, constitueretur: eas se illis pacis leges impositurus, quibus aliquando intelligerent, & viribus quibus maximè subnixi insolescerent, & libertate, quæ esse charissima hominibus deberet, non adversus Christianæ Reipublicæ moderatorem, quem illi fracta armis ferocia, parentum communem omnium agnoscerent, sed pro religione sanctissima, pro salute populorum, pro pace & concordia *Italiæ* sibi esse utendum. Namque & in eo illos magnopere falli, qui peccandi impunitatem & licentiam qua elati superbiant, tanti sibi faciendam putent: cum iidem non videant, libertatis præmium sibi, quam unius potestati atque imperio habeant addictam, hanc eandem impunitatem & licentiam esse. Facilè autem intelligi posse, non eos liberos esse, quòd quæ velint impunè agant: sed quod gratis servire non queant, hanc illis mercedem à superbissimis domnis esse constitutam: opi-

A mam illam quidem quando libidinem peccandi quam improbi modò quærant communi habeant libertate potiorem. Quæ sanè eò se libentius commemorare: quò magis etiam intelligant, non omnino illos sua opinione falsos esse, qui in principio suæ orationis parentis sibi personam imposuerint. Nam & parentis se & quidem parentis lenissimi munere in præsentia fungi, qui liberorum proterviæ & contumaciæ oblitus, non ferro domandam sibi eorum ferociam, sed verbis comprimendam esse statuerit. Itaque se illos magnopere (quod eorum in primis interesset) monitos velle, operam in posterum darent, ne per eorum audaciam atque insolentiam, victa sua lenitate, qua il-
B li diutius, quàm æquum esset, abusi viderentur, sibi ad ferrum esset & ad arma redeundum: quod in morbis gravioribus usu veniret, quibus cum lenior curatio minus procederet, remedia adhiberentur acriora. His dictis, curavit fœderis conditiones, palàm atque omnibus audientibus recitandas, quibus (etsi ea de re facta adhuc mentio nulla erat) tanquam non adhuc satis sævitum esset, addi præter omnium expectationem imperavit, ut *Thracio* bello, quamdiu hostis in *Italia* maneret, quindecim longas naves armandas suo sumptu, ac statim *Ferdinando* Regi mittendas quò illi usui ad
C propulsandam vim belli essent, curarent. Quod quidem durissimum civitati onus & gravissimum futurum, cum neque studio, neque gratia, neque precibus ullis, neque gravissimis denique calamitatibus commemorandis, quibus afflicta Respublica ac perdita penè esset, ut demeretur de cæteris conditionibus pacis, impetrare legati potuissent: missus postea *Guidantonius Vespucius*, qui functus legatione ad *Ludovicum* Regem iisdem fortè diebus redierat, sive jam dies hominem, sive preces amicorum placassent, sive cum deferbuisset animi vis atque iracundia sua sponte collecto animo, hoc sibi esse agendum statuisset, & hoc ipsum facile,
D & multa præterea quæ reconciliati animi signa illustria haberent, impetravit. Ita ubique constituta pace, *Florentini* tempore *Ferdinandi* observato, eum quamdiu liceret, quando nullo neque officio, neque religione quam nullam agnoscebat, movebatur, ad æquiores omnino pacis conditiones perducere constituerunt. Ac minimè frustrati sua spe, ab eo quanquam & tergiversante & invito, oppida per belli tempus Reipublicæ adempta extorsere: cum id illis quanquam integra res illius arbitratui permissa esset, minimè negare suo adeo adverso tempore auderet. Nam cum ea *Al-*
E *phonsus* impositis in singulis præsidiis *Senensium* fidei commisisset: quos minimè omnium æquos *Florentinis* defensuros adversus eorum vim omnem sperabat: militem inde abducere ad bellum coactus, quamdiu spes erat ea accipi beneficii loco, petentibus non invitus concessit. Verebatur autem ne per causam eorum recipiendorum, inducto exercitu in *Senensium* agrum, transitu eos prohiberent, qui aut à Pontifice Maximo, aut ab aliis *Italiæ* Principibus posito sibi in tanto rerum omnium discrimine, auxilio mitterentur: ut *Florentini* quidem id non illius fidei magis quàm tempori, cui erat serviendum, acceptum referrent. Ita receptis oppidis, jam omnis adempta materia videbatur,
F *Laurentii* adversariis illius laudi obtrectandi. Tanquam enim & bellum pariter illius culpa malè gestum, & iniquis conditionibus parta pax esset: ita belli tempore in magnum discrimen illum civitatem conjecisse amittendæ libertatis, & per induciarum tempus, quò sibi modò à periculo caveret (quæ hæc illum cura una urgebat) patriam Regi avarissimo & crudelissimo addixisse querebantur. Nunc cum hic rerum exitus, magis fortunæ beneficio, quam Regis voluntate aut cujusquam consilio

filio eſſet conſecutus: læta multitudo, unum *Laurentium* tanquam divinum quendam hominem & delapſum è cœlo, tantarum rerum autorem admirabatur: cum quidem nemo dubitaret non eundem deterrima conditione, quando caſus magis & temeritas qualis eſſet illius conſilii eventus, quam ratio ulla oſtendiſſet, calumniæ atque obtrectationi inimicorum amplam fuiſſe materiam præbiturum. Qua re non ſolum, quæ verè illius prudentiæ erant aſcribenda, ſed quæ fors temerè objecerat, illi laudi vertebant, cum finem rei geſtæ magis homines imperiti, quàm rationem & modum in agendo ſpectarent, qui in fœdo etiam rerum eventu, temerariis conſiliis debet atque incœptis anteferri, cum ea lætum finem conſequantur. Quæ dum *Florentiæ* ad hunc modum geruntur: in *Salentinis Achomates* magno terrore jam non ſolùm vicinis populis, ſed univerſæ *Italiæ* illato, crebris ex *Thracia* nunciis certior fit, *Mahometem* mortuum, ac *Gemem* & *Bajacetem* ab eo liberos relictos de Principatus ſucceſſione inter ſe armis decertare. Itaque ne difficillimo tempore, magnæ vir autoritatis & potentiæ abeſſet, pactus cum *Ferdinando*, ut recepta *Hydrunte*, ſe abire inde incolumen cum ſuis pateretur, nactus idoneam tempeſtatem ex *Italia* ſolvit: cum metu quidem ingenti Regem, cæteroſque *Italiæ* Principes ad quos *Ferdinando* victo, ejus belli flamma tanquam continenti incendio perventura videbatur, falſa omnium expectatione liberaſſet. Etſi autem belli principia fuerant minimè contemnenda, capta & direpta nobiliſſima urbe, & quæ ad claſſes recipiendas peropportuna videbatur: progreſſus tamen & multò magis exitus belli, ubi ſibi eò viribus majoribus incumbendum hoſtis ſtatuiſſet, timebatur: cum ille nunquam non ad internecionem gereret bella. Erat per id temporis ita univerſa *Italia* diviſa, ut alii Pontificem Maximum & Senatum *Venetum*, qui jam fœdere coierant, cum quibus *Genuenſes* & *Senenſes* aliæque *Italiæ* civitates ſentiebant: aliæ *Ferdinandum*, *Florentinos*, *Ludovicum Sfortiam* cum is unus in *Inſubribus*, ejecta *Bona Galeatii* matre, imperium moderaretur fœderis principes ſequebantur. Quo quidem in ſtatu cum res eſſent, *Veneti* bellum quod diu animis agitaverant, *Herculi Ferrarienſium* Duci intulerunt. Querebantur enim cum Senatus beneficio, quicquid à *Rhodigio* oppido, intra *Padum* amnem & *Ferrariam* pateret, qui ager latiſſimus erat, ea lege poſſideret, ut & ſale *Venetorum* importato certo vectigali perſoluto uteretur: & à Republica miſſum magiſtratum ad jus dicendum acciperet, quem *Prodominum* appellabant utrumque illum in præſentia facere recuſare. Totius autem ſumma in eo vertebatur: ut cum *Hercules* contenderet, certum vectigali pendendo tempus ac magiſtratui accipiendo eſſe præfinitum, cujus jam dies abiiſſet: *Veneti* contrà ita jus civitatis tuerentur, ut dicerent, quamdiu is in poſſeſſione ejus agri hæreret ſtandum illi iiſdem conditionibus eſſe, quibus in principio inter eos conveniſſet. Quæ gravis controverſia cum minui nulla alia ratione poſſet atque omnino *Hercules* qui in poſſeſſione maneret ſe fœderis conditiones, quemadmodum Senatus poſtulabat, ſervaturum negaret: *Veneti* qui pertinere hoc ad civitatis exiſtimationem cenſebant, cum aliam omnem diſceptationem ſuſcipi fruſtra appareret, quæ æquo jure definiretur, bellum illi inferre, ac publicum jus tueri armis conſtituerunt. Quo probato conſilio, *Rubortum Sanſeverinatem*, qui jam ex *Inſubribus Ludovico* iratus deceſſerat, *Genua* evocatum copiarum Reipublicæ imperatorem legunt, juſſis cæteris exercitus Ducibus, milites ſummo ſtudio conſcribere, ita uti ad certam diem præſto euntibus ad bellum eſſent. Iiſdem

A temporibus Senatus *Hieronymum Riarium* in urbem magnificentiſſimo apparatu excepit, ac ne qua in re ſibi quicquam reliqui faceret, quæ pertinere ad illius honorem videretur, & civitate & jure ferendi ſuffragii, qui honos apud illos habetur ampliſſimus, donavit. Hic tantus *Venetorum* apparatus ſuſpicioſam civitatem magnopere movit, de Pontificis fide ſolicitam quem ſemper pro temporis ratione & rerum ſuarum, conſilia capturum non ignorabat. Magna autem hominum pars vereri videbatur, ne multò gravius bellum, & Reipublicæ pernicioſius per belli *Ferrarienſis* occaſionem & Pontiſex æquè & Senatus novo illi fœdere junctus
B agitaret. Ita ſummo ſtudio, pecunias cogere, commeatus expedire, delectum militum habere, atque oppida præſidiis firmare inſtituunt, *Conſtantio Piſaurentium* Regulo qui copiis Reipublicæ præeſſet, delecto. Atque eodem tempore *Ludovicus Sfortia* qui in novo occupato Principatu ſibi omnia eſſe timenda exiſtimaret: facto à *Venetis* initio belli qui *Inſubribus* confinia oppida permulta & munita habebant: *Federicum Urbinatium* Ducem cui bellicæ rei adminiſtrationem mandaverat, copias ad fines *Venetorum* adducere, atque adverſus eorum vim, ſi quam parent inferre, ac defendere vicinas urbes diligenter jubet. Utcunque autem
C *Veneti* gerere bellum cum *Ferrarienſi* ſtatuiſſent: minimè expedire judicabat, ab ulla parte ſuos præſidiis nudatos, occaſionem eos invadendi armatis præbere. At *Ferdinandus* præter cæteras cauſas quibus *Ludovicus* & *Florentini* movebantur, ob novam initam cum his amicitiam & ſocietatem quod ita ſe non contemptum modò ſed proditum etiam crederet, magnopere ſe Pontificem offendiſſe intelligebat. Itaque cùm nihil ab illo præclari ſibi expectandum ſciret, ſatis illius conſiliis ſuperiore bello & rationibus exploratis: ut certiora omnia de illius in ſe animo haberet, ſimul ut cognoſceret, utrum *Veneti* de illius ſententia bel-
D lum *Herculi* inferrent, *Alphonſum* filium juſſum exercitum conſcribere in *Apuliam* præmittit. Quicquid autem ea de re ſtatuiſſe Pontificem comperiat, imperat ut genero poſito in gravi diſcrimine adverſus *Venetos* opem ferat. Is cùm ad *Truentum* amnem anteceſſiſſet, quo *Neapolitani* Regni fines à Pontificis ditione diſcriminantur, præmiſſis ad illum nuntiis, poſtulabat, ut per illius fines traducere copias liceret, quibus ſororis viro auxilio eſſet: qui ſi liberum ſibi tranſitum daret, ſine ullo maleficio ſe iter facturum per illius provinciam pollicebatur. Ubi neque ſibi facultatem dari itineris faciundi, ab inimico & irato neque quicquam
E poſſe impetrari æqui animadvertit, quod minus illius voluntate licebat, vi & armis tentare conſtituit: *Florentinis* ad bellum illi inferendum excitatis. Id autem facilè ſe effecturum ſperabat, non ignarus parum bona fide cum eo reditum in gratiam eſſe. Implicatum autem domeſtico bello non dubitabat quin à novis conſiliis deterritus, ſuis rebus conſulere atque à *Veneto* bello abeſſe cogeretur. Id autem ſi aſſequeretur, plurimum profectum ad totius belli ſummam, quod erat gerendum, credebat. Interea *Veneti* ubique *Ferrarienſem* agrum depopulati. *Ficarolum* parvum oppidum, ſed maximè ad cætera belli exequenda op-
F portunum, ſæpe fruſtra expugnare adorti, quòd egregiè opere munitum erat, magno *Herculis* metu obſidebant. Qua re crebris ad *Alphonſum* nuntiis mittendis, eum orare obteſtarique non deſiſtebat, ut omiſſa in præſentia cura *Romani* belli, quod jam ille minimè obſcurè moliebatur, perditis propè ac profligatis ſuis rebus ferre opem ne cunctaretur. Non minus enim id ad Regni *Neapolitani* ſecuritatem pertinere quàm ad ſuorum ſalutem docebat. Cui autem dubium videri, ubi

 illi

illi civitate opportuniſſima, ac latiſſimo & uberrimo agro augerentur, quin aut à ſupero mari *Apulorum* & *Salentinorum* urbes, aut per *Apennini* juga in *Hetruriam* ſibi aditu aperto, *Florentinæ* Reipublicæ oppida ſuo arbitratu adorirentur? Id illos facilè adjutore ac ſocio Pontifice Maximo, malè ſemper in eam civitatem animato (utinam non hortatore atque impulſore) effecturos. At jam in *Latium Alphonſus* progreſſus, ſibi *Columnenſes* ſocios ad bellum adjunxerat, Pontifici infenſos, quod is ſibi *Urſinos* defendendos adverſariarum partium principes ſuſceperat. His auxiliis auctus, latè belli terrore fuſo, jam Urbi univerſum agrum *Romanum* populatus, vicis caſtelliſque omnibus aut vaſtatis aut incenſis quæ deditioni facerent moram, imminebat. Quæ dum ab illo geruntur, *Florentini* in *Tifernates* copiis ductis, qui haud meliore fide cum *Xyſto* in gratiam redierant, *Laurentio Vitellio* ejecto, urbis imperium *Nicolao* tradiderant. Quibus malis ſubitò Pontifex oppreſſus, cum ad omnia incommoda ſibi præſtandum invictum animum cenſeret, & dignitati quam gerebat parem, minimè ſuccubuit. Itaque capto à virtute animi conſilio, *Rubertum Malateſtam* clarum militiæ gloria hominem, qui adverſus *Alphonſum* rem gereret, ſuis copiis præfecit, atque ire confeſtim obviam advenienti juſſit: cohortatus ut memor ejus diei quo illi die & Principis omnium Urbis & Pontificis Maximi tuendi adverſus impia arma cura tradita eſſet: tanto munere dignas cogitationes ſuſcipere & tueri ante partam gloriam virtute & magnitudine animi vellet: hinc decedentem ab urbe & lætis ominibus & ſpe ingentium præmiorum proſequutus, delectum militum urbanorum habere inſtituit, quos in ſupplementum ad ſubitos caſus *Ruberto* mitteret, atque interim eſſe urbis præſidio juberet. In hoc bello cum jam ſenſim hominibus, ut fit longo rerum uſu, apparere cœpiſſet, quam præpoſtera eſſet belli adminiſtrandi ratio, ubi quicquid virium & roboris eſſet in equitatu, exiguus peditum numerus haberetur: dicitur *Rubertus* Pontifici perſuaſiſſe, ut novo inſtituto, vires omnes ad bellum & nervos in peditatu conſtitueret. Id fieri debere ratione docuit, & veterum autoritate, qui belli artes omnes multò præclarius (quod magnitudo rerum ab illis geſtarum comprobaret) quam noſtri homines, calluiſſent. Cùm ſatis omnibus rebus ad bellum inſtructus, neque equitatu eſſe *Alphonſo* inferior quem admixtis *Græcis* ſagittariis firmiſſimum paraverat, & aliquanto ſuperior peditatu eſſe *Rubertus* videretur, ire audacter obviam hoſti pergit. Erant in illius exercitu nobiliſſimi juvenum ſequuti illum ad bellum voluntarii qui ignominioſum nomini *Romano* ducebant, hoſtes propè in eorum conſpectu prædas agere, atque impunè ad urbis portas infeſta ſigna inferre audere. Eorum forti atque egregia opera *Rubertus* eo bello dicitur uſus eſſe. Cum *Alphonſus* vaſtando prædandoque terrore omnia & formidine impleret: jam urbani homines atque ii in primis, qui ambitione adducti & ſtudio honorum aulam ſequuntur, ut ſunt homines molliores, & minimè apti ad belli incommoda toleranda, de relinquenda urbe conſilia agitabant. Quod cum *Rubertus* minimè ignoraret, ne quid mollius ex ſua cunctatione & mora ſtatueretur: ad metum urbanorum tollendum, ſimul ad hoſtium minuendam audaciam, quadrato agmine propius ad illos contendit: planè obfirmato animo ubi primum illis in conſpectum veniret, cum iis manus conſerere. Hoc animo cum eſſet, in agrum *Veliternum* quò ſe *Alphonſus* receperat copiis ductis, altero à caſtris hoſtium milliario plano atque aperto loco conſedit. *Alphonſum* illius ſubito adventu oppreſſum *Federici* fratris adventus præterea ſolicitum habebat, quem fama erat propediem cum novis auxiliis affuturum. Eo autem abſente, minimè virium faciendum periculum videbatur. Cum aut turpiter ſibi eſſe fugiendum minimeque pro vetere fama & gloria belli, aut magno ſuo ſuorumque periculo dimicandum intelligeret: ne quid minus ſe dignum & patre Rege admiſiſſe videretur, pugnare conſtituit. Ita deliberata re ac concione advocata, ad hunc modum ſuos dicitur hortatus eſſe. Cum vos veteranos & ſemper victores adverſus novum militem pugnaturos animadverto, & qui ex delectibus urbanis, quod contemptiſſimum genus hominum eſt, tumultus cauſa ſcriptus nunc primum adverſus armatum hoſtem in aciem prodit, paucis vos mihi cohortandos eſſe intelligo. Nulla eſt ſcientia rei militaris in eo, nullus uſus: ad primum hoſtium concurſum, abjectis armis, terga vertet. Itaque jam adeſſe vobis optatum diem, animadvertitis ut quod ſemper glorioſum vobis apud poſteros futurum ſit, parta de hoſtibus victoria (qua de re cum veſtram habeam perſpectam atque exploratam virtutem minimè dubitare poſſum) *Romam* Principem olim totius orbis terrarum urbem, ſacerdotum luxuria, otio, languore, deſidia perditam prædæ habeatis, præmium honeſtiſſimum vobis atque uberrimum, pro tot militæ laboribus propoſitum, quibus ſuperiores annos me Duce atque imperatore, functi eſtis. Futurum brevi eſt, ut ſcelerum humanorum vindex divina vis, ſacerdotum contaminatos mores, pium vobis & juſtum gerentibus bellum, è Chriſtiana Republica tollat, quæ eorum flagitio & ſcelere jam apud exteras gentes gravi ignominiæ labe & turpitudinis nota infamis, priſcum omne decus, exiſtimationem, dignitatem amiſit. Quid vero eſt quod magis à Pontifice abſit, quam bellum, vis, arma, caſtra, acies, vulnera, cædes, populationes, incendia, urbium excidia, everſiones? Scilicet hæ ſunt eorum partes qui Chriſti perſonam in terris gerunt, pacis autoris, ut bella, diſcordias, diſſenſiones inter Reges Chriſtianos & Principes ſerant. Quicquid cladium unquam, quicquid malorum, quicquid calamitatum *Italia* paſſa eſt, id omne in Pontifices *Romanos* autores eſt referendum: ex quo illi tempore deſciſcentes à ſanctiſſimis Chriſti inſtitutis, cupiditati, avaritiæ, ambitioni ſervire cœperunt. Abutuntur enim divina poteſtate ad ſuos vindicandos è ſordibus, & ad honores atque extraordinaria imperia efferendos, quò nulla virtutis, probitatis, pudoris commendatione evehantur. Itaque hoc modò ſpectant ut in Pontificis Maximi ſella, ſublimi illo quidem & celſo loco, è luto & cœno emergentes homines, quò triumphum agens de virtute fortuna ſpectetur, conſpiciantur. Quæ cum vobis eſſe perſpecta ſciam, minimè dubitare poſſum, quin vires vobis pro cauſa juſtiſſima pugnantibus, animi robur, vis, audacia adverſus hoſtem inertiſſimum augeantur. Hac oratione militum animis confirmatis, illos è caſtris eduxit: eo conſilio ut pugnare volentibus facultas ne deeſſet. At *Rubertus*, qui minimè arbitratus eſſet, fore ſibi hoſtis temeritate ullam dimicandi facultatem: ubi acie directa præter ſuam ſpem paratum ad pugnandum animadvertit: quod minus per militum clamorem, qui pugnæ ſignum poſcebant, exaudiri illius oratio poterat, tantum admonitis, ut adverſus impios hoſtes qui Pontificem ſanctiſſimum & pro Chriſti cauſa arma gerentem, ultrò oppugnatum veniſſent, alacritate & præſentia animi uterentur: patriæ memores, atque eorum quæ in patria chariſſima ſunt, conjugum ac liberorum in hoſtem ſignis converſis ac clamore ſublato inire prælium jubet. Pugnatum acriter utrimque eſt uſque ad meridiem, cum neutrò victoria inclinaret: qua re *Rubertus* accepta, quà conferta magis ho-

hostium acie suos premi animadvertit, cuneo facto irrumpit, ac jussis ubique aliis in directos & stantes impetum facere, tandem eos loco movit, ac postremò cum audacius signa inferentes sustinere non possent, in fugam conjecit: cum minimè *Alphonsus* dissimularet, non se victum magis militum virtute & peritia rei militaris, quàm robore peditum & numerò, quorum producta acies latiore spatio suos à latere aperto circuire atque equitatus usum suis inutilem facere potuerat. Pugna maximè memorabilis pro eorum temporum ratione dicitur fuisse, utrimque ad mille desideratis, quæ tum magna clades habebatur. Captivorum numerus major fuit atque in his, qui magnæ homines nobilitatis, *Alphonsum* gloriæ causa sequuti ad bellum erant. Ipse tectus *Turcarum* præsidio, quibus per varias occasiones à suis ad *Hydruntem* relictis, erat usus eo in bello voluntariis, ægrè evasit. Hanc *Rubertus* adeptus victoriam in urbem triumphanti similis est invectus: cum mulierum ac virorum turba ingens illi obviam prodiisset: patriaque illius virtute & felicitate servata, lætum illi militibusque ejus adventum gratularentur. Atque ejus lætitiæ fructus illi quidem brevis fuisse fertur. Nam cum (ut erat pugnandi labore fessus) in magna atque ardenti siti se immoderatius aqua explevisset: dysenteriæ morbo correptus in febrem incidit, quæ levis visa & contemnenda morbi initio, postremò eum magis Pontificis quam suorum opportuno tempore extinxit. Mortuum illum grata civitas extulit, cum nullo genere honoris abstinuisset, qui haberi summo homini poterat, & cujus merita illustria ac recentia essent. At Pontifex tanta victoria elatus, in eo verti rem existimabat, si quemadmodum hostes vicerat, ita præclarè parta victoria, nihil de summa industria & celeritate remittendo, uteretur. Eo animo cum esset, *Hieronymum Riarium*, iis copiis illi attributis quibus paulò antea *Rubertus* præfuerat, ire in *Tifernates* adversus *Nicolaum Vitellium* & *Florentinos* jubet. Plurimum verò ad summam rerum pertinere arbitrabatur *Nicolaum Tiferno* pellere acerrimum hostem & magnæ autoritatis & potentiæ. Sed aliæ opportunitates in eo consilio inerant, minimè contemnendæ. Neque enim id solùm spectabatur, ut inimico pulso, civitas in fide ac per eam in suorum potestatem redactam, universa *Umbria* contineretur: sed magna ostentabatur spes *Arimino* potiundi; quæ urbs post *Ruberti* mortem nullo satis valido præsidio munita, relicta erat in fœminæ tutela. Tantæ infamiæ tegendæ certa ratio Pontifici non deerat, quæ magna & gravis subesse videbatur, recenti meriti memoria quod adeò illius opportuno tempore insigne in illum *Rubertus* atque illustre constituerat. Infinitæ enim cupiditati jus Pontifici imperii obtendebatur, cum vindicandæ *Flaminiæ* urbes à *Tyrannis* viderentur, quæ jam à *Caroli* Magni tempore *Gallorum* Regis post devictos ab eo *Longobardos Romano* Pontifici adjudicatæ essent. Causa verior alia erat: *Tiferno* enim recepta, atque urbis imperio *Laurentio Vitellio* tradito: convenerat, ut is in *Flaminiam* per *Apenninum* profectus, *Ariminum* occuparet, cujus civitatis Principatu augere *Hieronymum Riarium* constituerat. Magna quidem hominum suspicio fuit, quò res facilius mortuo *Ruberto*, transigeretur, ætate illum & viribus vigentem, non minore invidia quàm totius *Italiæ* incommodo veneno ab ingrato Pontifice sublatum esse.

[A] Nam *Rubertus* relictum parvum filium hæredem Principatus, ita uxoris fidei commendaverat, ut cum nullius præsidio majore niteretur, omnino confideret Pontificem de quo ita esset meritus, si quid durius puero accideret, illius defendendi curam adversus vim omnem atque insidias susceptu-rum. Hac usus Pontifex occasione sive illam quæsisset scelere, sive temerè oblatam non esse sibi negligendam censuisset, ex ejus urbis possessione non magno negotio se & fœminam & puerum ejicere sperabat. In altero enim ætas, sexus in altera contemnebatur, quæ imbecilla ad tantam vim tempestatis subeundam qua subitò oppressa & circumventa
[B] erat, neminem habebat, cujus illam virtute prudentiaque moderaretur. Usa tamen (ut in subita atque improvisa re) non malo consilio, ad *Florentinos* atque ad *Laurentium* confugere constituit: quos quidem Pontificis consilia circumspicientes, minimè passuros credebat, ut ex filii calamitate & ruina *Riarii* vires augerentur: quod erat verisimile futurum si ille ad cæteram potentiam, maritimam urbem, & in primis *Flaminiæ* opportunam suo imperio adjunxisset. Itaque illa postulabat, cum in obsecrationem & preces conversa magnopere omnium animos moveret, ut parvum filium ab iis proditum à quibus magis eum defen-
[C] sum oportebat receptum in fidem ab injuria & maleficio publica autoritate tuerentur. Se tanto viro orbatam, in contento cursu gloriæ hominum expectationem virtute præcurrente, adeò gravi casu & inexpectato afflictam, si qua filio calamitas nova incidisset, in uno se *Romano* Pontifice perfugium omne & solatium fuisse quæsituram. Si enim ulla animi religione moverentur ad quem magis accedere supplicem debuisse, quam ad Principem religionis, Christianæ sanctimoniæ moderatorem, cui uni misericordiæ partes, justitiæ, æquitatis tuendæ inter homines impositæ essent? Si ulla benefi-cii recordatione, si recentis meriti memoria, à quo
[D] certius sibi præsidium suis rebus afflictis fuisse expectandum? Cum nulla fides, nulla officii religio nulla existimationis & nominis jactura objecta à cupiditate animum atque à scelere deterreret: commendare se filii salutem eorum fidei, quos si minus majorum virtus probaret summo studio semper fidem, jus, officium coluisse, at illud in præsentia satis declararet, cum adeò immanem & barbarum hominem, perpetuò saluti suorum & libertati infestum habuissent. Non vereri autem illos debere, quin si adeò adverso suo casu infirmam pueri ætatem regendam susciperent, magnum atque uberem sui judicii fructum essent percepturi. Cognitis ejus
[E] postulatis, *Florentini*, minimè sibi esse negligendas nobilissimæ fœminæ injurias arbitrantur: non solùm quod digna per se res videbatur, quæ à quovis opem atque auxilium impetraret: sed quod ad summam Rempublicam pertinere judicabant, ut *Hieronymo* se opponerent, quem si ex pueri oppressione, vires augere paterentur, ubi id illi ex sententia succederet minimè quieturum, sed de invadenda etiam *Hetruria* cogitaturum censebant. Ita cùm validam militum manum comparatam *Vitellio* subsidio in *Umbriam* misissent: facilè conatus omnes ejus irritos fecerunt: magno metu cum *Vitellio*, tum fœmina in primis liberata, cui magis infesta Pontificis cupiditas & *Hieronymi*, in sui & filii contemptione erat.



JO-

JOANNIS MICHAELIS BRUTI HISTORIÆ FLORENTINÆ

LIBER OCTAVUS.



Dum ea in *Hetruria* atque in *Umbria* geruntur, *Veneti Ficarolo* occupato, jam exercitum *Padum* traduxerant magnamque in spem venerant brevi *Ferraria* diligentia usi & celeritate potiundi. *Federicus* enim, quem unum *Hercules* missum sibi à *Ludovico* genero auxilio, summæ totius belli gerendi præfecerat, cum in adversam valetudinem incidisset, *Bononiam* lectica delatus decesserat, Accidit magno id *Herculis* & *Fœderatorum* incommodo, qui per unius hominis amissionem, in cujus summa virtute & consilio spem omnem conficiendi belli positam habebat, in desperationem etiam consequendæ victoriæ venissent. Quæ res cum ita esse *Ferdinandus* & *Florentini*, qui invisam *Venetorum* potentiam, atque opes habebant: omnia sibi esset agenda statuerunt quò properantibus ad belli finem minimè dubiam victoriam è manibus extorquerent. Quicquid autem incommodi eo bello *Herculi* accidisset, id omne pertinere ad omnes *Italiæ* Principes censebant, quorum arbitri *Veneti* futuri ea parta victoria videbantur. Cujus illos obtinendæ spe ita se depellere posse sperabant, si avocatum Pontificem ab eorum societate, ad novum fœdus cum cæteris ineundum inducerent. Id facile se assequi posse sperabant, novi concilii metu injiciendo, quod unum telum acerrimum Christiani Principes habent reliquum, quod in *Romanum* Pontificem intendant. Opportunè autem tum *Basileæ* indictum iri fama erat, ut minimè vana eorum ostentatio facilè eum posse abducere à suscepto consilio videretur. Cum ad ea quæ ipsi excogitasent, Cæsaris legati qui tum fortè *Romæ* aderant, suam autoritatem interposuissent, tandem de pace cogitare atque *Italiæ* quieti, atque otio prospicere (quam quidem rem agi videri volebant) est coactus. Ita præter *Venetos* qui non antea arma ponere statuissent quàm *Herculem* stare conventis, quicquid cæteri adversus illos conspirarent, coëgissent: pax inter omnes *Italiæ* Principes, ita ut communi consensu bello *Venetis* illato eos à *Ferraria* averterent, conciliata novo inito fœdere est. Ac Senatui quidem potestas fiebat, fœdus cum cæteris intra certam diem faciendi, ea tamen lege, ut omnino *Hercule* & *Ferraria* abstineret. His ita constitutis, Pontifex, quod eas esse suas partes ducebat, illos primo quoque tempore ex agro *Ferrariensi* excedere atque ob omni in *Herculem* injuria & maleficio sibi in posterum temperare jubet. At *Veneti* jam universo agro potiti, inclusum *Herculem* urbis mœnibus videbantur propediem in potestate habituri. Cum hoc minimè fœderati ignorarent: atque jam in suburbano *Herculis* septo eos castra habere didicissent, quo is deliciarum causa ferarum varia genera alebat, re in extremum adducta casum, non esse amplius cunctandum, sed illi celeriter opem ferendam censuerunt. Quò autem omnia communi consilio administrata, magis ex sententia succederent, conventum Principum *Cremonam* indicunt: in quo quidem exploratis diligentius omnium sententiis, de ratione belli gerendi, & qua in parte ejus fieri initium placeret, statueretur. Eò certa conveniendi die atque illa perexigua edicta Pontificis legatus, *Ludovicus Sfortia*, *Hieronymus Riarius*, *Laurentius*

A *Medices*, *Alphonsus*, & si qui præterea iis temporibus magni nominis in *Italia* erant & militiæ gloria clari, conveniunt. Ante omnia constituunt, quò distractæ facilius citiusque *Venetorum* vires conficerentur, ut *Ludovicus*, aut in *Bergomatium* aut in *Brixianorum* finibus illis inferat bellum: id quidem per causam repetendi eas urbes, quas ab illis ereptas pertinere ad *Mediolanensem* Principatum contendebant. Eodem tempore alios viribus conjunctis, ad *Ferrariam* obsidione solvendam, alios ad *Bondenum* ad eorum classem opprimendam, quæ illic in statione erat, ire placet. Est *Bondenum* ad *Scultennæ* ostium positum castellum, quà situm o-
B lim *Bondimajum* fuisse nonnulli arbitrantur. Ita fore sperabant, ut cum medii inter urbem atque hostium castra *Veneti* ancipiti malo urgerentur, eos ad quas vellent pacis conditiones perducerent. Hanc sententiam, cùm tutissimam esse appareret, ita *Ludovicus* dividebat, ut quatenus *Herculem* & *Ferrariam* respiceret assensus, cætera magnopere improbaret: minimè enim æquum esse existimabat, id sibi bellum demandari, quod geri diutius sine magna suorum clade, brevi confici, nulla ratione & consilio posset. Cùm *Venetis* nunquam, cujus rei sæpè à majoribus esset periculum factum, non ad se tuendos modò, sed ad lacessendos alios
C vires essent defuturæ. Cum is visus esset magnam occasionem adimere belli celeriter atque ex sententia conficiendi, tamen ne diutius disceptando tererent tempus quod minimè per præsentem *Herculis* fortunam licebat, id unum omnibus esse agendum arbitrati, afflictis illius rebus opem ferre, eodem omnibus contractis copiis, constituunt. Celeriter delectu militum habito, atque equitatu comparato, cum ad constitutum diem omnes ad signa convenissent, ad hostes confestim ire pergunt. Erant in exercitu Fœderatorum equitum gravis armaturæ quatuor millia, peditum octo: *Veneti* peditum sex, equitum duo millia
D habebant. Ante omnia convenit, ut quemadmodum jactatum inter Duces erat: *Veneta* classis, quæ per eos dies in *Padum* invecta, ad *Bondenum* (ut diximus) in anchoris erat, deprimeretur. Id quidem, cùm famam gerendæ rei & nuntios celeritate sui adventus antecessissent, nullo negotio imparatos adorti perfecerunt: non depressa solùm classe, sed etiam *Antonio Justiniano* magnæ homine nobilitatis, quem classi *Veneti* præfecerant cum aliis compluribus in potestatem redactis. Quanquam tanto consensu conspirasse adversus *Venetos Italiæ* Principes videbantur, ac tanto illos in principio accepto detrimennto, de pristina alacritate & studio aliquid remittere Fœderati existima-
E bant, minimè illi tamen animos demiserunt: atque evocatum magnis jacturis & præmiis *Renatum Lotharingiæ* Ducem in *Italiam* devicti *Caroli Burgundi* gloria tum maximè florentem, copiis Reipublicæ præficiunt. Is ex novo delectu, militum numero auctus, cum Senatus docuisset si quid esset detrimenti acceptum sarciri studio id facilè & celeriter posse, ad exercitum proficiscitur, validis præsidiis in omnibus urbibus impositis, quæ Senatus imperio parebant, quò minus expositæ hostium injuriis essent: simul datur negotium *Ruberto Sanseverinati*, ut *Abduam* amnem copias traductas

ctas propius *Mediolanum* admoveat: non sine magna spe, quòd jam *Mediolanenses* pœnitere *Ludovici* principatus fama erat, aliquid illos per ejus adventus occasionem moturos. Quod tamen *Venetorum* consilium alium, atque ipsi speraverant, exitum habuit. *Ludovicus* enim ubi ad hostium adventum, armatos *Mediolanenses*, tumultum excitare conari, atque res novas multitudinem moliri animadvertit: quando metus jam domestici mali urgebat, quod antea sua sponte facere recusaverat, suas *Alphonsi* copiis adjungit, atque in *Insubres* movit. Cum prædandos ubique & populando, omnia infesta *Venetis* fecisset: jam quicquid agri in *Bergomatium*, *Brixianorum*, *Veronensium* agro erat, evastato, nihil illis integrum à suorum vi atque armis præter urbium mœnia reliquerat. Tanta autem erat ejus celeritas, ut venire simul hostibus & adesse nuntiaretur, nulloque in loco moratus, cum expeditum agmen duceret, facilè quò visum erat excurrere & suos recipere, inspectante etiam *Severinate*, audebat. Eodem tempore *Hercules* adversus *Lotharingum*, crebris eruptionibus pugnando effecerat, ut nulla illi in re minus quàm in armis ac vetere existimatione esse constitutum videretur. Cùm ita belli fortuna & rerum gerendarum ratio commutata esset, *Venetique* in magno rerum discrimine, magis tamen sociorum destitutione, quam consilii inopia aut victoriæ desperatione laborarent: jam hyeme appetente in hyberna magna Fœderatorum infamia concessum est. In spe propinqua belli conficiendi, fractis penè hostium viribus, quæ instaurari atque augeri tempore poterant, bello insistendum atque fortunæ beneficio utendum, quamdiu licebat, videbatur. Maturius quàm aut præsentis belli ratio, aut anni tempus postularet milite in hyberna deducto, cum quicquid profectum bello erat, corruptum militum ignavia atque indulgentia eorum esset qui exercitum ducebant: fortuna etiam, quò vera virtus & constantia vocabat, propendere est visa. Nam sub veris initium militibus edicto evocatis, qui variis de causis commeatu à Ducibus impetrato, ab signis discesserant: in exercitu Fœderatorum cum amissa semel vincendi occasione, nequicquam ad belli finem properarent, graves exortæ controversiæ inter *Ludovicum* & *Alphonsum*, omnia perturbaverunt. Ita grave per se bellum, ut cætera abessent, cum per multorum sententias, qui eundem finem spectarent, sed non eandem rationem ejus administrandi probarent, gereretur & fœdum exitum illis & tristem *Herculi* futurum habuit. Intercedebat *Alphonso* cum *Ludovico* simultas, quæ aliquamdiu malè dissimulata magna cum multorum pernicie videbatur in apertum bellum eruptura. Cum *Isabella Alphonsi* filia *Joanni Galeatio* (ut alibi diximus) patre adhuc vivente, nupsisset: virilis animi puella quæ cum ingentem fiduciam & spiritus è domo Regia afferebat, tum in causa optima multo majorem constantiam præ se ferebat, quàm sexus aut ætas postularet: patrem viri ætati atque ingenio parum fidens, diu jam precibus fatigaverat, ut generi causa suscepta, eum tueri adversus *Ludovici* cupiditatem atque ambitionem vellet: satis enim illum parem administrando imperio, tristi tutelæ nomine teneri oppressum querebatur: cum ab omni muneris procuratione prohiberetur, cui assuescere Regum liberi à prima ætate consuevissent, atque id quidem tanquam *Ludovici* liberi, non *Galeatii* filius hæres, in spem esset successionis educandus. Hæc *Ludovici* injuria cùm planè ab illo *Alphonsum* alienasset, ut minus per belli tempus *Herculis* rebus obesset, *Federici Gonzagæ* interposita autoritas perfecerat. Cum is decessisset, tanta animi offensio quæ compressa magis quàm tecta aut dissimulata videbatur, recrudescere atque progredi in apertam simultatem cœpit. Itaque ne quid inimicus novi consilii iniret, atque se minus paratum ab armis offenderet, clàm agere de pace cum *Venetis* ac de faciendo fœdere instituit. Qua re Fœderati animadversa, cum jam convenisse inter eos atque initam societatem comperissent, magna quidem *Herculis* querela qui se à genero proditum, destitutum à cæteris, prædæ potenti inimico relictum intelligebat, & ipsi ad pacem inclinarunt. Nam & *Veneti* quò facilius distractas hostium vires labefactarent, atque *Alphonsum* ad sua tuenda averterent, aliquot longis navibus ad prædandam maritimam Regni oram præmissis, jam *Brundusium* & *Gallipolim* receperant, videbanturque propediem omnes *Apuliæ* urbes suæ ditionis atque imperii facturi. Ea res quò se faciliorem Rex pace facienda præberet, metu domestici mali fracta animi ferocia perfecit: quò minus digna res admiratione debeat videri, *Venetos* cum neque ad *Ferrariam* victi, & adversus *Ferdinandum* victores essent, in tractandis pacis conditionibus superiores extitisse. Nihil autem minus verisimile videtur, quam qui tanto consensu adversus illos conspirassent: eos sua sponte aut causæ, quam adeò infestis animis jam alterum annum oppugnarent, aut hominibus quibus cum ad internecionem gererent bellum, tribuere voluisse. Quod quidem minimè à me dictum ob eam causam videri velim, quod sit mihi ulla instituta contentio, cum iis qui hæc scripserunt, à quibus ita dissentio, ut censeam meæ fidei mihi rationem habendam, facilè autem patiar eos (modò mihi fructus meæ diligentiæ constet) suo ingenio uti. Sed tamen vix poterat sine stomacho præteriri, in *Italia* natos homines, in eam civitatem cui exteræ nationes omnes propter singularem atque excellentem virtutis opinionem præcipuè indulgeant, maledicendi occasionem cum minus à rebus possunt, ab ingenio quærere atque ab animi morbo. Ita quanquam *Veneti* multa præclarè sæpè terra marique gesserunt, multa cum iis adversa evenissent tulerunt forti, ac magno animo: scriptorum quibus sunt usi iniquis testimonio, cum ea elevare niterentur, neque in rebus secundis moderationis & æquitatis, neque in adversis fortitudinis & constantiæ laudem quam æquum erat, retulerunt. Nam hoc ipso scribendo bello, *Xystum* (Machiavellius ait) cum cæteris Principibus adversus *Venetos* coisse: propterea quod intelligeret, magnitudinem *Veneti* imperii *Italiæ* universæ exitio futuram. Ac cum de eodem fœdere ageret: *Veneti* (inquit) pro majorum consuetudine cum bello victi atque armis essent: pace non diffidentes se superiores futuros, qua de re clàm cum *Ludovico* egerant, fœdus cum illo & societatem junxerunt. At quæ illis causa erat diffidendi? qui instructissimam ornatissimamque classem superò mari haberent: qui victores munitissimas hostium urbes expugnassent: qui quo tempore hostes altera illis depressa classe, multis illatis cladibus superbè insolescerent, indies obsessos arctius vehementiusque urgerent, pacis mentionem nullam facerent, multò quàm antea accuratius insisterent bello? Ita autem convenit, ut *Hercules Rhodigino* agro, & si quid aliud esset, cujus rei causa ventum esset ad bellum *Venetis* cederet: hi *Ferdinando* urbibus oppidisque omnibus, quæ aut in *Apulia*, aut in *Salentinis* occupassent: ita in posterum pax inter illos fœdusque esset. His conditionibus, præter omnium expectationem, pax confirmata, ingentem procellam discussit, quæ subitò exorta rem *Venetam* videbatur in magnum discrimen adductura. Satis hoc est documento futurum, cum aliis in rebus omnibus, tum bellis maximè gerendis, nullam rem æquè obesse atque multorum imperium, cum

eadem in omnibus autoritas, minimè aut fides eadem, aut prudentia sit. Inter hæc *Nicolaus Vitellius*, cum grave bellum sibi à Pontifice illatum sustineret, magnis erat in angustiis, *Florentinorum* auxiliis & maximis & fidelissimis destitutus: qui quidem, quò facilius Pontificem à *Venetorum* amicitia averterent, minimè opportuno illius tempore ab ejus societate desciverant. Quod quanquam ita esset, non ille tamen spem aut animum sua tuendi amisit. Ita autem crebris factis eruptionibus, vires hostium atque audaciam fregerat, ut magna accepta clade atque ignominia eos solvere obsidionem & decedere ex agro *Tifernatium* coëgerit. Cujus rei indignitate *Xystus* permotus, revocatum *Hieronymum Riarium* ad urbem, majoribus etiam quam antea viribus instructum erat ad bellum remissurus. Ferox hominis ingenium (quod odium suadebat atque animi impotentia) belli finem sibi hostis exitium non victoriam humano more propositum habebat. Verum ab hac cura illum, novus repente exortus *Romæ* tumultus avocavit, ac pacem cum *Vitellio* facere, quibus illi visum est conditionibus, coëgit. Superiore enim bello *Taliacotii* agrum, quod oppidum in *Marsis Clastidii* veteris urbis ruinis ædificatum ferunt, *Ursinis* quòd erant in Pontificis partibus ademptum, *Columnensibus Ferdinandus* adjudicaverat, usus eorum fideli fortique opera toto eo bello. Hinc rursus cum Pontifex & *Ferdinandus* novum fœdus fecissent, quo cavebatur ut quæ per belli tempus essent adempta pari utrimque fide restituerentur, *Ursinis* maximè urgentibus quorum id permagni intererat, Pontifex postulabat, ut *Columnenses*, si modò stari conventis placeret, de *Ursinorum* agro decederent, ac pacis atque otii bono, quo se autore homines fruerentur, minimè perturbare sua audacia atque ambitione vellent. Quam Pontificis denuntiationem, cum quicquid sibe esse agendum *Ferdinandus* statuisset, *Columnenses* omnino contemnerent: *Xystus* iracundia incensus, quæ aliorum causa erat, in tanta sui contemptione, factam suam & ad se pertinere ac propterea sibi tuendam esse armis censuit. Eo animo cum esset, *Ursinos* jam per se incitatos, manus hominum cogere, reliquias veteris exercitus colligere, atque ex agris, quos homines possent armare, in eorum oppida impetum facere, agros vastare, *Romæ* ædes diripere atque incendere, ita ut à nullo maleficii atque injuriæ genere abstinerent, imperavit. Atqui nondum eo tumultu sedato, qui quidem magis viribus deficientibus quàm studiis partium, cum utrique & accipiendis cladibus & inferendis, æquè fessi essent, conquievit: *Florentini Antonio Martiano* exercitus Duce ad *Sergianum* oppidum positis castris, omnia quo receptum oppidum Reipublicæ vindicarent, erant nequicquam experti. Ac ne quid usquam integrum in *Italia* esset àb armis, *Genuæ Baptista Fregosio*, quem superius diximus *Bonæ Joannis Galeatii* matris opera Principatum esse adeptum, capto per summum scelus atque in carcerem conjecto, *Paulus Fregosius Genuensium* Pontifex, cum illius cognatus & propinquus, tum facile inter amicos & necessarios princeps, autore (ut creditur) *Ludovico* & consilii participe, civitatis imperium occupavit. Quæ mala tanta cum viderentur Principum dissensione & odio indies fieri graviora, pax (ut jam dictum est) præter omnium spem atque opinionem exorta, tollere subitò visa est. Atqui ne ejus bono, diu *Xysto* frui liceret, quinto postea quam inita erat die, decessit. Cum vir acerrimus ambitione quadam non ferenda, in eodem fortunæ gradu quo temerè per paucorum hominum studia esset evectus, collocare suos constituisset: quod minus aliis rationibus licebat, vi atque armis assequi conatus, bella inter

A Principes, discordias in liberis populis inter privatos serendo, perniciosum Pontificatum Christianæ Reipublicæ *Italiæ* in primis civitatibus sibi suisque parum honestum futurum perpetuo gesserat. Quæ una cura, ut viventem illum, & quidem magna cum illius invidia exercuit, ita cum bellum tandem pax sustulisset, quam ille aut sibi parum honestam esse aut minus certè conducere suis privatis rationibus arbitrabatur: tanquam jam nulla alia ratio superesset augendi honestandique suos, mœrore animi & dolore victum confecit. Cum *Roma* in magno tumultu relicta, *Ursini* & *Columnenses* sumptis per eam occasionem armis, civitatis

B otium perturbare viderentur: *Hieronymus Riarius* qui mortui Pontificis invidia flagrabat, atque æquè & à certis hostibus & à dubiis sociis sibi esse timendum intelligebat, *Adriani* arcem occupavit. Neque enim dubitabat, quanquam magna totius ordinis offensione, per interregni tempus, cardinalibus invitis ad quos summa rerum mortuo Pontifice redire consuevit, se illam retenturum. Quod illi factum in sui contumeliam cum nullo modo sibi esse ferendum censerent, ne parum esse memores suæ dignitatis viderentur, illum extemplò arce, urbe, excedere intra certam diem jusserunt. Hoc ille imperio territus, ac meliore consilio ar-

C bitratus reddendum voluntate esse, quod vi retinere non licebat, arce tradita (ut jussus erat) *Roma* confestim, haud satis tutus futurus in magna hominum offensione & gladiorum impunitate discessit. *Riario* ab urbe profecto, cum *Ursini* & *Columnenses* in magno Urbanorum metu, quorum ingentem multitudinem *Romæ* comitiorum expectatio tenebat essent, in armis: Cardinales de summa rerum soliciti, ne quid detrimenti comitiorum dilatio importaret *Innocentium Octavum* Pontificem ex nobilissima familia *Genuæ* ortum, magno consensu legerunt. Hujus *Aruntem* patrem (quem *Aranium* alii appellant) à *Renato Andegavensi* Pro-

D rege *Neapoli* præesse jussum, cum *Alphonsus* Rex victor conservasset: magno in honore habuisse fertur. Quamdiu enim vixit, inter paucos adlectus, quos Rex de summa rerum consuleret, suam fidem illi atque abstinentiam perpetuo in eo obeundo munere probavit. Quod quidem facit, ut satis mirari non queam, à quo fama emanarit, adolescentem *Innocentium* inter *Alphonsi* familiares, cum illi necessaria ad vitæ cultum deessent, aliquamdiu versatum esse. Cujus infamiæ labes (si modo infamia habenda est) non *Innocentio*, quidem sed Regi hæsisset: qui parentis probata fide, in maximarum rerum administratione, non erat passu-

E rus, ut filius in Regia magnificentia, quæ in *Alphonso* virtus celebris fuit, nihil præsidii haberet. Itaque illud verius est auctum illum per Regis gratiam *Amalphitensi* sacerdotio quod fidei præmium in patre, grati animi significatio in Rege esset, faciliora sibi cætera ad tantum honorem contendenti, cum usus atque industria accederet fecisse. Cum *Innocentio* Pontifice renunciato, pax in *Italia* firmata & constituta planè videretur: uni *Florentini* quorum erat præcipua cura *Sergiani* recipiendi erant futuri in armis. Neque verò illos magis amissio oppidi tam opportuni movebat,

F quàm autor tantæ agendæ rei. Itaque non erat facile dijudicare utrum contumelia major an detrimentum atque incommodum, quod illatum Reipublicæ querebantur, haberetur. Hoc unum statuentes sibi esse agendum *Genuensibus* denuntiant, ni civem suum cogant Reipublicæ oppidum restituere per fraudem ademptum, eam injuriam perinde atque sibi à civitate illatam sese armis per sequuturos. Ac luculenter quidem in novo fœdere exceptum erat: quæ quique eo bello amisissent, ubi minus disceptari æquo jure liceret, ea ut illis

vi

vi atque armis repetendi facultas esset. At *Fregosius*, qui se privatis opibus tolerare *Florentinorum* arma diffidebat: quicquid juris in eo oppido haberet, collegio Divi *Georgii* attribuit, cujus summa in ea civitate autoritas & potentia habetur: ipse tanquam nihil amplius ea res ad se pertineret, è medio discessit. *Genuenses* post memorabile illud bellum ac diuturnum, quod cum *Venetis* ad *Fossam Clodiam* gesserunt, magnum æs alienum (id quod fuit necesse) gravi sumptu ad bellum tolerando, contraxerant. Id cum non facile essent solvendo, civitas ut præclarè meritis civibus de Republica aliquo modo prospiceret, hanc sibi rationem censuit esse incundam, qua simul fidem publicam, quam minimo incommodo tueretur. Itaque iis portoria, ac vectigalia Reipublicæ quoad illis ad assem esset persolutum assignarunt: potestate facta, quibus vellent redemptoribus illa & quanti visum esset locanda. Nam quò res commodius ac majore cum privatorum autoritate ageretur: publicas ædes ad urbis portas, quibus merces aliunde importatæ quoad pro portorio exigant, à scripturæ magistris asservantur, concessit: quò statis diebus convenirent ac communibus de rebus statuerent. Ac cum major res hominum studio & diligentia esset, neque privati facile ad suum pervenire sperarent, centum delectorum consilium constituerunt, ex quibus magistratum creari placuit, qui octo modo hominibus constaret. Eorum supremam autoritatem in re communi administranda esse voluerunt: in primis ut quæ de consilii sententia acta constitutaque essent, exequenda unus & transigenda curaret. Pecuniis quidem creditis in singulas partes distributis, quoniam certus cuique locus erat descriptus, quo facilius singuli agnoscerent suos, locos placuit appellari: ut pro creditæ pecuniæ ratione plures paucioresque locos ii habere dicantur, qui rem cum illa societate contraxerunt. Jam quò honestiore ac sanctiore titulo collegium augerent, qua ex re fore credebant, ut major illi indies autoritas conciliaretur, Divi *Georgii* nomine in cujus tutela & procuratione civitas est, denominandum collegium censuerunt. Tanta autem cura dicitur gesta res administrataque esse, ut cum nullo Reipublicæ incommodo privati magnis aucti opibus ditarentur (quarta enim centesimæ pars illis modò fœnoris nomine solvebatur) in omnibus Reipublicæ temporibus compendio parvo admodum contenti, ingentem pecuniæ vim civitati commodarent. At cum privati usque eo credendo grandes pecunias provecti essent, ut quæ pro portoriis exigerentur, minimè latas pecunias expensas exæquarent: jam oppida municipiaque omnia quæcunque in ditione Reipublicæ habentur, præter pauca admodum addicta illis hoc nomine adjudicataque esse dicuntur. Ita autem huic collegio Reipublicæ oppida sunt attributa, ut & privatorum opibus adversus vim externam defendantur, & eorum suffragiis, qui illa Reipublicæ nomine administrent, mandentur: & leges & jura ut alia jam Respublica videatur in Republica esse inclusa, perscribantur. Est quidem hoc magna dignum admiratione (illustre certè documentum habet quanta vis ad defendendam libertatem in magno consensu sit) quod mox sum dicturus. Quanquam enim in crebris mutationibus civitatis, varios sæpè Principes Respublica quorum nutu atque imperio cuncta administrarentur, & diversarum illos inter se partium agnovit: semper tamen inviolatum omnibus jus ejus collegii mansit. Cujus quidem rei causa hæc potissima est. Nam collegii jus consensus hominum mirificus, tantum omnium in communi causa consensum, privatæ singulorum rationes (quod quidem in hominum rebus videtur caput esse) facillimè tuentur. Cum enim longo

A spatio annorum probatum institutum mutari sine multorum offensione & injuria non possit, nunquam ea civitas est in unius potestatem & ditionem redacta: quin is, qui eam sibi parere coëgisset, coactus ipse sit institutis privatorum & legibus parere. Quare eodem sæpè tempore unius imperium & dominatio, & moderatissimæ civitatis species, optimaque ratio administrandæ Reipublicæ est in eadem civitate animadversa. Nostra quidem ætate cum libera civitas suis institutis & legibus utatur, eadem illis ratio & in privata re, & in publica admidistranda manet. Cum hujus collegii cura esset, ut oppidum in fidem receptum adversus *Florentinorum* arma tueretur: aliquot longarum navium classe B comparata, per lævam *Ligurum* oram militum firmam manum in *Apuanos* exportandam curaverunt: id quidem eo consilio, ut angustiis insessis quæ ex *Hetruria Sergianum* petentibus sunt adeundæ, transitu eos prohiberent, qui eà ad *Florentinorum* exercitum commearent. Sunt hæ quidem prope oppidum, quod incolæ *Petram Sanctam* appellant, ubi *Lucus* olim *Feroniæ* & *Fanum* dicitur fuisse, alii malle videntur *Herculis Fanum*, locum religione celebrem habitum, nomen quod illi adhuc manet indicio est. Cum oppidum à *Lucensibus* olim ædificatum eo tempore *Genuensium* imperio pare-C ret: ita opportunè situm inter *Pisas* & *Sergianum* videbatur, ut etiamsi id receptum in fidem esset, perpetuò hostium injuriis per varias occasiones expositum, magnam civitati ad bellum materiam semper futurum appareret. Ergo in summa *Florentinorum* cupiditate & studio *Petræ Sanctæ* occupandæ, causa illos destituebat, ne viderentur adversus fœdus fecisse. Nam ita cum *Genuensibus* bellum gerebant, ut in privatorum injuria, quam sibi omnino esse vindicandam censebant, pax integra adhuc cum Republica maneret: ut si nulla lacessiti injuria oppidanis instituissent arma inferre, quin violatum jus gentium à se per belli occasionem vide-D retur, inficiari haud possent. Diu re deliberata, hæc tandem ratio gerendæ rei inita est. *Pisis* præmissos qui commeatum ad exercitum importarent, modico præsidio quàm proximè poterant *Petram Sanctam* iter facere jusserunt: id quidem ut spe prædæ oppidani illecti in iter facientes impetum facerent, quod pro præjudicio violati à *Genuensibus* fœderis essent belli initium habituri. Quæ quidem illos opinio minimè fefellit. Simulatque enim illi ad oppidum appropinquarunt, qui in speculis erant milites, re animadversa, oppidanos spe prædæ excitant, atque ad invadendos illos cohortantur, cùm rem parvi negotii esse, ac mili-E tum exiguam manum sequi præsidii causa affirmarent. Re minimè contemnenda visa, & cupidis hominibus & sua sponte malè in *Florentinos* animatis, multitudinis concursu facto, delecti juvenes atque impigri ex oppido egrediuntur: ac cum facile & numero inferiores & consultò cedentes fudissent: hominibus jumentisque in oppidum abductis, lætitia ingenti prædam inter se partiuntur: minimè illam satis æquam futuram mercedem eorum, quæ postea pertulerunt. Ita re ex sententia administrata, *Florentini Genuam* legatos mittunt, qui de hac tanta suis illata injuria conquerantur, eam si ab his negligi animadvertant bellum illis si-F mul denuntiare jubent. Reversi re infecta legati cum *Genuenses* à pacis consiliis aversos ac bello parando intentos, pertinacius tueri factum docuissent: *Sergiano* relicto, ad *Petram Sanctam* copias ducunt, ac quò facilius certioreque ictu, tormentis è loco superiore muri verberarentur, totum collis dejectum qui in summo jugo oppido imminens leviter fastigiatus ad planiciem redit, præsidio, quod satis est, imposito occupant. At *Genuenses* dum ita *Florentini* oppidum oppugnare pa-

 rant:

rant: classe ad *Vadæ* arcem appulsa, militem exponunt, atque exustis vastatisque agris, prædam ingentem hominum pecorumque agunt, magno ubique terrore injecto, nisi iis obviam mitterentur, qui eos à populatione effusa prohiberent, fore ut ab ea parte insignem aliquam cladem Respublica acciperet. His rebus cognitis *Florentini*, *Boniannem Jansilgiatium* impigrum hominem & perspectæ virtutis, cum equitum ala, & peditum aliquot expeditis, qui eorum impetum & ferociam comprimerent præmittunt. Is sæpè palatos nullo certo ordine atque imperio adortus, cum fusos ad naves compulisset: brevi perfecit, ut non ita impunè per Reipublicæ agros vagari ac prædas agere auderent. At illi minimè ea rè perterriti ad *Labronis* Portum classe *Turrim Novam*, quam appellant, petentes, militibus expositis, cum omni apparatu urbium oppugnandarum, non sine aliqua spe proventus, quod se illos imparatos opprimere sperabant, oppugnare omnibus viribus adoriuntur. Atqui cum nequicquam oppugnatione tentata, sua opinione minus se proficere animadverterent, brevi discesserunt: rem, quæ longioris moræ esset, quod minimè in præsentia esse tutum videbatur, arbitrati in aliud tempus esse differendam. *Florentini* interea cum lentè admodum *Petram Sanctam* oppugnarent: oppidani ex hostium ignavia magna spe bene rei gerendæ concepta, cum nihil illi minus opinarentur ex oppido eruptionem faciunt, atque in eorum munitiones & opera invadunt. Hinc militibus, qui in præsidio erant, interfectis, atque eodem impetu aggere capto, quem ad verberandam arcem in ingentem altitudinem extruxerant, tantum metus ac trepidationis injecerunt, ut nisi à Ducibus & legatis confirmati militum animi essent, castris impedimentisque relictis, magna cum Reipublicæ clade suaque non levi ignominia prædæ fuerint ipsi hostibus futuri. Ac tamen ne parvam rem hostium etiam testimonio egisse oppidani viderentur, eos relicta oppidi oppugnatione, quatuor millia passuum inde signa referre ac castra ponere coëgerunt. Accessit ad hoc tantum acceptum incommodum, quo nondum. Autumno exacto, quod maximè tempus idoneum ad res gerendas atque opportunum habetur, in hyberna militem dimittere, tanquam hoc illi unum ad summam ignominiam relictum esset, tantam hominum inertiam nemine æquo animo ferente, constituerant. Cum tanti flagitii fama civitatem magnopere movisset: magistratus ne si malè susceptum, atque institutum bellum ita gerere perseverarent, graviorem aliquam atque insigniorem cladem Respublica acciperet, novos legatos qui statim ad exercitum contenderent *Bernardum Nigrum* & *Antonium Putium* legerunt, quorum eximia virtus ac magnus usus in bellicis rebus habebatur. Horum adventu ad exercitum, cum milites cohortarentur ut audacter redire ad mœnia, ac se à tanto admisso dedecore & flagitio redimere virtute vellent, ægrè impetrarunt, ut receptis tandem à pavore animis, castra propius moveri ad oppidum paterentur. Ita repentè belli administratione, atque ratione gerendarum rerum commutata, militem ad aggerem recipiendum, qui hostium præsidio tenebatur, adducere constituunt: adnitentibus maximè novis legatis, de quorum sententia omnia agere Duces jubebantur. Nisi autem ab ea parte oppugnatione instituta, propugnatoribus muros nudarent, vix unquam oppido se potiri posse sperabant. Ac quò majore studio rem aggrederentur, legati Duces cohortati, ut rem susciperent, quæ una simul tantum Reipublicæ illatum incommodum & inustam eorum nomini ignominiam delere posset, si quid dubitationis inesset sustulerunt. Eadem ratione milites blandè

A appellando, spe præmii, incendendo, nonnunquam dexteras dando, evicerunt, ut puderet tandem armatos hæc sibi præcipi à togatis, & qui consilio pugnare non armis cum hoste assuevissent. Itaque eorum adhortationibus incitati, per ardua quæque atque invia subeuntes, cum illos nulla loci iniquitas, nulla tormentorum vis retardaret, quæ jam ingentem hominum stragem edidissent, quò minus audacter in vestigio consisterent, omnibus difficultatibus superatis, in summum jugum victores evaserunt, ac dejecto præsidio, in recepto aggere Reipublicæ signa statuerunt. Ne solidum gaudium, re feliciter gesta, legati præci-
B perent, *Antonii Martiani* mors perfecit, qui copiarum Dux cum strenuis aliquot militum, dum montem incautius subit, muralis tormenti ictu laceratus interiit. Jam belli fortuna variante, in oppido consilia de deditione agitari & seri cum nostris colloquia de compositione incipiebant. Qua re *Florentiæ* cognita: *Laurentius Medices* per quem rem maximè transigi placebat, ad exercitum mittitur. Eo ad publicam autoritatem interponente suam, oppidani quin statim sese legatis dederent nullam moram fecerunt. Cum res in eo statu essent, varii in castris vulgati morbi milites pervaserunt: cum propinqua hyeme tem-
C pore anni minimè commodo, tum crasso atque humido cœlo ob circumjectas à mari paludes, difficilem etiam sub tectis hybernantibus faciente curationem. Ergo cum duo morbo sublati interiissent, quorum erat magna autoritas *Putius* & *Jansilgiatius*, dimisso in præsentia milite, atque belli gerendi cura in aliud tempus dilata, *Laurentius Florentiam* rediit. Lætam civitatem ob receptum tam opportunum oppidum ad summam belli conficiendam, præter duorum civium mortem, quorum maximè virtute & consilio victoriam partam credebant, in primis *Lucensium* legatio turbavit. Hi adito magistratu *Petram Sanctam*, majorum
D suorum Coloniam, ex fœdere repetebant: quam Reipublicæ olim à *Genuensibus* interceptam, *Florentini* armis invasissent. Ita autem in novo fœdere convenisse contendebant, quo illi quidem cum cæteris *Italiæ* Principibus includerentur, ut quæcunque oppida sociis essent per belli tempus ullo modo adempta, ea illis continuò, si ante initum bellum fuisse eorum juris & ditionis constitisset: restituerentur. Ad ea *Florentini*, minimè quidem se inficiari dixerunt, non aliquando illud oppidum *Lucensium* imperio paruisse: sed nullo tamen se, aut divino, aut humano jure cogi, ut iis possessione ejus oppidi cederent, qui ut cæteris maximè supe-
E riores essent, jure tamen repetendi suum cujus legitimum tempus præteriisset, excidissent. Sive autem id majores eorum certa adducti ratione & judicio, sive (ut fit) incuria, quod minimè verisimile videretur, neglexissent, ad se hoc minus pertinere judicare. Nam & illud ignorare se, cum civitas eo tempore cum *Genuensibus* de pace ageret, an ubi de ea convenisset: illis restituere per novum fœdus oppidum cogerentur. Quod quidem æquum esset, ut sibi integrum reservarent futurum: ut quanquam & pacis conservandæ & verò honoris *Lucensium* causa sua sponte id fuerint facturi, religione se tamen impediri dicerent, quò minus
F (quantum ad id pertineret) integra adhuc *Genuensium* re, quicquam transigi paterentur, quod faciendæ paci impedimento futurum suspicarentur. Atque, ut cætera possent æquo animo negligere præter magnum factum sumptum in bellum receptum oppidum magna militum clade ac suorum civium interitu, tum facile ut iis traderent posse animum inducere, si ullo modo satis pro his fieri æquè facilè esset. Ita dimissis legatis, civitas tota ad pacis studium conversa, non diffidebat,

bat, per interpoſitam novi Pontificis autoritatem, quod is *Genuenſis* civis non videretur fruſtra rem ſuſcepturus, quandoque ſe à volentibus *Sergianum* recuperaturam. Quæ tamen res quanquam per totam hyemem jactata, quicquid cauſæ extiterit, qua re minus gravis apud ſuos Pontificis autoritas fuerit, tranſigi minimè potuit. Ac quò minus ineunte Vere cœptum bellum cum *Genuenſibus* inſtaurarent, & *Laurentii* adverſa valetudo, & novum exortum bellum inter *Innocentium* & *Ferdinandum* prohibuit. Nam *Laurentius* præter artuum dolores, qui quaſi hæreditarius morbus vehementer illum angebat, quod erat imbecillo & languenti ſtomacho ad veris initium ire ad *Roſcellanas* Aquas conſtituerat. Ita cum per cauſam valetudinis curandæ diutius eſſet ab urbe abfuturus, nihil interea quod paulò majoris momenti eſſet, agi placebat. Belli quidem hanc cauſam inter Regem & Pontificem fuiſſe ferunt. *Aquila* eſt in *Veſtinis* ſatis noſtris hominibus, atque exteris nota urbs, quod incolæ croci agrum fertilem colunt, cujus ingens vis quotannis ad longinquas terras aſportatur. Ea ab *Amiterno*, nobili olim *Romanorum* Colonia quinque millia paſſuum, octo à *Forconio* æquè item nobili municipio, a vicinis populis cum utraque urbs diruta à barbaris, atque æquata ſolo eſſet, dicitur eſſe ædificata. Ita autem ſemper paruit *Neapolitanis* Regibus, ut diu ſuis legibus uſa, per Regium Præfectum, qui juris dicendi cauſa à Rege ſtato tempore mittebatur, & civium controverſias minui & urbanas res adminiſtrari pateretur. In ea longè autoritate excellebat *Montorii* Comes (id oppidum ad hunc diem in *Prœcutinis* in *Caraffæ* gentis ditione habetur) cujus præter merita multa in eam civitatem & inſignia, virtus in primis & fides probabatur. Ex ea re fiebat, ut quanquam Regius Præfectus qui jus diceret *Neapoli* mitteretur, omnia quæ paulò majoris momenti eſſent, ad eum unum perinde atque ad civitatis principem deferrentur. Cum munitiſſima urbs eſſet, & propter ingentem hominum concurſum, qui eò undique emendi croci cauſa commeare dicuntur, cujus magnam (ut diximus) atque uberem copiam ager effert, in primis ejus regionis opulenta, *Ferdinandus* eam facere penitus ſuæ ditionis conſtituerat. Eo animo cum eſſet, *Innocentio* Pontifice *Xyſto* ſuffecto, *Alphonſum* filium ad *Truentum* miſit, nomine ut tumultum ſedaret, qui exortus iis in locis dicebatur, re vera ut ſi quam opportunitatem occaſio oſtentaret, ductis de improviſo ad urbem copiis, civitatem in poteſtatem redigeret, quam minimè parem ad ſubitam belli tempeſtatem ſub eundam exiſtimabat. Eò *Alphonſus* profectus, quod nihil ſe effecturum ſperabat, niſi *Montorii* Regulum per honeſtam in ſpeciem cauſam ablegaret, eum in caſtra evocavit. Ratio eadem fallaci conſilio æqua in primis obducebatur, ut illius autoritate & gratia uteretur iis diſcordiis tollendis, quæ inter ejus regionis homines magna cum multorum pernicie exerceri ferebantur. Paruit Regulus *Alphonſi* imperio, atque extemplò in caſtra ad illum profectus, continuò traditus vinctus cuſtodibus & *Neapolim* ubi intentiore cura aſſervaretur, miſſus eſt. Ea res ad magiſtratum delata, cum tantam injuriam non magis Regulo illatam, cujus maximè ſtudioſa habebatur, quam civitati univerſæ, minimè ſibi diſſimulandam ſtatuerent, tantum tumultum concitavit, ut concurſu facto ad Prætoriam domum, & *Antonium Concinellum* Regis Præfectum, & ſi qui alii Regis partibus favebat, ad unum omnes interfecerint. Ad hæc ne deficientibus à Rege gravi affecto injuria, certa auxilii ſpes adverſus *Alphonſi* propinquam vim deeſſet, Pontificis inſignibus erectis, *Romam*, qui ſe illi urbem agroſque dederent, legatos miſerunt.

A Iis imperant, ut Pontifici ad pedes advoluti, expoſitis defectionis cauſis, ab illo opem atque auxilium petant adverſus crudeliſſimum Regem, qui fide ac jure gentium violato: eorum libertati, cui jam pridem inſidiatus ſit, eo tempore vim paret inferre. Ejus avaritiæ & crudelitati ne prædæ relinquantur, non ſolum illi eam cauſam eſſe debere quod Pontifex ſit, cujus eſſe credatur proprium munus ſupplicum preces & miſerorum non aſpernari, ſed quod ſe illi urbemque dedant: id quidem ut receptos in fidem majore ſtudio ſibi atque acriore cura defendendos ſuſcipiat. Cognitis Pontifex *Aquilanorum* poſtulatis, ac re cum Patribus communicata,
B quod è ſua fide eſſe & dignitate ducebat, minimè eorum ſibi injurias eſſe negligendas cenſuit, qui afflictis ſuis rebus, opem à ſe atque auxilium implorarent. Id conſilium ut Pontifici probaretur, cum ejus *Ferdinandum* odium efficiebat privatis de cauſis in illum ſuſceptum, quas non eſt neceſſe commemorare, tum urbis ejus opportunitas, quæ in Pontificum *Romanorum* ditione, tanquam arcis loco *Neapolitanis* Regibus objecta, magnam facultatem ad illos in fide continendos perpetuò eſſet præbitura. Juſſis legatis bono animo eſſe, ac civitate collaudata, quæ eò ſibi perfugium quærendum ſtatuiſſet quò ſe certa ratio at-
C que officium duceret, brevi ſe perfecturum oſtendit, ut quantumvis illi de ſua fide ſibi & voluntate polliciti eſſent, prolixè eorum ſe expectationi reſpondere non ignorarent. Cum hoc reſponſo legatis dimiſſis, *Rubertum Sanſeverinatem*, qui eò tempore tanquam ſua ſponte exautoratus, in ſumma totius *Italiæ* quiete, otium ab armis ducebat, ac *Joannem Rovereum* urbis Præfectum ſuis copiis præfecit, cum Duces alios diligenter delectum habere militum, ac ſe conjungere cum iis juſſiſſet. Eodem tempore *Neapolitani* Regni Principes, quos alieno à Rege animo jam pridem defectionem moliri audiebat, multis præmiis & pollicitationibus,
D ut deficere maturarent, atque in aliqua Regni parte motus ac belli initium facerent, induxit. In his qui principes autoritate erant, *Hieronymus* & *Antonellus* hic *Salernitanorum*, ille *Biſiniani* Regulus habebantur, juſtis de cauſis à Rege perfidia & crudelitate infami (id quod omnes tradunt) alienati. Atque hi quidem quò occultiora conſilia eſſent, cum per cauſam affinitatis jungendæ, *Melphim* ad *Trojanum Caraciolum* conveniſſent, quem conſiliorum participem habebant, conjuratione in Regem & *Alphonſum* certis legibus firmata, jam de ratione belli gerendi atque à quo fieri initium defectionis placeret, conſtituerant. Jam verò illi
E adhuc *Xyſto* Pontifice vivente, ſive ab illo, ut minimè otium pati poterat, ſolicitati, ſive ſua ſponte (ut diximus) in *Ferdinandum* malè affecti (quod ſatis compertum eſt) ea de re per nocturnos cœtus & occultas Principum coitiones contra Regem conjuraverant, ac jurejurando fide confirmata pecunia atque obſidibus inter ſe caverant. Res uſque ad *Innocentii* Pontificatum perducta, cum fidem conjuratorum non ulla religio magis, quam immane atque inexpiabile in Regem odium inviolatam præſtaret, ut tum maturaretur opportunè tanta oblata occaſio perfecerat: quamdiu deſideratam & nequicquam quæſitam cupidiſſimè amplexi uno
F conſenſu defecerant. Atque ad rem celerius conficiendam, *Alphonſi* minimè dubia ſuſpicio acceſſerat, cujus immite atque implacabile ingenium maximè horrebat. Is enim jam confecto *Ferrarienſi* bello, domum rediturus, minimè quidem occultè aut diſſimulanter, & cædem illis & exilium proſcriptionemque bonorum, ut indicio eſſet aliquid ad illum de conjuratorum conſiliis manaſſe, minitabatur. Ita illi metu territi, ac præter ſuam ſpèm à Pontifice in fœderis ſocietatem vocati, cum eo

arma conjungunt, principio facto à *Francisco Copula*, quem hominem magnis in rebus optimè de se meritum *Sarno* oppido *Ferdinandus* donaverat. Hos sequuti complures cum iis subituri eandem belli fortunam consilia & vires communicaverant. Ac quò graviore belli mole *Ferdinandus* premeretur, *Ursini* propterea quòd *Columnenses* Regi aderant, pro Pontificis partibus cœperant arma, ut tantis subitò malis circumvento nisi aliunde sibi subsidium quæreret, esse penitus de summa rerum desperandum. Accedebat ad hæc omnia intestinum malum, cum neque satis tectus esset à suorum insidiis, quorum præmiis solicitata fides hostibus venalis erat: ut quæ ageret quæque administraret omnia, illis æquè ac sibi essent explorata. His difficultatibus anxium animum, una consolabatur spes, quæ tota posita erat in *Florentinorum* & *Ludovici* auxiliis, quos quidem ut sibi adversus tantam belli vim adessent & crebris nuntiis & assiduis precibus fatigatos solicitare non desistebat. Ac *Florentiæ* quidem visa res in principio longioris disceptationis esse, aliquamdiu suspensos principum animos tenuit. Ita enim placebat Regi opem ferre, ut tamen parum honestum bellum atque opportunum civitati futurum esse cavendum omni ratione judicarent. Eo enim adversus Pontificem suscepto, nemo erat futurus, quin suspicaretur studio ac morbo animi *Florentinos*, pro iis gerere arma, quos ille hostes bello persequeretur: ut minimè esset dubitandum eam hominum opinionem fore, haud illis cum Pontifice, sed (quod ferendum non videretur) cum Pontificatu susceptam contentionem esse. Quæ quidem infamia tanta quam esset perniciosa Reipublicæ futura, recentem *Xysti* memoriam, qui cum civitati perpetuæ simultates atque inimicitiæ intercessissent, satis posse indicare. Nam & ea libera omnium querela, jactabantur: jam fessa multitudine gravitate malorum quæ movere quemvis facile possent: post tot bella infeliciter gesta afflictæ ac propè eversæ civitati pacem tandem divino ac singulari Dei immortalis beneficio quæsitam esse. Ea quidem, si magis certorum hominum salutem tueri, quam publicam pergerent, novis semper bellis exorientibus, nunquam futurum ut frui permitteretur. Nam illud minimè dubium videri, cum aliorum *Italiæ* Principum insigne odium in *Ferdinandum*, tum inexpiabile *Venetorum* esse. Quod cum neminem præteriret, illud etiam suspicari omnibus licere, cum eadem *Florentinæ* Reipublicæ & Regis causa futura esset, *Venetos* novo fœdere Pontifici conjunctos communi consilio adversus communes hostes bellum gesturos. Sæpius jam quam civitatis otio & quieti expediret, periculum esse factum quam grave & perniciosum Reipublicæ esset, cum *Romano* Pontifice inimicitias exercere: quid timendum videri ubi Senatus *Venetus* cum illo arma conjungeret tantus hostis? Defecisse à *Ferdinando Neapolitani* Regni Principes, in quibus si illi esset gerendum externum bellum, omnes vires & nervos fuerit habiturus: eos contra Regem pro Pontifice in acie futuros. *Ursinos* esse in armis, ac sub Pontificis signis militare. Regni civitates, quæ perferre diutius non posse durum Regis imperium & atrox dicantur, quicquid illi in principio adversi contingat, non futuras in fide: ut semel infeliciter gesta re, haud de Regno amplius *Ferdinando*, sed de salute dimicandum esse videatur. Quæ cum ita sint, mitius malum videri debere, *Ferdinandum* solum (utinam non illi quidem meritò accidere Reipublicæ nunquam fido socio, aliquando infesto hosti) quam cum illo eadem ruina oppressam Rempublicam interire. Hæc ita præsente *Laurentio* dicebantur, ut diversam sententiam tuenti, cum magistratus imperio multitudinis obstrepentis ferocia non posset coërceri: vix verba facere liceret. Impetrato demum silentio, de ea re ad hunc modum dicitur verba fecisse. Non in eo statu res nostræ sunt, si quis eas ut nunc se habent, spectare velit, ut si modò nobis, quod maximè Reipublicæ expediat sit agendum, utrumvis nobis integrum sit, sive honestam pacem & otium tueri, sive pace improbata, gerere bellum malimus. Nam ita nobis in præsentia ea licet & quidem parum honesta frui, ut illam paulò post, nisi ad arbitrium victoris Pontificis administrari Rempublicam velimus, necessarium & grave bellum, &, quod caput est, diuturnum (ut mox demonstrabo) excipere necesse sit. Bello in præsentia nec difficili, nec gravi defunctis certa ac diuturna pax est maximè speranda. Fingite enim penes Pontificem victoriam esse, quod si pergimus cunctari planè est expectandum: quis est qui non videat illi continuò *Neapolitanum* Regnum prædæ futurum? Quod quidem si accidat, non illud nunc spectari censeo oportere, quid sit nobis mali à Pontifice timendum, sed quid à Pontificatu, quem sæpius *Xysti* quam *Innocentii* similes (libeat enim in præsentia bene de illo ominari) esse assequutos animadvertimus. Miti hominem ingenio & leni, Christianæ Reipublicæ imperium magis ex sua dignitate, quam ex suorum cupiditate & studio administraturum confidimus. Faxit Deus ne nostra nos hæc spes fallat. Sed tamen citius in eo qui non possit, cupiditatem dominandi tollas, quam in eo qui vires habeat non moderationem & æquitatem animi in proferendo imperio requiras. Nihil enim est facilius, quam animum continere à cupiditate, ubi ad ea assequenda quæ expetuntur, non suppetunt vires: illud est difficillimum & propterea maximè proprium virtutis, ubi ex alieno incommodo, magni nobis emolumenti spes sit objecta, efferentem sese animum quem facultas ad agendum & vires sequantur, cohibere. Sit idem *Romanus* Pontifex & tanti Regni moderator, sæpius nobis veniet in mentem, quibus tanta potentia est meritò pertimescenda, virium, quæ metum augeant, quam æquitatis quæ metum tollat. Quid possit unus *Romanus* Pontifex etiamsi nullæ præterea accedant vires, experti paulò antea ipsi sumus in *Xysto*, in *Calisto* idem est patrum nostrorum memoria Rex expertus, quod etiam plerique vestrum possunt meminisse. Sit igitur nobis *Innocentius* amicus. At quamdiu ille sit futurus amicus nobis etiam cogitandum existimo. Quis nobis faciat fidem ubi præsentibus opibus hæc tanta sit potentia adjuncta, parem constantiam illum in fide tuenda, atque vim & animum in augendo imperio præstaturum? Nam ut mitissimum hominis ingenium sit: quis ignorat in Pontificatu, non grandem jam natu hominem atque exactæ ætatis, sed liberos, cognatos, necessarios, neque eos probos semper & pudentes, haud rarò crudeles, impuros, nefarios dominari? eosdem bella gerere? fœdera ferire? regna occupare? divinas atque humanas res omnes perturbare? Næ illi ubi in eorum ditione *Neapolitanum* Regnum sit, & *Hetruriæ* & *Galliæ Cisalpinæ*, atque adeò totius *Italiæ* imperium sibi animis spondebunt. Nunquam eodem vestigio ambitio consistit, sed pedem profert, & ad ulteriora semper ubi præsentia assequatur contendit: ut cum vires illam deficiant, spe tamen atque animo progredi conetur. Ita nunquam *Neapolitanum* Regnum Pontificis erit (non permittat hoc Deus immortalis, ut per nostram cunctationem esse possit) quin ille tanquam serie quadam rerum ductus, & continentes suis urbes, & provincias atque externa Regna petat. Satis est per se nobis Pontificatus formidandus, quid ut magis sit, nostra procrastinatione & mora efficimus? Non solùm

lum enim, ut non sit Pontifex nobis hostis, sed ne quando esse possit, si maximè velit, est nobis laborandum. Ita enim natura comparatum videmus, ut qui est superior viribus, is tanquam in eo jus omne sit, æquum censeat eum sibi qui sit imbecillior parere. Sic nobis erit precariò libertas semper retinenda, atque quò illa fruamur, domino, atque impotenti domino sæpius, crudeli, immani id nos referre acceptum perpetuò oportebit. Quò quid durius aut acerbius, natis in libera civitate hominibus potest accidere? Hæc igitur vobis pax, hæc salus, hæc libertas præsenti hoc rerum statu speranda est: quam tamen, ut minimè etiam dubitari possit de hujus Pontificis in nos voluntate, haud fore nobis diuturniorem speramus, quàm est senis vita futura. Quis enim hoc vobis audeat spondere, quo in vos animo nunc *Innocentius* est, eodem anno proximis Calendis, suffectum illi novum Pontificem, non alio fore? At quid est tamen quod facilius evenire possit? Ergo aut certum & perpetuum bellum, aut si turpe magis inersque otium præferri placet, dubia ac minimè firma pax, crescentibus in dies per vestram ignaviam Pontificis viribus, in posterum manebit. Nunc si in hac fortuna tuendum vobis Regem, erigendumque suscipitis, quanto illum vobis devinctum beneficio conservatis? Imò quid illum inquam? In eadem Regia paulò ante beatissima & florentissima, *Ferdinandum* ætate gravem, sed vigentem tamen animi & corporis viribus: *Alphonsum* filium, cujus quanta constantia & virtus fuerit in sociis tuendis, hostes ipsi periculum fecimus: tum hujus filium *Ferdinandum* regiæ indolis & virtutis puerum, vestro beneficio, cujus est hæres tertius ab avo in multos annos futurus, conservatis. Nam ut *Federicum* mittam *Ferdinandi* natu minorem filium, quem maritimo bello, quod adversus *Venetos* gessit, pater præfecerat: Reges *Hispaniæ* longè potentissimos, horum cognatos, nobis in perpetuum, socios atque amicos sanctissimo functi amicitiæ munere, retinemus. Ita quod initio dixeram, minimè diuturno ac difficili bello, sperandum nobis est, certam nos Reipublicæ firmamque pacem, & quæ æquè posteris nostris magno usui sit atque ornamento, comparaturos. At verendum est, ne *Veneti* terra marique gravi bello *Ferdinandum* circunventum, cogant de summa rerum & de salute dimicare. Est hoc quidem aliquid. Verùm ne hoc illis liberum sit, ita grave bellum à *Turca* civitati impendet, ut beneficii loco sint habituri, si quis illos quiescere atque otium in *Italia* ab armis ducere patiatur. Quanquam neque in continente, tuta omnia & pacata habent. Gerent enim *Rheticum* bellum cum *Sigismundo* Cæsaris fratre, orta de finibus controversia: cujus rei causa, jam eorum mercatores, qui in *Rhetis* negotiabantur, comprehensos ac dejectas operas quibus in *Alpibus* utebantur ad fodinas aperiendas à *Sigismundo* ferunt: quam tantam suis illatam injuriam minimè videntur neglecturi. Nam exules *Neapolitani*, quam sint Regi timendi superiore bello, & quidem multò hoc graviore docuerunt. Aderat enim illis *Jannes Renati* filius *Andegavensis*, qui terra marique *Genuensium* auxiliis instructus adversus illum rem gereret: & ut quidem hoc tempore *Innocentius*, ita tum *Calistus* Pontifex, non armis ille modò, sed quanta in homine divinam gerente potestatem esse poterat, gratia, autoritate, potentia formidabilis. Quæ omnia tamen novus idem Rex, & qui vix suas agnosceret, atque hostium vires, ita superavit, ut victi hostes non illius magis virtute, quanquam ea summa erat, quam sua inconstantia & levitate, illius maximè clementia, cum proprio ipsi scelere periissent, sint conservati. Quæ cum ita sint,

A non honestum solùm bellum pro socio, atque amico Rege, quod necessarium nobis præsertim, atque utile in posterum Reipublicæ esse videatur, nobis censeo suscipiendum, sed omni id mora & cunctatione omissa, quò nostrum illustrius in Regem beneficium studiumque sit. Ita enim nobis in præsentia facile est, ex afflicta & depressa illum fortuna erigere, ut idipsum tamen beneficii summi loco acceptum, nulla sit unquam hominum ætas obliteratura. Ad hunc modum ille locutus pervicit: ut *Nicolao Ursino Petiliani* Comite copiarum Duce, exercitus in *Latium* mitteretur, quò *Alphonsi* copiæ brevi conventuræ dicebantur. At B ille jam *Columnensium* validissimis auxiliis subnixus, in agrum *Romanum* moverat, quò exulum copias ab exercitu Pontificis qui cum se conjungere properabant, distineret. Cujus consilio cognito *Rubertus Sanseverinas*, instructa ad dimicandum acie, illi obviam progressus potestatem pugnandi fecit. Commisso acriter prælio, cum hostium vim sustinere non potuisset, parum lætis auspiciis, adversus Pontificem iterum in *Latio*, ac cum *Ruberto* Duce, nomine minimè fausti sibi ominis congressus, fusus profligatusque esse dicitur, paucis admodum fugæ comitibus, qui è tanta clade supererant. Veritus ne in potestatem hostium veniret, qui C cum delectis equitum illum insequebatur, non prius finem fugiendi fecit, quam procul ab hostium conspectu se *Politianum* recepit, oppidum *Senensis* agri: unde nuntios ad *Laurentium* de accepta clade, qui simul ab illo opem, atque auxilium implorarent, *Florentiam* misit. Re cognita *Laurentius*: ne victoria elati hostes bellum in *Hetruriam* transferrent, ab armis imparatam: non esse differendum auxilium arbitrabatur. Itaque & pecuniam illi extemplo & commeatus, ac cætera quæ necessaria videbantur bello instaurando, magna cum cura & sedulitate importanda ad illum curavit. Ad hæc miseratus hominis fortunam, quem D elatum olim secundis rebus, felicissimum sua omniumque opinione, ac florentissimum viderat, magistratui persuasit, ut legatum ad illum mitteret *Petrum Caponium*, magnæ nobilitatis hominem atque exploratæ virtutis, qui illum Reipublicæ nomine solatus, pro eo atque æquum erat, graviter ac molestè illius adversum casum civitatem tulisse significaret. Is conventum illum, & bono animo esse jussit, & magna in spe confirmavit, brevi futurum, ut firmioribus copiis & auxiliis auctus, tandem intelligeret, apud fortes fidelesque socios plus officium & fidem, quàm fortunam, & non minus in hominum calamitate huma- E nitatis jura, quàm in prosperis rebus & ad voluntatem fluentibus, gratiam atque opes valere. Hoc in *Alphonsum* humanitatis officio *Laurentius* functus, ne qua præterea in re illi deesset, quæ suæ fidei esse dignitatisque duceret, statuit his de rebus omnibus Regem, quod permagni illius interesse videbatur, certiorem facere. Is magnopere de filii salute solicitus, nihil de eo, propterea quod viæ omnes obsessæ hostium præsidiis tenebantur, jam aliquot dies audiebat. Itaque (quod posteà bello confecto) cognitum est, jam ille planè abjecto & demisso animo, ut ferè semper homines in dubiis rebus, videntur esse propensi ad F ea sibi ominanda, quæ deteriora habentur, lugens suam & filii fortunam, se in Regiæ interiorem partem abdiderat, & quò præter summè necessarios, aditus nemini patebat. Ergo ad illius animum confirmandum cum esse commodissimum statuisset, ut literas ad illum mitteret scriptas filii manu, quod quidem propter itinera ab hostibus obsessa difficillimum videbatur, hanc tandem rationem consilii inivit. Parva lamina è stanno codicillos involutos nondum cocto pane includit, atque uni

uni ex necessariis navo atque impigro homini, cui plurimum confidebat, cùm tectos eo involucro assandos curasset, *Neapolim* ad Regem tradit perferendos. Is literis acceptis, cum ad confirmandum errorem se mendicum atque egentem effingeret, pannosus ac situ & squalore obsitus, cum sæpè iter faciens in militum custodias incidisset, diligenter excussus ac stipe donatus, præter se observantium oculos incolumis *Neapolim* evasit, ac mœsto Regi & filii casum lugenti literas reddidit. Ad tam insperatum & lætum nuntium cùm non *Alphonsum* modò superesse, quem mortuum suspicabatur, sed à civitate, pecunia eundem & novis auxiliis auctum didicisset: lætus (id quod vultus subita mutatione significabat) ac voluptate ingenti perfusus, equum conscendit: atque quò suorum perterritos animos confirmaret per urbem universam equitavit, nuntiis dimissis in omnes Regni provincias, qui *Alphonsum* filium vivere, ac *Florentinis* sociis instaurare bellum majoribus etiam, quam antea viribus, significarent. Hoc *Laurentii* consilio *Neapolitanorum* insolentia repressa, qui despecta Regis fortuna, quam secundam & lætam odissent, jam defectionis consilia agitabant, facilius in posterum *Ferdinandus* continere illos in fide atque in officio potuit. At *Laurentius*, re ita ex sententia administrata, ad aliud consilium animum adjecit, atque omnino sibi dandam operam censuit, ut à Pontifice *Ursinos* aversos *Ferdinando* conciliaret: quod si effecisset, cum non contemnenda virium pars de Pontificiis copiis detracta Regi accederet, in magnas illum angustias conjecturus videbatur. Id autem se facile ab his impetraturum sperabat, propterea quòd *Virginium* gentis Principem conjunctum non affinitate solùm, sed familiaritate atque amicitia habebat. Re deliberata, iis per certos homines demonstrat, quorum fidem cognitam, atque industriam magnis sæpe in rebus erat expertus, id quod non erat difficile, quantum periculi à Pontificum potentia immineat *Romanæ* nobilitati, si principes vetere instituto majorum pergant ferro inter se atque armis decertare. Fieri eorum discordiis, quas quidem Pontifices omni ratione semper & consilio foveant, quod dominari sperent impunius, eorum viribus attritis qui sunt illis impedimento quominus domesticam potentiam tueantur: ut jam ferri sacerdotum ambitio & cupiditas non possit. Ea si in *Romanorum* civium consensu minus materiæ ad sese efferendam inveniret, cui jam nulli orbis terrarum termini esse satis viderentur non cum populo *Romano* præclarius quam cum universa Christiana Republica actum iri. Ita in præsentia captata *Innocentium* occasione ex eorum contentionibus, *Neapolitanum* Regnum invadere conari, quod si adjungi ditioni Pontificum atque imperio paterentur, tum quidem illos serò, & cum id inutile esset futurum, de reconciliatione, de concordia de reditione in gratiam cogitaturos. His adhortationibus victis animis, non solùm *Laurentius* impetravit, ut à Pontifice *Ursini* deficerent, sed etiam ut pro *Ferdinando* adversus illum sumerent arma, quod illi magnum momentum ad obtinendam victoriam, videbatur attulisse. Tametsi autem apparebat, defendendo illos *Ferdinando*, *Columnensium* vires & potentiam stabilire, cum nemo dubitaret quòd priores jam gratiæ locum apud Regem occupassent, non semper illos gratia & autoritate præstaturos: in communi tamen incommodo depellenda, simultatis memoriam sibi ponendam in præsentia, atque eodem consensu adversus Pontificem sibi esse conspirandum censuerunt. Magno ea res honori *Laurentio* dicitur fuisse, multò tamen majore ejus virtutis opinione & fama, apud eos qui non tam eventum rei, quam hominis consilium & prudentiam, vel in cogitanda re, vel in explicanda & perficienda animo complecterentur. Ad hunc modum *Ursinis* Regi conciliatis, dolo aggredi Pontificem atque à bello & armis ad pacis consilia avertere constituit. Re excogitata, per certum è suis hominem quem spe ingentium præmiorum oneraverat, literas illi tradendas curavit, ita perscriptas ut à *Ruberto* ad hostes de proditione missæ, atque interceptæ viderentur. Literis Pontifex lectis, qui ut maximè erat mitis, & lenitatis summæ, ita, quod plerumque evenit in hujusmodi ingeniis, & suspiciosus nimis, & parum adversus insidias suorum cautus habebatur, alia (ut fit) ad confirmandam suspicionem addendo, planè se à *Ruberto* prodi existimavit. Ut autem non esse prorsus vana suspicio videretur, id unum maximè efficiebat. *Ruberto* enim sua sponte *Innocentius* pollicitus erat ubi è sua fide & dignitate bellum administraret, *Federicum* illius filium in Cardinalium collegium se adlecturum. Id ut necessariò sibi esse agendum Pontifex censeret, bellum trahendo, quod celerius confici liceret, poterat videri *Rubertus* effecisse. Hæc tanta hominis suspicio, quæ cum haud levi conjectura niteretur, penitus illius animo insidebat, *Laurentio* spem fecit, rem ubi paulum adniteretur & brevi, & ex sententia conficiendi. Adjuvabat illius consilium magna jam hominum concepta opinio de illius lenitate, quæ quidem cùm tota esset ab ingenio fiebat, ut æquo animo sibi mentionem de compositione, & de pace fieri pateretur. Itaque usus administris insignis probitatis & fidei hominibus, quorumque magni esse apud Pontificem autoritatem sciebat, curabat crebrò cum admonendum fatigandumque precibus, ut ab infami & turpi bello atque adeò Christianæ Reipublicæ perniciosissimo animum avocaret. Quibus audiendis quò se in dies faciliorem præberet, duo illa maximè fecerunt. Nam cum (ut diximus) diffidere fidei suorum cœpisset, quos communicare consilia cum hoste suspicabatur: destitutus *Ursinorum* auxiliis, magnam accessionem Regi fieri ad bellum gerendum intelligebat: cum ad ea omnia accederet *Florentinorum* fœdus: quorum copiis Regiis adjunctis, fiebat ut magis etiam sibi de belli eventu dubitandum censeret. His tot difficultatibus, victa si qua erat, animi pertinacia, ad pacem faciendam cujus per se erat studiosus, animum induxit. Ingenti omnium lætitia, cum formidolosum magis bellum, quam grave, insperata atque inexpectata pax sustulisset: placuit novum fœdus inter omnes *Italiæ* Principes iniri, à quo *Genuenses* uni excluduntur, & quod à *Joanne Galeatio* defecerant, quod superius à nobis demonstratum est, & quod *Florentinis* per fraudem & injuriam *Sergianum* interceptum abstulisse dicebantur: cum neque ut *Sfortiam* Principem agnoscerent, neque ut *Florentinis* oppidum restituerent posse animum inducere ulla ratione viderentur. At *Rubertus* cum facto secundo initio belli: cætera in primis adversa hominum fama administrasset: ne in hostium veniret potestatem à quibus sibi undique strui insidias audiebat, cum delectorum equitum ala, per *Apenninum Flaminiam* digressus, inde magnis itineribus *Citadellam*, quod est *Patavini* agri oppidum, contendit. Hoc illi oppidum *Veneti* tribuerant post confectum *Ferrariense* bellum, quo quidem gerendo, in *Insubribus* adversus *Ludovicum* & *Alphonsum* Senatus copiis præfuerat. Atque cum aliquando ibi delituisset, tandem *Rhetico* bello *Veneti* exercitus imperator, in transitu fluminis *Athesis*, cum malè gesta re se in castra recipere conaretur, cum fortissimis equitum interiit. Gravi bello & periculoso confecto, *Ferdinandus*, ut novo fœdere cautum erat, reductis *Neapolim* exulibus in præsentia ignovit: paulò post tanquam fatis persoluta fide,

fide, conditiones pacis implevisset, de omnibus præter *Salernitanum* Principem & *Bisinianensis* liberos, victa fœderis religione iracundiæ atque odii magnitudine, supplicium sumpsit. Nam *Salernitanus*, minimè se committere ausus dubiæ hominis fidei, cum ex injuriæ magnitudine & Regis ingenio conjecturam de illius animo fecisset, per literas ut sibi abesse liceret impetravit, atque assumptis cognati Principis liberis, qui comites fugæ essent, in *Germaniam* primum, atque inde in *Galliam* contendit, ubi usque ad *Carolum* Regem, qui *Neapolitanum* postea bellum gessit, permansit. Atque illi quidem ægrè matris summa solertia prudentissimæ & lectissimæ fœminæ, per *Columnensium* fines in agrum *Romanum* evasisse dicebantur: ubique à Rege crudeli, atque immani illi insidiis comparatis. Eò autem progressus furore, & crudelitate fertur, ut in *Joannem Antonium Martianum*, cum trigesimum jam & quartum annum vinculis constrictus nondum satis pœnarum dedisse videretur, animadverterit: quibusdam cum parvis liberis parentum culpæ reis, qui proditionis convicti & damnati essent, interfectis. At Pontifex pace firmata, totus *Laurentii* & *Florentinorum* cum aliis in rebus tum in primis eorum probata fide in Rege inimico adversus se juvando, quanquam homo *Ligur*, cum graves simultates inter *Florentinos* & *Genuenses* intercederent, justas odii causas habere adversus civitatem videbatur: posita subitò, si qua erat, animi offensione atque odio in benevolentiam converso, in omnibus quæ pertinere ad civitatis commodum atque existimationem censeret, quæque reconciliati animi significationem illustrem habere, se illis æquissimum præbebat. Ex hac Pontificis propensione, magnam spem *Laurentius* cepit, id quod plurimum conducere ad familiæ amplificationem arbitrabatur, sibi illum privatim arctiori conjunctione obstringendi. Quæ res cum pari studio Pontifex teneretur, quod magnam spem augendi atque ornandi suos in *Laurentii* prudentia & autoritate collocaverat, non magno negotio transacta est. Ita *Francisco Cybo*, *Innocentii* filio unam ex filiabus *Laurentius* despondit, lætis in primis suorum auspiciis, quibus per eam affinitatem gradus atque ascensus ad maxima Regna, atque imperia comparabatur. Jam cum ea agerentur, Pontifex cum *Genuensibus* minimè obscurè *Florentinis* favens summo studio agebat, ut *Sergianum* Reipublicæ certis oblatis conditionibus restituerent. Neminem enim dubitare, ajebat, quicquid ab his tegendæ injuriæ obduceretur, quin injuria Reipublicæ *Florentinæ* oppidum ademptum à privato retinerent. Neque enim aut illos ullo gentium jure facere suæ ditionis, quod sibi per fraudem alteri ereptum comparassent, aut privato, qui malis rationibus in aliena invasisset, ea cuiquam pecunia accepta licuisse addicere: in quem si memores suæ constantiæ & moderationis essent, gravi jam & severa animadversio constituta, magnam ignominiæ labem quæ in Republica hæreret, à civitate avertissent. Quæ quanquam ita ab *Innocentio* agebantur, haud tamen apparebat, magni illius autoritatem apud suos cives futuram: cum minimè illis certa ratio tuendi sui juris deesset. Nam rectè fecisse suum civem defendebant, qui oppidum opportunissimum in Reipublicæ finibus à majoribus conditum, quam tanquam, objectam arcem exterorum injuriis haberent, patriæ vindicasset. Quod si *Florentini* antiquissimum quodque jus spectari iniquum censerent, de quo tamen nemo sua sponte, cui utrumvis liceret, vellet decedere, non sibi tamen privatorum injurias de quibus quererentur esse præstandas. Cognita quidem causa, cum illi non recusarent, quin summo jure experirentur, quod è sua fide & Reipublicæ dignitate esse censerent se de omni ea controversia constituturos. Priores illos vim intulisse, qui dolo & fallacia occasione quæsita è privatorum injuriis, bello quiescentes tanquam ita illud fore legitimum arbitrarentur, lacessissent. Ita *Petram Sanctam Genuensis* Reipublicæ oppidum, observato eorum tempore, cum essent ab omni re imparati per summam injuriam occupasse. Nam si *Sergianum* opponant: bellum illud non fuisse cum Republica *Florentinis*, sed cum privatis susceptum, quibus, legibus & moribus civitatis, quid agerent præscribi à magistratu non liceret. His rationibus cum jus publicum tuerentur: interea classe instructa tria peditum millia ad *Ericis* portum suos adducere, qua manu expugnationem *Sergianelli* tentari placebat, celeriter jubent. Ea arx posita in medio collis ascensu, qui objectus *Sergiano* imminet, à *Castrutio* olim *Lucensium* Principe extructa, præsidio *Florentinorum* tenebatur. Nisi autem eam in potestate haberent, nunquam illis libera futura oppidi possessio videbatur. Jam vero frequentissimo ædificiis suburbio vastato, quod ab latere, quà ad montes vergit, *Sergianum* pène attingit, aggredi arcis oppugnationem parabant. Qua re *Florentini* cognita, in *Genuenses*, tanquam in pacis atque otii perturbatores, jam diis hominibusque approbantibus, bellum comparare instituunt. Ita copiis contractis, *Virginium Ursinum*, nobilitate & gloria rei militaris clarum hominem præficiunt, atque adversus hostes *Sergianum* mittunt. Interea eum apud *Innocentium*, tum apud cæteros *Italiæ* Principes de *Genuensium* injuriis expostulare, atque ab iis opem & auxilium implorare non desistebant. Ex his *Ferdinandus* solicitus de *Thracio* bello, re vera quod se novo bello implicari nolebat, vix à superiore viribus collectis, quo quidem in magnas ærarii angustias erat conjectus, se illis auxilio esse non posse, quod ferret ægerrimè, querebatur. *Ludovicus* illos, propterea quod clàm *Genuensibus* favebat, aliquamdiu spe propinqui auxilii ludificatus, cum temporis excusatione uteretur: simul cæteri Principes variis objectis causis, quibus se prohiberi dicerent, quò minus eos suis auxiliis juvarent, magna spe frustratos destituerant. Neque illi tamen ob id perculsi, sese animo demiserunt. Etsi autem ferebant iniquo animo, cum ab aliis, tum à *Ferdinando* adeò sibi malè gratiam relatam, cujus unius causa civitas in magno salutis discrimine versata esset: novum exercitum celeriter confecto in agris, atque in vicinis oppidis delectu, conscribi, ac *Jacobo Guiciardino* & *Petro Victorio* legatis qui copiis præessent adduci in *Apuanos* jubent. Ita illi summa celeritate usi ad *Meram* amnem (*Macram*, ut alibi diximus, incolæ appellant) copiis ductis, non procul ab oppido castra ponunt. Jam *Sergianelli* arx vehementissimè oppugnata, ac tormentis majoribus quassata, quorum magnam vim in castra advexerant, propediem in hostium potestatem ventura videbatur. Nam cum cætera minus procederent, quod quantum muri tormenta proruissent, celeriter milites, qui erant in præsidio, reficiebant, quod non erat illis difficile in non magno murorum ambitu, jam cuniculos agere instituerant, cujus rei obsessi cum non magnum usum haberent tueri diutius arcem non poterant. Cum legati quantis in angustiis obsessi versarentur, non ignorarent, propius ad illos castra movere, ac prælio rem committere constituunt: non esse iis differendum auxilium arbitrati. Ita utrimque in aciem copiis productis, ac dato militibus signo ad pugnandum, clamore sublato concurritur. Pugna fuit pro numero militum acris, atque aliquamdiu immotæ acies steterunt: postremò cum *Genuensium* signa fluctuare ac perturbari ordines cœpissent, dissipatis instando *Florentini* eos terga vertere cœ-

gerunt. Victoria potiti hostium nonnullis interfectis, permultis vivis captis, in his *Ludovico Flisco* magnæ homine nobilitatis, arce obsidione soluta, totis viribus *Sergianum* incubuerunt, delendæ ignominiæ cupidi, quæ *Genuensibus* obtinentibus oppidum Reipublicæ hærebat. Ita mota eò extemplò castra ac tormenta omnis generis ad muros verberandos cum omni apparatu urbium expugnandarum adducta. Quibus administrandis, quanquam summa militum alacritate uterentur, nihilò tamen remissius oppidani, quæ ad urbis defensionem, quæque ad tolerandam obsidionem pertinerent, comparabant. Quorum pertinacia *Florentini* animadversa, qui ubi paulùm adniterentur, oppido se potituros non desperabant, *Laurentium* per quem bello finis imponeretur ad exercitum miserunt. Hujus adventu facta magna rerum commutatione: *Sergianenses*, desperata urbis defensione, deditionem fecerunt. Cùm ita receptum oppidum esset, per paucorum supplicium, quos fuisse autores defectionis constabat, multitudine culpa liberata, conservatum est, jussis militibus ab omni injuria & maleficio in victos abstinere. Iisdem ferè diebus, quibus ea ad *Sergianum* gesta sunt, *Ludovicus Sfortia*, ne planè videretur *Florentinis* defuisse, gravis armaturæ equites ad *Apenninum* præmiserat, qui inde in *Hetruriam*, quove illi postea juberent proficiscerentur. Eos cum accepisset propè *Sergianum* profectos, *Genuam* iter flectere, quod magnus ortus tumultus ac civitas esse in armis dicebatur, imperavit. Ita *Sfortiani* à suæ factionis hominibus in urbem accepti, facilè *Fregosiis* dejectis, ut se *Ludovico* permitterent, obtinere potuerunt. Quæ dum in *Liguribus* geruntur, *Auximi*, quæ urbs olim in *Italiæ* quinta regione habebatur, gravis seditio præter omnium expectationem unius hominis temeritate atque audacia exorta, magnam rerum perturbationem ferè in *Italia* excitavit. Erat in ea urbe *Buccolinus* quidam homo popularis, perdito ingenio ac maximè rerum novarum studiosus, & sive gratia sive metu, ingentem inter suos autoritatem consequutus. Hujus consilio civitas, à Pontifice, cujus in ditione erat, cum sacerdotum immite ac triste imperium non ferret, in maxima pace atque otio *Italiæ* defecit. Qua re Pontifex cognita, conscriptum raptim militem ad urbem obsidendam celeriter adduci jubet: minimè ignarus, ubi *Auximates* ferre id impune pateretur, majoris tumultus & defectionis hoc initium futurum. In primis suis imperat ut recepta urbe, defectionis autores in potestatem redactos, mittendos ad se *Romam* curet. Tentata autem oppugnatione urbis, cum irriti omnes conatus cecidissent, ac cum alii complures tum *Joannes Vitellius*, ut alibi diximus, dum temerè succederet ad muros, interfectus esset, obsideri est cœpta. At oppidani ultima omnia passi, quòd in tanti sceleris conscientia veniam desperarent, ad novum consilium animum adjecere, ac *Buccolino* autore, *Turcam*, cujus imperium, sacerdotum importunæ denominationi præferrent, accersere auxilio constituerunt. Ac ne tam audaci incœpto minus eventus responderet: literas ad Regios Præfectos *Aulonam* mittunt, quibus sese urbemque dedunt. Id cum fama ad *Laurentium* perlatum esset, admiratus tam grave scelus cadere in hominis mentem potuisse, omnia experiri constituit, quò illum ab impio & nefario consilio deterreret. Itaque privato nomine *Auximum*, *Gentilem Aretinorum* Pontificem misit, virum (ut superius dictum est) insignis prudentiæ & virtutis, qui hominis desperati efferatum animum, lenire, atque ad sanitatem revocare conaretur. Dicitur *Buccolinus*, cum à *Gentili* esset conventus, cujus rei illi ægrè potestatem fecisset, non antea passus esse eum ulla de re verba facere, quam id illi dixisset: magno ei argumento esse debere, quanti à se fieret *Laurentii* autoritas, qui ex eo ordine ad se missum hominem, cui omnium esset infestissimus, colloqui secum atque sibi adeò venire in conspectum permisisset. Posita in præsentia sacerdotis persona, licere illi, omni metu vacuo animo, quæ in mandatis haberet, explicare: *Laurentii* honoris causa libenter se de suo jure atque instituto decedere, atque animum inducere, ut omnia agere, quæ illi grata esse & honesta sciret. Ita facilè transacta re, pactus incolumitatem, & ut oppidanis parceretur, cum præ se ferret se id *Laurentii Medicis* gratiæ tribuere urbis deditionem fecit, ac *Florentiam* ad *Laurentium* concessit. Aliquamdiu in urbe moratus à *Ludovico Sfortia Mediolanum*, magnis illius pollicitationibus evocatur, atque supplicio afficitur. *Veneti* iisdem temporibus, *Rhetico* bello à *Germanis* superantur. Cum *Tridentum* copias admovissent, ejus urbis tentandæ causa, à *Georgio Petra Plana* qui à *Sigismundo* bello gerendo præfectus, illis agrestium comparata manu occurrerat, equitatu superato, victi ferè ad unum interficiuntur, cum (ut diximus) *Sanseverinas Veneti* exercitus Dux, in fluminis transitu interiisset. Interea impendente metu *Thracii* belli, cum *Venetis* terra marique Barbarus, *Sigismundo* ubi in *Austriæ* fines irrumperet, esset formidabili futurus, pax postulante *Innocentio* Pontifice æquis inter illos conditionibus conciliata est. Quæ dum ad hunc modum diversis in partibus *Italiæ* geruntur, *Hieronymus Riarius*, & *Galeotus Manfredus*, ille à conjuratis, hic ab uxore *Joannis Bentivoli*, patris consilio (ut fertur) sublatus interiit. Erat *Forolivii Franciscus Ursus* ob eximiam opinionem virtutis, magna apud suos cives autoritate: ea cum pari ingenio esset, ac prudentiæ adjuncta, gravem de eo curam & suspicionem *Riario* injecerat. Itaque, cum nulla spes esset, beneficii magnitudine eum deliniri, quod servitutis præmium videretur: alia ratione continendum in fide arbitratus, sæpè exilii & mortis denuntiatione abducere à novis consiliis conatus erat. Quæ aliis terrori fuissent, ea homini acerrimo & magni animi, æquè & ad se vindicandum in libertatem, & ad patriam liberandam ab impotenti domino magna incitamenta extiterunt. Eo animo cum esset, ex familiaribus consilii participes & socios, delegit homines, magni animi & spectatæ virtutis, quorumque fidem in primis probatam habebat. Diem cædi constitui placuit, quo die nundinæ erant in urbe futuræ: quoniam autem verisimile videbatur magnum agrestium concursum nundinarum celebritate fieri, si quis casus posceret, eorum peropportunam operam ad omnia fore conjuratis, apparebat. Consueverat *Hieronymus*, ut ferè omnes æstatis tempore & magnis caloribus, inclinante in vesperam die, cœnam inire. Quo quidem tempore, cum quamdiu familiares cœnarent, solus ipse ageret: non magno negotio, ubi eò accessus pateret, opprimi posse censebant. Cum de hora convenisset, *Franciscus* eò cum cæteris profectus: seducto puero, qui ad cubiculi fores assistebat, se habere ait, quæ remotis arbitris cum Principe agere vellet. Potestate ingrediendi facta, cum dicere exorsus esset, intentum quò esset evasurus, multis confectum vulneribus interfecit. Quo fa&o ac simul puero interfecto, ne rei gestæ index familiam ad tumultum excitaret, arcis Præfectum, qui casu paucis comitatus Principem venerat salutatum, à cæteris conjuratis occidi imperavit. Quibus rebus celeritate summa administratis, abscissum *Hieronymi* caput, ex superiore ædium parte in subjectam aream projiciunt: ac populum jam pridem *Riarii* dominationi infensum ad arma vocant, utque Pontificis insignia erigere, ac per suos cives se in liber-

bertatem vindicare vellent, adhortantur. His populus incitatus, ad studium libertatis erectis animis, cujus capessendæ magna erat occasio oblata, in forum arreptis armis concurrit, atque immoderatis studiis & acclamationibus efferens conjuratorum nomina, tyranni liberos ad necem poscebat. Interea *Catherina Hieronymi* uxore magnæ audaciæ, atque animi fœmina cum liberis custodiæ tradita, à furenti multitudine, quæ jam direpta domo in illam sæviebat, subtrahitur. Id quidem ut per eam recipi arcem liceret, quæ satis valido militum præsidio tenebatur. Nam quicquid conjurati, aut vim & arma aut obsidionem intentarent, illi negabant se arcem tradituros ni sibi ab ea imperatum esset. Id illa jussa facere, quæ quanta sibi occasio oblata esset ad rem agendam non ignoraret, se ita obtemperaturam recepit, ut sibi tamen ingredi in arcem & cum militibus colloqui liceret, quorum fidei arcis custodia tradita esset. Quò id minus agere dubitarent, liberos qui jam erant in eorum potestate obsidum loco asservari jubet. Hac spe illis injecta, obsidibus liberis retentis, facilè illi potestatem ingrediendi ubi vellet fecerunt. Qua re impetrata, jam é tuto loco, quanquam & conjuratos & tanto consensu multitudinem armatam ad arcem oppugnandam conspiciebat, eos minis deterrendo, ac mortem & quæ iis graviora essent supplicia denuntiando, arma ponere ac discedere è medio jubebat: brevi se ab impiis & sceleratis hominibus ni parerent, pœnas expetitura. Nam cum illi nisi tradi arcem extemplò juberet, se liberos excruciatos, in ejus conspectu minarentur interfecturos, odio atque iracundia fœmina provecta, sibi verò liberos haberent, respondisse fertur: ita enim natura sibi esse prospectum, ut si quam jacturam liberorum faceret inimicorum injuria, facilis sibi ejus sarciendæ ratio constaret. Cum hæc illa vigilantia summa & cura administrasset, ac facile sua autoritate milites, quò minus de arce dedenda cogitarent in officio continuisset: *Ludovicus Sfortia* patruus illi ex *Insubribus*, minimè dubia auxilia mittere ferebatur. Quæ cum ita essent, conjurati, qui ut certos se hostes habituros, ita nihil sibi præsidii (quod speraverant) à Pontifice affuturum animadverterent: dominum extinxisse minimè dominationem sustulisse, videbantur: quam ut effugerent, relicta urbe se in *Tifernates* receperunt. Cum *Catherina* consilio atque audacia amissum viri morte Principatum brevi recuperasset: multitudine etiam favente, quæ mutatione consilii redimere inconstantiæ crimen conabatur: de iis quæstionem habere instituit, quibus autoribus post virum interfectum, erat tumultus excitatus. Ad hunc modum variis in illos constitutis suppliciis qui comprehensi convictique essent, absentiumque bonis publicatis, acerrimè, ut se facturam prædixerat, viri mortem est ulta. Ex eo tumultu *Florentini* occasionem nacti rectè Reipublicæ administrandæ *Pancalduli* arcem ad *Santernum* flumen in Apennino positum castellum, ab *Hieronymo* olim civitati interceptum, recipiunt. Jam *Faventiæ Galeotum Manfredum* urbis Principem uxor (ut diximus) certis hominibus in illius necem adornatis, interfecerat. Is aliquot ante annis bello intestino quod cum *Carolo* fratre gesserat, victor Principatum occupaverat: homo præter militiæ gloriam, neque ineruditus, & quæ erat in viro principe, significatio virtutis, cum primis doctorum hominum studiosus. Eum uxor cum se gravi morbo correptam simulasset, in abdita cubiculi parte interfectoribus collocatis, ad se invisendi causa advenientem, interficiendum curaverat. Causæ variæ ferebantur: alii id viri odio, quod nobilium fœminarum consuetudine liberius

A uteretur, quam matrimonii jura postularent, alii patris imperio, qui ejus urbis ditioni per generi mortem immineret, tribuebant. Cum quanquam illa unà cum *Astorre* parvo filio occupata arce, se acerrimè adversus concitatam multitudinem tueretur, *Joannes* pater qui intelligeret, non illam facilè posse tanti sceleris invidiam perferre, fluctuante adhuc eo tumultu civitate, armatorum multitudine septus, illi auxilio venit. In his erat *Bergaminus* quidam, qui singulari virtute atque industria, ad honestiores militiæ ordines evectus, per ea tempora *Ludovico Sfortiæ* merebat. Jam cum *Faventiam Antonius Bosculus* venisset, *Florentinæ*
B Reipublicæ Legatus, quod optimè semper civitati cum *Galeoto* convenisset, nondum etiam planè sedato tumultu, de statu civitatis constituendo communi consilio agebat. Id cum intentius fieret, novus tumultus repente excitatur. Ex *Lamonis* valle (ab *Anemone* fluvio dicta videtur, quo influente *Faventia* dirimitur) agrestes & montani homines, magna multitudine collecta, exciti ad urbem venerant: nomine ut Principis cædem ulciscerentur: re quidem vera, ad prædandas diripiendasque locupletum domos, quorum maximè erant nomini & causæ infesti. Ab his *Joannes Bentivolus* captus, *Modilianum* adducitur, quod
C vetustum *Æmiliæ* castellum *Mutilum* appellatum credunt, & custodiæ traditur. *Bergaminus* ac cæteri comites, se acerrimè adversus agrestium vim defendentes, cum multo numero inferiores essent, interficiuntur. Ea res cum esset *Florentinis* nuntiata, pupillo accepto in fidem, ac cura urbis & Principatus suscepta, sua autoritate obtinuerunt, ut *Joannes* cum filia vidua è custodia emitteretur, magno ille quidem vitæ periculo defunctus. Paulò pòst, id enixè *Faventinis* postulantibus, ejus urbis procurationem *Veneti* susceperunt: qua ex re *Julius Secundus* Pontifex tegendæ cupiditatis occasione arrepta, magno excitato in *Italia* incen-
D dio, *Europam* universam funesta belli face inflammavit. Iisdem ferè temporibus *Senæ*, cum post *Alphonsi* profectionem, ut jam antea demonstravimus, nihilò res quietiores fuissent: tandem victa plebs perniciosis civium contentionibus, iis civitatis Principatum ac Reipublicæ administrationem concessit. Nec multò postea *Pandulphus Petrutius*, mortuo *Jacobo* fratre grandiore natu, partim obsequio & indulgentia, partim largitionibus & muneribus sibi populi studiis conciliatis, neque magnopere contradicente nobilitate, quæ fessa magnitudine malorum otium & concordiam respiciebat, rerum potitus est. At *Florentini Ligustico*
E bello confecto usque ad *Laurentii* mortem (ea incidit in octavum Pontificatus *Innocentii* annum) jam illius autoritate & consilio pace in universa *Italia* parta, ut nunquam antea majorum memoria autoritate & gratia, inter omnes Principes *Italiæ* florebant. Nam ad civitatis statum & populi libertatem confirmandam, duo illa summo studio egerat: & ut æquabilitas in civitate, summa servaretur, nemine inter multos ita eminente privata fortuna, ut formidabilis civitati esset, ipse jam moderatione & æquitate superata hominum invidia: & ut *Hetruriæ* civitates junctæ fœdere Reipublicæ
F tanquam objecta propugnacula externis hostibus otium, & concordiam civium tuerentur. Ad hunc maximè modum, cum *Florentinorum* invidiosa potentia omnibus *Hetruriæ* populis, minus quietura ab armis videretur: *Lucenses*, *Perusini*, *Senenses*, *Tifernates*, *Bononiæ* ac *Flaminiæ* civitatum Reguli omnes, ita unius hominis autoritate & gratia in fide continebantur: ut si spem civium (quod probabile erat) illius vita æquasset, haud desperarent, tutam adversus vim omnem civitatem, atque invictam, concordia ordinum & con-

ſenſione futuram. A *Liguribus*, quorum magna erat potentia, utcunque in Rempublicam malè animati eſſent, nihil habebant, quod formidarent: jam bello victis, ac *Sergiano* & *Petra Sancta* duobus oppidis tàm opportunis ad omnem eorum impetum & vim arcendam, illis ademptis. In mediis *Apennini* jugis *Florentiolam* caſtellum munierant, quam tanquam arcem oppoſitam *Bononienſibus* haberent, ſi quid adverſus Rempublicam per vim molirentur. In *Senenſium* finibus (*Pogium* imperialem quem appellant) civitas cum inſtaurare cœpiſſet, ne qua ex parte Reſpublica præſidiis nudata ſubitis hoſtium incurſionibus pateret, maximè ſecuritati ſuorum proſpexiſſe videbatur. Quò rem minus inchoatam abſolveret *Laurentii* mors fuit impedimento: quæ poſtea minimè, aut ſuo aut Reipublicæ tempore conſecuta eſt. Atque hæc quidem foris: domi cum jam ob belli diuturnitatem (id quod neceſſe fuerat, in magna improborum hominum licentia) dilapſa omnia fluxiſſent: ſenſim oblitos homines otii & pacis artium, ad reſpiciendam magiſtratuum autoritatem, legibus & judiciis conſtitutis, revocavit. Ita egentium ac perditorum hominum audacia coërceri, & fides retineri, ab infinita hominum cupiditate vindicata, non magno negotio potuit, quæ in expectatione rerum novarum ferè concidiſſet. Nam ad belli ſumptus perferendos, cum difficillimis Reipublicæ temporibus, ſæpe privatorum cupiditas major eſſet patriæ charitate, inventi ſunt, qui illius autoritatem ſequuti, quinquaginta atque eo amplius nummûm aureorum millia civitati expenſa ferrent. Tueri autem publicam fidem, hac inita conſilii ratione inſtituit: ut cum ex mutuis ſumptis pecuniis civitati ſuppeteret, quantum ſatis eſſet ad gerendum bellum: ex ærario cui adminiſtrando præerat, tantundem æquis penſionibus perſolvendum curaret. Interea ne privatis beneficentia uſis in civitate ſublevanda, publica incommoda fraudi eſſent: quibus aut crediti nomine aut muneris & ſtipendii Reſpublica deberet, & propterea decoxiſſent, iis autor, ut ad diem ſolveretur, conſequutus æquitatis & moderationis laudem proſpexit. Mercaturam, cum longo uſu rerum eſſet animadverſum, ex eo tanquam uno capite & robur & nervos omnes in Rempublicam diduci: quamdiu per publica negotia licuit, quod magno præſidio præterea eſſet ad domeſticam potentiam tuendam cenſeret, neceſſariò exercuit. Cupiditas enim ita latebat inter maximas virtutes, quas non eodem ſtudio ſemper poſteri excoluerunt in pari poteſtate atque imperio poſiti, ut ſi qua ex ea exiſteret offenſio, ea muneribus & largitionibus redempta tolleretur. Quam rectè viſus eſſet ſecuritati ſuorum proſpicere *Petri Medicis* filii temeritas declaravit, qui fortunæ paternæ magis, quàm virtutis hæres, cum Regnum minimè obſcurè in libera civitate exerceret, magno id quidem Reipublicæ incommodo, ſed ſuo exitio & ruina, amiſit. Supremo vitæ ſuæ tempore optima ratione mercaturam improbare viſus eſt: magno ære alieno diſſoluto, quod ipſe culpa ſuorum contractum, illi effuſis ejus largitionibus cauſabantur, quas domeſticæ opes minimè animo pares non ferrent. Ad agros colendos ita animum convertit, ut ſuperius inſtitutum, planè tamen negligi à privatis noluerit. Itaque præter cæteras artes, quæ ſunt vitæ hominum uſui atque ornamento, lanæ & ſerici textrinas, quibus maximè artibus in ea civitate alitur plebs, & auxit ſtudio & gratia atque autoritate provexit. Hinc ad conformandos civitatis mores converſus, liberalium artium inſtaurandarum curam ſuſcepit, *Piſis* opportuna maximè civitate, quò plures ſuo beneficio comprehenderet *Gymnaſio* inſtituto, ac claris hominibus ſapientiæ ſtudiis, amplis præmiis excitatis, qui juris civilis prudentiam, & Philoſophiam ac cæteras liberales artes profiterentur. *Florentiam* præterea eruditos homines conduxit, atque in primis magni nominis, qui juventutem licentia vitæ & luxuria diffluentem inſtituendo, ad honeſtiores vitæ rationes revocarent. Ex quibus apud ſe magno in honore habuit *Chriſtophorum Landinum*, & *Marſilium Ficinum*, quorum uterque exactæ jam ætatis cum *Coſmo* avo vixerat: tum *Demetrium Calchondylam*, *Angelum Politianum*, *Marullum Trachaniotam*, *Joannem Picum* adoleſcentem, præter generis nobilitatem, excellenti quadam eruditione clarum, qua ſibi *Phœnicis* nomen conſenſu doctorum hominum quæſivit. Hos quidem cum à Republica otium eſſet, ſolitus adhibere, cum de rebus aliis gravioribus, tum maximè de iis, quæ ad religionem colendam pertinerent, & ad vitæ inſtitutionem diſſerebat. Quicquid verò alii ſecus tradiderint, optimè de religione ſentire viſus eſt: uſque eò ut eos quorum minus de ea recti eſſent ſenſus, aculeo etiam orationis perſtringeret, minimè inquiens mirandum eſſe mortuos homines de animorum immortalitate, & de beata vita dubitare. Ita domi foriſque *Laurentius* Republica conſtituta, deceſſit Pontificatus *Innocentii* anno octavo, Non. April. Multa illius mortem portendiſſe dicuntur, quæ *Hetruſci* ſcriptores, atque in his *Angelus Politianus*, parum neceſſaria illa quidem ad hominis excellentem virtutem ſignificandam, diligentiſſimè colligit. Ea quidem tempora ſunt illius mortem conſequuta, ut (quod ſemel jam diximus) pax illius virtute & conſilio parta in *Italia*, ejus morte extincta eadem concidiſſe videatur.

FINIS.



INDEX
RERUM MEMORABILIUM,

Quæ hisce octo libris continentur, quarum quæ aut ad institutionem vitæ, aut ad Reipublicæ rectè administrandæ rationem pertinent, eas è regione stellula apposita notatas animadvertes.

Con-

G

L


P

FINIS.









ANTIQ
ITALIÆ

T . VIII
P .